BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
1 K
22
H
B 22 E 7
Digitized by Google

Digitized by Google

# IVRISPRVDENTIA SACRA

TRACTANTE

ANTONIO PAVLVTIO
I. C. VENETO
CANONICO PATAVINO, ET IN CELEBERRIMO
Patauino Archigymnaſio Cæſarei primùm, mox Pontificij
Iuris Anteceſſore Primario,
*Et poſtea Sacri Palatij Apoſtolici Cauſarum Auditore:*

## TOMVS SECVNDVS.

*POSTHVMVS.*

De His, quæ ſimplicis, & voluntariæ Iuriſdictionis.

Bibliotheca S. Pantaleonis Scholarum Piarum

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ROMAE,
Apud IOANNEM BAPTISTAM BVSSOTTVM.
*M.DC.LXXXVIII.*
SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

*EX commiſſione Reuerendiſſ. P. F. Dominiei Mariæ Puteobonelli S. P. A. Magiſtri, Ego infra,criptus auide attenteque perlegi Opus elucubratum ab Illuſtriſſ. & Reuerendiſſ. D. Antonio Paulutio, Sac. Rom. Rotæ Auditore præſtantiſſimo hoc titulo inſignitum* Iuris Prudentia Sacra Tomus Secundus. *Quo ſane opere viuida Auctoris ſapientia, quam Vrbs, & Orbis nunc vſque ſuſpexit, nec per inuidam mortem reclinata marceſcet, ſed virens ac florida perennabit, ceu frugiferum tanti Viri laudis, & gloriæ monumentum. Paucis permulta complectitur, noxij tamen nihil; nam cuncta Chriſtianis moribus ſaluberrima, fidei dogmatibus apprime conſona, ſacrorumque Canonum definitionibus eruditiſſime firmata promuntur. Idem quod typorum beneficio præclarum iſtud opus publicæ exponatur luce, vtriuſque Iuris profeſſoribus cenſeo permaxime profuturum. In quorum fidem &c. Ex Conu. S. Mariæ ſuper Mineruam 15. Octob. 1685.*

Fr. Paulinus Bernardinius Ord. Præd. S. T. Mag.

---

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiſſimo Patri Magiſtri Sacri Palatij Apoſtolici.

*Steph. Ioſeph Menattus Epiſc. Cyrenen. Viceſg.*

---

*Imprimatur,*

Fr. Dominicus Maria Puteobonellus Sacri Palatij Apoſtolici Magiſter Ordinis Prædic.

# INDEX CAPITVM.

## LIBER QVARTVS.

### DE SCRIPTO, ET NON SCRIPTO IVRE.

### TRACTATVS QVARTVS.

CAP. Vnicum.


*De Origine Iuris.* pagina 1

*Eſſe in Eccleſia Legiſlatiuam Poteſtatem. Cap. I.* 13

*Quid Conſtitutio, & Quotuplex. Cap. II.* 23

*Quę Conſtitutionis, aut Legis Virtus, quoſque teneat. Cap. III.* 32

*De obligatione Principis, aut Legiſlatoris reſpectu à ſe latæ legis. Excurſus.* 40

*Quæ Legis, ſiue Conſtitutionis materia. Cap. IV.* 45

*De Ceſſatione, Abrogatione, & Diſpenſatione Legis, ſiue Conſtitutionis. Cap. V. pag. 53*

*De Diſpenſatione Conſtitutionis, & Legis. §. I.* 58

*Quæ materia, & quæ forma Diſpenſationis. §. II.* 62

*De Reſcriptis. Cap. VI.* 68

*De Priuilegijs. Cap. VII.* 77

*De Priuilegio non Scripto. §. I.* 83

*Quinam poſſit, & cuius ſit, Priuilegium conferre. §. II.* 87

*Qua de re, & cui poſſit, aut debeat concedi Priuilegium. §. III.* 89

*De Exemptione tùm Regularium, tùm Capitulorum Cathedralium. Excurſus.* 90

*De Forma, Fine, Effectu, & Interpretatione Priuilegij. §. IV.* 96

*De Modis; quibus finitur Priuilegium. Cap. VIII.* 100

*De Iure non Scripto. Cap. IX.* 113

*De Conſuetudine. Cap. X.* 114

*De Aequitate. Cap. XI.* 127

*De Eccleſiaſticis, & Sacris Traditionibus. Cap. XII.* 135


## LIBER QVINTVS.

### DE HIERARCHIA, ET DIGNITATIBVS ECCLESIASTICIS.

### TRACTATVS QVINTVS.


*De Hierarchia Nomine, Diuiſione, & fine. Cap. I.* 144

*De Eccleſiaſtica Hierarchia. Cap. II.* 145

*De Ordine, altera Hierarchiæ parte, ſiue cardine. Cap. III.* 148

*De Iuriſdictione, altero Eccleſiaſticæ Hierarchiæ Cardine, ſiue parte. Cap. IV. pag. 150.*

*De Iuriſdictione cùm in genere, tùm in ſpecie. Excurſus.* 152

*Proponitur, & probatur neceſſarius ad Hierarchiam Iuriſdictionis concurſus. pag. 159.*

*Qualis Iuriſdictio ad Eccleſiaſticam Hierarchiam neceſſaria. Cap. V.* 161

*De gradibus, & perſonis, quæ Eccleſiaſticam Hierarchiam ingrediuntur, & ſacrum Principatum participant. Cap. VI. pag. 169.*

*De Monachis quòad Hierarchiam. Appendix.* 172

*De Dignitatibus Eccleſiaſticis in genere. Cap. VII.* 175

*De Dignitatibus Eccleſiaſticis in ſpecie, & earum munere. Cap. VIII.* 179

*De Officio Archipresbyteri, & Primicerij Cap. IX.* 182

*De Corepiſcopis. Excurſus. ibid.*

*Reditur ad Archipresbyteros.* 187

*De inſigni ſacrorum Procerum Pallio, & eius vſu. Cap. X.* 188


### TRACTATVS SEXTVS.


*De Eccleſijs particularibus, earum Collegijs, & Clero. Cap. I.* 2[illegible]


### TRACTATVS SEPTIMVS.


*De Propagatione Cleri per Sacram Ordinationem, & ſolemni eius Ritu. Cap. I.* 209

*De Gradibus Sacræ Ordinationis. Cap. II. pag. 216.*

*Quæ neceſſaria, vt validè Sacra Ordinatio peragatur. Cap. III.* 23[illegible]

*Quis Sacræ Ordinationis Miniſter. Cap. IV. pag. 236.*

*Quæ requiſita, vt ritè peragatur Sacra Ordinatio. Cap. V.* 24[illegible]

*De Titulo ad Sacram Ordinationem requiſito, & quinam proprius cuiuſlibet ordinandi Epiſcopus. Cap. VI.* 258

*De Dimiſſorijs Literis tùm ex veteri, tùm ex recentiori Eccleſiæ vſu. Excurſus.* 277

*De Tempore ad Ordinationem Sacram. Cap. VII.* 284

*De Effectu Sacræ Ordinationis. Cap. VIII. pag. 296.*

*De Diaconiſſis. Excurſus.* 301

*De Vita, & Honeſtate Clericorum, & eorum Cœlibatu. Cap. IX.* 300

*De Cœlibatu Sacrorum Hominum. Excurſus.* 312


TRA-

## TRACTATVS OCTAVVS.

De Incruento, & Auguſto Miſſæ Sacrificio. Cap. I. 324
De Nomine, & Veritate incruenti Sacrificij. §. I. 330
In qua parte, ſeù actione Miſſæ vera Sacrificij ratio conſiſtat. §. II. 337
Qui effectus Sacrificij Miſſæ. §. III. pag. 343.

## TRACTATVS NONVS.

De Monachis, Monialibus, Regularium origine, ſtatu, votis, & eorum Prælatis. Cap. I. 351
De Monachorum, & Regularium Votis. §. I. pag. 355.
De Monachorum, & Regularium Politia. Cap. II. 363

## LIBER SEXTVS.

### De Beneficiis Ecclesiasticis.

## TRACTATVS DECIMVS.

De Origine, Nomine, Definitione, & Diuiſione Eccleſiaſtici Beneficij. Cap. I. pag. 368
De Præbendis in ſpecie. Cap. II. 379
De Optione Canonica. Excurſus. 328
De Decimis, Primitijs, & Oblationibus. Cap. III. 387
De Beneficiorum Eccleſiaſticorum diſtributione, & collatione. Cap. IV. 397
De Reſeruationibus Pontificijs. Excurſus. pag. 402
Reditur ad Collationem Beneficiorum. 411
De Beneficiorum pluralitate vetita, & eorundem incompatibilitate. Cap. V. 415
De Iure Patronatus. Cap. VI. 422
De Iure Deuolutiuo. Cap. VII. 445
De Capellis, & Capellanijs. Cap. VIII. pag. 449.
De Permutatione, Reſignatione, & Vnione Beneficiorum. Cap. IX. 452
De Renunciatione, ſeu Reſignatione Beneficiorum. §. I. 460
De Vnione Beneficiorum. §. II. 467
De Vacatione Beneficiorum. Cap. X. 473
De Penſionibus Eccleſiaſticis. Cap. XI. 478
Qui poſſint, & ex quibus Cauſis penſiones imponere, ſeu conſtituere. §. I. 481
Quibus Modis Eccleſiaſticæ Penſiones perimantur, & deſinant. §. II. 486
De Tranſlatione Penſionum. Cap. XII. 501

## LIBER SEPTIMVS.

### De Materiali Ecclesia.

## TRACTATVS VNDECIMVS.

De Sacrorum Locorum ædificatione, inſtauratione, Conſecratione, & Dedicatione. Cap. I. 504

## TRACTATVS DVODECIMVS.

De Immunitate Eccleſiaſtica Cap. I. 515
De Immunitate Sacrorum Locorum. §. I. pag. 522
De Locis, quæ immunitate gaudeant. §. II. pag. 534
De perſonis, quæ immunitate gaudeant, vel non. §. III. 540
De Immunitate Eccleſiaſtica, quoàd Perſonas. Cap. II. 549
De Sacrorum Hominum, ſeù perſonarum Immunitate in Ciuilibus, ſeù Temporalibus, & præſertim in Criminalibus. §. I. pag. 554.
A quo Immunitas Clericorum in Sæcularibus, & in criminibus, & quo iure. §. II. pag. 559.
Vndenam, & à cuius beneficio exemptio à ſæculari poteſtate, & foro tanquam à cauſa immediata proceſſerit. §. III. 571
Circa idem Priuilegium (ad c. ſi deligenti 12. de foro competenti,) & oportune de Clerici reconuentione. Excurſus. 578
De Reconuentione. §. Vnic. 583
De Immunitate à legibus ſæcularium, oneribus, & muneribus. Cap. III. 588
De Immunitate ab oneribus, ſeù Tributis, & muneribus Laicorum. §. I. 593
De Sacrarum Perſonarum Immunitate (ex Can. ſi quis ſuadente 17. q. 4.) §. II. 603
De Sepulturis. Cap. IV. 611
Practicabilia circa Sepulturam. §. Vnic. pag. 620.
De Reliquijs, & Veneratione Sanctorum, ac Imaginum Sacrarum Cultu. Cap. V. pag. 628.
De Sanctorum Veneratione. §. I. 632
De Sacrarum Imaginum Cultu. Excurſus. pag. 640.
De Parochijs, & alienis Parochianis. Cap. VI. 653
De Rebus Eccleſiæ alienandis, vel non. Cap. VII. 657

IVRIS-

# IVRISPRVDENTIA SACRA.

## LIBER QVARTVS DE SCRIPTO, ET NON SCRIPTO IVRE.

# TRACTATVS IV.

## CAP. Vnicum.

### De Origine Iuris.


1 *Quomodo, & vnde ventum ad ſcripti iuris neceſſitatem, & præſertim in Eccleſia, & quæ ſcripti iuris origo.*

2 *Quæ prima ſacri iuris Collectio, & de canonibus Apoſtolorum, eorum auctore, & numero.*

3 *Secunda canonum Collectio preponitur, quæ dicta Codex canonum, de quo latè, & quatenùs fuerit in ſynodo Chalcedonenſi confirmatus.*

4 *Communicatus Eccleſiæ Occidentali.*

5 *De collectione Dionyſij Exigui, & de Corpore canonum, ac alijs ſuſecutis Collectionibus, quæ ius antiquum continuere.*

6 *Ius nouum proponitur ex Collectione Iſidori Mercatoris, & eius occaſione de fide Epiſtolarum Decretalium Summorum Pontificum vſque ad Siricium.*

7 *De Collectione Gratiani latè.*

8 *Collectiones aliæ proponuntur, & earum occaſio detegitur.*

9 *Prima Collectio exhibetur, & eius Auctor.*

10 *Subnectitur ſecunda cum eius multiplici Auctore.*

11 *Subditur tertia, & eius Auctor inſinuatur addita prima Collectione, quæ Pontificio iuſſu facta fuit.*

12 *Succedit quarta iuſſu Innoc. III.*

13 *Quinta Honorij tertij traditur.*

14 *Sexta demùm conſideratur Gregorij IX.*

15 *De Sexto, Clementinis, & Extrauagantibus.*


SACRI Pontificij Iuris, quo Dei Eccleſia peregrina in terris regitur, originem ſcrutaturi, & altiora rectēturi primordia non alio vtemur principio, quàm quod præbet diſertiſſimè *S. Ioann.* *Chry-*

*Chryſoſtom.* nec alijs, quàm eius proponendum verbis. *Oportuerat quidem nihil nos indigere auxilio literarum, ſed tam mundam in omnibus exhibere vitam, vt librorum vice gratia Spiritus Sancti vteremur, & ſicut atramento illi, ità corda noſtra inſcriberentur à ſpiritu; quia verò hanc à nobis excuſſimus gratiam, agè vel ad ſecundam nauigationem animum adijciamus. Equidem quod primum illud fuerit profectò ſublimiùs, & ex verbis ſuis Deus, & ex operibus oſtendit, nam & Noe, & Abrahæ, & Iob, & Moiſi non per literas, ſed per ſemetipſum locutus eſt, quia ſcilicet munda eorum corda repererat; Poſtquam verò omnis populus Iudæorum in vitiorum ima delapſus eſt neceſſariò iam inde literæ dantur, ac tabulæ, & ea, quæ per has adminiſtratur admonitio, & hoc non tantùm veteris teſtamenti ſanctis, ſed etiam noui accidiſſe perſpicimus, ſiquidem nec Apoſtolis ſcriptum aliquid tradidit Chriſtus, ſed pro literis Sancti Spiritus ſe illis daturum gratiam repromiſit.* Moxque. *Dabo leges meas in mente eorum, & in corde eorum præſcribam eas.* Et claudit demùm; *Quia verò progrediente iam tempore alij quidem propter dogmata, alij verò propter vitam, & mores grauitèr impegerunt, ea rurſus, quæ conſtat literis, admonitione fuit opus.* Quem in lege gratiæ *Chryſoſtomus* ponderauit inceſſum, hunc ipſum in Sacræ Iuriſprudentiæ ſpectamus & origine, & progreſſu. Quandiù enim charitate ferbuit Eccleſia, ac inter anguſtos limites exigui ambitus ſtetit, *Atque credentium omnium fuit cor vnum, & anima vna*, totaque Eccleſia quaſi vna familia charitatis lege in cordibus ſcripta ſanctiſſimè regebatur, nullę fuere ſcriptæ leges; at vbi ampliari ea cœpit, ac deferuere charitas canonibus, & decretis fuit opus, quibus quid ſectandum, quid fugiendum ex ſcripto vnuſquiſque inſpiceret, indeque ſacri iuris origo, ac ſucceſſiuè progreſſus, & incrementum.

*Homil. 1. in Matth. in princ.*

*Act. cap. 5.*

1 Primis igitur naſcentis Eccleſiæ cunabulis non ſcripto ea vſa eſt iure, & diutiùs Occidentalis; Orientalis enim faciliùs, & maturiùs canones inuexit, qui ſubinde ab Oriente in Occidentem migrarunt: Orientalis Eccleſia ante Nicænum Concilium generale primum alios iam canones admiſerat, Occidentalis tardiùs ſolis Nicænis eſt vſa, & interim, ac eos recepit, ſola viguit conſuetudine, & non ſcripto Iure; Teſtis *Innocentius Primus* Summus Romanus Pontifex ſcribens ad Clerum Conſtantinopolitanæ Eccleſię in cauſa S. Io: Chryſoſtomi. *Nos enim quantum ad canonum obſeruantiam attinet illis obſequendum eſſe ſcribimus, qui Niceæ determinati ſunt, quibus ſolis obtemperare, & ſuffragium ſuum addere Eccleſia debet.* Qua de re nos infra vberiùs.

*Tom. 1. Epiſt. Sū. Pont. Ep. Innoc. 15*

Cum itaque non ſcripto iure vbiq; vteretur Eccleſia exiguo temporis progreſſu neceſſitas edocuit, vt hæc ipſa, quæ obſeruatione colebantur, in ſcripturam redigerentur, vt vnitas in cultu, obſeruantia, & ritibus ſeruaretur, quæ fuit ſemper accuratiſſima regentium intentio in Eccleſia.

2 Ideò omnium prima, adeòque vetuſtiſſima, prodijt ſacri iuris Collectio, & fuit Canonum Sanctorum Apoſtolorum, quos canones Synodicos

*Fol.113.*

dicos in libris conſtitutionum S.Clementis contineri ſcribit *Photius in ſua Bibl.* Non defuerunt, qui canones iſtos erudito alicui ſcriptori tribuerint potiùs, quàm S.Clementi, qui ſcriptor tertio ſęculo vixerit; ſed *Bellarmin. Sixtus Senenſ. Tholoſan.* Couar.& alij Clementem verum Auctorem agnoſcunt Canonum Apoſtolorum, qui tamen verè Clementis ſint, nam inter eos ſuppoſitos nonnullos, & ab hæreticis confictos norunt. *Gelaſius Romanus in can. Sancta Romana* 15.*Diſt.* inter apocripha ſcripta eos reiecit; *Gratianus in can. Placuit. ead. Diſt.* eos approbat, vnde varius in hac parte videtur. Nihilominùs communis conſenſus canones iſtos tanquam legitimos admittit; conſiderantur enim apud. *D.Athanaſ.* & inter agiographa ſcripta eos connumerat; *S.Ioan. Damaſcenus*, in canone Diuinarum Scripturarum ipſos regerit; *Tertullian.* Canones Apoſtolorum, ait, eſſe per manus traditos, eorumque Collectionem in vſu apud Orientales plura firmant exempla. Nicæna enim Synodus omnium generalium vetuſtiſſima, vbi ad canonem ſe refert, de alio certè non poteſt intelligi, quàm de aliquo ex hiſce Apoſtolicis.

*De Scr. Eccl. Biblioth. Sanct. lib 2. ratio Iur.can. lib.1.c.12 num.9. Var. reſol.lib.4. c. 17.*

*Epiſt. ad Orthodox lib.4.de fide Orthod.cap. 18. Lib.adu. Prax.*

Quod verò ad numerum attinet eorum canonum; octuaginta quinque memorat, & confirmat Synodus Conſtantinopolitana in Trullo *Can.* 2. ſed reuera ſunt octuaginta quatuor, quia verò duodecimus latinus apud Græcos in duos eſt diuiſus, ideò numerum apud ipſos auget. *In Can. Clementis* 16. *Diſt. Leo IX.* Summus Pontifex ad quinquaginta redigit, eoſque tantùm legitimos agnoſcit, indeque facilè conciliari poteſt pugna inter eos, qui tanquam apocriphos reijciunt, vt *Gelas*, & qui approbant, vt communis opinio; nam ſoli quinquaginta ſunt legitimi, alij verò non itèm. Niſi dicamus cum *Turriano* Gelaſium reijcere non canones Apoſtolorum, ſed librum ſic titulatum, & à Priſcillianiſtis confictum, qui alia multa etiam ſub nomine Apoſtolorum ediderunt. In Oriente primum ortum ſuum habuit hæc antiquiſſima Collectio, & ab Oriente in Occidentem migrauit; *Dionyſius* namque *Exiguus*, Latinam interpretationem græcorum canonum aggreſſus quinquaginta tantùm tanquam legitimos, ſiuè canonicos aſſumit, in præfatione ſiquidem, quam collectioni ſuæ præmiſit, ſic ſcribit Stephano Epiſcopo. *In principio canones, qui dicuntur Apoſtolorum de græco tranſtulimus, quibus quia plurimi conſenſum non præbuere facilem, hoc ipſum veſtram noluimus ignorare ſanctitatem quamuis, poſtea, quædam conſtituta Pontificum ex ipſit canouibus deſumpta eſſe videantur*. Hæc de Collectione prima, quæ totius Eccleſiaſtici iuris fundamenta poſuit, poſt quam ante Nicænum Concilium nullum commune ius Orientales Eccleſiæ agnoſcebant, ſed duæ, treſue Diœceſes ſua ſibi decreta conſtituerant, quæ in occurrentium negotiorum diſceptatione ſeruarent; in Diœceſibus enim Aſiana, Pontica, & Orientali celebrata fuere quinque concilia Ancyranum, Neoceſarienſe, Gangrenſe, Antiochenum, & Laodicenum, ac in iiſdem varij canones ſtatuti, qui illos tantùm tenerent Epiſcopos, qui iiſdem Concilijs interfuiſſent, ac in iis

*Lib. 1. pro can. Apoſt. c. 15.*

*In marg. lib. 1: Canonibus Apoſtolorum.*

ijs dediſſent ſuffragium; poſt obitum ſi quidem Maximini tyranni in Oriente, nacta libertatem Eccleſia, Epiſcopi de reſtituenda Eccleſiaſtica diſciplina, quæ ſæuiente perſecutione fuerat collapſa, valde ſoliciti extitere, & ideò crebra in Oriente celebrata Concilia, vt ex Euſebio obſeruauit *Baron.* ſed præcipuè hæc quinque, quorum ſingulorum hiſtoriam, & canones conditos habeas apud eundem *Baron.* non tàm temporis, quàm materiæ ſeruata ſerie, Celebrata item fuit inſignis illa, & omnium generalium Synodus prima Niceæ in Bithinia anno 325. cui interfuere tercenti decem, & octo Epiſcopi, de qua & nos ſupra cum de Concilijs generalibus ageremus; Item, & anno 381. Conſtantinopolitana prima, eaque generalis ſecunda, quæ confirmata à Damaſo Summo Pontifice Romano, ſed in ijs tantùm, quæ ad fidem ſpectarent, æcumenicæ titulum in hac parte eſt adepta, & ideò canones reliqui, ſi qui conditi extrà fidei materiam, poterant quidem obſtringere omnes Orientales Eccleſias, eò quia eſſent conditi ab Epiſcopis, qui Diœceſes Aegypti, Orientis, Aſiæ, Ponti, & Thraciæ adminiſtrabant, at non itèm Occidentales, quibus non innotuerant, & ideò *Innocentius I. Epiſt.* iam ſupra relata ſcripſit, Eccleſiam tunc, nempè anno 405. nullis alijs Canonibus regi, quàm Nicænis, qui in ipſa æcumenica prima, eaque dicta magna ſynodo fuerant conſtituti Anno 325.

*Tom 3. Annal. Ann. 314 Ann. 361.*

*In Append tom. 4.*

3 Quæ ſic breuitèr commemorata Conciliorum ſeries manuducit ad ſecundam Canonum Collectionem, quę ante Concilium Chalcedonenſe compilata fuit ex canonibus ſeptem Conciliorum, quæ mox ſupra memorauimus Epiſcopi alicuius cura, & induſtria, vel alicuius Orientalis decreto; credat aliquis fuiſſe Stephanum Epiſcopum Epheſinum, quod tamen non adeò facilè admittendum, cum is fuerit æuo poſterior, & canones octo Epheſinos collectioni à ſe factæ addiderit. Fuit hæc Collectio poſt Canones Apoſtolorum prima, ac celeberrima, ſingulari titulo illuſtrata, dictaque Codex Canonum Eccleſiæ vniuerſæ, quia eo tanquam verè communi, & vniuerſali Eccleſia primitiua tàm in Oriente, quàm in Occidente vſa eſt in diſceptandis ſacris controuerſijs, & ab eo ſubinde tanquam à primo fonte ac legitimo iuris corpore ius omne canonicum tàm Græcorum, quàm Latinorum exordium ſumpſit; conſtitit ex Canonibus centum, & ſexaginta per ſeriem, & conſequentiam diſpoſitis, vario numero à prædictis Concilijs deſumptis, pròvt compilatori fuit viſum. Verùm quia primo illo æuo canones huius Codicis ab omnibus Eccleſijs non erant recepti, vtcumque vtilitate ſua eſſent commendabiles, & præcipuè ab Eccleſijs Aegyptia, & Occidentali, Concilium Chalcedonenſe eos approbauit, & obtinere, vimque habere apud omnes voluit; canone enim primo ità ſtatuit. *Regulas Sanctorum Patrum per ſingula hucuſque Concilia conſtitutas proprium robur habere decreuimus.* Eidem Collectioni additi ſunt canones ipſius etiam Synodi Chalcedonenſis, ijſque locupletata Collectio tum apud Orientales, tum etiam apud Occidentales Eccleſias ſumma auctoritate obtinuit. Ad eam reſpexit Iuſtinianus Imperator dum Nouella ſua, quàm inſcri-

*In Cod. Can. Eccleſiæ iuxta Verſion. Dionyſ. c. xi.*

*Nouell. in princ.*

ſcripſit de Eccleſiaſticis Canonibus, iijdem legis vim tribuit ſic Conſtitutionem ſuam exordiens, *Sancimus igitur vicem legum obtinere Sanctas Eccleſiaſticas regulas, quæ à ſanctis quatuor Concilijs expoſitæ ſunt, aut firmatæ*. Idque dictum (nempè *firmatæ*) intuitu Concilij Chalcedonenſis. Verùm nil roboris inde videtur hæc Collectio mutuari, quando non vniformis eſt eius auctoritas, cum fuerit confirmatum Concilium à S. Leone Magno Romano Pontifice in ſtatutis ſolummodò circa fidem, non itèm circa alia; apertiſſimè id ipſe profitetur ſcribens ad eandem Chalcedonenſem Synodum; *Sed etiam per approbationem geſtorum Synodalium propriam vobiſcum iniſſe ſententiam in ſola videlicet fidei cauſa (quod ſæpè dicendum eſt) propter quam generale Concilium placuit congregari*. Qua attenta auctoritate nutat confirmatio canonum, & eorum collectionis, cum canones ipſi magis diſciplinam, quam fidem reſpiciant; & tamen græca Collectio eos canones admiſit, & Iuſtinianus ſupradicta Nouella ſua iiſdem legis vim tribuit. At aliquid roboris adrogare, aut profiteri extra Apoſtolicam confirmationem nefas omninò ſit; quam tamen huic Collectioni, & hiſce canonibus non deeſſe per conſequentiam planè neceſſariam deducimus; Nam ex quo S.Leo ex Chalcedonenſibus decretis vnum vigeſimum octauum reiecit, quo Epiſcopo Conſtantinopolitano noua auctoritas adiudicabatur contra Nicænos Canones, cætera approbaſſe dicendum eſt; Ità ſenſit *Gelas. Summus Pontifex in Epiſtola ſua ad Dardanos*; cuius deſcribere verba temperamus; Et apertè ipſe S.Leo ſcribens ad Maximum Antiochenum irritum quidem decernit quidquid à legatis ad Synodum à ſe miſſis extrà cauſam fidei geſtum eſſe perhibetur, moxque ſubdit. *Quidquid enim præter ſpeciales cauſas Synodalium Conciliorum ad examen Epiſcopale defertur poteſt aliquam dijudicandi habere rationem, ſi nil de eo eſt à Sanctis Patribus apud Nicæam definitum; Nam quod ab illorum regulis, conſtitutioneque diſcordat, Apoſtolicæ Sedis nunquam obtinebit conſenſum*. Sanctiſſimi ergo Pontificis eſt proceſſus, vt ſcilicet, quæ in Synodo circa fidem decreta ſunt, confirmet, quæ ſtatuta contra Nicænam Synodum nunquam approbet; At quæ diſcuſſa à Patribus fuerint iuxtà Nicæna decreta ſtabilita non repudiet, qua ſerie apertè ſtatuta de fide confirmauit, reijciendo canonem vigeſimum octauum Anatolij Conſtantinopolitani Epiſcopi faſtum repreſſit, reliqua Nicænis Decretis conſona tacito conſenſu approbauit, idque ſatis, vt Chalcedonenſes Canones extrà fidei cauſam vim, & auctoritatem habeant reiecto Canone vigeſimo octauo, quo Epiſcopo Conſtantinopolitano prælationis prerogatiua poſt Romanum concedebatur inter Sedes Patriarchales cum trium diœceſum adminiſtratione reluctantibus licèt Apoſtolicæ Sedis legatis; fuit quidem ſatisfactum Apoſtolicæ Sedi, res tamen ipſa nempè Sedis prærogatiua poſt Romanum remanſit vnà cum Diœceſum ſubiectione, & neutram Anatolius dimiſit. Hæc obitèr de Canonibus Chalcedonenſibus, quatenùs ex ipſorum primo Codex Canonum Eccleſiæ Vniuerſæ, & ſecunda Collectio fuit confirmata, quos canones

Ep. 61.

Tom. 1. Epi. Decret. Gelaſ. Epi. 11.

Epiſt. 62 Verſ. fin.

nones excepto vigeſimo octauo vim habuiſſe hactenùs tradita oſtendunt.

4 Poſt Chalcedonenſe Concilium cum auctoritatem eſſet adeptus Codex Canonum latinitate donatus fuit, ſubinde Eccleſię etiam Occidentali communicatus, ac elaborata interpretatione illuſtratus, eoque in dirimendis Eccleſiaſticis controuerſijs eadem Eccleſia vtebatur. Indicant Conciliorum acta, & Pontificum decreta, quæ paſſim Codicis, & corporis canonum, antiquorum canonum, vel Orientalium meminere, eaque vſos Latinos Conciliorum Collectores ſub nomine Iſidori Mercatoris cenſet *Chriſtophorus Iuſtellus*. *In Præfat. ad Cod. Can.* An autem poſt celebratum Concilium Chalcedonenſe noua Canonum Collectio auctoritate Sancti Leonis Magni facta fuerit, qua ſola vteretur per annos circiter ſexaginta Occidentalis Eccleſia donec Dionyſij Exigui Collectio, & interpretatio condita fuerit, in eo ab hac Dionyſij diſtans, quod illa non habuerit Canones Apoſtolicos præfixos, ſicut habuit hæc Dionyſiana, non aſſerimus, cum euidenti, ac tuto aliquo deſtituamur teſtimonio, ſed tranſimus ad hanc ipſam Dionyſianam Collectionem, ſiue interpretationem.

*Tom. 7. Annal. ad Annu:*

5 Anno igitur 527. vt ſcribit *Baron.* Dionyſius Exiguus Monachus natione Scyta, ſed moribus Romanus, quemadmodum cognomento Exiguus, ſed doctrina, & Sanctitate maximus, vt inquit *Bellarminus*, *De Script. Eccl.* Collectionem gręcorum canonum tranſtulit, & adornauit, non ideò, quia Eccleſia Latina, tunc ijſdem non vteretur canonibus, ſed quia illi ipſi ſiue interpretis culpa, ſiue librariorum incuria valdè eſſent mendoſi, & valdè turbata Collectio; tanti viri contexere elogium res noſtra non exigit, idque preſtitit *Caſſiodor.* ipſi coæuus, & poſt eum *Bellarmin.* *Diuinar. lect. cap. 23. vbi ſup. ergo.* Quid emendata hac, & elaborata Collectione contulerit Dionyſius preſtat non alijs, quam eius verbis referre ex epiſtola ſua ad Stephanum Epiſcopum, quam iidem Collectioni præfixit. *In principio itaque Canones, qui dicuntur Apoſtolorum, de Græco tranſtulimus; quibus, quia plurimi conſenſum non præbuere facilem hoc ipſum veſtram noluimus ignorare ſanctitatem, quamuis poſtea quædam conſtituta Pontificum ex ipſis Canonibus aſſumpta eſſe videantur. Deinde regulas Nicęnæ Synodi, & deinceps omnium Conciliorum, ſiue quæ ante eam, ſiue quæ poſtmodum facta ſunt vſq; ad Synodum centum, & quinquaginta Pontificum, qui apud Conſtantinopolim conuenerunt, ſub ordine numerorum ideſt à primo capite vſq; ad centeſimum ſexageſimum quintum, ſicut habetur in græca auctoritate, digeſſimus. Tum Sancti Chalcedonenſis Concilij decreta ſubdentes in his græcorum Canonum finem eſſe declaramus. Ne quid præterea notitiæ veſtrę credar velle ſubtrahere, ſtatuta quoque Sardicenſis Concilij, atque Africani, quæ latinè ſunt edita ſuis à nobis numeris cernuntur eſſe diſtincta.* Quorum omnium ſumma ad 394. Canonûm capita aſcendit, &, vt abſolutiſſima eſſet collectio, addidit prætereà Dionyſius Pontificum Romanorum decreta, quæ ad Eccleſiaſticam diſciplinam ſpectabant à Siricio vſque ad Hormiſdam.

Hanc collectionem lubentiſſimè ab Eccleſia Romana exceptam ſic teſtatur *Caſſiodor.* *Ex græcis exemplaribus* *Diuin. lect. dict. cap. 23.*

Digitized by Google

*ribus Canones Eccleſiaſticos moribus ſuis, vt erat planus, atque diſertus magna eloquentiæ luce compoſuit, quos hodie vſu celeberrimo Eccleſia Romana amplectitur*. Hæc eſt illa ipſa Collectio, quam Hadrianus Primus Romanus Pontifex obtulit Carolo Magno Cæſari, & Francorum Regi, cum Romam aduentaſſet, ad vſum Occidentalium Eccleſiarum, & alio titulo, nempe corpus Canonum fuit appellata, vel Codex Canonum Eccleſię Romanæ Moguntiæ primùm editus anno 1525. mox & Pariſijs anno 1609.

Dionyſium Canones colligentem proximè ſecutus eſt Ferrandus Diaconus Carthaginienſis; hunc Martinus Bracharenſis Epiſcopus, & demùm omnes Creſconius Epiſcopus Africanus, qui eiuſdem Codicis anno circiter 690. Breuiarium confecit, omiſſis integris Conciliorum Canonibus, & decretis Pontificum, ideòque dictum Breuiarium. Quidquid ſit de Collectione quinquaginta titulis diuiſa, quæ tribuitur Theodoreto Cyri Epiſcopo, innixa auctoritati vnius exemplaris, quod extat in Regia Pariſienſi Bibliotheca, & quam confutat tanquam omni deſtitutam fundamento Chriſtophorus Iuſtellus in hiſce Collectionibus verſatiſſimus; Illud certum, quod Collectionem elaborauit Io: Scholaſticus Presbyter Antiochenus, mox & Patriarcha Conſtantinopolitanus per quinquaginta titulos diſpoſitam, cui primus omnium addidit Apoſtolicos Canones, & Sardicenſes, nec non S. Baſilij. Idem collectionem hanc ſuam redegit in Epitome omiſſis Canonibus, & adnotato tantùm eorum numero, ac ipſorum relata ſententia; ſingulis titulis adiecit concordantes

*Præf. ad Collect. Io: Scholaſtici.*

leges, præſertim Iuſtiniani Nouellas Conſtitutiones, & ſic elaborata collectio Nomocanonis titulo donata fuit, proſtatque Tomo ſecundo Bibliothecæ Iuris Canonici. Nullam habuit auctoritatem hæc collectio, quia ſuperueniente Nomocanone Photij omnes alij poſthabiti fuere, ac interire permiſſi, vt admonet. *Theod. Balſam.* Hucuſque ius antiquum.

*In ſupplem. pagin. 1121.*

6 Succedit Ius nouum, quod ab anno 836. cæpit publicari, & fouente Nicolao Primo Summo Pontifice, alijſque ſucceſſoribus vſu demùm in Eccleſia obtinuit, receptum in vniuerſis Occidentalibus Prouincijs. Ea fuit Canonum Collectio ab Iſidoro Mercatore compilata, de qua latè *Baron.* Compoſuit eam Iſidorus ex Epiſtolis Clementis, Anacleti, Euariſti, & aliorum Summorum Pontificum, hæcque non ante Carolum Magnum ab Hiſpania in Gallias tranſlata fuit per Riculphum Archiepiſcopum Moguntinum, qui tempore eiuſdem Caroli vixit, & ex tunc in Gallia, moxque, & in Italia cæpit publicari; Notauit huius Collectionis æſtimationem, & ab ea conſultò abſtinuit Nicolaus Papa non alia de cauſa, niſi quia Epiſtolæ illę, ex quarum auctoritatibus erat conſarcinata, non admodum integræ fidei exiſterent, ad quam eleuandam non exigua ſuppetunt indicia, ſtyli enim, & phraſis ipſis objicitur impuritas, quæ non decet elegantiam, ac nitorem ſecundi ſæculi, quo ſupponùntur conſcriptæ; nec minùs elocutionis vniformitas, qualis non eſſet. ſi à diuerſis Pontificibus eſſent conſcriptæ; additur, quod fuerint ipſe ignotæ Innocentio, Leoni, alijſque Pontificibus, quorum genuinas epiſtolas habemus; tandem momentum ingens

*Tom. 10. Annal. Ann. 865.*

adde-

addere videtur conſideratio, quod Dionyſius Exiguus Collectionem ſuam adornans, eam decretis etiam (vt ſupradiximus) Summorum Pontificum auxit à Siricio exordiens, nullamque præcedentium Pontificum mentionem habens, quorum, ſi extitiſſent, decreta, non fuiſſet poſthabiturus; quod quidem ipſe in ſua prefatione ad Iulianum Presbyterum Tit. S. Anaſtaſiæ conteſtatur ſic ſcribens. *Preteritorum Sedis Apoſtolicæ Præſulum conſtituta, quæ valui cura, diligentiaque collegi, & in quemdam redigens ordinem titulis diſtinxi compoſitis; Ità dumtaxat, vt ſingulorum Pontificum quotquot à me præcepta reperta ſunt ſub vna numerorum ſerie terminarem*. Et tamen nulla mentio Pontificum, qui Siricium præceſſerunt, quorum Decretales Epiſtolæ allegantur. Eleuat demùm nouiſſime harum Epiſtolarum fidem votum Eminentiſſimi, & Reuerendiſs. Cardinalis Io: Bona, qui eaſdem decretales Epiſtolas reſpuit tanquam commentitias in Opere ſuo Rerum Liturgicarum, cuius exacta, ac planè recondita eruditio eccleſiaſtica ambigere amplius vix ſinit, tanta enim eſt, quæ meruerit Sacræ Purpuræ pretio condignè æſtimari iudicio Clementis IX. incomparabilis Romani Pontificis. Attamen eas non omninò deſpiciendas cenſuit *Bellarmin.* ait enim *At quamuis aliquos errores in eas irrepſiſſe non negauerim, nec indubitatas eſſe affirmare audeam, certè tamen antiquiſſimas eſſe nihil dubito*. Nec in earum aliquali approbatione, vel improbatione fuit trepidandum, quæ enim præcipuè ex ijſdem hauriuntur ad Primatum Romani Pontificis confirmandum non

Lib. 1. c. 3.

Lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 14.

ſunt earum ità propria, & ſingularia, quin ex innumeris, & auctoritatibus, & Epiſtolis Summorum Pontificum, & SS. Patrum poſſint cumulatiſſimè haberi, quod ipſum conſiderauit prudenter, *Baron.* Hoc ratum igitur, quod illa Iſidori Mercatoris Collectio Setabienſis Epiſcopi non multæ fidei, & æſtimationis fuit; vtcumque quis eam tribuere Iſidoro Epiſcopo Hiſpalenſi contenderit, quem tamen niſum non vna temporis collatio erroris reuincit. Sed demum in Concilio Remenſi receptæ ſunt, & approbatæ hæ Epiſtolæ anno 992. & conſideratæ perinde, ac ſi inter Canones receptæ eſſent, cum hactenus Galli Epiſcopi eas admittere renuiſſent, eo quia in Cod. Canonum non eſſent inſertæ; Contra verò pro earum admiſſione ſtetit Nicolaus I. Pontifex Romanus hanc rationem confutans Epiſt. ſua, quæ per extenſum apud Baron. & nouiſſimè accerrimè eas propugnauit aduerſus Magdeburgenſes centuriatores ſingulis eorum fundamentis reſpondens *Franciſc. Turrian.* Immò *S. Burchardus Vuormatienſis Epiſcopus*, collectionem ſuam inſtruens libris viginti decretorum diſtinctam circà annum M.X. ex Epiſtolis primorum Pontificum eam auxit, additis Pontificum, Conciliorum, & Patrum Auctoritatibus.

Tom. 10. Ann. 865

Tom. 10. anno 865 & Tom. 3 Sum. Pont. in Epiſt. decr. lib. 2. per tot.

Burchardum imitatus eſt Iuo Epiſcopus Carnotenſis contexens canonum Collectionem ad Eccleſiæ Gallicanæ vſum Anno M.C. qui pleraq; ex Pandectis; Codice, & Nouellis in Collectionem ſuam tranſtulit, & ad exemplar Ioannis Scholaſtici, de quo ſupra, & Photij, qui vterque fuit Conſtatinopolitanus Patriarcha, Ius Ciuile cum Canonico iunxit, primuſque

Digitized by Google

muſque in Occidente Nomocanonem compoſuit non omittens etiam Canones ex Concilijs Prouincialibus deſumptos.

7 Iam per temporum ſeriem deuenimus ad magis notam, & vſualem Collectionem, quam Gratianus Monachus S. Benedicti confecit, & Decretorum corpus compilauit, anno 1150. & quamuis hoc opus ſub hoc circumferatur titulo, vt *Decretum Gratiani* dicatur, attamen eruditiſſimus Præſul *Ant. Auguſtinus* admonuit in veteri libro Gratiani huiuſmodi inſcriptionem non legi, ſed ſic attitulari *Concordia diſcordantium Canonum*, indeque factum, vt vox illa *Decretum*, tanquam inepta in multitudinis vocem fuerit conuerſa, & in ſcriptum opus, Decretum Canonicorum collectanea Antonio Contio. Sed re vera in libris eiuſdem legitur hęc inſcriptio *Concordia diſcordantium Canonum*, vbi *Concordiam*, non ità accipit, vt conciliationem ſignificet inuicem pugnantium, ſed concordiam intelligit collectionem ſimilium ſententiarum, eo modo, quo collecta verba Sacrarum ſcripturarum Concordantias Bibliorum nuncuparunt, quo titulo nihil dici poſſe ineptius cenſet *Ant. Auguſtinus*; qui demùm concludit attitulatione illa id voluiſſe Gratianum, vt Collectionem conſimilium canonum ſignificaret, vel concordiam concordantium, & diſcordantium canonum, nam in prima, & poſtrema ſui operis parte diſtinctionibus vtitur, & in quæſtionibus ſingularum cauſarum vtrimq; affert contraria Decreta, & oppoſitos canones, hoſque alijs diſtinctionibus allatis in concordiam redigit. Hæc de titulo, & non inutiliter.

*De emendat. Grat. lib. 1. c. 1.*

Vniuerſum hoc Opus tripartitum diſtribuit in diſtinctiones, cauſas, & tractatum de Conſecratione, & exactiori induſtria diſpoſuit, quàm fecerint antiqui Collectores. Hanc Collectionem Eugenio III. Summo Pontifice oblatam ab eodem etiam fuiſſe confirmatam aſſerit *Trithemius*, quem & alij idem opinantes ſunt ſecuti; Verùm de hac confirmatione non conſtat, nec de ea mentio vlla in editione Romana ſub Gregorio XIII, ſub quo, & cuius auſpicijs longè emendatior, & accuratior prodijt Gratiani Collectio.

*In vita Gratiani in Chronico.*

Grande hoc emendationis opus cœptum ſub Pio IV. & proſecutum ſub Pio V. deſtinato ad eam peragendam eruditiſſimorum hominum conſeſſu, quorum nomina apud *Ant. Auguſtin.* leguntur, & inter correctores primos ipſo etiam Gregorius XIII. antequam Cardinalis eſſet, ſub eodem demùm Gregorio fuit abſolutum, & publicata hæc emendata Collectio, non tamen ab eo Pontificia auctoritate confirmata ità, vt in Iudiciis vim, & auctoritatem haberet, ſicut habet Collectio Greg. IX. & ideò canones, qui à Gratiano citantur, non ſunt omnes eiuſdem auctoritatis, ſed in ea diudicanda ad fontes, vnde ſunt petiti, confugiendum eſt; non enim eodem ſunt Iure cenſendi, qui ſunt à Concilijs deſumpti, & qui à Conſtitutionibus Pontificum, & qui à dictis SS. Patrum *Can. 1. 20. Diſt.* & accuratè *Ant. Auguſtin.* ſeruata tamen ſua cuique auctoritate pro Eccleſię politia. Plura inſuper Gratianus deſumpſit ex incertis, atque ſuppoſititiis ſcriptis, & Collectioni ſuæ inſeruit, quæ occaſionem præbuerunt emendationi, & eruditiſſimo *Ant. Auguſtino*

*De emend. Grati. lib. 1. Dial. 10. in Nott*

*In Præfat. ad Canon. Pœnitentiali.*

*ſtino* condendi opus ſuum de emendatione Gratiani; hæc ſingula proſequi noſtri non eſt inſtituti, ſicut conſultò omittimus rationem, & cauſam, propter quam plura capita apud eundem Gratianum inſcribantur *Palea*, de qua plures cùm vetuſtiores, tùm recentiores, & de eorum auctoritate. Hoc igitur vnico, & modico volumine per annos fermè octingentos vſa eſt, & directa Eccleſia, nec per innumeros canones debuit ipſa regi.

*Guido Pancirol. de Clar. Iur. Interp. lib. 3. c. 2.*

*Lel. Mancin. Diſquiſ. Gemate C. 103. num. 7.*

8 Quæ autem hominum prauitas, vt ſupra dicebamus cum Chryſoſtomo, fecit, vt ſcriberentur leges, eadem gliſcens in dies, & multò magis in ſecula, cauſa fuit, vt ſcriptæ multiplicarentur leges, & augeſcerent Conſtitutiones, vnde iuxta impreſſa à veteribus veſtigia nouæ, eęque plures Collectiones contexendæ fuere adeò, vt Pontificiorum Decretorum volumen notabiliter excreſceret, cuius augmenti occaſionem ex hactenus ſcriptis ſcrutari, & eruere non pigebit.

Proceſſu temporis experientia ſolida rerum magiſtra edocuit, vt poteſtas, quam in cauſis nonnullis dignoſcendis, ac diffiniendis Synodi prouinciales exercebant, ad ſummum Pontificem tanquam centrum, & fontem ſuum eſſet reuocanda, & quæ in Canonibus condendis frequenter adhibebatur, iam deficeret, ac totum conſtitutionum condendarum Ius ad Summum Eccleſiæ Caput velut per conſolidationem ſe reciperet, quod earum rerum formam & ordinem ſtatuerit, de quibus non amplius apud Synodum, ſed apud ſe ipſum eſſet diſceptandum. Hinc immutatus Iudiciorum Eccleſiaſticorum ordo, & inſtitutæ cognitiones in Prouinciis per Pontificum Romanorum reſcripta; inde germinarunt tot Conſtitutiones ſub diuerſis titulis de reſcriptis, de Iudicibus delegatis, de officio Iudicis ordinarii, de dilationibus, de exceptionibus, de præſumptionibus, de probationibus, de ſententia, & de iudiciis, de appellationibus, & de toto demùm Iudiciorum ordine, qui ad fori normam tandem redactus; Immutata in melius ad maiorem vnitatis tutelam Eccleſtaſticæ Politiæ facie ex cauſa Iuriſdictionis contentioſæ, & in Iuriſdictione voluntaria conſequenter ſuborta mutatio, cum ſcilicet ſeparari cæpta beneficia ab ordinum collatione; Nam ex can. vi. Concilii Chalcedonenſis abſolutè, hoc eſt ſine titulo, ordinari nemo poterat putà niſi alicui Eccleſiæ adſcriberetur, in qua miniſterium, ſiue officium aſſumeret, & cui addictus per totam vitam inſeruiret, quod fieri intuemur adhuc in Epiſcoporum ordinatione; at in aliis inferioribus ordinationes abſolutè fiunt contra Chalcedonenſis canonis decretum; & quamuis in generali Concilio Lateranenſi ſit diſtrictè cautum, ne ordinentur Clerici ſine titulo ſaltem patrimonii, ne in dedecus Clericalis ordinis mendicari compellantur, non tamen reſtituta eſt per hoc vetus illa Eccleſiaſtica diſciplina, qua ordinatio duo indiuiſibiliter dicebat manus ſcilicet impoſitionem, & beneficii aſſignationem; Separatio igitur hæc in ordinatione, ſimulq; reddituum ingens copia nouas conſtitutiones in ius Canonicum inuexere, veteribus planè ignotas; de beneficiis ſcilicet conferendis, acquirendis, admittendis, & conſeruandis, quæ quidem præcipuam, ac fermè maiorem Canonici

Iuris

Iuris partem conſtituunt, vt ſcribit *Melchior. Lotber.* Matrimonii impedimenta, cæteraque ad ipſum attinentia, & reuocata ad ſolum Eccleſiaſticum forum cauſarum Matrimonialium cognitio notabile incrementum Iuri Canonico præbuit. Excommunicationum infligendarum, ac pœnitentiarum publicarum vſus temperato earum rigore nouis conſtitutionibus fuit explicandus; His addenda varia Monachorum Inſtituta, ac Religioſorum hominum per totum Chriſtianum orbem diffuſa multitudo, quæ nouis regulis Pontificum Summorum curam excitauit, largitæ Monaſteriis, & Canonicorum Collegiis exemptiones ab ordinariorum, ſiue Epiſcoporum Iuriſdictione varias cauſarum diſceptationes ſuggeſſere, ideòque multiplicanda in dies fuere decreta, & Conſtitutiones, vt demùm Pontificii Iuris corpus in ingentem molem neceſſariò excreuerit, quod ſi conferamus cum veteri Canonico Iure, ea plane erit collatio, quam intuemur inter naſcentem, ac adultam Rempublicam. Auctis igitur Pontificum conſtitutionibus, ac Reſponſis fuere hæc ipſa colligenda, idque præſtitum à plæriſque, & præſertim circa Epiſtolas Alexandri III. Innocentii III. & Honorii III. & aliorum Pontificum.

*In apparatu de rebeneſ. num: 1.*

9 Prima igitur Collectio, quæ proximè ſubſecuta eſt Gratiani Decretum fuit à *Bernardo Papienſi Præpoſito*, quam ipſe attitulat *Breuiarium Extrauagantium*, idque de veteri, & nouo Iure compilaſſe in præfatione, quæ breuiſſima eſt, conteſtatur, & ordinem ſe eſſe imitatum, quem ſtatuit *Iuſtinianus* in Codice ſuo. Gratiani videtur hæc collectio; vnde & Bernardus ipſe Collector ad Gratianum nonnunquam remittit; vt in *Cap.6. de elect.poteſt in fine* in prima compilatione, cuius finalia verba, quę ſunt *Vt in tractatu ordinandorum.* referri ad Decretum Gratiani notat *Ant. Auguſtin.* Itaque vel ex antiquis Conciliis, & Patribus addidit nonnulla *Bernardus* ſupplens tanquam à Gratiano omiſſa, vel nouas Pontificum conſtitutiones poſt Gratianum editas inſeruit; & ideò hoc opus Collectionis primæ extrauagantium liber eſt appellatum; quia extra Gratiani Decretum ſcripta huiuſmodi, & conſtitutiones vagabantur, qua ratione non impropriè extrauagantes dici poſſunt, & reliquæ omnes Collectiones; Immò ſextus liber Bonifacij VIII. Clementinæ, & reliquæ, vt rectiſſimè obſeruauit *Cuiac.* Extrauagantes dicuntur, quia vagantur extra Decretum, omnes enim Collectiones iſtæ ſunt veluti ſupplementa, & continuationes Gratiani.

*In Not.ad 1 Compil.ad d. Cap: 11.*

*Ad c.4 Ext de ſponſalibus.*

10 Primam hanc collectionem ſubſecuta eſt ſecunda, quæ à tribus ter confecta eſt *Gilberto* ſcilicet, *Alano*, & *Ioanne Vallenſi*; inter haſce primas obtinuit tertia, quæ ex duabus aliis conflata eſt *Ex ruinis* (inquit Tancredus) *duarum Collectionum Gilberti*, & *Alani*, *quæ interdierunt.* Hæc igitur ſecundæ Collectionis nomen obtinuit, quamuis aliquando vetuſtiſſimi interpretes meminerint Extrauag. *Alani*, vt admonet *Ant. Auguſtin.*

*Ad 1.Collect. lib. 4. tit. 1. cap:14.*

11 Succeſsit tertia Collectio, quam ex Regiſtris Innocentii III. *Bernardus Compoſtellanus* confecerat; quæ tres Collectiones priuata auctoritate, & à priuatis magiſtris fuere

compoſitæ, & hæc poſtrema *Bernardi Compoſtellani* aliquandò Romana dicta fuit; Verùm offenſi Romani, quod vſu iudiciorum minùs recepta eſſet ab eodem Innocentio impetrarunt, vt Pontificio iuſſu & auctoritate aliqua Collectio ederetur; Huic muneri *Petrus Beneuentanus* Notarius præfectus fuit anno 12. eiuſdem Innocentii. Fuit prima hæc Collectio publica auctoritate facta Pontificii Iuris, nam ſuperiores omnes cùm Decretorum, tùm Decretalium Collectores priuata, & propria auctoritate ſcripſerunt, & reſcripta ab eis relata negari poterant niſi ab Scriniariis Romanę Eccleſię comprobarentur; Hucuſque *Anton. Auguſtin.* Idque totum præfatio Innocentii ad tertiam Collectionem confirmat.

*Præfat. ad Antiq. Decr.*

12 Hanc ſequitur quarta, quam adornari iuſsit idem Innocentius III. ex canonibus Concilii generalis Lateranenſis, & ex libris regiſtri ſui, qui conſequebantur duodecimum, cuius autem opera vſus fuerit non conſtat. Hoc certum, quod duæ hæ Collectiones tertia, & quarta vnius Innocentii III. Conſtitutiones continent, & quattuor iſtæ hactenus enumeratæ editæ ſunt ab eximio. *Ant. Auguſtino.*

13 Quinta demùm Collectio facta eſt auctoritate Honorii III. Summi Pontificis, & ex ipſius reſcriptis, & conſtitutionibus tantùm conſtar, vt indicat caput primum ipſiuſmet Collectionis directum ab Honorio ad Magiſtrum Tancredum Archidiaconum Bononienſem. Hanc Collectionem manuſcriptam habuit *Panormitans*, habuit *Ant. Contius*, habuit & *Cuiac.* ex notatis ab ipſo *ad C. Dilecto 63. de appellat*, & *ad C. penult. de frigid. & malef.* At hodie ipſam habemus anno 1645. impreſſam Tholoſæ opera inſignis, & eruditiſsimi viri *Innocentij Cironij*, Iuris vtriuſque profeſſoris, Canonici, & Cancellarii Eccleſiæ Tholoſanæ, quam etiam doctiſſimis notis illuſtrauit, eodem volumine comprehenſam cum aureis paratit. & obſeruationibus Iuris Canonici eiuſdem Auctoris. Quibus omnibus enumeratis collectionibus non repugnat *Hoſtienſis*, qui in ſua ſumma octo collectiones commemorauit, nam ſi hiſce quinque tres illæ addantur *Gilberti*, *Alani*, & *Ioannis Vallenſis*, quæ non obtinuerunt, iam octo erunt.

14 Iam ergo peruenimus ad Collectionem Gregorii IX. Succeſſoris Honorii III. quæ vulgata illa eſt, & qua vtimur vbique, eaque condita eſt ex conſtitutionibus, quæ in quinq; primis Collectionibus continebantur, vel ex aliis, quæ omiſſæ erant à Collectoribus, & extra eas vagabantur, & ex iis, quas poſteà Gregorius ipſe edidit; Vnde Collectio publica, ſolemnis, & authentica eſt; Miniſter tanti operis fuit *S. Raymundus, à Pennafort.* eiuſdem Gregorii Capellanus, vt indicat Præfatio ſcripta anno 1230. *Martinus Polonus* ita de Gregoriana hac Collectione ſcribit; *Hic Papa per fratrem Raymundum Ordinis pædicatorum, Pœnitentiarum, & Capellanum ex pluribus voluminibus Decretalium compilauit vnum volumen mandans vbique doctoribus illo vti.*

15 Huic Collectioni Gregorii IX. quæ in quinque libros diſtinguitur acceſſit illa, quæ eſt Bonifacii VIII. quamque ideò ſextum librum appellauit; Continet hæc ſelectas conſtitutiones tùm ipſius Greg. IX. tùm

tùm aliorum ſequentium; ſed in ea præcipuè ſunt Conſtitutiones Innocentii IV.Gregorii X. & ipſius Bonifacii auctoris. De ſexto libro ità idem Martinus Polonus. *Anno Domini* 1297. *Bonifacius ſextum librum Decretalium, quem fieri iuſſerat, publicauit*. Sextum ſequuntur Clementinæ, quas Clemens V. partim ex canonibus Concilii Vienenſis, partim ex conſtitutionibus propriis confici mandauit; Verùm morte præuentus eas non publicauit, ſed hoc præſtitit Ioannes XX. eius ſucceſſor Anno Domini 1317.& ſub Bulla ad ſtudia Generalia direxit, vt ſcribit idem *Martinus Polonus*. *Vid. Gloſſ.ad Proem. Clementin.in verbo de Cetero*. Vbi latè.

*In Chronica:*

Demum priuatorum Collectorum cura collectæ ſunt Conſtitutiones viginti à Ioanne Papa æditæ; & Extrauagantes quædam communes, nempe à diuerſis Pontificibus, qui vel ante Ioannem XXII. vel poſteà vixerunt, conditæ, quæ quidem omnes licèt à priuatis hominibus collectæ vim tamen, & robur in iudiciis habent, dummodò de earum fide conſtet, vel ex regiſtris, vel ex plumbo, vel ex ſigilli forma. *Vid. Proem. ad extrauag. Ioan. & tract. Franciſi Pegna. De extrauagantibus in fine Directorij Inquiſitor*.

Hæc ergo fuit Sacri, & Pontificii, ſiue Canonici Iuris origo, hic proceſſus, hęc ſenes altiùs, quàm fieri poſſit, repetita. Eccleſiæ Politia exhibita, iuriſque retecta origine iam nunc Sacram Iuriſprudentiam aggrediamur à Conſtitutionibus auſpicantes.

## DE SCRIPTO, ET NON SCRIPTO IVRE.

## CAP. I.

### Eſſe in Eccleſia Legiſlatiuam Poteſtatem.

1 *Introductio, & opinantium errores.*

2 *Veritas proponitur, & fundatur tum auctoritate, tum ratione.*

3 *In quo principaliter reſideat, & quomodo in alios diffundatur.*

4 *Epiſcopo quatenus competat legiſlatiua poteſtas, & cæteris gradibus Epiſcopo maioribus.*

5 *Collegium Cardinalium an legem facere poſſit.*

6 *Eccleſiaſticę Vniuerſitates, ſiue myſtica corpora, an legiſlatiuam poteſtatem habeant, vt inferiora generalibus.*

7 *Quid de Capitulo Cathedralis Eccleſiæ? Et Communitatibus Regularium, ſiue Religionibus.*

SACRAM Iuriſprudentiam, auſpice Numine, aggredimur ab ea parte, quæ in Republica qualibet cum primis neceſſaria eſt, & ſine qua humanum conſortium conſiſtere nequeat, eaque eſt lex, & legislatiua poteſtas; Sicubi enim in hominum conuiuentium cætu iuſtitia tanquam vnitatis coagulum colenda eſt, ea ſanè in Eccleſia, & Eccleſiaſtica Republica; leges autem nil aliud ſunt, quàm

quàm proprium, & ſacratiſſimum iuſtitię templum, quæ ſanè Iuſtitia charitate informata beatum cultorum ſuorum cætum reddere, & intendit, & poteſt; Quam igitur iam adſtruximus in Eccleſia poteſtatem, ſupponimus modò, & aſſumimus, eamque legi ferendæ, & ſanciendæ tanquam totius regendæ Reipublicæ fundamento applicamus.

1 Fuit vetuſtiſſimus error negantium in Eccleſia legislatiuam poteſtatem, huncque tributum legimus, & Marſilio de Padua, qui re vera poteſtatem tantam in Eccleſia noluit agnoſcere, aut vim aliquam Decretis Pontificum, & Conciliorum canonibus tribuere, non enim alium vult legis auctorem, aut conditorem, quàm legiſlatorem fidelem, eumque autumat populum, aut à populo poteſtatem habentem; quaſi pugnet cum libertate Chriſtiana, in quam aſſeruit nos Chriſtus, iugum præceptorum, & legum Eccleſiaſticarum imponere, quod tamen leuiſſimum eſſe Chriſtus ipſe proteſtatus eſt; Immò omninò inutilem arguit legiſlatiuam hanc poteſtatem in Eccleſia; Si enim adſit; aut diriget hominem in finem naturalem, aut in ſupernaturalem; Si in naturalem; ſuperuacanea abbundat, cum ad eum finem ſit ſibi ſufficiens poteſtas politica; Si in ſupernaturalem, impoſſibilis erit, nam excedit humanas vires; ſolus enim Deus poteſt hominem efficaciter mouere in finem ſupernaturalem; & ipſe igitur ſolus poterit leges condere eò tendentes, & non Eccleſia, quæ in finem adeò ſublimem mouere, & promouere non poteſt tanquam extra ſpheram actiuitatis ſuæ.

2 Publicam in Eccleſia poteſtatem ex iactis hucuſque principiis ſupponimus, eamque legiſlatiuam indicabimus in impii huius erroris euerſionem. *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos*. Dixit Chriſtus Dominus Apoſtolis ſuis eos ad fundandam, & propagandam Eccleſiam ſuam dimittens generali, ac indefinita hac vſus formula, vt omni poteſtate ad tantum opus neceſſaria eos inſtrueret, & inſtructos oſtenderet, vnde excepta poteſtate illa, quam vocant excellentiæ, & incommunicabili, quidquid poteſtatis ipſe habuit in Apoſtolos tranſtulit; Verùm miſſus eſt Chriſtus à Patre non tantùm vt Eccleſiæ Rector; ſed & vt legiſlator. *Dominus enim legifer noſter, Dominus Rex noſter ipſe ſaluabit nos*. Miſit igitur ipſe Apoſtolos ſuos cum vtriuſque poteſtatis participatione tum regni, tum legiſlatiuæ. Non ſunt hic aggerandæ Sanctorum Patrum auctoritates, at ſubijcienda ratio. Eccleſia eſt vna tanquam Corpus vnum Chriſti miſticum, eaque à Deo inſtituta, & conſequenter ordinata, quæ enim à *Deo ſunt ordinata ſunt*; Reſpublica, & ſibi ſufficiens; Deeſſe igitur nec debet, nec debuit poteſtas, qua ſe ipſam regat, & ita ſibi ſubiectos regat, vt præcipiendo principatum exerceat; & maximè per legem, cui proprium præcipere, & imperare *l. legis virtus. ff. de legibus*. Neque enim communitas, aut vniuerſitas aliter regi poteſt, quam per legem, & ideò Apoſtoli hac ipſa poteſtate inſtructi præcepta, & leges obligantes tulerunt tanquam omninò neceſſarias, vt homines, ex quibus conſtat Eccleſia humano modo regantur, immò neceſſarias ea ipſa de cauſa, qua neceſſariæ

*Ioan. 20.*
*Iſaiæ c. 33.*
*Ad Roman. cap. 13.*
*Act. c. 15 Ioan. c. 2.*

ſariæ ſunt leges in ſæculari, & ciuili Republica, vt ſcilicet ciues ſecundùm rectæ rationis ductum regantur, quæ ſanè ratio & Eccleſiæ, & Reipublicæ communis eſt, cum vtraque ex hominibus conſtet. Aſſeruit quidem nos Chriſtus in libertatem, & per gratiam ſunt liberati fideles à peccato, at non item à concupiſcentia, à paſſionibus, quæ ad exercitium, & meritum nobis relictæ inceſſanter cum ratione confligantur, & pugnant; Vnde nèc implicat legiſlatiua hæc poteſtas cum parta à Chriſto hominibus libertate; neque inanem rectè dixeris ex eo, quod homo alium hominem in finem ſupernaturalem excitare, & dirigere non valeat, ſi enim facultate merè naturali agat, veriſſimum eſt, ſecus ſi Spiritus Sancti afflatus diuinus adſpiret, à quo Eccleſiæ poteſtas, vt eſt, ita & iuuatur, plantat enim, & rigat homo, ſed Deus incrementum dat; Dirigit per legem homo, ſed Deus virtutem præbet, cogit per præceptum homo, ſed Deus acumen indit præcepto, quo operetur, & efficax ſit idque ſatis, ne inutilis ſit poteſtas, quæ ad ſupernaturalia tendit.

3 Qui autem fons eſt, & centrum totius Eccleſiaſticæ poteſtatis, hic idem ipſam, vt legiſlatiua eſt, ſuſtinet, ac in ipſo tanquam in capite eminet; condere ſi quidem legem in ditione qualibet ſupremi munus eſt, & proprium Maieſtatis opus, hicque non alius, quàm Pontifex Summus, cui datam in Petro per verba illa *Paſce oues meas*, & magis præcisè per illa. *Quodcumque ligaueris ſuper terra*, ex præmiſſis ſupra, non ambigimus, quandò lex propriè vinculum eſt Datam fatemur, & Apoſtolis, at non pari modo; promiſſam per verba illa, *Quæcumque alligaueritis ſuper terra &c.* collatam verò per ea *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos*; Sed Petro, vt ordinariam, ac in ſucceſſores legitimos tranſituram, Apoſtolis, vt extraordinariam, tanquam legatis, ſed cum eorum vita, & legatione interituram; Independenter Petro, dependenter Apoſtolis; Ideòque fuit in Petro, hanc ipſam in eius legitimo Succeſſore ſuſpicimus, tanquam immediatè à Chriſto receptam, qui tradens vt tranſmittendam, & tradere tranſmiſſario omninò cenſendum tùm quò ad ſubſtantiam, tùm quò ad modum, independenter ſcilicet non ſecus ac Petro, vnde æque àc Petrus legem totam Eccleſiam obligantem condere poteſt. Ab hoc capite, & fonte, vt manat in reliqua membra tota Eccleſiaſtica poteſtas, ita oritur eadem vt legiſlatiua tanquam neceſſaria ad Eccleſiaſticam ipſàm poteſtatem explicandam per congrua præcepta.

A ſummo ergo Pontifice in Epiſcopos communicata migrat, qui condere poſſunt leges pro tota Diœceſi ſua Iure proprio, & non tanquam Pontificis Vicarii, iuxta alias à nobis tradita, quibus indicatum ſine implicantia vlla Epiſcoporum Iuriſdictionem dici poſſe mandato propriam quæ non cenſemus ingerenda iterum; at præcipua hæc ipſa legiſlatiua à Summo Pontifice eſt, & ita poteſt conferri, vt poſſit ampliari, limitari, aut minui provt regiminis qualitas videtur expoſcere, Immo & Epiſcopus conſtitituti abſq; eo, quod legiſlatiua hæc poteſtas ipſi tribuatur; non enim eſt abſolutè neceſſaria in quolibet Rectore, &

Prin-

Principe, vt puta in eo, qui ſuperiorem agnoſcat, nec Ius Maieſtatis habeat, quia poteſt Principatus ordinarius, & alteri ſubordinatus adminiſtrari ſine poteſtate legis ferendæ, cum ſufficiat poteſtas præcipiendi, obligandi, cogendi, iudicandi, quę omnia haberi poſſunt, & exerceri, ſine ipſa legiſlatiua poteſtate, per quam iniungantur præcepta, & poſt mortem præcipientis duratura, quæ ratio eſt, propter quam hæc ipſa legiſlatiua poteſtas appareat Epiſcopis conceſſa cum limitatione, vt *in C. fin. de fer. in C. Nouit. de his, quæ fiunt à Prælat.* Vnde à Iure Diuino naturali nullum eſt impedimentum, quò minùs Epiſcopalis gradus, aut dignitas ſine legiſlatiua poteſtate inſtituatur, vel inſtituta cum ipſa limitetur, definiatur, & arctetur pròvt ſupremo capiti, & fonti fuerit viſum; Minùſque à Iure Diuino poſitiuo, cum nullibi in Sacro eloquio, aut ex ſacra traditione vllum habeatur veſtigium, ex quo neceſſaria hæc Connexio inter Epiſcopalem dignitatem, & poteſtatem legiſlatiuam concludenter inferri poſſit; Habet igitur non aliunde, quam ex Summi Pontificis communicatione non enim eſt de ratione intrinſeca Epiſcopalis muneris ſecundum generalem rationem ſuam pròvt originem aliquam habet à Iure Diuino, à quo, & ex præcepto Chriſti eſt, vt Eccleſia per Epiſcopos regatur, & quod à Summo Pontifice vocentur in partem ſolicitudinis, quamuis modus, determinatio, & collatio poteſtatis per arbitrium, & prudentis Iudicium Pontificis fiat, eaque augeri, minui, & limitari poſſit, quod Monarchica Eccleſia politia exigit.

4 Qua conſideratione efficitur, non poſſe Epiſcopum, vtcumque ſit ei tributa legiſlatiua poteſtas, leges condere circa reſeruata Summo Pontifici, quæ iiſdem quoquo modo repugnent *C. 1. De tranſlat. Epiſc. c. 1. & 2. de reliq. & Ven. Sanct. c. fin. de Relig. Domib.* aut contra ius comune aliquid ſtatuere *c. 2. de locato*; aut in cauſis quibuſcumque grauioribus, quas ex generali regula Apoſtolicę Sedi reſeruatas non ſemel notauimus cum *Gloſ. ad c. 2. de maior, & obed. c. præceptis 12. Diſt. c. Multis 17. Diſt. c. Maiores De Baptiſmo*, extra hoſce limites non indiget Epiſcopus ſpeciali conceſſione, approbatione, aut Confirmatione Summi Pontificis, vt condere poſſit ſtatuta de ſe firma ac perpetua, cum ei competat ordinario Iure, & Iure Magiſtratus *d. c. 2. De Maior, & obed. c. 2. de conſtit. in 6.* quod confirmat perennis conſuetudo, obſeruatio, & traditio Eccleſiæ.

Competit autem Epiſcopo tanquam ei propria, & Iure ſuo legiſlatiua hæc poteſtas, vt (abſolutè loquendo) ad eius vſum non habeat opus conſenſu capituli; Præficitur enim Gręgi à Summo Pontifice tanquam Princeps, & ſi eligatur, eligitur in Principem, nec eius auctoritas à ſibi ſubiectis pendere debet, à quibùs non recipit poteſtatem, pręſertim in lege condenda, cum legem condere ſit actus poteſtatis ſupremæ, & ideò nullibi in Iure hæc adhibita legitur limitatio, neque naturale aliquod principium huiuſmodi dependentiam ſuperioris à ſubdito, & inferiori in actu adeò ſublimi dictat, aut ſuadet; Vnde exigetur Cleri, ſiue Capituli conſenſus, aut in caſibus à iure expreſſis aut ibi aliqua neceſſitas expoſcere videatur puta ſi legem con-

conderet de ijs, quæ tangerent ſtatum Capituli, aut Cleri, vel quid ſtatueret contra inolitam, & præſcriptam conſuetudinem arguendo à ſimili ex allegatis iam ſupra Iuribus.

Ab Epiſcopis conſurgimus ad Archiepiſcopos, Primates, & Patriarchas, & de ipſis quò ad legiſlatiuam hanc poteſtatem facile eſt cenſere; cum enim eſſentialiter ſint Epiſcopi, idem eos poſſe conſequens eſt intra Diœceſim ſuam, quod poteſt, & quilibet alius Epiſcopus; At quatenus ijs dignitatum titulis præeminent, ac ſibi ſubiectis prouincijs Diœceſibus, & Orbis partibus reſpectiuè principantur, nil ampliùs poſſunt, quàm præſcripta conſuetudine, ſpeciali Iure, aut priuilegio ijs competat. *C. 4. cum ſeqq. 9. q. 3.* apertiſſimè *Cęleſtin. in C. duo ſimul 9. de off. ord.* Gradus enim, & præeminentes huiuſmodi dignitates (vt iam vidimus) à mero Iure humano, & poſitiuo ſunt, & ideò nil ampliùs auctoritatis eas gerentibus competit, quàm eodem illo Iure, quo ſunt conſtitutæ, fuerit ipſis largitum, & quamuis notet *Gloſ. ad 18. diſt. in princ. in verbo conſtituendum*, poſſe Epiſcopum condere Canones Epiſcopales, & Archiepiſcopum prouinciales accipiendum hoc eſt de Archiepiſcopo cum Concilio Prouinciali, ne pugnet cum expreſſa Canonis contraria auctoritate *in C. Nullus Primas. ix. quæſt. 3.*

Occurrit demum, & eximius Cardinalium Ordo, de quo quærere fas eſt, quatenus leges condere, & conſtitutiones in Eccleſia valeat; Si Cardinales ſpectemus pròut Senatores ſunt, & ordinarium Eccleſiæ Senatum conſtituunt leges condere ex vi gradus, quem gerunt, ipſorum non eſt; Senatus enim eſt conſulere, & quamuis *In l. non ambigitur ff. de legibus* dicat Vlpianus. *Non ambigitur Senatum ius facere poſſe*, & Senatuſconſulta inter Romani Iuris partes fuerint connumerata §: *Conſtat. de Iure nat. gent. & ciu.* non tamen id dictum, quaſi ex connaturali Senatus auctoritate competeret, ſed ex concedentis populi poteſtate, cum neceſſitas adminiſtrandæ Reipublicæ id expoſceret; quò reſpexit Modeſtin. Iure Conſultus *in l. pen. ff. de legib.* dum ait. *Ergo omne Ius, aut conſenſus fecit, aut neceſſitas conſtituit, aut firmauit conſuetudo.* Ius enim, quod neceſſitas conſtituit, non aliud fuit, quàm Senatusconſultum; quod non percepit Accurſus, ſed optimè obſeruauit *Cuiac. ex l. 2. §. deinde ff. de orig. Iur.* vbi ait Pompon. *quod aucto numero populi neceſſitas ipſa curam Reipublicæ ad Senatum deduxit*, & ideò Senatuſconſulta habuiſſe quidem vim legis, at non leges fuiſſe legimus, & Vlpian. *In dict. l. Non ambigitur* (ait) *Senatum ius facere poſſe. Ius* (inquit) non legem, quæ maximè inuicem differunt; Prætor Ius fecit *l. Iuſtè poſſidet. ff. de acquir. vel amitt. poſſ.* at legem non item. *Lib. 14. obſer. c. 18.*

Quæ ratio eſt, propter quam Collegium Cardinalium vacante Pontificia Sede leges condere non poſſit, quæ obligent totam Eccleſiam, nullibi enim Collegio illi legitur hæc impertita poteſtas ſiue Ius Diuinum ſpectes, ſiue poſitiuum, immò obſiſtere poſitiuum omninò videtur in *Clem. ne Romani. in princ. de elect.* in qua repetitum legitur illud ipſum, quod in *C. Vbi periculum. de elect. in 6.* ſtatuitur ibi namque præfigitur quid agere debeant Cardinales vltra

vltra electionis negotium §. 1. *in fine*. Quod ſi conſideremus Cardinales in titulis ſuarum Eccleſiarum, quia in ipſis iuriſdictionem habent Epiſcopalem, certum eſt, tanquam Epiſcopos Ius facere poſſe, & legem condere, cum tituli eorum ſint quaſi ipſorum Diœceſes, circà quas non ſecus ac Epiſcopi verſantur. *C. querelam*, *& ibi Ab. de elect.* Vnde tota hæc Cardinalium legiſlatiua poteſtas in Epiſcopalem potiùs, quàm in Cardinalitiam, videtur reſolui; Indeque inferimus deſcendendo, quod Abates nonnullos, qui licet non ſint Epiſcopi, iuriſdictionem tamen quaſi Epiſcopalem habent, & in ſuas veluti Diœceſes, quibus præſunt, & quas regunt, leges ferre poſſunt, cum enim ſit hæc poteſtas Iuriſdictionis per ſe, & ordinario Iure, eſt etiam coniuncta Epiſcopali iuriſdictioni, vnde qui Epiſcopalem habet, & hac concomitante carere non debet; Idemque, & multò magis cenſendum de legato Summi Pontificis in prouincia ſibi credita, leges enim condere poteſt, quæ durent poſt eius diſceſſum, donec aut per Summum Pontificem, aut per alium parem poteſtatem habentem reuocentur; *C. fin. de off. legati*.

6 Præter autem recenſitos huc uſque gradus, & perſonas nullus eſt in Eccleſia, qui veras leges condere poſſit; ſunt nihilominùs vniuerſitates ſiue myſtica Corpora, & hominum cętus, de quibus inquiremus quatenus de hac ipſa legiſlatiua poteſtate participent, ipſamque habeant. Concilium generale ſeſe exhibet primò, quod iuxta iam tradita ſub triplici reſpectu poteſt conſiderari; aut enim præſidet ei perſonaliter Summus Pontifex, vel per legatos ſuos, aut celebratur Concilium per ſe, & ſine vllo Pontificis interuentu, ſub prima facie extra omne dubium eſt poſſe Concilium, quod tunc verè eſt plenum, atque perfectum, leges ſtatuere vniuerſam Eccleſiam obligantes, ſi enim Pontifex ſolus leges huiuſmodi condere poteſt, multò magis cum generali Concilio, quale fuit Apoſtolicum illud primum *Act. c.* 15.

At ſub facie ſecunda, cum præſidet Pontifex, per legatos ſuos, ſi ab ipſo confirmatur extra omne dubium eſt leges ab eo conditas Vniuerſam Eccleſiam obligare, per confirmationem ſi quidem tota eius auctoritas reſoluitur in Pontificiam, & praxis ipſa loquitur omnium conciliorum, & præſertim nouiſſimi Tridentini, & ideò ante confirmationem in ſuſpenſo eſt tota vis obligandi huiuſmodi legum; conſueuerunt enim Concilia confirmationem à Summo Pontifice petere, nec ante vim obligandi in legibus ſuis agnoſcebant; Concilium ſiquidem congregatum ſub obedientia Pontificis non habet immediatè à Iure Diuino poteſtatem, aut Iuriſdictionem in vniuerſam Eccleſiam, cum nullibi ea tradita legatur, vt alibi ex profeſſo probauimus, & Pontifex non ante tradere intendat, quàm ipſe confirmet; Quod ſi Pontifex Legatos ad Concilium dirigat cum ſpecifica, & præciſa inſtructione eorum, quæ eſſent determinanda, hæc ipſa à Concilio ſtatuta ſtatim obligarent, quia confirmata in anteceſſum ex deliberata Pontificis voluntate cenſentur; Si verò Legatos cum generali tantùm inſtructione mitteret, decreta à Concilio non ante legis robur haberent, quàm certa Summi Pontificis confir-

matio

matio accederet; infallibilitatis enim prerogatiua ex gratia Spiritus Sancti adeſt, cum eius decretum ſuper certis aduenit. Conſequentia hæc ſunt ad tradita locis proprijs; Indeque facile eſt inferre quid ſit ſentiendum de Concilio ſine Pontifice; Si namque ſit in Eccleſia Pontifex, & ſine eo, & eius auctoritate, aut conſenſu fiat Concilium, nec dici poterit generale ex atiquorum canonum auctoritate, nec ſine capite ſuo legem condendi poteſtatem aliquam habebit.

Si verò non adſit Pontifex, aut non ſit certus, vt in ſchiſmate, tunc collectum Concilium ſtatuere quidem poterit, at in finem ſolummodò, propter quem eſt collectum; vltra, nullam habet auctoritem, iure Diuino, aut poſitiuo conceſſam, vnde ſola illa aderit, quam iure Diuino, naturali habet corpus quodlibet myſticum, ſeu ciuile, vt poſſit ſe tueri, ac regere ad finem intentum per principes particulares cum deficit Caput, & ideò vltra limites à fine ſuo præſcriptos naturaliter auctoritatem non habet, nec ab eo decreta poſſunt vlteriùs ſe porrigere, aut obligare.

Poſt generale Concilium ſubſequuntur ſpecialia, quæ iam diuiſimus in Nationalia, Prouincialia, & Diœceſana, ſumpto preſſiùs Diœceſis nomine; & de hiſce quibuſcumque indubium eſt ea legem ſtatuere non poſſe, quæ totam Eccleſiam obliget, niſi fortè Summus Pontifex decreta huiuſmodi aſſumeret, ſuaque faciens omnibus ſeruanda indiceret, quo caſu non tanquam Synodalia, ſed tanquam Pontificia obligarent; At in materia adæquata propriæ Iuriſdictionis, & intra limites proprios poſſunt vtique hæc Concilia leges, & conſtitutiones condere; *C. Catholica* 11. *C. Catholica* 17. *diſt. C. pen.* 92. *diſt.* & tota demùm *Diſt.* 18. & iure quidem; ſuppoſita namque ordinaria Iuriſdictione Epiſcoporum, & aliorum Prefectorum, qui Eccleſiaſticam hierarchiam conſtituunt, ex quo plures Epiſcopi ſub vno Archiepiſcopo, vel Patriarcha ſunt conſtituti, eo ipſo poſſunt pro communi bono ſimul congregari, & legitimum, ſiue myſticum Corpus conſtituere, in quo ex natura rei ſit legiſlatiua poteſtas, niſi à ſuperiore prohibeatur, idemque cenſendum de Clero reſpectu Epiſcopi; quod ſi Iuris humani, & poſitiui diſpoſitionem expendamus, dicemus, & verè, ex Eccleſiaſtica traditione Eccleſiæ ipſius primordiali ità ſtatuiſſe Pontificem Summum, vt ad vnitatem in Eccleſia conſeruandam, & ad diſciplinæ concordiam fouendam, non ſolùm per Epiſcopos poſſent leges ferri, ſed & per legitimos Nationum, Prouinciarum, & Diœceſum conuentus, quam quidem conſtitutionem, ac diſpoſitionem firmant allati iam ſupra Canones, & nouiſſimè Tridentinum Concilium, quod Prouincialia, & Synodalia Concilia præcipit frequentari; & ideò *Seſſ.24.cap.2* leges huiuſmodi vim, & efficaciam ſuam habent, etiam ſine confirmatione Summi Pontificis, cum enim quilibet ex hiſce conuentibus ſuum legitimum habeat Caput, atque connaturale, Patriarcham, Primatem, Archiepiſcopum, & Epiſcopum, reſpectiuè, ſiuè ex natura rei, ex primæua inſtitutione, quæ reddit quid connaturale, leges huiuſmodi conſtituit, ſatiſque cenſentur ad finem proprium immediati Capitis auctoritate firmatæ; Verùm quamuis vi ſua polleant, non tamen gaudent infalli-

fallibilitatis prerogatiua ſicut leges generalis Concilij, quæ hanc ipſam à Supremo Eccleſiæ Capite conſequuntur per impertitam confirmationem; quod ſi hæc ipſa confirmatio, & alijs Concilijs accederet, robur quidem ab ijs latæ leges intenſiuè, ſtabilitatemque maiorem haberent; at non extenſiuè, niſi quatenus Summus Pontifex confirmans extendere vltra fines, quibus circumſcribuntur, intenderet, & vniuerſalem latitudinem ijs impertiri, tunc enim vltrà limites vtique extenderentur, & vim vniuerſalem haberent.

7 Inter inferiores vniuerſitates, quæ in ordine ad poteſtatem legiſlatiuam poſt hactenùs expenſas maiores veniunt conſiderandæ, primum ſeſe exhibet Capitulum Cathedralis Eccleſiæ, quod quidem ſub duplici reſpectu expendendum eſt, aut ſcilicet viuente adhuc, & ſuperſtite Epiſcopo, ſiue ſede plena, aut eo defuncto, & vacante Sede.

Viuente Epiſcopo nihil poteſt ſtatuere Capitulum extra ſpheram ſuam, vltra quam iuriſdictionem non habet, & ſine qua ſtatutum, ſiue lex inanimis eſt, nullaque vi obligandi gaudet. At ſi ſtatuat inter limites auctoritatis ſuæ rectè, & efficaciter ſtatuet, apertiſſima enim ſunt Iura, quæ id auctoritatis in capitulo agnoſcant. *C. cum omnes: C. cum veniſſent: de Conſtitution.*

An autem requiratur conſenſus Epiſcopi? Implexa eſt difficultas, nec eſt adeò facile certi quidpiam diffinire, cum hinc inde rationes vrgeant. Conſenſum enim Epiſcopi requiri ſuadet ratio Capitis, qualecum ſit Epiſcopus reſpectu Capituli, Corpori nil videtur permittendum ſine conſenſu, & concurſu Capitis ſui *C. Nouit. de his, quæ fiunt à Prælat.* & præcipuè ſi ſit quid graue, vt ſtatuta, & leges condere. At ex oppoſito Ius ipſum capituli eſt adeò diſtinctum, atque diuerſum, vt corpus ſeparatum videatur inducere, nedum diſtinctum ab Epiſcopo; Vnde videtur quidem Epiſcopus ſuperior, & re vera eſt, at non propriè Caput, & eius immediata pars, habet enim Capitulum ſuum proximum Caput, quod nunquam deficit, quocumque nomine vocetur iuxta varia Eccleſiarum Inſtituta, & generaliter Præſes Capituli dicitur; Hancque ſeparatam corporis rationem ab Epiſcopo egregiè indicat *Gloſſ. ad Clem. 2. in verbo eiſdem. De æt. qual. & ord. præfic,* & firmat *ex C. Vn. Ne ſede Vacan. in 6.* Vulgata eſt interpretum diſtinctio, eaque conformis; minora quędam, quæ ſolùm pertinent ad rectum ordinem, & regimen ipſius Capituli poſſe ab eo ſtatui ſine conſenſu Epiſcopi, & eius confirmatione, vt innuit *Tex. in C. cum omnes 6. de Conſtit.* at in grauioribus, quæ reſpiciunt ſuæ Eccleſiæ commoda, & obſeruantiam antiquarum conſuetudinum neceſſarium eſſe Epiſcopi conſenſum. *Arg. tex. in C. cum acceſſiſſent de Conſtit.* qui tex. nihilominus parùm ad intentum proficit, cum in eo nec verbum quidem habeatur de conſenſu Epiſcopi in ſuppreſſione Primiceriatus à Capitulo facta, at vtique de conſenſu Apoſtolicæ Sedis, quę ſanè ſunt nimis diuerſa. Itaque, vt diximus, generaliter de quolibet Capitulo diffinire non eſt rationabile, aut tutum, cum varij Eccleſiarum ſtatus, & conſuetudines variæ varias etiam obſeruationes in Eccleſias inducant. Vnde ſuppoſito, quod Capitulum quodlibet Iuriſdictionem

habeat

habeat ſufficientem ad condenda ſtatuta ſuo ſtatui accomoda hæc ipſa Iuriſdictio poterit ad plura ampliari pròvt priuilegia, aut conſuetudines concedere videbuntur, conſuetudo enim ſicut dare, multò magis ampliare, & extendere iuriſdictionem poteſt præſertim cum Clericorum Capitulum ſit capax iuriſdictionis ſpiritualis, quæ expreſſo, aut tacito Summi Pontificis conſenſu poteſt competere, & obuenire. Conſiderandum autem præcipuè erit, quale Ius, qualemue auctoritatem in regimine Eccleſiæ ſuæ Capitulum habeat; Nam ſi ipſi ſit conceſſum immediatum regimen Eccleſiæ, & ea omnia cum ex conſuetudine, cum ex priuilegio gerere poſſit, quæ ad rectam ipſius Eccleſiæ adminiſtrationem quoad res, & quòad perſonas ſibi immediatè ſubiectas conferant, iam multò magis poterit ſtatuere, & ſibi ſubiectos obligare, & ideò non ſine re diximus nihil certi poſſe determinari circa hanc ſtatuendi facultatem quò ad Capitula, cum pro vario Eccleſiarum ſtatu variè ſit iudicandum. At ſemper generaliter dici poteſt Capitulum pro ſtatu ſuo, & intra limites ſuos poſſe ſtatuere, qui limites non eodem modo vbique erunt definiendi; Quod ſi conſtaret in tenui, & humili aliquo Capitulo nullam extare Iuriſdictionem, adhuc ſtatuendi facultas non erit ei deneganda, hæc enim ſtatuta, quamuis ob defectum iuriſdictionis ſubſiſtere non poſſint in vim legis, regulam tamen inducent operandi ex conuentione partium, vimque obligandi habebunt potiùs ex pacto, quàm ex lege, in quem ſenſum accipiendum eſt, quod dicitur poſſe vniuerſitatem facere ſtatuta, eaque obligantia, vtique quidem in vim pacti, & iuramenti, non in vim legis; Sic enim appoſitè *Innocentius III.* reſcribens doctoribus, & vniuerſitati Pariſienſi *in C. ex litteris. De conſtitutionib. licet à vobis fide præſtita fuerit conſtitutum*, Ibique totam vim obligationis reſoluit in vim iuramenti, & conuentionis. Hæc de capitulo ſimpliciter, & per ſe.

Conſiderandum ſuccedit idem Capitulum deficiente Epiſcopo, aut quoquo modo vacante Sede, an ſcilicet poſſit tunc ferre legem non formaliter, vt Capitulum, ſed tanquam illud, ad quod ſit deuoluta tota Epiſcopalis iuriſdictio *C. cum olim De maior. & obed. C. vn. eodem in 6. C. ſi Epiſcopus Iunc. C. ſeq. de ſuppl. neglig. prælat. in 6.* Commune ſcribentium votum eſt, poſſe Capitulum vacante Epiſcopali Sede leges ferre duraturas vſquequò per Succeſſorem reuocentur; laudat commune votum ex recentioribus *Pauinus* fundamento iam allegatorum iurium, per quæ vacante Sede ad Capitulum ſit iuriſdictionis deuolutio, vnde poteſt quidquid poſſet Epiſcopus, niſi quidpiam ſit expreſsè interdictum, aut exceptum, qua generali deuolutione venit & conſtituendi facultas adeò, vt poſſit Capitulum reuocare ſtatuta ab Epiſcopo cum parem habeat iuriſdictionem. Neque obſtat, quod Collegium Cardinalium vacante Pontificia Sede (vt obſeruat vbi ſupra *Pauin.*) aut Concilium omnium Epiſcoporum non poſſit leges Eccleſiæ iam latas reuocare, aut nouas condere vniuerſales pro tota Eccleſia, vnde à ſimili nec Capitulum Sede vacante Epiſcopali, quia patens eſt diſcrimen; Vita enim functo Summo Pontifice non deuoluitur

*De Poteſtat. Cap.4. 6.*

eius

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

eius poteſtas, aut iuriſdictio ad Eccleſiã, Collegium Cardinalium, aut Epiſcoporum Concilium; quia iuriſdictio Pontificia non aliter competit, quàm Diuina Inſtitutio diſpoſuit; quæ contulit Petro, & Succeſſoribus non Eccleſiæ, non Collegio, non Concilio, nec vllibi deuolutionem eiuſdem poteſtatis inſinuauit; At Epiſcopalis iuriſdictio tribuitur per hominem, & iure ità cautum, vt deficiente Epiſcopo ad Capitulum fiat deuolutio; & ideò in vim eiuſdem Iuriſdictionis poteſt conſtituere. Vrgent adhuc contrariæ ſententiæ auctores, quæ ſanè irrationabilis non eſt, fieri quidem deuolutionem ad capitulum, ſed quatenus à Iure præſcriptum, & in Iure ſtatutum *C. 2 ne Sede Vac.* vbi Honorius Tertius ***Cum nuſquam inueniatur cautum in Iure, quod capitulum vacante Sede fungatur vice Epiſcopi incollationibus præbendarum***; & ideò, vtcumque ſuccedat capitulum in adminiſtratione temporalium, & ſpiritualium, non per hoc in legis condendæ facultate, quæ dicit quid longè ſublimis, quàm vt generali conceſſione tranſire valeat, præcipuè cum ſede vacante nil ſit innouandum ***C. 1. ne Sede Vac.*** Nimia autem eſſet innouatio, ſi aut noua conderetur lex, aut abrogaretur vetuſta; Cum merè ſubſidiaria ſit capituli Iuriſdictio, ne Eccleſia interim ſuo deſtituatur regimine, & temporalis eius auctoritas, quæ tanti non videtur cenſenda, vt legem, & conſtitutionem perpetuò duraturam ferre valeat.

Rectè quidem, & pro aſſertæ opinionis probabilitate, at non ſatis pro oppoſitæ verioris euerſione; neque enim arctanda ſunt iura, quæ tribuunt ſimpliciter capitulo iuriſdictionem tàm in temporali, quàm in ſpirituali, ad quem vtrumque finem conferre poſſunt, & conferunt ſtatuta, & conſtitutiones, neque per hoc quidpiam cenſetur detractum Epiſcopi auctoritati, qui cum aduenerit, reuocare poterit legem à Capitulo latam, ſi nouerit inutilem, vel Eccleſiæ non vtilem, ideòque reuocandam, & interim legem ſubſiſtere nullius detrimenti eſt; Vnde relinquenda Capitulo legis ferendæ facultas, tanquam congruum medium ad regimen Eccleſiæ explicandum ſibi creditum interim dum ſedes vacat.

Si quæ autem ſint Eccleſiaſticæ vniuerſitates inferiores idem de ipſis cum proportione erit ſentiendum; vt ſcilicet non poſſint quidem ipſæ leges ferre procedentes à vera nomothetica, & legiſlatiua poteſtate, quæ ſupponit ſublimius ſubiectum, quàm ſint regulariter communitates iſtæ inferiores, niſi aliunde competentem iurſdictionem habeant; At vtiq; ſtatuta condere quaſi regulam operandi ex conuentione potiùs, & pacto inter illos de communitate, quo attento, & pænas ſibi poſſunt conſtituere, non tamen à iuriſdictione procedentes, vt ſunt Eccleſiaſticæ cenſuræ.

Iuxta quam doctrinam cenſendum etiam eſt, de regularium vniuerſitatibus, ſiue religionibus; habent enim ius, & facultatem ſuas ferendi leges, ſuaque ſtatuta iuxta mox ſupra traditam diſtinctionem, quę quidem obligent in vim promiſſionis, & præſertim voti obedientię, aut obſtringant in vim iuriſdictionis à Summis Pontificibus ijſdem conceſſæ pro priuilegiorum varietate variæ; quę an reſideat in Prelato, an verò in capitulo, & ipſa Religiorum communi-

munitate non poteſt certè definiri, cum à conceſſione Summi Pontificis, & eius tenore id dependeat, & non à natura rei, & ideò cuiuſque Religionis Regula ſpectanda, & attendenda eſt, & iuxtà eam iudicandum, penès quem præcisè ipſa reſideat. Hæeque ſatis quoad eos, apud quos legiſlatiua poteſtas in Eccleſia reſideat.

---

## CAP. II.

## Quid Conſtitutio, & Quotuplex.

1 *Vocis Conſtitutio examen, & diſtinctio, & quæ rei noſtræ propria.*
2 *Legis ſiue Conſtitutionis definitiones variæ, mox & propria ex D.Thoma.*
3 *Examinantur conditiones, & requiſita legis, & prima, vt ſit pro communitate.*
4 *Secunda, vt ſit in commune bonum, & à publica poteſtate.*
5 *Tertia, vt ſit perpetua, & quomodo hęc perpetuitas accipiatur.*
6 *Vt promulgetur; & de promulgatione latè.*
7 *Ad legis eſſentiam non eſt neceſſaria ſcriptura.*
8 *Examinatur vulgare illud, quod ratio anima legis.*

Conſtitutionis, & conſtituti iuris originem ſtatim reddit *Gratianus* in ipſo 7. Diſt. veſtibulo. *Ius autem Conſtitutionis* (ait ibi *Gratian.*) *cœpit à iuſtificationibus, quas Dominus tradidit Moyſi dicens, ſi emeris ſeruum Hæbreum.* Moxque ſubnectit ex *Iſidoro*. *Moyſes gentis Hæbreę primus omnium Diuinas leges ſacris literis explicauit*, ſubinde, & apud alias gentes Conſtitutionum, & legum auctores commemorat; Verùm nos hiſtorica iſthæc dimittimus, & ad intentum noſtrum accedimus. Huius vocis *Conſtitutio* acceptionem duplicem diſtinguemus generalem, & ſpecialem; ſub generali quidquid ſcripti Iuris eſt, & à quocumque profectum (qui tamen ius condendi habeat) comprændimus ſiue Canonicum, ſiue Ciuile; ſub ſpeciali verò ius illud ſcriptum, quod Imperator, Rex, vel Princeps conſtituit, vel edidit C. *conſtitutio Diſt.* 2. *l.* 1. *ff. de conſtit. Princ.* Vnde illud, *quod Principi placuit legis habet vigorem d.l.* 1. & §. *ſed & quod Principi Inſt. tit. de iure nat. Gent. & Ciu.* Generale conſtitutionis nomen latiùs patet, quàm ipſum nomen legis. Ideòque *Iſidor. in cap. lex.* (inquit) *eſt conſtitutio ſcripta*, & eò vſque diffunditur, ac dilatatur, vt inferiorum quorumcumque ordinationes ambitu ſuo contineat, vt legatorum, Canonicorum, Doctorum, Ciuium. *C. fin. de off. legati C. cum M. C. cum omnes. C. quæ in Eccleſiarum C. ex literis de conſtit.* At in ſacra Iuriſprudentia Conſtitutionis nomine comprændimus ſtatutum in Eccleſia quodcumque ſubalterna quadam acceptione inter pręcedentem latiſſimam, & ſpecialem; Prima acceptione illa generali veniunt Sanctorum Apoſtolorum Canones, Conciliorum generalium, prouincialium, & Diœceſanorum, decreta; Decretales Epiſtolæ, mandata, interlocutiones, Sanctiones pragmaticæ, reſcripta, priuile-

*Exod. c. 21.*
*Orig. lib. 5. c. 1.*
*Can. 1.*

uilegia. Secunda verò ſpeciali intelligimus eſſe conſtitutionem, quàm Summus Pontifex edidit proprio motu, ſpontanea voluntate, & à ſua natura, vt inquit *Thophil. Græcus paraphaſtes inſtitutionum* vel ad preces, & ſuggeſtionem alicuius, vel ob negotia, quæ quidem conſtitutio in eo diſtat à canone, quod canon ſit lex primitùs à Domino, vel ab Apoſtolis edita, & in conciliis promulgata; Conſtitutio verò ex emergentibus cauſis originem ſumpſerit *C. Canonica de Sent. excom.*

*Ad tit. 2. Inſtit. Iur Ciu.*

At quicquid ſit de ſubtili hac differentia, hoc certum, quod conſtitutio Pontificia, & in Pontificio iure nil aliud eſt niſi lex, ſicut & apud Iureconſultos eadem demùm lex eſt, & conſtitutio, de qua ſub nomine legis quidquid neceſſarium eſt ad eius explicandam eſſentiam breuiter, ac vtiliter promemus à definitione exordientes.

Non moramur, an lex à ligando dicatur, vt ſentit. *D. Thomas*, an à legendo, vt vult *Iſidorus*, an demùm à diligendo, vt cenſuit *Cicero*; Integrum ſit quamque deriuationem amplecti, alludunt enim ſingulæ, & ad quid rei, ſiue definitionem accedamus.

*12. q. 90. Art. 1.*

*Lib. 2. Ethimol. c. 10.*

2 Auctores varij ad varia reſpicientes variè legis definitionem concepere ità, vt quælibet in genere ſuo poſſit admitti. Aliter oratores, aliter Iureconſulti, Theologi aliter. Oratores encomia definitioni inſerere ſtuduerunt, & non tam definire legem, quàm laudibus extollere; ſic enim *Cicero*; *lex eſt æternum quoddam, quod vniuerſum Mundum regit imperandi, probibendique ſapientia*, reſpiciens ad æternam, & idealem Dei legem; Aliter idem. *Lex eſt ratio ſumma inſita in natura, quæ iubet ea, quæ facienda ſunt, probibetque contraria*; ſed legem naturalem tantùm ſic aſſignat, nec ideò ſatis.

*Lib. 2. de legib.*

*Lib. 1. de legib.*

Aliò reſpexere Iureconſulti, vnde, & alia ipſorum definitio. Sic enim *Papinianus in l. 1. ff. de legib. Lex eſt commune præceptum, virorum prudentem conſultum, delictorum, quæ ſponte, vel ignoranter contrahuntur coërctio, communis Reipublicæ ſponſio.* Haud abſimiliter, ſed fuſiùs ex Chriſippo *in l. 2. Martianus*; at ius ciuile Romanorum ipſi tractantes, & Romanorum legem definiuere, quatenus eiuſdem ferendæ facultas penès populum apud Romanos erat, penès quem & Maieſtas, ideòque communem Populi, ſponſionem dixere; quò reſpiciens & *Ariſtoteles* legem dixit communitatis conſenſum. Notus eſt legis ferendæ ritus apud Romanus, indèq; fax definitioni Iure conſultorum. Verùm legem aſſignaturis in genere definitio etiam proferenda eſt, quæ legem, abſtrahendo à qualibet ſingulari ſpecie demonſtret. A Theologis igitur eam mutuabimur, à quibus Sacra Iuriſprudentia tanquam ſubalternata ſcientia nobiliora deducit principia.

*Lib. Reth ad Alex.*

*D. Thom.* cunctis præiuit, qui præmiſſis legis conditionibus neceſſarijs, ex ijſdem definitionem eformauit, quam & nos tradèmus, ſubinde conditiones, & requiſita enumerantes, & expendentes. *Eſt igitur lex (ait D. Thom.) ordinatio rationis ad bonum commune ab eo, qui curam communitatis babet, promulgata.* Ordinationem rationis dum dicit, ordinationem ſignificat à legiſlatoris ratione manantem, & ſic ordinantem

tem potiùs, quàm ordinatam, actiuam magis, quàm paſſiuam; non magis autem eſt hæc ordinatio intellectus, quàm voluntatis, ſed ab vtraque abſtrahit, nec magis vnius, quàm alteriùs actum ſignificat præciſè, cum ab vtraque poſſit fieri ordinatio; quæ enim ordinatio eſt voluntatis hæc ipſa poteſt etiam dici rationis, cùm quia voluntas eſt potentia rationalis, tùm etiam (idque magis) quia in lege ferenda voluntas legiſlatoris debet dirigi à ratione,& demùm quia ad legem ferendam concurrit actus internus, & externus, & de vtroque verificatur hæc ipſa ordinatio, de interno nullum eſt dubium, de externo eſt etiam certum, cum & externum præceptum ſit ordinatio rationis, quatenus eſt à ratione dictante, vnde quocumque modo rectiſſimè lex definitur *Ordinatio*.

Neque dicas, quod hæc ipſa *Ordinatio*, competat etiam conſilio quod ipſum eſt ordinatio, ſicque non rectè, & adæquate legem aſſignet hæc vox; nam licèt hic terminus ſit communis, & legi, & conſilio, eſt tamen quid, quod ad alterutrum ſignificandum contrahat cum proprietate; lex enim eſt ordinatio quidem, ſed à ſuperiore facta in commune bonum, conſilium eſt inter æquales, & eſto, quod propriè ſuperiorem ſupponat, erit ſuperior ſapientia, & prudentia non poteſtate, & auctoritate, qualem per ſe lex requirit, cum ſit id per accidens in conſilio; Sed nondum ſatisfacit hæc *D. Thomæ* definitio *P.Suarez*, quem offendit, eandem competere præcepto facto à ſuperiore in ſubditorum vtilitatem ad tempus, & non perpetuum, quod quidem non erit lex, & tamen ſub legis definitione comprælienditur, idque grauem nimis errorem in definitione arguit, quæ ità debet eſſe rei definitæ propria, vt alteri nequeat competere; neque hanc obiectionem declinari, ait, ſi dixerimus Angelicum Doctorem legem definientem reſpexiſſe ad præceptum ſtabile, ac duraturum, vel per *Ordinationem* vtrumque præceptum tàm perpetuum, quàm temporale intellexiſſe, ideò breuiorem, & extrà omnem ſcrupulum definitionem concepit. Quod ſcilicet lex ſit *commune præceptum*, *iuſtum*, *ac ſtabile ſufficienter promulgatum*, ſecutus Iureconſulti auctoritatem, qui (vt vidimus) *in l.1.ff. de legib.* legem aſſignauit, quod ſit *Commune præceptum*: quamcumque ex hiſce definitionibus attenti expendamus emicare ex ipſis intuebimur conditiones, quas ad legem neceſſarias recenſuit *Iſidorus in Can. erit autem lex. 4. diſt.*

3 Siue igitur dicamus legem eſſe ordinationem (an intellectus, an voluntatis non inquirimus) *In commune* bonum, ſiue dicamus *Legem eſſe commune præceptum*, compræhendimus legem in ſui ratione hoc habere, vt feratur pro communitate, & hominum multitudine, huncque reſpectum planè ſibi connaturalem inuoluere. Reſpiciamus ad legem quamcumque ſiue naturalem, ſiue Diuinam, eamque aut veterem, aut nouam, & intuebimur ſingulas communitati, & populo datas, Iudaico populo, Eccleſię, quæ Chriſtiana communitas,indeque ipſum Adæ præceptum factum tanquam capiti totius humani generis, adeòque toti humano generi in capite, legis veræ rationem habuit,quia datum communitati. Vnde & Vr-

banus Papa *in C. duæ ſunt 19. q. 2.* legem diſtinxit in publicam, & priuatam, publicam intellexit canonum legem pro toto fidelium corpore traditam, priuatam verò, adeòque impropriam, quam ſingulariter Spiritus Sanctus alicuius animo inſpirat. *C. commiſſum, & ibi Cuiac. de Sponſal.* ſic enim & Vlpian. *in l. Iura 1a. 2. ff. de legib. Iura non in ſingulas perſonas, ſed generaliter conſtituuntur.* Lex igitur, vt ſit vera lex, debet pro communitate ferri, & per communitatem, non intelligimus quemlibet hominum cętum, ſed hominum, qui pro certo fine conueniant, & fœdere certo *C. dilecta, & ibi latiſſimè Gloſſ. de exceſſ. Prælat. l. Ciuitas ff. ſi cert. pet.* Sic ciuitatem accepit *Ariſtotel.* [*Lib. 3. Polit. c. 10.*] quam etiam dicimus communitatem perfectam, quæ ſcilicet capax ſit politici regiminis, vt politici regiminis, vt pote conſtituta non ad viuendum ſimpliciter, ſed ad benè viuendum, vt inquit idem *Ariſtotel.* [*Lib. 1. Polit. c. 2.*] ad differentiam alteriùs communitatis, quam dicere poſſumus imperfectam, vt eſt priuata domus, cui Pater familias præeſt, in qua non conueniunt perſonæ ipſam conſtituentes tanquam principalia membra ad vnum corpus politicum conſtituendum, neque vlla in ea exercetur iuriſdictio, ſed geritur poteſtas quædam varia pro perſonarum varietate; vnus eſt enim Paterfamilias, qui aliam poteſtatem exercet in Vxorem ſibi ſubiectam, aliam in filios, quos habet in poteſtate, aliam demùm in ſeruos, quos habet dominio ſubiectos, & ideò nullum in ea politicum regimen, ſed ſolius poteſtatis vſus, & dicitur communitas imperfecta, tùm quia directa ad vlteriorem formam, Ciuitatem ſcilicet, tùm quia per ſe non ſufficiens ad benè, beatèque viuendum, cum perſonæ ipſam conſtituentes ſibi inuicem non ptæſtent ſufficiens ſubſidium ad benè, beatèque viuendum pròvt præſtant partes Ciuitatis, & communitatis perfectæ, in qua prætereà adeſt iuriſdictio, & vis coactiua, ſine qua lex vera non poteſt conſtitui, quæ è contra deficit in familia, & communitate imperfecta, ac proinde veræ legis capax, aut inductiua non eſt, dixit enim *Ariſtoteles*, legem *habere vim neceſſitatem inferentem, quam paterna iuſſio non babet.* [*Lib. 10. Ethic. c. vlt.*] Meritò igitur de ratione legis ſtatuitur illud, vt pro communitate feratur, & expoſuimus pro communitate perfecta.

4 Ex hac prima, & fundamentali legis proprietate germinat ſecunda, vtcumque vltimam ipſam enumeret *Iſidor.* Si enim lex pro communitate fertur, conſequitur tanquam connexum, vt & feratur pro communi bono; non conſtitutæ Reipublicæ, non Præfecti, non Regis finis alius, quam publica vtilitas, quàm commune bonum, ad id enim Præfecti à Deo Principes, vt illud procurent, ad idque aptiſſimum medium eſt lex, quæ & ipſa nil aliud ſpectare debet, quàm commune bonum; tolle hunc finem legi, & legem ipſam tolles, hoc vnum totius humanæ politiæ intentum, ſicut & lex illa vnica, & omnium ſumma, *Salus populi ſuprema lex eſto*, hæc omnium legum norma, hęc idea, Ad ſalutem Ciuium, Ciuitatumque incolumitatem, vitamque hominum quietam, & beatam conditæ ſunt leges, [*Lib. 2. de leg.*] Inquit *Cicero*. [*Lib. 2. de Inu.*] Id ipſum *Ariſtoteles*, idipſum *Plato*, [*Lib. 3. Polit. c. 5.*] [*In Dial. Minoſ.*] idipſum quicumque veram legis

gis aſſignationem dedere; & quamuis dentur leges, eæque plures in priuatorum hominum vtilitatem, non tamen per hoc excluſam publicam credendum eſt, hæc enim ipſa priuata vtilitas in commune bonum dirigitur, & terminatur, idque ni fiat, nec legem dixeris. At de legibus priuatis, & priuilegijs nos alibi, & reliquas legis conditiones proſequamur.

Poſt finalem legis cauſam ſuccedit efficiens; non enim à quolibet proueniens præceptum legem dicere poſſumus, ſed ab eo, qui publicam poteſtatem habet, qua de re iam ſatis ſupra dictum, cum inquiſiuimus, quinam poſſint condere legem. Inter Maieſtatis Iura connumerauimus legiſlationem, quę Maieſtas publicam poteſtatem ſignificat, non quamlibet, ſed ſummam, & ſupremam. Iuriſdictio requiritur, nec ſufficit dominium, Pater enim familias præceptum facere poteſt, legem non item, nec vnus quilibet in Republica Vir, niſi ſit Rex, vt docet *Ariſtot.* condere enim legem eſt actus præcipuus regendæ Reipublicæ, hoc regimen ſoli ſupremo creditum in genere ſuo.

*Lib. 10. Ethic. c. vlt.*

5 Ex hac vtraque legis conditione, & proprietate conſurgit tertia alia eiuſdem legis proprietas, quam implicitè, & virtualiter ſupponunt. *D. Thom. & Iſidor:*, licèt eius expreſsè non meminerint, eaque eſt, debere legem eſſe perpetuam, legem ſcilicet humanam quatenus generali conſtitutionis nomine continetur; perpetuitatem accipimus non ſecundùm propriam, & preſſam ipſius vocis ſignificationem, ſed per eam intelligimus legis ſtabilitatem quandam, qua duret in ſui efficacia, & virtute ad obligandum per indefinitum tempus, vel diuturnum, etiam ſi non adijciatur expreſsè, quod perpetuò ſit duratura, & nunquam reuocanda, quo caſu diceretur lex habere perpetuitatem affirmatiuam, ſecùs verò negatiuam, ſecundùm quam ſat eſt legem eſſe perpetuam; Hancque legis perpetuitatem ſpectare poſſumus reſpectu non vno; Primo ex parte legiſlatoris, vtcumque enim ipſe amoueatur, aut quoquo modo deficiat lex, per eum lata durat, hacque ratione rectè perpetua dicitur, & eſt; Sic enim in *C. fin. de off. legati* aſſumit Summus Pontifex tanquam extrà omne dubium, ſtatuta condita à Legato Apoſtolicę Sedis durare inceſſantèr, etiam ſi Legatus ipſe prouinciam egrediatur, & legationem ſuam terminet, & meritò; manet enim ſemper eadem, & immutata poteſtas, vtcumque ſubiectum ſingulare ipſius poteſtatis deficiat, vel mutetur, indeque emicat notabilis differentia inter legem, & præceptum, quia pręceptum expirat cum vita, & auctoritate præcipientis, & in eo ſpectatur magis perſona, quàm poteſtas, vnde non habet ſtabilitatem, quam habet lex. Secundò dicitur lex perpetua reſpectu ſubditorum, obligat enim non ſolùm iam natos, & incolas tempore ipſius conditæ legis, ſed etiam naſcituros, & aliunde poſteà migrantes, & incolatum aſſumentes in ditione legi ſubiecta; Iuſtè quidem, nam primò lex in ſui ratione reſpicit futura, & ideò afficit non ſolùm ſubditos præſentes, ſed & futuros. Secundò, quia lex fertur pro communitate, & in communitatem, quicunque igitur ſit pars communitatis lege tenetur, qui naſcitur autem, vel qui

per incolatum ditionem legi ſubiectam ingreditur is ſtatim fit pars communitatis, & ideò legis obligantis ambitu continetur. Tertiò demùm eſt lex perpetua reſpectu ſui, durat enim per ſe quouſque, aut reuocetur, aut mutata materia reddatur iniuſta; id enim recta regiminis ratio expoſcit, Lex ſiquidem ſtatuitur tanquam regula humanarum operationum, & ideò non variabilis, ſed ſtabilis eſſe debet, ac tamdiù erit regula, quamdiù aut reuocetur, aut immutata ſubiecta materia deſinat eſſe regula, tunc enim & vtroque hoc modo deficiet.

6 Poſtremam demùm legis conditionem, eamq; eſſentialem inſinuat Iſidor. *in d. Cap. Erit autem lex 4.* Lib.5. orig.c. 21. *Diſt.* dum ait, *Manifeſta quoq; nec aliquid per obſcuritatem in capitulatione contineat*; quæ quidem verba quamuis ita poſſint accipi, vt ſcilicet lex in verbis ſuis nullam obſcuritatem contineat, aut æquiuocationem, propter quam declaratione, aut interpretatione omninò egeat, quo prætextu vberrima litium leges in foro germinat, non tamen in hunc ſenſum credimus perſpicuitatem eſſe proprietatem legi eſſentialem; fatemur ad legis perfectionem ſpectare, at non ad eſſentiam, cum vix fieri poſſit, quantumuis accuratum ſit humanum ſtudium, vt omnia declinentur dubia, quæ ex verbali legis interpretatione poſſunt oriri. Verùm legem manifeſtam propriè ex Iſidori verbis accipimus ita, vt debeat eſſe promulgata ad hoc, vt obliget, hoc eſt publicè propoſita, vt ab omnibus poſſit legi, & audiri, eaq; eſt conditio legis eſſentialis; ad quam reſpexit idem *Iſidor.* dum loquens de lege humana dixit, eam denominari à legendo, quia ita debet eſſe ſcripta, vt ab omnibus legi poſſit. Itaq; ad legem neceſſaria eſt aliqua propoſitio externa, & ſenſibilis ita publicè facta, & cum ea temporis latitudine, vt moraliter poſſit in notitiam totius Communitatis peruenire, & ipſam obligare, hic enim eſt potiſſimus effectus legis.

Rationem neceſſariæ huius conditionis reddidit *D. Thom.* cum enim lex imponatur alijs tanquam regula, 1.2.quæſt 90.Art.4 in corp. & menſura operationum, debet etiam ijs, quibus imponitur, applicari, idq; tunc maximè fit, cum in eorum notitiam deducitur per promulgationem, ſine qua ſuam vim obligandi habere non poteſt; Sic & *Valentinian. & Martian. Ceſſ. in l. leges C. de legib. leges Sacratiſſimæ, quæ conſtringunt hominum vitas intelligi ab omnibus debent, vt vniuerſo præſcripto earum manifeſtiùs cognito, vel inhibita declinent, vel permiſſa ſectentur*. Iuſtè quidem; obedientiam enim ſubditi præſtare non poſſunt niſi lex ipſis ſit ſufficienter propoſita, & cum ſint partes communitatis, debet lex ipſi communitati proponi, immò cum ſit præceptum Principis, & legiſlatoris, loqui debet ipſe Princeps, vt imperet, & tunc loquitur per legem quando ipſam promulgat, ideòq; iuſta, & neceſſaria huiuſmodi promulgatio; qua quidem peracta, iam quæritur an ſtatim, & immediatè obliget? & quomodo promulgatio ipſa fieri debeat?

Vulgata eſt Nouella Conſtitutio Iuſtiniani Imperatoris, qua cautum, *vt nouæ Conſtitutiones poſt duos* Auth. vt factæ nouæ conſt. *menſes ab earum inſinuatione obligare incipiant*; qua poſita conſtitutione inducitur certa promulgationis forma, quæ quidem debuit à lege humana,

mana,

ma na, & poſitiua conſtitui, quando lex naturalis dictat quidem legem de nouo conditam debere communitati ſufficienter proponi, at modum neutiquam præſcribit eiuſdem proponendæ; hic autem diſtinguimus promulgationem legis ab eius diuulgatione, promulgationem intelligimus publicam illam propoſitionem, ſiue denunciationem legis, quę fit aut voce præconis, aut affixione legis ſcriptæ in loco publico, aut alia ratione conſimili,

Diuulgationem verò accipimus applicationem illius primæ promulgationis ad aures ſubditorum abſentium, qui aut audire, aut legere primam illam promulgationem non valuerunt; quæ diſtinctio illud planè confirmat, promulgationem ſcilicet eſſe neceſſariam in legibus præſertim Canonicis, ſed & Ciuilibus, ſine qua ipſæ non obligant ſubditos, naturali Iure id dictante rationibus mox ſupra tactis. At ſicut certa eſt neceſſitas promulgationis faciendæ, non adeò certum de loco vbi fieri debeat, & & præſertim, an ſufficiat fieri promulgationem in Vrbe Roma, vt inde fideles omnes obliget? an verò in quacumque prouincia, & qualibet particulari Diœceſi fieri debeat? Diuiduntur ſcribentes; volunt aliqui non ſat eſſe promulgari legem in Vrbe Roma, ſed faciendam inſinuationem in qualibet Prouincia, & Diœceſi; Aperta enim eſt prædicta Iuſtiniani Conſtitutio ita diſponens, quam nec dedignabitur imitari ius Pontificium in legibus ſuis *C. 1. De noui op. nunciat.*, & eò iuſtiùs, quo Eccleſiaſtica Reſpublica eſt per Chriſtianum Orbem diffuſa, ad cuius ſingulares Prouincias, & Diœceſes non ante peruenire debet obligatio, quàm peruenerit notitia, cum nihil in hac parte Sacris legibus reperiatur ſingulariter cautum. Negant alij requiri in Prouincia qualibet promulgationem, ſed ſufficere aſſerunt factam in Vrbe Roma innixi auctoritate *Tex. in C. 1. De poſtul. Præl. & C. Nouerit. De Sent. Excom.* quæ tamen iura de promulgatione legis nihil, at de publicatione ſententiæ vtiq; Vnde cum nulla ſit Canonica Conſtitutio determinans, nulla, quæ Iuſtiniani Conſtitutionem approbet, aut confirmet, & cum legislatio, præcipuè in Pontificijs, ſit longè ſublimior, quàm, vt legibus Ciuilibus debeat priuata ſcribentium auctoritate ſubdi, iam videtur rationabilius aſſerere ſufficere promulgationem Pontificiæ legis in Vrbe Roma factam, cum mores, & obſeruatio, vel praxis contrarium non oſtendant; Nam Romæ definiuntur lites iuxta leges ibi promulgatas, & non in Prouincijs; Regulæ Cancellariæ Apoſtolicæ in vna Vrbe Roma promulgantur, & tamen obligant totum Chriſtianum orbem, vt *not. Gomeſ.* Pontifices ipſi, cum intendunt alicuius Conſtitutionis promulgationem fieri etiam in Prouincijs id exprimunt; argumdntum, quod aliàs ſufficiat facta in Vrbe; Pius IV. confirmato Tridentino Concilio decreuit, vt poſt tres menſes obligare incipiat. Inane, ac ſuperuacaneum Decretum, ſi ſeruanda fuiſſet Iuſtiniani Conſtitutio de duobus menſibus; fixa eſt Apoſtolica Sedes Romæ, nec errabunda, indeque facilis influxus capitis in reliqua membra, à quo manare debent leges, & pendere immediatè, & non ab inferioribus Prælatis, idq; ſumma Eccleſiæ vnitas, & exactior obedientia efficaciùs ſuadet. Non igitur ſer-

*In proœmio Reg. Concel.*

uetur

uatur in ſacris legibus Iuſtiniani ſupraſcripta Nouella Conſtitutio, tùm quoad promulgationis modum, tùm quoad bimeſtre tempus ad obligationem inducendam; nullibi enim id cautum, natura rei id non exigit, ſed lex Pontificia ſtatim à ſui promulgatione obligare incipit, & ſucceſſiuè obligationem ſuam diffundit, prout & natura dictat, & veroſimiliter ratio ſuadet.

7 Sicut autem legis promulgatio, & ſola voce, & ſcriptura per affixionem fieri æquè poteſt, ita lex ipſa æquè, & ſcriptura, & ſine ſcriptura poteſt conſtitui, & æquè vera, & propria lex erit, neq; enim ſcriptura ad legis eſſentiam fuit vnquam, aut eſt neceſſaria; voluntas, & intentio Principis, ac legislatoris illa eſt, quæ legem in eſſe legis conſtituit, ipſamq; animat, ac totam efficaciam, & operatiuam virtutem tribuit; qua poſita ſtat lex, ſublata corruit. Hinc illud; *quod Principi placet legis habet vigorem* §. *ſed & quod Principi. Inſt. de iure nat. gent. & Ciu.* Hinc Cæſ. *in l. Non dubium. C. de legib. Non dubium eſt, in legem committere eum, qui verba legis amplexus contra legis nititur voluntatem*. Tanti eſt Principis, & legislatoris voluntas! at non quælibet, ſed eum intentione legis ferendæ, alias enim non quælibet Principis voluntas cenſenda lex eſt, at voluntas, quæ legem intendit, legem etiam intrinſecè conſtituit tanquam vera eius anima; cui voluntati legis condendæ connexa eſt tanquam conſequens & voluntas obligandi, & ex vtraque hac vera lex conſtituitur, at ex altera tantùm non item; Si enim Princeps voluntatem habeat legis ferendæ, & non obligandi iam lex non erit, ſed potiùs conſilium, vnde ſublata intentione obligandi euaneſcit, & voluntas ferendi legem, ſed ab vtraq; tamquam ab anima, & intrinſeca forma lex conſtituitur.

8 Neq; enim facilè adeò audiendus eſt *Iaſ. ad l. quod dictum ff. de pac.* aſſerens rationem legis eſſe animam legis, id ſiquidem ab eo dictum latiori ſenſu, nec adeò proprio, vt in ratione ipſa reſpectu legis veram animæ analogiam, ipſamq; propriam aſſignare poſſimus, non eſt enim ratio legis adeò intrinſeca ipſimet legi, ſed potiùs tanquam obiectum inſpicitur à legiſlatore, quod ipſum ad legem ferendam moueat, vnde eſt ratio quid antecedens legem, nec quid intrinſecum tanquam forma; Sit enim ratio legis, & nolit Princeps ſecundùm eandem operari, iam non erit lex; Velit è contra Princeps rationem inſpiciens legem condere ſtatim lex erit; Indeque apparet, nil magis intrinſecum legi, quam voluntas ipſius legiſlatoris, quæ ideò forma conſtitutiua dici meritò poteſt; Ratio verò eſt quidem neceſſaria ad legem, vt ſit rationabilis & iuſta, ſiue enim oſtendat honeſtatem materiæ, ſiue indicet congruentiam actus, qui per legem præcipitur, aut prohibetur, certè ratio circumſtat obiectum, & eſt obiectiua, & non formalis, & intrinſeca, ſiue ſit lumen, & diſcurſus intellectus dictans conuenientiam, aut diſconuenientiam in materia, & tunc cum dirigat voluntatem legiſlatoris, eſt potius regula, ſeu menſura extrinſeca legis quòad iuſtitiam, & honeſtatem eius, quàm vera, & intrinſeca forma, quæ anima dici valeat, niſi animam eatenus dicamus, quatenus,

&

& ipſa ad legem condendam concurrit, & ipſi conditæ intimatur ita, vt quaſi intrinſecùs permeet, idque reſpiciens Iaſon, nec adeò ſubtiliter rem examinans, dixit rationem eſſe animam legis, cum re vera principalis proprietas animæ ipſi non poſſit adaptari. Qua ſic aſſignata forma legis intrinſeca, & conſtitutiua conſequenter excluditur, quod ſcriptura ſit de eſſentia legis, cum enim ſit ipſa lege poſterior, & ipſam legem iam conſtitutam ſupponat, quæ ſcribatur, iam non poteſt eius eſſentiam ingredi, & ad ipſam conſtituendam tanquam pars eſſentialis concurrere.

Neque ſuadere oppoſitum illud poteſt, quod *Vlpianus Iureconſultus in l. Ius Ciuile 6. ff. de Iuſt. & Iure* Ius Ciuile diuiſerit in ſcriptum, & non ſcriptum tanquam duas oppoſitas ſpecies, quaſi ſcriptum Ius tanquam eſſentiali, & conſtitutiua differentia in eſſe ponatur ſcriptura ipſa; non ea eſt Vlpiani intentio, ſed ita diuidens veram legis, & conſuetudinis differentiam aſſignare intendit, & vt ſcilicet lex conſenſu populi expreſſo inducatur, conſuetudo verò tacito, *l. de quibus ff. de legib.* perinde ac ſi dicat Vlpianus diuiſione ſua, Ius aut *Scripto conſtat*, hoc eſt ſcriptum ab initio fuit, quia expreſſo legiſlatoris placito inſtitutum, aut *non ſcripto* in principio, quia tacitò populi conſenſu introductum; Fauet huic Vlpiani menti expoſitio illa, quæ ſcriptum Ius interpretatur non literis exaratum, ſed expreſſa ſanctione præſcriptum, nam & leges veræ leges ſunt, licèt non ſcriptæ, quales olim Lacedemoniorum leges §. *& non ineleganter Inſt. tit. de iure nat. gent. & Ciu.* & quantumuis conſuetudinem ad ſcriptum redigas nunquam tamen legem facies, vt rectiſſimè tradit *Vulteius*; Nondum inuentæ literæ, nondum excogitata ſcribendi ratio, & tamen aderat Ius ſcriptum, quod cum ipſis Ciuitatibus cæpit; *Ius ſcriptum*. Hoc eſt conſtitutum, & præſcriptum §. *Singulorum Inſt. tit. de rer. Diuiſ.* Ibi: *cum Ciuitates condi, & leges ſcribi cæperunt*. Literarum autem inuentio, & vſus Ciuitatum origine eſt recentior, ſicque ius ante ſcriptum, hoc eſt præſcriptum, quàm inuentæ literæ; Ius prudentum auctoritate definitum ſine ſcripto conſiſtere dicitur in *l. 2. §. 12. ff. de orig. Iur.* non ideò certè, quia literis non eſſet mandatum, ſed quia non expreſsè ſancitum, & promulgatum vt eruditè diſſerit *Iacob. Reuard.* Neque magis probant *l. Humanum C. de legib. & Nouell. Conſtit. Vt factæ nouæ Conſtitutiones*; Exigi ſi quidem probabunt ſcripturam non ad eſſentiam, ſed ad exiſtentiam legis, & quidem lex vera lex eſt ante ſcripturam, at nondum exiſtit, ſed eſt ſicut flos, aut fructus in hieme; Vel neceſſariam quidem eſſe ſcripturam ad legem, non vt ipſa ſit, ſed vt poſſit probari, & demùm conficere quidem eſſentiam legitimę probationis, & non ipſius legis, vnde donec lex ſcribatur contumax non eſt, ſed excuſatur, qui non implet aut non paret; *Cur enim culpabimus eos* (inquit Iuſtinianus) *qui poſitas noſtras ignorauerint conſtitutiones*? Eſt igitur lex licèt nondum cognita, ſed tamen eſt, etiam ſi nondum adſit ſcriptura & leges ideò dicuntur ſcriptæ, quia ſcribi conſueuerunt, nulla enim lex in toto Iuſtinianeo Iure, quæ non ſit ſcripta.

*Ad §. conſtat Inſt. de iure nat. gent. & Ciu. num. 3.*

*De act. prud. c. 14.*

*Alber. Gentil. lib. 3. lect. cap. 2.*

CAP.

## CAP. III.

### Quæ Conſtitutionis, aut Legis Virtus, quoſue teneat.

1 *Principalis; & proprius legis effectus obligare.*

2 *Nonnulla in contrarium opponuntur & ſucceſſiuè ſoluuntur, & examinantur effectus, L. Legis Virtus ff. de Legib.*

3 *De permiſſione, quatenus eſt effectus legis latè, & quatenus obligationem ſupponat.*

4 *Punire quatenus obligationem ſupponat.*

5 *An, vt lex obliget, neceſſarius ſit populi, & ſubditorum conſenſus? examinatur, & ſoluitur. De intellectu tex. in L. de quibus ff. de Legib.*

6 *An Princeps, & Legiſlator ſupremus obligetur ſua lege. Latè ad L. Princeps ff. de Legib.*

7 *Examinatur ratio, cur Princeps obligetur lege ſua tanquam regula.*

PROMOVEMVR ab hucuſque traditis de legis eſſentia ad effectum proprium, planèq; naturalem eiuſdem; cum enim lex à iuriſdictione, & publica poteſtate procedat, ipſamque ſupponat, cum dicat in ſui ratione præceptum, ac imperium in eos, ad quos ipſa dirigitur, iam eius effectus alius eſſe non poteſt, niſi obligare ſubditos, huncque effectum dicere poſſumus vniuocum tanquam à natura legis manantem. Non excludimus tamen, quin lex etiam intendat, ſiue Canonica, ſiue Ciuilis, facere ſubditos bonos, vt eam fælicitatem conſequantur, quam lex vtraque reſpectiuè intendit, at hunc ſcopum, & finem potiùs agnoſcimus, quàm effectum immediatum ipſius legis, quæ huc tendit, & huc adſpirat per congrua media, inter quæ potiſſimùm obligare ſibi ſubiectos, vt ex obligatione ad finem intentum diſponantur. Id iuriſdictio, à qua lex procedit, id præceptum, quod continet, & ſub cuius genere eſt, euincit, id demùm differentia, qua præceptum ipſum, & lex à conſilio differt. Lex enim, ſiue præceptum neceſſitatem ſecum affert, Conſilium verò liberam voluntatem excitat. D.Hieronym. eleganter. *Vbi conſilium datur offerentis arbitrium eſt, vbi præceptum neceſſitas eſt ſeruitutis*; Ideò *Ariſtot.* legem, docuit, *habere neceſſitatem vim inferentem*, quæ neceſſitas obligando operatur. Qui legem definiunt *Imperium procedens à voluntate efficaci obligandi eius, qui poteſtatem habet*, mirificè intentum confirmant, nam voluntas efficax ſuppoſita poteſtate producit effectum, vnde non poteſt dari lex, quæ non obliget vi ſua connaturali, & propria, ſicque *Obligare* effectum eſſe meritò dicimus adequatum ipſius legis.

*Lib. 2. adu. Iouin.*

*3. Ethic. c. 9.*

2 Plura nihilominùs videntur aduerſus hunc effectum ipſius legis pugnare, & euincere non eſſe ipſum adeò certum; primò enim *Modeſtin. Iureconſultus in l. legis virtus 7. ff. de legib. legis virtus eſt hæc imperare, vetare,*

*vetare*, *permittere*, *punire*; aut deficit Modeſtinus effectus legis recenſens, aut obligare non eſt effectus legis. Secundò, Priuilegium eſt lex, dicuntur enim, & ſunt priuilegia leges priuatorum, & quaſi priuatæ leges (inquit *Iſidor.*) *in C. priuilegia* 3. *Diſt.* & tamen non obligat, cum vnuſquiſque fauori ſuo poſſit renunciare. *C. cum ad Monaſterium de Regular.* non igitur proprius, & adæquatus effectus legis obligare. Demùm datur lex Conſilij, quam pariter legem priuatam appellat Summus Pontifex in *C. commiſſum. de ſponſal.* & tamen Conſilium non obligat ex iam dictis. Iterum contra aſſignatum legis effectum, obligare ſcilicet. Verùm obiecta hæc ſupponunt velle nos, *obligare*, non ſolùm eſſe proprium effectum legis, ſed & vnicum, quod tamen non aſſerimus, at dicimus obligare eſſe primarium, & principalem effectum legis, quem alij etiam effectus conſequuntur, & ſupponunt, ijque potiſſimùm, quos recenſet *Modeſtin. in d. l. legis virtus. ff. de legib.* & quorum origo, & partitio inducitur non tam ex virtute ipſius legis, quam ex ſubiecta materia humanorum actuum, circa quos lex ipſa verſatur; Actus ſiquidem humani, aut ſunt boni, aut mali, aut indifferentes. bonos lex præcipit, malos prohibet, indifferentes permittit, quibus ſi addideris punitionem ad efficaciam legis promouendam, iam quartum induces effectum, qui eſt punire, eoſque ſingulos, ſi attentè examines, comperies inuoluere, atque ſupponere effectum legis primarium, & immediatum, qui eſt obligare. Præcipere enim, & prohibere obligationem inducunt, & vim obligandi ſupponunt in lege; quæ æque obligat ad agendum per præceptum, & ad non agendum per prohibitionem, vnde emanat vulgata illa, & materialis legis diuiſio in affirmatiuam, & negatiuam, cuius vtriuſque diuerſus eſt obligandi modus, nam illa obligat pro ſemper, ſed non ad ſemper, vt loquuntur Theologi, hæc verò ad ſemper, & pro ſemper, & huius vtriuſque effectus non aliud fundamentum, quàm vis obligandi in lege. Tertius autem effectus enumeratus à Modeſtino *in dict. l. legis virtus*; ab obligatione non ſeiungitur, quamuis intimiùs ſub eo lateat, eumque breuitèr detegemus.

3 Is eſt permittere, qui obligationem ipſam in lege non excludit; Permiſſio igitur, quatenus Iuris eſt, (ad differentiam eius permiſſionis, quæ eſt facti,) & quæ dicit poſitiuum, & actuale aliquod præceptum, quo per legem poſitiuam permiſſio ipſa inducitur, eſt effectus ipſius legis, quæ quidem permiſſio quamuis ſimpliciter ſumpta accipiatur præcipuè de actibus malis, maximè cum Deo tribuitur, qui dicitur permittere peccata, attamen ſumitur nonunquam & pro actibus bonis, & in bonam partem; Sic enim *D. Paul. Hoc autem dico ſecundum Indulgentiam, non ſecundum Imperium*. (1. ad Corint. cap. 7.) Permittendo ſcilicet non præcipiendo, & loquitur de actu Matrimonij, qui non eſt malus; Sic & in *Can. qui partem* 55. *Diſt.* reſcribens Innocentius Summus Pontifex de ijs, qui caſu, & non ſponte ſunt mutilati, ait. *Hos Canones præcipiunt Clericos fieri*. Gloſs. *præcipiunt* interpretatur, *permittunt*, & tamen de re bona agitur. Magis intelligitur permiſsio de acti-



Digitized by Google

actibus indifferentibus, ſed maximè de actibus malis, ſicut dicuntur leges permittere meretrices, læſionem intra dimidium iuſti prętij *l. 2. C. de reſcind. vend.* & in hiſce caſibus lex aliquid poſitiuum circa negationem operatur. Si enim ſit permiſsio de actu bono, non ſolùm non prohibet illum, ſed etiam dat poſitiuam facultatem ad eum exercendum, vt in permiſsione mutilati ad Sacrum Ordinem ſuſcipiendum. Si verò permittat malum, in quo vel diſpenſare non poteſt, vel non diſpenſat, quamuis ius, & facultatem poſitiuam non tribuat ad eundem actum, tribuit tamen impunitatem apud homines, quæ eſt morale Ius non parui momenti, & demùm ſi permiſsio ſit diſpenſatiua, & non præceptiua, largitur impunitatem non ſolùm apud homines, ſed etiam apud Deum, cum concedat immunitatem à culpa.

Iam nunc apparebit legem permittentem ſemper inuoluere præceptum obligans aliquem, & aliquo modo; quamuis enim non obliget illos, cui permittit, & ad quos dirigitur per modum Imperij, vt in *dict. C. qui partem* 55. *Diſt.* non enim præcepit mutilato, vt Sacros Ordines ſuſcipiat, ſed indulget ſolummodò, & Ius largitur, obligat tamen Prælatum, ne propter huiuſmodi defectum à Sacra ordinatione eum repellat.

Si verò permiſſio ſit de actu aliquo malo, lex eum permittens præcipit, & obligat, præcipit enim Iudici, & ipſum obligat, ne committentem malum huiuſmodi permiſſum puniat; tandem lex dum permittit, imperat, quia (vt inquit *Anton. Faber.*) *permittit. imperando ideſt eam permiſſionem dando verbis imperatiuis l. 1. ff. ad l. falcid.*

*In rationalib. ad l. 7. ff. de legib.*

4 Inde itaque apparet, quod effectus legis, qui eſt permittere, non eſt ſine obligatione, quod fortaſſe minùs videbatur. Quartus effectus ex ijs, quos recenſet *Modeſtin.* eſt punire, & hic effectus ab obligatione non ſeparatur, & ſine obligatione non eſt, ſiue reſpicias reatum delinquentis ad pęnam, ſiue actualem ipſius pænæ inflictionem. Fac enim, quod lex ponat neceſſitatem aliquam virtutis, & honeſtatis, ſtatim facit tranſgreſſorem reum, & obligat ipſum ad pęnam ſaltem quò ad Deum, & hæc obligatio ad pænam dicitur reatus, vnde quamuis lex ipſa pænam non præfigat, attamen à traſgreſſione naſcitur intrinſecè reatus ad pænam quò ad Deum, ſicque lex præcipiens actum virtutis, & honeſtatis obligat ad pænam, & pæna ipſa eſt effectus legis, vnde & obligatio ad pænam inducitur ab eadem lege. Vbi verò lex pęnam ſtatuit, & inducit, ſiue ſit lex canonica, ſiue Ciuilis, tunc pæna eſt effectus legis, & obligatio ad pænam inducitur ab ipſa lege, præcipuè ſi lex Canonica infligat. irregularitates, vel cenſuras, nec minus ſi Iudicem excitet, vt pęnam inferat, tunc enim mediatè quidem, & remotè, ac certè à lege pæna ipſa eſt.

Sunt ergo quattuor legis effectus; Duo primarij connaturales, & proprij, vt præcipere, & prohibere, Duo ſecundarij, acceſſorij & adiuncti ad iuuandam, & promouendam legis efficaciam concedendo impunitatem, aut puniendo, hique ſunt permittere, & punire, ſub quibus latet, tanquam fundamentum, generalior alius effectus, iſque eſt obligare; ſicque ceſſat obiectio prima à Mode-

Modeſtini auctoritate in *l. legis virtus ff. de legib.*

Haud minùs corruet, & ſecunda à priuilegio, quod veriſſima eſt lex, licet priuata, & tamen non obligat cum priuilegiatus poſſit liberè ei renunciare; *l. ſi quis in conſcribendo. C. de pact.* Corruet facilè, ſi priuilegium diſtinguas. Aliud enim eſt priuilegium, quod conceditur intuitu communis boni, cui priuata perſona renunciare non poteſt *l. ius publicum ff. de pact.* quale priuilegium fori reſpectu ordinis Clericalis *C. ſi diligenti de foro comp.* & hoc eſt veriſſima lex non ſolum reſpectu aliorum, quibus iniungitur, vt hoc priuilegium in Clericis obſeruent, ſed & reſpectu Clerici, cui præcipitur, vt eo vtatur, vnde toti Clericali ordini imperatur. Aliud verò eſt priuilegium, quod reſpicit ſingulare, & priuatum alicuius perſonæ commodum, quæ tanquam fauori ſuo ipſi etiam renunciare poteſt, & hoc priuilegium ſi conſideretur in ordine ad perſonam, cuius fauorem reſpicit, & cui eſt indultum; nullam omninò inuoluit rationem legis, non enim eſt præceptum illi impoſitum, non eum obligat, ſed pro ſui libito poteſt ipſi renunciare, quo nil longiùs à lege; at ſi inſpiciatur reſpectu aliorum omnium præter priuilegiatum, veram, & propriam habet rationem legis, præcipit enim, & obligat omnes, vt hoc priuilegium ſingulare obſeruent, exequantur, & non temerent, vnde tanquam lex vera verum etiam obligationis vinculum inducit.

Quod afferebatur de lege conſilij, quæ lex eſt, & tamen non obligat aliquantò difficilius eſt; Accurſ. enim ad *l. legis virtus. conſulere,* voluit eſſe virtutem, & effectum legis, quod vno, & altero exemplo confirmat; ſed quamuis præcepti, & conſilij nimia ſit differentia, cum præceptum ſuperioris auctoritatem ſupponat, quam non exigit conſilium, quod ab æquali, aut priuato poteſt oriri, attamen legis nomine venit nonnunquam tota latitudo diſpoſitionis, & prouidentiæ ipſius legiſlatoris bonum ſubditorum intendentis, & tunc legis eſt non ſolùm iniungere præcepta, ſed & exhibere conſilia, quæ dici poſſunt pars, & effectus legis latè ſumptæ; Spectare fas eſt in lege Euangelica, & in humana poſitiua præſertim canonica; *vt in cap. commiſſum. de Sponſal. Tutiùs eſt*, ait Summus Pontifex, & in hunc ſenſum ſuſtineri poteſt Accurſij aſſertio, quod conſulere ſit effectus legis; Immò & in ipſa conſilij lege, non ſecus ac ſupra in priuilegio, fas eſt obligationem detegere licèt conſequentem, & indirectam; vbi enim lex conſulit aliquod opus, aut aliquem effectum, ſtatim reſultat alius effectus, vt ſcilicet opus, vel effectus, qui conſulitur à nemine poſſit impediri, nec tanquam quid malum excludi, tuncque lex conſilij veræ legis rationem, & vim obligandi habet, & in hunc ſenſum magis propriè conſilia Euangelica pertinent ad legem gratiæ, & ideò deteſtantes conſilia Euangelica tanquam peccantes in legem, vt hæretici damnantur. Non tamen ambigimus, quin ratione ſubiectæ materię lex, vtcumque conſultiua in verbis, re tamen, & ſententia ſit præceptiua, præcipuè ſi aliquid veluti conſulens ſtatuat, quod reſpiciat commune bonum, vt animarum ſalutem tanquam quid ad vtrumque, aut alterutrum neceſſa-

rium, tunc enim, quibuſcumque vtatur verbis, ſemper apparebit vltra conſilium aliquid, quod præceptum ſapiat; exemplum proſtat *in C. Ciuitate: de vſur. in C. ad aures De æt. qual. & ord. præfic. & in C. Matthæus. De Simon.* in quibus ſingulis verba quidem Conſilij legimus, at vim præcepti ſentimus. Sunt igitur quatuor effectus legis, non quidem ita, vt lex quælibet omnes illos pariat, ſed vt nulla ſit lex, à qua aliquis ex illis effectibus non oriatur, at omnium primus, & adæquatus eſt obligare, qui quidem eſt (vt ſupponimus) connaturalis ipſimet legi ita, vt eum exerat, ac producat vi ſua.

5 Iam ſtatim difficultas; nam ſcilicet ad hoc, vt lex, & conſtitutio obliget, ſufficiat efficacia ipſius propria, an vlteriùs requiratur conſenſus populi, & ſubditorum in legem ipſam, & ipſius populi acceptatio.

Non defuere, qui legem, eatenùs legem crediderint quatenus à populo acceptatam, ipſamque acceptationem eſſe aliam legis conditionem, ſic Iulianus Iure-conſultus in *l. de quibus ff. de legib.* qui vim conſuetudinis inde arguit, quod leges non valeant niſi à populo receptæ; *Cum ipſæ leges* (inquit *Iulian.*) *nulla alia ex cauſa nos teneant, quàm quod Iudicio populi receptæ ſunt. meritò ea, quæ ſine vllo ſcripto populus probauit, tenebunt omnes.* Nec abſimiliter *Gratian.* ad Auguſtinum *in Can. in iſtis 4. Diſt. In iſtis temporalibus legibus* (ait *D. Auguſtin.*) *quamquàm de his homines iudicent, cum eas inſtituunt, tamen, cum fuerint inſtitutæ, & firmatæ non licebit Iudici de ipſis iudicare, ſed ſecundùm ipſas.*

Mox ſtatim Gratian. *leges inſtituuntur, cum promulgantur; firmantur, cum moribus vtentium approbantur.* Rationem ſtatim ſubdit. *Sicut enim moribus vtentium in contrarium nonnullæ leges hodie abrogatæ ſunt, ita moribus vtentium ipſæ leges confirmantur.* Adnectitque demùm veluti praxim confirmantem; *Vnde illud Theleſphori Papę (qui decreuit, vt generaliter Clerici à Quinquageſima à carnibus, & delicijs ieiunent) quia moribus vtentium approbatum non eſt, aliter agentes tranſgreſſionis reos non arguit.* Tantum poteſt populi conſenſus in legem vel eiuſdem diſſenſus, qui aptiùs exhiberi non poteſt, quàm propoſitam legem acceptando, aut reſpuendo; idque eò rationabilius eſt, quò nec poteſtas, nec voluntas præſumitur in legiſlatore, ac Principe ferendi legem, niſi quatenùs acceptetur à populo, eoque non acceptante, quaſi conditio deficiat, lex euaneſcit. De poteſtate res certiſſima eſt, quia tota poteſtas politici præſertim, & ciuilis Magiſtratus à populo eſt, qui non aliter cenſetur poteſtatem ſuam voluiſſe transferre in Pincipem, quàm ſub ea conditione, vt non obligetur lege Principis, niſi & ipſe populus acceptando conſentiret, hic enim conſenſus legem acceptantis populi certiſſimum eſt argumentum legis in commune bonum latæ.

De voluntate haud minùs eſt rationabile; vnde credendum eſt, legiſlatorem, & Principem velle ſolummodò ciues lege à ſe lata obligare, ſi eandem & ipſi acceptent, tanquam regulam communem operationes dirigentem, hanc enim communis regulæ rationem adipiſci lex meliùs non poteſt, quàm ſi populus in eam, acceptando, tanquam vſu-

vſurus, conſentiat, ſic enim fiet, vt & Princeps intendere videatur obligare potiùs volentes, quàm inuitos.

Latet ſub hoc acceptationis termino æquiuocatio, quæ diſtinctione facilè tollitur, & veritas illuceſcit; Si enim acceptationem populi ad legis efficaciam ita neceſſariam intelligamus, vt poſſit populus ipſe legem à ſupremo ſibi propoſitam reſpuere, ac non acceptando reijcere, hoc nimis eſſet populo tribuere, maieſtatem imperantis minuere, ac ipſius legis vim, & efficaciam retundere, ac eneruare; non ſine re autem diximus non poſſe populum legem ſibi à *Supremo* propoſitam reſpuere; Nam ſi ea eſſet politia, & Reipublicæ conſtitutio, vt ſiue lex, ſiue Princeps Populum regiminis conſortem haberet, tunc poſſet vtique populus iure ſuo, & ſuo diſſenſu propoſitam legem repudiare; at verò, vbi legiſlator ſit ſupremus, tota ferendæ legis poteſtas pænes ipſum eſt, nec vlla pars alia populo fuit relicta, quàm parendi obſequium; Populus enim, vbi regimen ſit Monarchicum, vniuerſam poteſtatem ſuam in Principem tranſtulit; in optimates, ſi Ariſtocraticum, & lege ab alterutro lata vis obligans ipſi legi connaturalis ſtatim ſe ipſam exerit, ac populum obſtringit, nec in eius poteſtate eſt nolle obligari; quod quidem, vt verum in ſæculari politia, ità longe veriſſimum in Eccleſiaſtica, & lege inde manante; in hac enim non eſt cur ſibi blandiatur populus de collata à ſe in Principem poteſtate, quæ tota, & immediatè à Chriſto Domino, & Deo eſt, qui Petro eam tradidit, & Apoſtolis, & ab illis in totam dimanauit Eccleſiam, & ideò ſi Pontifex, aut competens quilibet alius Eccleſiaſticus Superior legem condat, ligat illa ſtatim, ac ſit ſufficienter promulgata, ſubditos, nec vllus eorum expectatur conſenſus, vllaue acceptatio, cum penès ipſos nulla ſit omninò poteſtas.

At verò, ſi acceptationem populi ita ſumamus, vt quam non poteſt non acceptando reſpuere, poſſit tamen contrarijs actibus antiquare, & eam non obſeruando abolere ita, vt quod expreſſo diſſenſu ei non liceret, liceat tacito, & quod non poſſet per apertam irruptionem poſſit per latentem quandam veluti alluuionem, in hoc ſenſu rectiſſimè dicetur, non acceptatam legem non obligare, ſed immò populi acceptationem eſſe neceſſariam; tunc etenim reſpuet legem populus non tanquam recuſans auctoritate ſibi propria, ſed Principis, & Legiſlatoris Supremi conſenſu, qui intuens populum legem latam non exequentem, ſed tranſgredientem, nec impediens conſentire cenſetur, & legem ipſam ſponte expungere; Vnde peccant quidem, qui primi propoſitam legem temerant, peccant, qui proximè ſequentes primos tranſgreſſores imitantur, quòvſque contrarius vſus in mores tranſeat plurimorum, qui demùm impunè, & licitè tranſgrediuntur, quòvſque inolita contraria conſuetudo legem ipſam vincat, ac perimat, quæ quidem conſuetudo non tam id præſtat vi ſua, quàm tacito Principis videntis, & non contradicentis, nec impedientis conſenſu, & auctoritate, qui conniuendo in abrogationem legis tacitè conſentit.

Nec aliud ſanè voluit Iulianus Iureconſultus ***in l. de quibus ff. de legibus*** dum dixit, leges ***catenùs nos***

***tene-***

*tenere*, *quatenùs iudicio populi ſint receptæ*. Non enim de diſcretiuo, aut approbatiuo populi iudicio intendit *Iulianus*, quaſi dijudicet populus, an lex propoſita ſit admittenda, an reſpuenda, & poſt iudicium approbet, aut improbet auctoritate ſua, ſed facto, & actu exequens, nec actus contrarios exerens ita, vt conſuetudinem contrariam, & derogantem non inducat, quem ſenſum perappoſitis terminis expreſſit *Cardin. à Turrecremata*, dum ait; *legem moribus*, & *iudicio populi accipere firmitatem ſtabilitatis*, *non au ctoritatis*, perinde ac ſi dicat *facti*, & *non Iuris*. Non diffitemur tamen (quod & prælisque placuit) *Iulianum in d. l. de quibus*, dum dixit, *leges iudicio populi firmari*, reſpexiſſe ad populum Romanum maieſtatis iure pollentem antequam per legem Regiam poteſtatem ſuam in Principem transferret, pænes quem tota legis condendæ poteſtas tunc reſidebat, vnde propoſitam ſibi legem à Magiſtratu interrogante poterat reſpuere, à qua ad conſuetudinem arguens Iulianus infert, poſſe populum conſuetudinem inducere vim legis habentem; non diffitemur, nec improbamus hunc intellectum (cum & optimam interpretandi rationem per hiſtoriam agnoſcamus) ſed eo admiſſo, primum tanquam ad rem adæquatiorem, præferimus.

*Ad C. in iſtis §. leges 4. diſt.*

Firmat igitur conſuetudo leges (quod ſupra ingerebatur) quando populus, qui potuit illas, non quidem contradicendo, aut repugnando apertè, ſed tacitè recedendo paulatim, ac ſenſim abrogare, maluit in perpetuum recipere, exequi, & obſeruare; & ſic exponimus *Tex. in cap. in iſtis 4. Diſt.* Teleſphori Summi Pontificis legem moribus vtentium approbatam non fuiſſe; non quod Clerici repudiarint (quod nec facere poterant) legem Summi Pontificis, ſed legitima conſuetudine inducta eam antiquarint, vnde licita facta fuerit in poſterum tranſgreſsio ex tacito ipſius Summi Pontificis conniuentis conſenſu, idque voluit, ac ſtatuit, & *Greg. IX. Sum. Pontif. in cap fin. de conſuet.* tantum virtutis conſuetudini tribuens, vt legem iam inductam poſsit abrogare, multò magis poterit anteuertere impediendo, quò minùs obliget antequam obligare cæperit, eaque conſuetudinis vis, & auctoritas reſoluitur (vt dicebamus) in Principis ipſius conniuentiam, qua ex præſumpta magna aliqua cauſa creditur clementer ſe inclinare, ac in non obſeruata à populo lege ciuium commune bonum agnoſcere; vnde iuſtam cauſam reſiſtendi obſeruationi nouæ legis ſubeſſe debere ſtatuitur in *d. cap. fin.* ſiue totus populus eam non obſeruet, ſiue maior pars, non enim attenderetur ſi minor pars tantùm ipſius populi legem nouam non obſeruaret, cum maior pars, & non minor ſit ſpectanda *l. quod maior ff. ad Municipal.* Neque ad hanc abrogatiuam conſuetudinem inducendam ſcientiam formalem ipſius Principis exigimus, iuxta omnium fermè ſcribentium mentem, cum ſit ipſa moraliter quaſi impoſsibilis, & præter ipſius conſuetudinis naturam, vt oſtendemus loco ſuo, quidquid voluerit *Gloſſ. ad C. Vir. de ſecund. Nup.* in caſu illius tex, in quo ſingulare quidpiam conſideratur circa ſacramentalem benedictionem ad alia quantumuis ſimilia non extendendum.

Sicut

Sicut autem conueniunt ſcribentes circa ſcientiam Principis, ita variant crica tempus, aut temporis ſpatium, quo hæc conſuetudo induci debeat, vt non obſeruando legem per actus contrarios ipſam extinguat naſcentem. Valde enim intereſſe obſeruant, an lex recens lata non ſeruetur ſciente Legiſlatore, & Principe, an eo ignorante; ſi eo ſciente, nullum certum tempus volunt requiri, cum nullum reperiatur à iure conſtitutum; ſat igitur erunt actus contrarij maioris partis communitatis, cui lex fuit præſcripta, qui rationabilem coniecturam inducere valeant tolerantiæ legiſlatoris, eiuſque conſenſus, idque totum iudicis, ac prudentis viri arbitrio relinquetur.

Si verò eo ignorante; exigunt nonnulli quadraginta annorum ſpatium, vt derogatum legi cenſeatur, *Ad C. 1. c etregua & parte.* Auctores retulit *Felin.* Alij nullum requirunt tempus ſolis ſubditorum contrarijs actibus contenti præſcindendo à ſcientia, & ignorantia Principis, de qua non ſunt ſoliciti; quot autem, quiue actus ſufficiant in Iudicis arbitrium remittunt. Ita *Felin.* *Vbi ſup. num.13.* *& Henric. Bott.* ratio ipſorum *De Synodo Art.2. num.63.* eſt, quia ſubditi non peccant non recipiendo legem à principio, quaſi iure ſuo vtantur, & libertate naturaliter competente in recipienda, aut non recipienda lege. Alij demùm decem annorum ſpatium à promulgata lege præfigunt, quo elapſo ſine legis obſeruatione, quæſita ſubditis libertas intelligatur, tum quia ſufficit tantum temporis, vt longa conſuetudo dici valeat, *Gloſſa ad C. fin.de conſuet.in 6.* tum etiam quia, ſi longè maius ſpacium requiritur, vt tollatur lex, quæ obſeruatione ſit iam firmata, hoc decennium ſufficiet, vt lex nondum ſeruata perimatur.

Rationabiliter quidem; ſed ſine iuris auctoritate, ſine qua Iureconſulti non eſt tempus præfigere, ſed vnius aut Principis, aut legis; ideòque ſatis eſſe videtur, ſi legi nouæ ſit repugnatum per conſuetudinem ſufficientem, atque continuam ad hoc vt nulla naſcatur ex ea obligatio, nec teneantur ſubditi eam obſeruare. non poſthabita tamen ſupra relata diſtinctione de ſcientia, & ignorantia legiſlatoris, & Principis; vbi enim ſciat non ſeruari legem à ſe latam, nec repugnauit, conſenſiſſe cenſetur, & abſoluti ſunt ſubditi ſtatim à legis obſeruatione; at vbi ignorauit; rationabile aliquod tempus debuit præteriſſe pro prudentis viri arbitrio, ex quo probabiliter argui, & colligi poſſit expuncta erumpens vis legis, eique naſcenti derogatum.

6 Obligat igitur lex vi ſua Connaturali, & propria, & obligat ſubditos legiſlatori, indeque adhuc dubium; an obliget legiſlatorem, & Principem, qui ſubditus dici non poteſt? Contrita, ſed elegans inquiſitio breuitèr expedienda, & ne à nimia capitis prolixitate moleſtiam ſentiat lector, elegantem materiam, & inquiſitionem per excurſum tractabimus.

De

## De obligatione Principis, aut Legiſlatoris reſpectu à ſe latæ legis. Excurſus.

NVlli dubium, quin lata lege ab vniuerſitate aliqua ſinguli vniuerſitatem conſtituentes ipſa lata lege obligentur, *C. cum omnes. De conſtitut.* Collegium enim auctoritatem legiſlatiuam habens ſi ſit Eccleſiaſticum, eſt Prælatus ſingulorum vt inquit *Innocentius*, & communitas eſt ſuper quocumque ſuo ſingulari, ſiue Eccleſiaſtica, ſiue ſæcularis illa ſit; redigitur itaque difficultatis nodus ad communitatem ipſam, & ad Principem, ſeu quemlibet legiſlatorem ſupremum, nam ſcilicet lege ſua ipſe obligetur, præcipueque de ea lege ambigitur, quę ſub ſui ratione, & materia tam ſubditos, quam legiſlatorem Principem compræhendat, & rationem Iuſtitię, vel alterius cuiuſcumque virtutis tam Principi, quàm ſubditis communem contineat. Vt quæſtioni ſatisfaciant mirè ſe torquent Auctores, qui tramite verborum diuerſo in eadem ſenſa demùm conueniunt. Legem ſegregabimus primò, ſiue Diuina ea ſit, ſiue naturalis, ſiue rationis, cui ius gentium adſcribimus, quibus legibus teneri Principem quantumuis ſupremum extra omne dubium eſt, cum diuino enim iure collatus Princeps quantumuis ſupremùs, iam non ſummus, ſed ſubditus, qui obſequium, & obedientiam ipſi, & legibus ſuis debeat.

De lege igitur poſitiua, & Principis, ſeu legiſlatoris propria tota diſquiſitio eſt, an ſcilicet, & quatenus ipſe obligetur. Aſſertio communis eſt Principem ſupremum legibus ſolutum, lege ſua non obligari; viſum enim eſt rem altiùs repetentibus, implicantiam, & contradictionem eſſe, Principem ſupremum, ac Maieſtatem habentem legibus non eſſe ſolutum, ſed ſubiectum, infra leges, & non ſupra leges eſſe. Quid inexplicabile, & quid latens, nec de facili inſinuabile Maieſtatem eſſe dixit *Tholoſan.* vnde, & *Lother.* eam definiuit, quod ſit ſplendor Principi circumfuſus ad populi ſecuritatem, quæ aſſignatio ſuperficialem quandam bracteam potius inducere videtur, quam rem ipſam indicare, vnde ad rem appoſitè definitur Maieſtas, quod ſit *ſumma in ſubditos, legibuſque ſoluta poteſtas.*

*De Republ. lib. 8 c. 3. n. 2.*

*De re benefic. lib. 3. qu. 30. n. 1.*

Summa debet eſſe poteſtas, nullo ſcilicet temporis limite, nullaue ſuperiori auctoritate circumſcripta, qui enim ampliſſimam quantumuis poteſtatem habeat, at certò definitam tempore, aut precario conceſſam, & ad nutum deponendam, ac reſtituendam, hunc quidem ſummæ poteſtatis cuſtodem, ac veluti depoſitarium dixeris, at Supremum, Summumue Principem, aut Maieſtatem habentem neutiquam, cum Maieſtatem habere is proprie dicatur, qui poſt Deum immortalem in ditione ſua ſe ipſo maiorem intuetur neminem. Et inde fit conſequenter, Principem Summum, ipſamque maieſtatem ſupra leges omnino eſſe; Aliàs enim non eſſet perfecta tranſlatio poteſtati à populo in Principem, ſi Princeps ipſe conditione aliqua, aliquoue vinculo teneretur, ſic enim

non

non eſſet Summus; Si igitur Princeps, qui verè ſit Summus, nulla ſuperioris lege debet obligari, minùs debebit, aut poterit obligari ſua; ab alio enim imperari poteſt, at imperium propriè in ſe exercere poteſt nemo, cum nec ſibi ipſi quis ius dicat. *C.innotuit.de elect.l.ille à quo* §. *tempeſtiuum ff.ad Senatusconſultum Trebellian.* Vnde Iureconſultus *in l. à Titio* §. *fin. ff. de V.O. Nulla promiſſio* (ait) *poteſt conſiſtere, quæ ex voluntate promittentis ſtatum capit*, quæ quidem ratio, vtpote naturalis, ſi priuatum impedit obligari, non magis Principem obligari à ſe ſua lege poſſe ſuadet. Quod dictant hæc à Iure petita motiua firmat hiſtoria ipſa, nam lege Regia traſtulit Populus Romanus totam poteſtatem ſuam in Principem *l.1.ff.de Conſtit.Princ.* Sicut igitur Populus ſupra legem erat, & legibus ſolutus, nam figere, & refigere ipſas poterat, condere, & abrogare, ita & hæc ipſa prærogatiua tranſijt in Principem, vt legibus ſit ſolutus, cum ex lege Regia Princeps & in leges, & in Populum ipſum poteſtatem ſit adeptus.

Neque enim admittimus ſenſum illum, quem Auctores alioquì grauiſſimi probant, legem Regiam, aſſerentes, fuiſſe meram diſpenſationem, aut gratiam, qua indultum à Populo Principi, ne legibus teneretur; Sie enim *Coraſius* non ineleganter ex *Liuio, Capitolino, Suetonio,* *Adl.Princeps ff.de legib.* ſoluere legibus conſueta phraſi gratiam facere diſpenſando exponit.

Non carpimus phraſim, at longè cenſemus verius Lege Regia tranſlationem veram factam à populo in Principem ita, vt nihil populus ſibi retinuerit, nec Principem ipſum tantùm aduocarit in partem, ſed ſe Imperij Maieſtate nudarit, vt Principem ipſam veſtiret, ac ornaret, vt loquitur *Franciſc. Connar.* nec abſimiliter *Anton. Gouean.* qui verba *Com.iur.Ciu. lib.1.cap.16. num.2.* illa *ex l.1.ff.de Conſtit. Princ. ei, & in eum*, hanc vim habere ſemper exiſtimauit, vt Populus non ſolùm poteſtatem ſuam Principi tribuerit, vt pridem Dictatoribus facere conſueuerat, verùm & ea ſe ſpoliarit; Tranſtulit enim populus, quæ vox tunc propriè impletur, cum quod vni datur alteri adimitur §. 1. *inſtit. tit.de adim. leg.Rub. & in l.5.ff.eod. l. 1. C. de in lit. iur.* & ſi dicatur inabdicabilem magis cenſendam in Populo, & à Populo; tentabimus aſſignare diſcrimen; Nam Populus Maieſtatem habuit iure ſuo, Princeps beneſitio alieno, & Populi tranſlatione: vnde abdicare Populus potuit, ac in alium transferre, Princeps verò non item *l.More Maiorum ff. de iuriſd. omn. iud.* tentamus, & ſubſiſtimus.

Latam hanc legem Regiam non ambigimus, quidquid voluerit *Herman. Vuult.* apertè nimis eam ſup- *Ad §. ſed, & quod Principi inſt. de iure nat. gent. & Ciu. num. 6.* ponit *Vlp. in d.l.1.ff. de Conſt.Princ.* at à quo tempore, planè obſcurum, certè latam à Populo Romano iam ſeruire parato, & præſertim Auguſti tempore Anno 729. colligi videtur ſecundùm nonnullos ex *Dione Caſſio,* *lib. 53. Hiſt.* eiuſque fragmentum lege Regia lata de Veſpaſiani Imperio in æs inciſum in Lateranenſi Baſilica exhibet ſpectandum *Briſſon.* Hac igitur lege *De formul. lib.2.pag.154* Regia fuit ſolutus legibus Princeps, ſicut ante eam latam ſolutus erat Populus, at non legibus Dei, & naturæ, quando nec iiſdem eximebatur Populus, qui Deo inferior erat, & ipſi ſubiectus.

At verò quia Ius Ciuile, vt cumq; poſi-

poſitiuum, illud eſt, quod nec in totum à iure naturali recedit, nec in totum ipſi deſeruit *l. ius Ciuile ff. de iuſt. & iur.* hinc eſt, quod leges ipſæ ciuiles in totum à iure naturali non abſunt, immò & illud inuoluunt, & ideò quà ius naturale, rationemque naturalem continent, Princeps ſe iiſdem ſolutum nequit profiteri, latet igitur aliquid in lege poſitiua, & per Principem lata, quod ipſum Principem, etſi legibus ſolutum vinciat, & obliget. Legi parêre non tenetur quidem Princeps, at rationem legis venerari, ac ſuſpicere vtique tenetur, & quidquid æquum, ac honeſtum lex continet id Principem ligat, qui (vt dicamus verbo) iure obligatur, licet non lege, ius enim ſine iuſſu ad id, quod bonum, & æquum, lex ad imperantis maieſtatem pertinet; ſentit Princeps, & audire tenetur iuris dictamen, at legis iuſſum non item, quod totum Angelico planè lumine expreſſit *S. Thom.* dum Principem obligari vi directiua legis docuit, non coactiua. In lege ſegregat *Sanct. Thom.* rationem regulæ à ratione præcepit; regula dirigit, præceptum cogit, regula à ſuperiori, & altiori dictamine pendet, à quo non ſubtrahitur Princeps; præceptum à voluntate, & auctoritate legiſlatoris, & Principis, & ideò à regula obligatur Princeps, non à præcepto; regula à diuino lumine eſt, & legem tranſgrediens Princeps in Deum delinquit ſolùm, non alium: ideò Dauid peccatum ſuum agnoſcens ait,
*Pſal. 50.* *tibi ſoli peccaui* Deo ſcilicet, cuius
*Arnob. in Pſ. 50.* ſola lege ſe obligatum ſentiebat, &
*Ambroſ. de Apolog. Dauid. cap. 10.* à quo vno pœnam metuebat, quia Rex erat, & alium non timebat,
*Tom. 1. Ep. 46* inquit, Hieron.

7 Vt autem iuſtiſſimum eſt hoc vinculum, quod lex iniicit Principi, ita non adeò patens, & facilis eſt ratio, propter quam Princeps ipſe legi ſuæ tanquam regulæ dirigenti ſubdatur, extrinſecùs plerique reddidere rationes; *Patere legem, quam tu ipſe tuleris*, æquiſſimum illud, *quod quiſque iuris in alium ſtatuit &c. l. 1. ff. quod quiſque iuris*: *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, turpis eſt pars non conſona, ſed diſcors à toto. C. quæ contra mores. diſt. 8.* at de intrinſeca, & quæ ſit ab ipſa legis virtute ſumus ſoliciti, ac præſertim de modo, quo vinculum huiuſmodi Principem, ac legiſlatorem ſtringat.

Inter cæteras legis virtutes præcipua, & illa eſt, vt docet *Domin. à Soto*, vt ſcilicet materiam ſuam (*De iuſtit. & iure. lib. 1. q. 6. art. 6.*) conſtituat in aliqua certa, & præciſa ſpecie virtutis, vnde & Princeps legem præſcribens opus per ipſam iniunctum in certa ſpecie virtutis ſtatuit. Imperet Pontifex ieiunium, opus hoc erit virtutis abſtinentiæ; Præcipiat feſtum aliquód, hic actus ſeruandi feſtum in ſpecie virtutis religionis erit. Si itaque ſtatuta lege hoc virtutis opere obligatur tota Reſpublica, veluti corpus vnum, non excipietur huius corporis caput, quod eſt principale membrum, ſed eodem cum ipſo corpore ſuo obligatur, vnde peccabit quidem ſi non obſeruet communem hanc legem tanquam vi directiua legis obſtrictum, at ſi legi ſit adiecta pœna, hæc Principem non afficiet, nec poterit eidem infligi, tùm quia reus eius pœnæ non eſt, quæ pendet à vi coactiua legis, tum etiam quia pœna indiget executione, & applicatione, quam niſi quis ſuperior facere poteſt. Principe autem Summo nemo ſuperior. Rectè quidem, ſed ad rem non ſatis;

Nam

Nam eſto, quod lex vi ſua ſtatuat actum in ſpecie virtutis, hoc vtique erit reſpectu ſubditorum, non reſpectu legiſlatoris, & ſi adijcias adhuc ſegregandam eſſe à lege rationem regulæ, & rationem præcepti, & illa afficiat ſubditos, & Principem; adhuc nihilominus inquirendum, an per hanc regulam neceſſitas aliqua inferatur, qua regula ipſa omninò veniat ſeruanda, vel non; ſi regula ſit omninò ſeruanda coincidet cum præcepto, & aſſerere Principem hac regula teneri, nil aliud erit, niſi Principem ipſum ſubijcere pręcepto legis, quod cum dictis pugnat. Si verò regula nullam inferat neceſſitatem, ſed oſtendat ſolummodò, quod ſit honeſtum, & conſulat tantùm, optimè quidem faciet, ſi obſequatur, & audiat, at non imputabitur ad culpam, ni exequatur, quod non erit in vi directiua legis, cui ſi non pareat Princeps peccat.

Dici poſſet obligari Principem ſua lege ex vi pacti cum Republica initi tunc cum tranſtulit Principatum in ipſum, quæ tranſlatio facta fuerit ea lege, vt ſcilicet Princeps ipſe communi ſuæ Reipublicæ lege teneretur, & lata, & ferenda, quo caſu indirectè obligaretur à ſe ipſo, quia obligando alios compræhenderet & ſe ipſum, at directè obligaretur à Republica, & virtualiter, à qua Principatum, & poteſtatem recipit, ea tacita, & virtuali conditione. Probabiliter, ſed ſcrupulus adhuc; Nam de pacto illo, & Reipublicæ conuentione non conſtat, & ſine eo potuit Principatus, ac poteſtas transferri, ac Reſpublica adminiſtrari, ſicque nulla eſt naturalis neceſſitas, quæ huiuſmodi pactum inducat; certè per legem Regiam tranſtulit Populus poteſtatem vniuerſam in Principem, ſed & eadem ipſum expreſsè legibus ſoluit, quæ expreſſio quodlibet virtuale pactum excludit ipſum obligandi; Demùm Legiſlator Eccleſiaſticus obligatur vi directiua ſuæ legis, & tamen nullum poſſumus imaginari pactum, vel virtuale, quod inter ipſum, & Populum, vel Rempublicam interceſſerit, cùm non à populo, aut Republica, ſed à Summo Pontifice, & tandem Petrus à Chriſto receperit, à quo tota poteſtas in Eccleſiam tranſijt, neque hoc idem pactum inter Chriſtum, & Eccleſiam, vel Legiſlatorem fas eſt comminiſci; quia gratis id aſſereretur, cum nec reuelatio, nec aliquod in ſacris monumentis extet veſtigium. Itaque ſicut vis directiua legis dicit quid ſublimius, quàm ſphæra poſitiui iuris admittat, ita ab altiori principio repetenda eſt hæc efficacia legis, qua Principem, & conditorem ſuum obſtringat; Deus igitur eſt auctor cuiuſlibet legiſlatiuæ poteſtatis, *non enim eſt poteſtas niſi à Deo*, ſiuè *Ad Roman. cap. 13.* immediatè eam conferat vt Eccleſiaſticam, ſiue mediatè vt ciuilem, hanc poteſtatem Deus ipſe tribuit ſub ea conditione, vt lex quęlibet per eam poteſtatem lata obliget totam Rempublicam ex capite, & membris conſtantem, & ab hac vniuerſali obligatione Princeps, & caput ſe nequit ſubtrahere; Neque ad hanc diuinam intentionem dignoſcendam eſt opus pacto aliquo, aut ſpeciali aliqua reuelatione, ſed ipſa ratio recta, ac naturale lumen proprio dictamine eam venatur, ac retegit, legiſlatiua ſiquidem hæc poteſtas eſt à Deo auctore ſiuè gratiæ, ſiue naturæ in commune Reipublicę bonum, quod quidem exigit, vt quęcumque lex feratur,

ratur, ita vniuerſaliter feratur, vt cum toto quamlibet etiam partem obliget, præſertim ex ea parte, qua lex diuinum quid participat, non autem ab ea, qua quid merè humanum inuoluit, & coactionem, ſiue præceptum continet; hoc autem expoſcere ipſius Reipublicæ bonum ſuadent, & indicant iam ſupra tactæ rationes, ſcandali ſcilicet, conformitatis totius ad partes, quas diximus extrinſecas reſpectu virtutis innatæ ipſiuſmet legis; Nouit id ipſum hoc eodem lumine *Ariſtoteles* ſcribens *legem debere in Republica dominari*, & doctiſſimè exponit ibidem, *D. Thom. Dum non occurrit ſufficiens ratio excipiendi aliquid à lege etiam ipſe Princeps debet illi ſubijci, & ſecundùm illam, & operari, & iudicare, aliàs enim inutilis redditur lex, & Reſpublica perturbatur*. Hactenùs appoſitiſſimè *D. Thom.* Et inde qualis ſit obligatio, quam ex lege ſua contrahit Princeps, aut legiſlator facile eſt deſumere, diuina ſiquidem dici poteſt, naturalis, & poſitiua reſpectu diuerſo. Diuina eſt, cum legiſlatiua poteſtas in Deum reſoluatur, legem enim fert Princeps tanquam Dei Miniſter, *non eſt poteſtas niſi à Deo*, ait *D. Paul.* Naturalis, inſpecto fonte vnde oritur, qui eſt ratio naturalis dictans teneri Principem, ac debere legem à ſe latam ſeruare, poſitiua demùm, & humana proximè, ac immediatè, cum ab ipſa ſtatuta lege naſcatur.

*Lib. 1. Polit. in fin.*

*Ad R m. c. 13*

Hanc vim directiuam legis (quamuis non ſub ea denominatione) agnouere, & probauere Romani Principes dum ſe legibus ſolutos iactantes, legibus tamen ſe viuere ſunt profeſſi. *l. ex imperfecto C. de teſtam. Nihil tamen tam proprium Imperatori eſt, quàm legibus viuere*, *l. ex imperfecto ff. de leg. 3. Decet enim Maieſtati*: (ait ibi *Paul.*) *eas ſeruare leges, quibus ipſe ſolutus videtur*, quæ ſanè verba vim directiuam à coactiua diſtinguunt. *Digna vox Maieſtate regnantis legibus ſe alligatum Principem profiteri, l. digna vox C. de legib. legibus enim ſoluti legibus viuimus*, fuit frequenter enunciatum in reſcriptis Seueri, & Antonini, vt teſtatur *Iuſtinian. in §. fin. Inſt. tit. quibus mod. teſtam. infirm.* & iuxta hæc accipimus, & exponimus celebre illud Vlpiani effatum *in l. Princeps ff. de legibus Princeps legibus ſolutus eſt*, quod quidem expoſuit *Cuiac.* cum *Harmenopulo* ex ſubiecta materia ipſius reſponſi, cuius epigraphes legitur, *Vlpianus lib. 14. ad l. Iul. & Pap.* & ex ea colligitur ſolutum Principem non legibus omnibus, ſed caducarijs tantùm, ad quas tunc reſpexerit ſic ſcribens *Vlpianus*: Verùm potuit quidem *Vlpianus* reſpicere ad caducarias leges, & tamen effatum proferre abſolutè, & illimitatè verum; Vnde non ſpreta *Cuiacij*, & *Græcor.* explicatione, ſit ſolutus Princeps vi coactiua legis, ſed eumdem abſolutè, & omninò ſolutum aliter etiam poſſumus interpretari, nec vno modo; ſolutum enim legibus dicimus primò Principem, cui integrum eſt figere, aut refrigere leges, condere, & abrogare, ſoluere, aut confirmare prout exigit ciuium vtilitas, & commune bonum, quo ſenſu ſunt leges in manu Principis, ſicut in manu rectoris, & nautæ nauis gubernacula, & clauus, qui eſſet planè inutilis niſi ad omnem Cœli faciem, & oportunitatem moueri, conuertique poſſet, ne fiat, vt ipſa Nauis cum Rectore prius pereat, quam vectores conſuli poſ-

*Lib. 15. obſ. c. 30.*

poſſint, quod fuit Sexti Concilii generalis appoſitiſſimum dictum.

Solutus, & ſecundò, eſt legibus Princeps, quia lex ſemel locuta non ampliùs loquitur, ſed muta, ſurda, ac inflexibilis manet, niſi iuuetur animata, & viua lege molliente, interpretante, aut etiam corrigente per Epicheiam, *quam legis emendationem* definiuit *Ariſtot.* eoque nomine ſolutus meritò legibus dicitur Princeps.

*Lib. 5. Ethic. c. 10.*

Solutus, & tertiò, eſt à merè poſitiua lege, puta lege ſolemnium, aut eorum, quæ merè ſunt arbitraria, nec iuris naturalis, aut gentium quid habent. Demùm da Principem rectum, perfectum, ac virtute omniquaque preſtantem, in quo cumulatæ virtutes omnes emineant, & hunc dicemus adeo legibus ſolutum, vt ipſi non ſint latæ, aut ſcriptæ leges; *lex enim iuſto non eſt poſita, ſed iniuſtis inquit Apoſt.* Excellens enim virtute legem excedit, & legem non ſentit, ſed ſolam rationem rectam ſibi imperantem, niſi fortè hanc ipſam vim directiuam legis dicamus. Summa igitur legis virtus, & præcipua eſt obligare omnes, & alio vinculo Principem, alio ſubditos, & ſemper in commune bonum, quamuis legis virtutem alio modo ſentiat Princeps, & alio ſubditus, aut priuatus.

*Ad Thimot. c. 1. 9.*

Quæ ſatis de virtute Conſtitutionis, aut legis.

## CAP. IV.

### Quæ Legis, ſiue Conſtitutionis materia.

1 *De Materia Legis generaliter diſſeritur.*
2 *Proponuntur opiniones de materia legis.*
3 *Vera ſententia aſſeritur, & qui actus virtutum poſſint eſſe materia legis.*
4 *Actus interni, & externi quatenus poſſint eſſe materia legis.*
5 *An actus humani præteriti, præſentes, & futuri æque poſſint eſſe legis materia diſcutitur.*
6 *Quouſque vires ſuas lex porrigat, & de legibus Imperatorum, & Iuſtiniani circa Sacra.*
7 *Conſideratur lex Pontificia, aut Canonica in ordine ad materiam.*
8 *Materia Pontificiæ legis præcisè expenditur per actus potiores.*
9 *Conſiderantur actus interni in ordine ad legem.*

DE lege diſſerimus in genere, quatenus, & Ciuilem, & Eccleſiaſticam continet, tum ſi quid ſingulare, & diuerſum circà Canonicam ſuperfuerit expendendum, trademus, & ponderabimus. Ampliſſimus, & latiſſimè patens eſt legis ambitus, nihilque eſt Populi, & Reipublicæ bonum reſpiciens, quod legis materia eſſe non valeat; Hinc omnium prima, ac preſtan-

ſtantiſſima lex illa; *Salus populi ſuprema lex eſto*, ad quam reuocari facilè poteſt quidquid ſalutem, ſtatum, & incolumnitatem Reipublicæ tangere valet, quod ipſum regulis certis lex diſponat, ac muniat, præcipiat, quæ facienda ſunt, vetetque contraria, ſupplicia ſtatuat, & comminetur vitijs, præmia conferat virtuti, doceat auctoritate frænare libidines, & cupiditates noxias edomare, ſua tueri, ab alienis mentem, oculos, & manus auertere, vt Ciues ſint incolumes, vitaque eorum fælix, quieta, & tranquilla. Singularia ſunt hæc, eaque ampliſſima legis munia, ſimul, & ſingula ipſius legis materia, at nos ab hiſce abſtrahentes ad ideam attollamus ſtylum, ac vniuerſaliter de legis materia diſſeramus.

2 Non admittimus primò effrænem legis materiam, quæ vtile tantùm reſpiciat poſthabito honeſto, & ſi honeſtatem aliquam reſpiciat, eam fugatam magis, quàm ſolidam velit, quaſi diutiùs conſiſtere non poſſit Regnum, quod ſolas virtutis, & honeſti leges colat, & vtile principaliter non attendat, quo ſenſu leoninæ pelli aſſuendam Vulpinam dixit Lyſander apud Plutarcum, haſque morum vices Principi ſuo præſcripſit
*In Lacon. Apophtg.* impiùs *Nicol. Machiauel.* cui quidem ſententiæ fucum præbere videntur leges ipſę ciuiles *l. pacisci* 3 1. *ff. de Pa-*
*In Princip. c.13.* *ctis l. Dolo. C. de inut. ſtip.* & præſcriptio etiam cum ſuperueniente mala fide ab iiſdem legibus ciuilibus inducta *C. vigilanti & C. fin. de præſcrip.* quæ quidem iura, quamuis Ciuium vtilitatem reſpiciant, non tamen ita ſolam, vt honeſtatis etiam rationem non habeant, qua dempta, & ſolo vtili attento lex ciuilis vix conſiſtat, aut obliget tanquam contraria legi ſuperiori, nempe rationis; lex, quam inferior tollere non poteſt.

Neque magis probamus ſententiam, quæ materiam legis vnam facit iuſtitiæ virtutem ita, vt iuſta præcipiat, & iniurias vetet, at non vltra ad alias virtutes ſe extendat, quaſi ciuilis, & ſocialis vita, quæ tota ad alterum eſt, eiuſque finis poſſit haberi per ſolam virtutem illam, quæ tota ad alterum, iuſtitiam ſcilicet, Idque ſatis humanæ legi, & ſociali hominum vitæ.

3 At non hoc ſatis ad Reipublicæ fælicitatem, ad quam lex attentè collimat, quæ verſari debet, tanquam circà materiam ſuam, circa actus & aliarum virtutum, ac ijs oppoſita vitia inſectari, cum moralis fælicitas aliter nequeat haberi. Aperte Ariſtoteles. *At leges omnia præſcribunt ſpectantes, vel quod communiter omnibus vtile eſt, vel quod* *Lib. 5. Ethic. c.1*
*optimis, vel quod potentibus, aut virtute, aut alio aliquo ſimili modo.* Mox inferiùs ad rem; *Imperat autem lex vt, & ea, quæ ſunt viri fortis opera efficiamus, exempli cauſa, vt ordinem non deſeramus, neque fugiamus, neque arma abijciamus, & quæ ſunt viri temperantis, quemadmodum, vt adulterium non committamus, neque contumeliam agamus; & quæ ſunt manſueti exempli gratia, vt non verberemus, neque maledicamus, ſimiliter verò, & in alijs virtutibus, & vitijs alia iubens, alia prohibens.*

Excellentiſſima quidem, & vniuerſalis virtus iuſtitia; at non ad omnia omninò ſufficiens; *Atque hæc quidem Iuſtitia eſt virtus perfecta, ſed non ſimpliciter, verùm ad alterum.* Subdit ibi *Ariſtoteles*, cuius

auctoritati addere quidpiam vix fas eſt. Rectificandus eſt homo per legem reſpectu triplici ad alterum, ad ſe ipſum, ad Deum.

Ad alterum quidem per Iuſtitiam; ad ſe ipſum per actus aliarum virtutum, fortitudinis, temperantiæ, quos lex poteſt præſcribere, ad Deum per Religionem, cuius actus nulla lex eſt, quæ non conſtituat, & imperet, dictante vel ſolo naturali lumine; Mecænas enim conſulens Auguſto Monarchiæ fundamenta iacienti illud præcipuè ingerit apud *Dion.* Hiſt. lib. 52. *Caſſium Numina ritu patrio cole, & alij, vt colant, effice*. Non igitur ſola iuſtitiæ virtus materia legis, quæ verſari poterit circa alias virtutes, earum actus imperando, quos nouerit neceſſarios ad finem à ſe intentum, commune ſcilicet bonum, & Ciuium fælicitatem, & qui actus ordinariæ eorundem hominum facultati ſint accomodi, non enim omnium virtutum omnes actus imperare decet, cum ſint aliqui adeò ſublimes, vt moderatam legis facilitatē ſupergrediantur, & excellant, quæ maximè debet eſſe poſſibilis *C. erit aut. lex.* 1. *diſt.* & cum eadem proportione circa vitia lex ipſa verſabitur; non enim omnia omninò virtutibus oppoſita vetabit, omninò enim declinare non omnium, ſed perfectorum eſt, ait *D. Auguſtin.* & tamen lex pro tota communitate fertur, ſed eos actus maximè interdicet, qui communitati ſunt maxime noxij, & in eius vtilitatem prohibentur; quod ſi fortè ex prohibitione huiuſmodi actuum maiora timeantur mala, permittendi ſunt potius, quàm vetandi, ne zelus eradicandi omnia mala, medicinam morbo deteriorem propinet; vnde tota res redigitur ad prudens legiſlatoris arbitrium, & Deus illud dirigat.

Actus indifferentes videntur materia non cuiuſlibet legis, ſed tantùm permiſſiuæ, ſed tamen poſſunt ex obiecto ita reddi proficui ad commune bonum, & ciuium vtilitatem, vt etiam poſſint à legiſlatore præcipi, & fieri materia legis non enim actus tunc eſt adeo indifferens, quin adeptus ſufficientem honeſtatem reddatur materia legis nedum permiſſiuæ, ſed & præceptiuæ.

4 Actus merè interni per ſe nequeunt eſſe materia legis, cum enim mentis fines non egrediantur, lex merè humana attingere eò vſque non poteſt; *Cogitationis pœna nemo patitur*, dixit ideò Vlpianus *in l. cogitationis ff. de pœnis*; quod ſi punire actum merè internum lex non poteſt, nec poterit præcipere; ſed ſi exeat in opus, iam incipit fieri exterior, adeòq; punibilis. *l. quiſquis C. ad l. Iul. Maieſtatis l. Diuus ff. ad l. Corn. de Sicar.* Pulchrè *D. Thom. in his quæ* 12. q. 104. Art 5. in corp. *pertinent ad interiorem motum voluntatis, homo non tenetur homini obedire*.

Non tamen per hoc rectè ab actu merè interno inferas ad occultum, hic enim materia legis eſſe poteſt, licèt non ille; quia actus merè internus eſt occultus per ſe, nihil enim habet, ex quo poſſit cognoſci, externus verò eſt occultus per accidens ob defectum probationis, vnde poteſt eſſe materia legis. Quamuis autem lex humana non poſſit actus merè internos directè, & immediatè imperare, aut vetare, poteſt tamen mediatè, & indirectè; quatenus ſcilicet actus interior eſt coniunctus, cum exteriori, qui cum cadat ſub diſpoſitione legis quatenus humanus, iam non poteſt eſſe humanus, & liber ſine interiori, & ideò imperato,

aut

aut vetito exteriori, conſequenter vetitus, & imperatus etiam interior cenſetur. Hæc fuſiùs proſequenda moralibus relinquimus.

5 Iam vlterius conſiderari poſſunt humani actus, ſub triplici differentia temporis, præteriti ſcilicet, præſentis, & futuri; numquid igitur poterunt omnes actus ſecundùm hanc triplicem differentiam eſſe materia legis? Segregabimus legem declaratoriam, ſiue declaratiuam à conſtitutiua, & quid cenſendum apparebit facilè.

Declaratoria igitur, quantum in ſe eſt, complectitur non ſolùm futura, ſed & præterita, eaque potiſſimùm reſpicit; *Scribentes ad C.fin. de conſtit.* exempla ſuppetunt *ex cap.fin.de ſponſa duor.ex C.gaudemus. De Diuort.* & meritò; nam lex, quæ declarat, ſupponit aliam legem, quam declaret; vnde ipſa ſic declarans non poteſt eſſe regula, ſed vtique lex illa anterior, quæ indiget declaratione, & iam obligationem, aut alium effectum induxit, qui à lege declaratiua nullo modo dependet; & quamuis lex nonnunquam declaret in præteritum, vt & in futurum proſpiciat, non tamen per hoc dici poterit, declaratiuam legem ad futura referri, ſed potius eſſe ipſam tunc mixtam, & ita declaraiuam, vt rationem conſtitutiuæ ſuper induat, ſicque in præteritum aliquid declaret nullum, & in futurum conſtituat illicitum proſtat exemplum in *C.quanto. De Sent. Excommun.*

At conſtitutiua ad futura tantùm dirigitur, & de ſolis futuris conditur; *D.Greg.Magnus* traſlatus *in C.2. de conſtit. Quoties verò nouum quid ſtatuitur, ita ſolet futuris formam imponere, vt diſpendijs præterita non commendet. Et in C.fin. Greg. IX. cum leges, & conſtitutiones futuris certum ſit dare formam negotijs, non ad præterita facta trahi, niſi nominatim in eis de præteritis caueatur.* Sic demùm *Ceſſ.in l.legis 7. C. de legib.* Proponitur enim lex ſubditis tanquam regula actuum ſuorum futurorum, certè præteritorum non eſt regula, ſed potius menſura; Proponitur tanquam præceptum, immò & eſt verè preceptum *l. 1. ff.de legib.* preceptum autem non poteſt eſſe de preteritis, vt præterita ſunt, nedum enim iniuſtum, ſed & fermè ridiculum eſſet, ſi quis imperaret, aut vetaret actum iam factum, quo nomine carpit Cicero Verrem, quod in Prætura ſua ita propoſuiſſet edictum, *qui ab A. Poſthumio, & q. Flauio poſtea fecit, fecerit. Fecit fecerit? quis vnquam eius rei frauden, & periculum propoſuit edicto, qui neque poſt edictum, nec ante edictum prouideri potuit.*

Reſpicit igitur ex natura ſua lex futura; at non impedit hoc, quò minus volente, & expreſsè ita ſtatuente legiſlatore, etiam ad præterita referatur, non ſimpliciter quidem, ſed in ordine ad aliquos effectus, excipiendo tamen ſemper primarium illum effectum, quem diximus eſſe obligationem, quantumuis enim nitatur, vel velit legiſlator, actus præteriti facti ſine culpa, nunquam poterunt reddi culpabiles propter legem ſuperuenientem, qui enim geſſit actum, non potuit tunc obligari lege nondum facta, & omninò futura. At quò ad pænam poteſt vtiq; per legem ea porrigi ad præterita, ſit etenim actus aliquis abſolutus, & qui non habeat tractum ſucceſſiuum, malus ideò, quia factus contra ius,

&

& contra legem, quamuis non violet ius poſteà conditum iam nihilòminus eſt ius aliquod violatum, cuius reſpectu poterit pœna in præteritum porrigi; Principis enim eſt curare, vt non ſolùm propriæ, ſed & à præceſſoribus conditæ leges ſeruentur, quarum tranſgreſſio Rempublicam lædit, & ſicut poteſt Princeps ipſe per ſententiam poſteà latam punire delictum iam patratum, ita poterit & per legem, non quidem infligendo pœnam ipſo iure, hoc ſi quidem rigidum nimis eſſet, ſed eam ſtatuendo, quam Iudex infligere debeat, ſi per leges antiquiores non fuerit taxata, tunc erit arbitraria, & huiuſmodi arbitrium poteſt lex definire, ſi verò à legibus antiquioribus fuerit iam taxata pœna vix eſt, vt à lege noua poſſit augeri quoad patrata iam delicta, cum iam ſit contractus reatus certus, tamen non inconuenit, vt Princeps Supremus, ita exigente Reipublicæ bono eam augeat.

Idemque facilè cenſendum applicando ad actuum irritationem, qui iam ſunt facti; quamuis enim lex noua ad actus præteritos de facili non extendatur, non repugnat tamen, quin lex noua irritationem inducat alicuius actus iam facti, nam ſicuti (vt dicebamus ſupra) hoc licet per ſententiam, licebit etiam per legem, ſi tamen actus, ipſe ex ſe ſit irritabilis, quod ſi non eſſet, nihil poſſet lex, vt in Matrimonio ritè, & rectè contracto patere conſideranti poteſt, & alio quocumque ſubſiſtenti actu *C. ante triennium* 31. *Diſt.* quod ſi actus ex natura ſua irritabilis eſſet ritè factus, & ſubſiſtens, non poſſet lex noua, & poſterior ipſum irritare; quod ſi nutaret parùm ſubſiſtens ex eo, quod ratione aliqua eſſet contrà leges, tunc faciliùs, & iuſtiùs poterit per nouam legem irritari, tunc enim irritatio eſſet iuſta pœna, dum tamen aperta ſit legiſlatoris voluntas, non coniectura, aut interpretatione iuuanda, quæ diximus hactenus, de actibus tantùm ſunt accipienda, non de rebus præteritis, actus enim ſunt materia proxima legis, res verò remota, & ideò circa rem veterem poterit actus aliquis per legem nouam vetari. Sit liber à multis annis impreſſus, & fiat lex noua improbans eius lectionem, actus legendi optimè comprahenditur lege vtcumque poſteriori, quia liber eſt materia remota actus legendi materia proxima, attenditur hæc, non illa, & attenta materia proxima lex noua nequit dici de prætcrito.

6 Demùm circa vim, & virtutem legis, quæ potiſſimum in obligando poſita eſt, illud addemus vnum, virtutem ſcilicet, ac efficaciam legis circumſcribi ambitu ſuo, nec vltra ſuam ſphæram extendi hoceſt vltra ditionem, & poteſtatem legiſlatoris; & ideò generaliter lex lata à Sæculari Principe circa Eccleſiaſtica Eccleſiaſticas res non afficit, neque vllum obligationis vinculum inducit; Sic enim Innocent. II. in *C. Eccleſia S. Mariæ de conſtit. Nos attendentes, quod laicis ſuper Eccleſijs, & perſonis Eccleſiaſticis nulla ſit attributa facultas.* Et inferius. *A quibus ſi quid motu proprio ſtatutum fuerit, quod Eccleſiarum etiam reſpiciat comodum, & fauorem, nullius firmitatis exiſtit; niſi ab Eccleſia fuerit approbatum &c.* & anteeum Symmachus Romanus itidem Pontifex in *C. Bene quidem 96. Diſt.* Haud moleſtè audiunt, & accipiant

pij, & Chriſtiani Principes, qui certos, ac definitos humanæ poteſtatis agnoſcunt limites, & ſumma religione poteſtates agnoſcunt omninò diſtinctas *Can. duo ſunt 96.diſt.* Eccleſiaſticam ſcilicet, & ſæcularem. Nihilominus ingerere dubitationem videntur Imperatorum leges de Sacris, Eccleſiaſticis rebus conditæ. Notiſſimæ ſunt conſtitutiones *Conſtantini*, *&* *Leonis* de feſtis diebus in *l.3. C.de fer.& in l.1. C. Theod. eod.Valentiniani Sen.& Iun. in l. 1. C.de exactor. in l.1.& 3. C. de exaction. Theodoſij Magni, & Theodoſ. Iun. in l.Dominico. C. de ſpectacul.Theodoſius*. idem conſtitutionem edidit de Diaconiſsir. *l. nulla 27.C.Theod. de Diaconiſſ. Honor. Martian. Leo*. Itidem de Eccleſiaſticis rebus, & perſonis ſtatuerunt, & demum claudit agmen *Iuſtinianus*, in cuius Cod. proſtant adhuc tituli *De Sacroſ. Eccleſ.de Ep.& Cler.* Inter Nouell. Conſtitutiones plures leguntur conſimiles, quæ quidem omnes non exceſſum auctoritatis, ſed potius legitimum vſum probare videntur. His ſi addamus & *Nouellas Leonis IV.* Imperatoris ad 113., nec non illas *Iuſtiniani* in titulis pluribus diſtinctas certè euincent potuiſſe Pios illos, & Chriſtianos Cæſſ. de Sacris, & Eccleſiaſticis ſtatuere.

Variè circa condita hæc iura varij ſenſerunt; Plerique malè audire aſſerunt præſertim Iuſtinianum, eum Sacra, & Diuina profanis miſcuiſſe, eiuſque leges de cauſis Eccleſiaſticis,& rebus nullas, & irritas extitiſſe donec Eccleſia in vſum, & auctoritatem, eas recepit. Alij è contra, quidquid ſtatuerunt Principes illi, & Imperatores ſtatuiſſe optimo Iure ſuo aſſerunt, cum penès ipſos velint poteſtatem legitimam eſſe de Eccleſiaſticis ſtatuendi cuius, ſententię nec nominandus auctor. *Baron.* paſſim in *Annalib. ſuis* pròvt per temporum ſucceſſionem æditæ ab Imperatoribus conſtitutiones occurrunt, conciliare nititur, ad hoc, vt illæſam Eccleſiaſticam auctoritatem tueatur, quas ſingulas ponderationes tranſcribere, ac recenſere extra inſtitutum omninò eſſet; Iuſtinianum pluribus in locis accerrimè, & meritò, carpit tanquam inuaſorem Eccleſiaſticæ Iuriſdictionis, ſed alicubi etiam eum excuſare ſtudet ratione non vna. *Tom. 7. annal. an. 528. in princ.* primò enim cum imperaſſent Principes Catholicæ fidei parum ſtudioſi, vt Zeno, Baſiliſcus, Anaſtaſius, & pręcipuè cum præfuiſſent Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Præſules hæretici, inſtaurandam Canonum obſeruationem, & ſubueniendum collapſæ Eccleſiaſticæ Diſciplinæ cenſuit. Secundò fuiſſe Iuſtinianum planè litterarum rudem (quidquid ſit hac de re) Vnde ſicut in legibus condendis Auctor fuit Tribonianus, ita Eccleſiaſticas conſtitutiones fuiſſe conditas ab Epifanio Epiſcopo Conſtantinopolitano, & Menna eius Succeſſore, qui optimè ſcientes, edere huiuſmodi vniuerſales conſtitutiones eſſe proprium vnius Supremi Eccleſiæ Capitis, nè viderentur ſublimes adeò partes ſibi abrogare, ſub nomine Iuſtiniani eas ediderunt. Aduertit demùm *Baron.* & rationem tertiam, qua Iuſtinianum excuſet, ſed & cæteris ſolidior ipſa eſt, & ea, quæ& pro cæteris Principibus fermè ſatisfaciat, dixi fermè nam in hiſce exorbitaſſe Gręcos Principes aliàs notauimus, nec retractamus modò; Itaque non exceſſiſſe Iuſtinianum, ſed planè vſum Iure ſuo crediderat *Baron.* qui legibus latis

tis

tis non Canones condiderit, ſed conditos fouerit, & ampliauerit Canonumque obſeruationem roborare voluerit, Iure ſuo id fecit; quia Religionis, Canonum, & Eccleſiæ tutela, ac defenſio à Deo Principibus, & præſertim Supremis credita eſt; vnde nedum excitati, ſed & ex officio leges condere ad idem intentum debent, præcipuè vbi rerum ſtatus id exigere videtur. Plures poſſent hìc cumulari *D. Auguſtini* auctoritates, at vna, & altera contenti claudemus. Prima eſt *contra Creſcon.* (*Lib. 3. cap. 51.*) *In hoc Reges, ſicut eis diuinitùs præcipitur, Deo ſeruiunt, in quantum reges ſunt, ſi in Regno ſuo bona iubent, mala prohibeant non ſolùm, quæ pertinent ad humanam ſocietatem, verùm etiam, quæ pertinent ad Diuinam Religionem*. Secunda ex *Epiſtola ad Bonifacium*. (*Epiſt. 50*) *Quomodo ergo Reges Domino ſeruiunt in timore niſi ea, quæ contra iuſſum Domini fiunt religioſa ſeueritate prohibendo, atque placendo; Aliter enim ſeruit, qua homo eſt, aliter qua rex eſt; In hoc ergo ſeruiunt Domino reges, in quantum ſunt reges, cum ea faciunt ad ſeruiendum illi, quæ non poſſunt facere niſi reges*. Se geſſit igitur Iuſtinianus tamquam SacrorumCanonum aſſertor, & vindex, idque non obſcurè in iiſdem conſtitutionibus ſuis eſt profeſſus, quarum (*Nou. 3. 6 133. 137.*) nonnullas allegauit *Baron.* verba regerens, à quibus temperamus; quatenus autem Sęculares Principum Conſtitutiones Clericos teneant, examinabimns cum de libertate, & Immunitate Eccleſiaſtica agemus.

7 Hucuſque tractata generaliter de lege, ſunt legis ipſius adeò propria, vt & de lege Canonica etiam debeant verificari, quæ quidem verſatur, & ipſa circa honeſtum, at modo eo altiori, quò excelſior, & ſublimior eſt finis, ad quem tendit; vnde licèt actus virtutum ſint vtriuſq; legis communis materia, attamen differentiam aſſignare haud difficile eſt, qua materia Canonicæ legis diſtat à ſæculari; differentia autem inſignis, & euidens illa eſt, quod ciuilis legis materia temporalis eſt, canonicæ verò ſpiritualis prout ipſarum quælibet à ſua poteſtate dimanat; & hæc tota differentiæ radix eſt, ciuilis enim temporalem ciuium fœlicitatem ſpectans ad eam, & non vltrà dirigit eorumdem Ciuium actus, Canonica verò finem ſupernaturalem proſpiciens, eò vſque Ciuium actus promouet, & ab hac ſpecie planè diuerſa finis intentione, diuerſitas etiam materiæ ſpecifica inducitur.

Sed præter actus virtutum ad ſupernaturalem finem directos ſunt, & alia quàmplura, quæ tanquam materia ad legem Canonicam reducuntur.

Actus ſupernaturales ſunt materia propria ſacri iuris, actus fidei, vt virtus Theologica eſt, ſunt materia Canonici iuris, & ideò quidquid reſpicit fidem, & eius materiam ad Ius Canonicum ſpectat. Actus Sacramentorum, vt cumque naturales, per eleuationem tamen toti ſunt ſupernaturales, qua ratione matrimonium, licèt ſit contractus ciuilis, & dicat quid naturæ, eleuatum tamen ad eſſe Sacramenti fit ſupernaturale, & materia ſacri iuris propria. Actus etiam, qui proximè, & reductiuè reſpiciunt Dei cultum, & religionem materiam conſtituunt ſacrarum conſtitutionum.

Vt vota, iuramenta, & res omnes, circa quas actiones iſtæ verſantur, ratio-



Digitized by Google

tionem Canonicæ materię induunt, ſic perſonæ Sacrę, loca, templa, vaſa, bona Eccleſiaſtica, Beneficia, quæ inter res ſacras connumerantur, quatenus ipſis additur reſpectus ſupernaturalis.

A virtutum actibus facile eſt ad oppoſita vitia inferre, cum enim omnia peccata ab vltimo fine auertant, ad quem ſupernaturalem dirigit lex Canonica, hinc eſt, quod peccata omnia, vt peccata, ad idem Ius Canonicum ſpectant. *C. nouit. de iudic.* immò pro finis diuerſitate ad vtramque legem Ciuilem, & Canonicam poſſunt pertinere, qua ratione fit, vt ſicut materia Canonicæ legis eſt ſublimior, ita ſit amplior, & latior, vtpotè cuius forma, & finis latiùs ſe porrigat, & extendat.

Non tamen adeò latè, vt actus merè internos attingat, & poſſit circa eos præcipiendo, efficaciter verſari, quod quidem non ſemel docuit *Diu. Thom.* lex enim, quæcumque ea ſit, dicit præceptum neceſſitatem inferens, & præceptum erit de ea re, ad quam lex cogere poteſt pręcipuè per pœnam, quæ demùm pro ijs infligitur, de quibus poteſt lex iudicare. Humanus legiſlator de ijs tantùm iudicare poteſt, quę ſub ſenſum cadunt, ad differentiam Diuini, qui & de externis, & de internis æque iudicare poteſt, cum vtrique ſint æqualiter ipſi perſpecti, ideò igitur lex Canonica, vtcumque origine diuina, de merè internis, quæ ſub ſenſum non cadunt, ſtatuere non poteſt. Humana ſiquidem nihilominus eſt, & ab homine, homini, in hominis regimen, humano modo tradenda, per ſenſibilia ſcilicet, & pro ſenſibilibus tanquam tendens ad viſibilis Eccleſiæ regimen, quod per actus externos, non per merè internos expeditur, eaque eſt collectio *D. Thom.* cui adnectemus elegantiſſimam eiuſdem Angelici Doctoris ponderationem, expendens enim Eccleſiaſticam poteſtatem in tota ſui latitudine ſumptam obſeruat, eam duplicem forum reſpicere interiorem ſcilicet, & exteriorem, inter quem vtrumque illud eſt diſcrimen, quod in interiori res agitur inter hominem, & Deum, in exteriori inter hominem, & hominem. Poteſtas fori interioris poteſt verſari, & de facto verſatur circa actus merè internos, per quos ordinatur homo ad Deum; ſed notabile eſt, quod excelſa hæc poteſtas tota diuina directa in Eccleſia ad hominum ſalutem non ſine ſenſibili interuentu exercetur, per ſacramenta ſcilicet; quæ ſenſibilia ſunt, & huius iuriſdictionis non eſt poteſtas legiſlatiua, ſed vtique eſt iuriſdictionis in foro exteriori, provt eſt ipſa directiua, & adminiſtratiua humanæ communitatis, vnde & materiam ſibi aptam exigit, actus ſcilicet externos, & ſenſibiles. Dirigit quidem lex Canonica in finem ſupernaturalem, & reſpicit internam animarum ſalutem, non immediatè illam operando, ſed mediante honeſtate, ac rectitudine actuum externorum, circa quos immediatè verſatur tanquam circa propriam, & adæquatam materiam.

1.2.q.91.art. 1. & qu. 100. art. 9.

In 4. diſt. 18. qu. 2. artic. 2. q. 1.

Non tamen ita, quin poſſit etiam circa internos verſari, & longe faciliùs, quàm lex ciuilis ratione ſpiritualis poteſtatis, quæ efficacior eò vſque peruadere, & attingere poteſt.

Si igitur actus internus requiratur, & ſit neceſſarius ad eſſe morale alicuius actus externi, quamuis non ſit abſolutè neceſſarius ad eſſe materiale eiuſdem actus externi, poteſt tunc lex huma-

humana, & præcipuè Canonica, præcipiens actum externum, præcipere ſimul, & internum. Iubeat lex, vt Sacerdos ſacrificet, actus hic imperatus eſt externus, qui non iudicat intentionem, attamen quia hic actus ſacrificandi in ſe moralis non poteſt eſſe moralis, niſi fiat cum debita intentione interiori conficiendi, ideò lex pręcipiens actum externum ſacrificij præcipit etiam internum intentionis.

Si verò actus internus non ſit neceſſarius ad eſſe morale, aut phyſicum actus exterioris, ſed actus internus poſſit coniugi externo ex ſolo arbitrio agentis, tunc lex Eccleſiaſtica non poteſt ipſum imperare, quia ſic directè, & immediatè, circa merè internum tenderet. Prohibeat Eccleſia fieri ælemoſinam propter vanagloriam, hæc lex non ſubſiſteret, cum enim actus ælemoſinæ ſit in ſe, & ex ſuo genere bonus, vetare, ne fiat ob vanagloriam, eſſet directè actum internum præcipere, quod Eccleſię non licet. At ſi Eccleſia prohibeat actum per ſe malum, & pęnam adijciat, eamque augeat, quatenus idem actus fiat cum mala interna affectione, aut intentione iuſta, & rationabilis erit prohibitio, cum enim actus eius ſit conditionis, vt poſſit à lege prohiberi, & puniri, quia ſit per ſe malus, poterit etiam vetari, & puniri quatenus tantùm ab ea intentione procedat, non enim tunc ampliatur poteſtas, ſed magis reſtringitur, cum ſit magis anguſta prohibitio, ſi vetetur actus malus cum ea intentione, quàm ſi vetetur ſimpliciter, & abſolutè.

Hæc ſatis de actibus internis quatenus cadant ſub diſpoſitione legis, & præſertim Canonicæ, ac de tota legis materia. De forma, legis condendæ iam dictum ſupra, vnde ad modos eius perimendæ tranſibimus.

---

## CAP. V.

## De Ceſſatione, Abrogatione, & Diſpenſatione Legis, ſiue Conſtitutionis.

1 *Cum legis ſtabilitate quatenus concurrere poſſit mutatio. Ea duplex intrinſeca, & extrinſeca, & ſingulæ affectiones per ſuos terminos aſſignantur.*

2 *De ceſſatione totali agitur, ceſſante materia, & ratione legis.*

3 *De Abrogatione agitur, eaque definitur, eiuſque neceſſitas indicatur.*

4 *A quo facienda Legis abrogatio.*

5 *Quo fieri debeat modo abrogatio.*

Sicuti leges conſulta maturitate, ac ponderatione ſunt ferendæ, ita latę ſummo etiam ſtudio, ac peruigili cura ſunt cuſtodiendæ, & inuiolatæ, ac ſtabiles conſeruandæ à ſubditis nedum, ſed à Iudicibus, immò & à Legiſlatore ipſo.

1 Proponuntur leges tanquam regula, & norma vitæ, & actionum in Republica, nec fieri poteſt, vt mutata regula non mutentur & Ciuium mores, & non turbetur Reſpublica ipſa.

Regula quidem eſt lex; ferrea, & inflexibilis in ſe, at plumbea quòad vſum, cum enim lex humana præfer-

Digitized by Google

ſertim vtilitatem populi reſpiciat, ſicut mutabilis eſt vtilitas pro rerum, & accidentium varietate, ità in lege nonnunquam neceſſariò admittenda mutatio. Aliàs tyrannis eſſet, ſi mutatis ſiue rerum, ſiue perſonarum circumſtantijs, nihilominus idem adhuc imperaret, idem exigeret; non enim idem ſemper eſt vtile, ſed pro vario reſpectu mutatur, & ideo lex humana humanæ variabilitati adaptari debet, quo caſu mutatio huiuſmodi meritò, vt re vera eſt, dici poteſt intrinſeca. Sicuti dicemus extrinſecam, quo caſu manentibus ijsdem circumſtantijs ad obligandum neceſſarijs à Principis, ſeù legiſlatoris voluntate lex mutatur, quæ, reſpectu, iam latæ legis, cauſa extrinſeca eſt.

Singulas haſce legis affectiones ſuis exprimemus terminis, primam dicemus ceſſationem, ſecundam verò ablationem legis. Ceſſatio dupliciter contingit, aut enim ceſſat lex in caſu aliquo, & perſona particulari manente nihilominus legis generalis obligatione, & tunc eſt exceptio legis, aut ceſſat generaliter omninò, & tunc eſt abſolutè ceſſatio.

Sicut & in ablatione legis, aut tollitur reſpectu caſus, & perſonæ alicuius particularis, in cuius fauorem ſupremus legem tollit, & tunc eſt diſpenſatio, ſiue derogatio, aut tollit, & expungit reſpectu omnium, & tunc dicitur abrogatio. Percurramus breuiter ſingulas haſce legis affectiones. Non aſſumimus ſingularem legis ceſſationem illam, quæ inducitur, quando caſus ſe ſe exhibet, quem verba legis compræhendunt, nec Princeps diſpenſatione ſua eximit, & tamen aliquam inuoluit caſus ipſe circumſtantiam, quæ non fuit præuiſa à legiſlatore, & ſi præuidiſſet, vtique excepiſſet; quia tunc ſeruare legem eſſet iniuſtum, ideò meritò lex ceſſat; quæ ceſſatio dicitur Epicheia, vel Epichia, noſtri communiter vocant æquitatē, hancq; ceſſationem remittimus ad Ius non ſcriptum, vbi de æquitate agemus.

2 Ceſſationem igitur totalem examinabimus. Quamuis lex debeat eſſe perpetua, ſiue legiſlatorem ſpectes, quo deficiente lex non deficit, ſiue ſubditos, pro quibus lata, qui ſemper ijdem per ſucceſſionem, ſiue tempus, quod nullum legi præfigitur, venit tamen legi ſua dies, & concidit aliquando; ſi enim ceſſet materia, ſub ea præſertim ratione, ob quam condita eſt, ceſſat lex ipſa, & corruit, & hæc ceſſatio totalis, *tex. in Clem. Ad noſtrum. De Heret. & in C. etſi Chriſtus. De Iureiur.* ſi enim mutetur legis materia, & eius ratio ceſſet contrariè, iam ſeruare legem erit iniuſtum, factaque per mutationem huiuſmodi lege iniuſta, lex non eſt amplius lex, cum ſit de impoſſibili, aut admodum difficili, nec dici poteſt in commune bonum, & ideo ceſſat eius obligatio. *Malum eſt tunc ſequi legem po-* *2.2.q.120 art.1.in corp.* *ſitam* ait *D. Thom. & bonum eſt prætermiſſis verbis legis, ſequi id, quod poſcit Iuſtitiæ ratio, & communis vtilitas.* Idque adeò verum, vt ſi euidens, & aperta ſit hæc mutatio contraria, non ſit opus Principis declaratione, ad quid enim requiramus, vbi lex deſijt eſſe lex?

Si verò in materia legis non contingat mutatio, ſed finis, & ratio legis ceſſet, ceſſat, & lex ipſa in tota Republica. Animat ſiquidem ratio legem mediante Principis voluntate; rationem ſi tollas, deficit Principis

cipis voluntas, quæ mouebatur eadem ratione tanquam fine intento, quo deficiente in totum deficit voluntas, & cum ea lex. Hic autem obſeruabimus, quando non mutatur materia legis, ſed mutatur finis, aut ratio eadem manente materia; quod ſi actus, qui imperatur à lege ſit actus per ſe honeſtus, quamuis finis, & ratio ceſſet, manet adhuc integra obligatio legis, materia enim eſt de ſe honeſta, & adhuc capax obligationis legalis. Vnde ſegregat perappoſitè *D. Thom.* in lege id, quod præcipitur à legiſlatore, ab eo, ob quod præcipitur, & licet deficiat hoc, non deficit illud. At ſi lex præcipiat actum aliquem, ex ſe indifferentem, ſed propter finem aliquem extrinſecum, & extrinſecam rationem, tunc ſi generaliter deficiat ratio, & totalis finis, corruit lex tota, & redditur inutilis. Actus enim indifferens per ſe, & propter ſe non poteſt præcipi, nec per ſe poteſt eſſe materia legis niſi dirigatur in commune bonum, & communem vtilitatem, fiatque tunc de indifferente neceſſarius. Sublato fine generali, & totali, propter quem actus huiuſmodi eſt præceptus, iam redit actus ad indifferentiam ſuam, factuſq; inutilis non poteſt eſſe materia legis, quæ deſtituta, & materia, & ratione, ſeu fine totali concidit omninò, nec vim vllam obligandi retinet, etiam ſi nulla Principis, aut legiſlatoris adueniat declaratio, dum facti euidentia conſtet in tota communitate, & Republica euanuiſſe finem, & legem ceſſaſſe; tunc enim redit Reſpublica ad libertatem ſuam naturalem etiam ſi factum reſtituentis, ſeu declarantis non interueniat. Hæc de Ceſſatione.

*1.2.q.100 art.9.2.*

3 Iam ad abrogationem legis. Abrogationem deſcripſit Iureconſultus in *l. Derogatur ff. de Verb. ſignif. Derogatur legi* (ait *Modeſtin.*) *aut abrogatur. Derogatur legi cum pars detrahitur. Abrogatur legi cum prorſus tollitur.* Abrogari igitur lex, & tolli in totum poteſt; at quomodò id iuſtè? Si enim lex eſt, iam certè non poterat eſſe niſi iuſta, & rationabilis. *C. erit autem* 4. *Diſt.* Ergo abrogatio eius non poterit eſſe niſi iniuſta, & irrationabilis. At non implicat, legem eſſe rationabilem, & iuſtam, & abrogationem eius non eſſe iniuſtam; dum tam facilis non ſit *C. ſciendum.* 29. *Diſt. C. non debet de conſanguin. & affinit. C. quia ſancta* §. *Verum.* 63. *Diſt.* & eleganter ex *D. Thom.* deduxit *Couar.* confirmauit *Ariſtoteles*, & ante eum facienda in legum mutationem, eamque eſſe neceſſariam docuit *Plato* nec vno in loco, rationeque deſumpta tum à lege ipſa, tum ab homine probauit *Diuus Thom.* A lege; quia humanæ rationis maximè proprium eſt, progredi ab imperfectis ad perfecta; In ſpeculatiuis, ſcientiarum inuentores rudia primùm, & informia tradidere, & ſubinde alij ad meliora, & perfectiora tranſfere; In operabilibus etiam, qui vtile quidpiam Reipublicæ tradere ſtuduerunt à debilibus, & imperfectis exorſi ad perfectiora, & maiora ſunt progreſſi. Vnde neceſſaria mutatio,

*Ad C. Alma Mater p.2. in princ. n.2.*

*1.2. quaſt. 97. art. 1. lib. 2. Polit. c. 6.*

*Dial. 6. de legib.*

*Dial. de Regno 1.2.q.97. art. 1.*

Ab homine, quia non idem ſemper hominum ſtatus, & conditio, nec idem ſemper mutato ſtatu congruit; mutabilium non poteſt eadem eſſe regula, & ideò neceſſaria mutatio legis, quæ quidem illa ipſa ſunt, quæ tradit vbi ſupra *Ariſtoteles*, &

quæ

quæ nec duximus tranſcribenda, & omnium demùm ſumma ratio ab vtilitate deſumitur, quam ponderationem iam ſupra retulimus.

Principalis enim legis intentio eſt populi, ac Reipublicæ vtilitas; *Salus populi ſuprema lex eſto*, fuit ſemper lex æquè maxima, ac prima. *Horat. & Iureconſulti in l. Ita vulneratus ff. Ad l. Aquil. l. quia actionem ff. De Præſcrip. Verb. l. pen. ff. De Iuſt. & Iure.* Vtile non eſt, quid abſolutum, ſed reſpectiuum, ac proinde mutabile, vnde & mutabilis lex, & ideò nec iniuſta, nec irrationabilis iuſtæ alioqui legis facta abrogatio, & multò minus in ijs, quæ pendent à ſolius Principis arbitrio, in quibus, licèt lex lata eſſet iuſta, abrogatio tamen dici non poſſet iniuſta.

*Lib. 1. ſerm. ſat. 3.*

*Duaren. lib. 1 anniu. diſput. cap. 11.*

4 Non ab alio poteſt fieri legis abrogatio, quàm ab eo ipſo Supremo, qui legem condidit, eiuſdem enim eſt Maieſtatis condere, & abrogare. *C. Innotuit De elect. C. 1. de Conſtit. in 6. l. Nihil tamen naturale ff. De reg. Iur.* Cum ſupremum dicimus, & eius ſucceſſorem non excludimus, qui & legem ſuam, & inferioris tollere poteſt, quamuis inferior legem ſuperioris non item, Cum in inferiore nulla ſit Maieſtas. *Clem. Ne Romani. in princ. De elect. C. Cum inferior. De maior. & obed.* & de Epiſcopo non valente condere ſtatuta contra ſacros Canones. *Innoc. III. in C. ſuper his. De Maior. & obed. C. Inſtitutionis. C. Amputato. C. Eccleſ. 25. q. 2.* Et quamuis in *l. Omnes populi ff. de Iuſt. & Iure.* dicat Iureconſultus *Nam quod quiſque populus ipſe ſibi Ius conſtituit, id ipſius proprium Ciuitatis eſt*: quaſi populus contra legem ſuperioris poſſit ſtatuere licèt ipſe inferior, non tamen de quolibet populo intelligit *Caius*, qui (vt rectiſſimè ad eundem tex. notauit *Cuiac.*) non aliud intendit, quam differentiam inter Ius gentium, & Ciuile aſſignare; vnde non quemlibet populum aſſumit, ſed ſibi viuentem, liberum, & qui nondum ſui regimen in alium tranſtulerit, certamque politiæ formam ſibi delegerit, ſicque nullum adhuc ſuperiorem agnoſcat, nec ipſe dici poſſit inferior.

5 A poteſtate abrogandæ legis ad modum tranſimus eiuſdem abrogationis faciendæ. Nec modum illum aſſumemus, qui fit contrarijs moribus, & non ſcripto, de ipſo alibi acturi, At de abrogatione illa agemus, quæ fit contraria Principis voluntate, & ſcripto. Primus igitur, iſque apertiſſimus eſt modus, cum Princeps, aut legiſlator voluntate contraria tollit legis vinculum, & ſubditos ab obligatione, & obſeruatione ſoluit. Sat eſt, ſi declaretur contraria Principis voluntas, & quæcumque eum moueat ratio, ſufficit, cum de tollendo onere, non de imponendo agatur. Naturalis eſt hic modus, nec maiorem poſcit explicationem. Secundus abrogandæ legis modus eſt, cum non ſolùm perimitur obligatio prima veteris legis, ſed & noua inducitur, quæ aut obligat ad non faciendum, quod prima lex iubebat, aut poſitiuè ad faciendum directè contrarium eius, quod alia lex imperabat; abſque eo tamen, quod legis veteris fiat expreſſa mentio.

Si primo modo imperet; indubia, & apertiſſima eſt legis abrogatio, poſito enim præcepto expreſſo,

ne

Digitized by Google

ne quid amplius fiat, quod antè fiebat, obligatio faciendi eſt ſtatim perempta, & lex iubens abrogata.

Si verò ſecundo modo; iam ſtatim contrarietas inducitur, & pugna inter duas leges affirmatiuas præcipientes actus inuicem contrarios, licèt in ſecunda lege non fiat mentio prioris; ſiue enim addatur clauſula *non obſtante &c.* in ſpecie, vel in genere, ſiue adhibeantur verba generalia, ſiue ſpecialia, ſiue non adhibeantur, abrogata erit lex prior, ſed cum ea differentia, quòd ſi adiecta fuerit clauſula *non obſtante &c. & ſpecialibus, aut generalibus*, Reuocatio erit formalis. Sin ſecus erit tantùm implicita, & virtualis; ſicque lex poſterior poteſt nonnunquam reuocare priorem, etiamſi primæ expreſſam mentionem non habeat. Apertiſſimè Bonifacius VIII. in *C.1.de Conſtit. in 6.licèt Romanus Pontifex conſtitutionem condendo poſteriorem, priorem, quamuis de ipſa mentionem non faciat, reuocare noſcatur*; quæ eſt implicita, & virtualis abrogatio; Nec abſimiliter Paulus in *l. ſed, & poſteriores* 28. *ff. de legib. Sed & poſteriores leges ad primas pertinent, niſi contrariæ ſint*, Cum enim ſunt contrariæ ſimul ſtare non poſſunt, & tunc ſunt potiores, quæ poſteriores *l. fin. ff. de Conſtit. Princip.* ne ſcilicèt poſterior reddatur inutilis, ſi nulla præſertim in ea abrogatio legatur, ſed aliquid operetur. Hac dempta contrarietate, nitendum ſemper erit, vt fiat conciliatio potiùs, quàm inducatur correctio. Adeò vt, ſi lex prior ſit ſpecialis, poſterior verò generalis, vt cumque hæc ſit illi contraria, non tamen eam abrogabit, ſed potius ſecunda generalis, licèt contraria, per primam ſpecialem veniet limitanda; ſpeciale ſiquidem mandatum derogat generali inquit Alexander III. *in C. 1. De reſcrip. l. Seruus Vrbanus* §. 1. *ff. De leg.* 3. *l. in toto*. 80. *& ibi Pet. fab. & Cuiac. ff. De reg. Iur.* neque enim, vt fiat abrogatio, neceſſe ſemper eſt, vt genus antecedat, & ſpecies ſubſequatur, ſed etiamſi præcedat ſpecies, & ſubſequatur genus, adhuc abrogatio fit, vt exemplificat *Cuiac. ad l. in toto*, ea ratione, quam reddit Alex. III. in *d. C.* 1. Non enim præſumitur, Principem, aut legiſlatorem ſcire, ſed potius ignorare leges particulares, quandò earum mentionem non facit, & ideò quamuis legem generalem condat, non per hoc creditur legem ſpecialem abrogare velle, ſed potius legem ſuam generalem limitari à lege ſpeciali, & quia vtraque lex, altera ſalua, ſubſiſtere poteſt, ideò ſtudendum ſemper, vt potius ad concordiam reuocentur, quàm vt inducatur abrogatio, quæ ſi fiat abſolutè, per ſolam voluntatem, & ſine alia lege nulla requiritur promulgatio, ſed ſufficit quoquo modo inſinuata legiſlatoris intentio, ſolaque diuulgatio ſufficiet, vt ſolutus ſit populus ab obſeruatione legis; At vbi fiat per poſteriorem legem, legis huius poſterioris neceſſaria erit promulgatio. Abſoluta legis abrogatione, accedamus ad diſpenſationem, de qua in §. ſequenti.

## De Diſpenſatione Conſtitutionis, & Legis.

### §. I.

1 *Quæ differentia inter derogationem, Epicheiam, & diſpenſationem, & de voce diſpenſatio.*
2 *Diſpenſatio quid ſit, & eius definitio, & de eius vero effectu, & vſu.*
3 *Penes quem ſit diſpenſandi in Lege facultas generaliter primò, ſubinde & ſingulariter.*

TRanſeamus ad diſpenſationem, de qua diſſeremus in ordine tantùm ad legem & conſtitutionem humanam, quàm generaliter tractamus, & per ſumma totius materiæ capita breuiter incedemus.

1 Abrogationi legis proximè accedit diſpenſatio, quæ derogatio quædam eſt, quamuis inter derogationem, & diſpenſationem vigeat diſcrimen, quia diſpenſatio derogatio eſt, at non è conuerſo derogatio diſpenſatio. Proximior eſt interpretationi, quæ dicitur epicheia, ſed tamen patens inter vtramque eſt differentia, nam diſpenſatio propriè dicit actum Iuriſdictionis, Interpretatio verò per epicheiam iuriſdictionem non exigit, ſed prudentiam, & doctrinam, & quamuis detur interpretatio, quæ dicitur authentica, & quæ cum prudentia etiam iuriſdictionem ſupponit in interpretante, attamen differt hæc ipſa à diſpenſatione, quia hæc authentica interpretatio non ſupponit certam, & euidentem obligationem legis, ſed obſcuram, & dubiam, vnde ſuperior dubitationem tollens exponit legem non obligare, quia in caſu propoſito ipſa ceſſat; Diſpenſatio verò exiſtens legis vinculum ſupponit, quod idem ſuperior auctoritate ſua ſoluit, & tollit.

Hoc diſpenſationis Nomen Pontificij Iuris eſt maximè proprium, & qnamuis adhibitum etiam legamus in Ciuili Iure, vt obſeruat *Barnab. Briſſon.* auctoritates ex eodem Iure cumulans, attamen in ſenſu longè diuerſo, vt ſcilicet diſpenſare idem eſſet, ac diſtribuere, vt apud *D. Paulum*, nec non in prima epiſtola *D. Petri*; vnde tranſlatum fuit nomen ad veniam legis ſignificandam, cum ſcilicet manente vi Canonis, ſiue legis is, cui venia legis conceditur, à vinculo, & obligatione eius ſoluitur, *οικονομιαν* Græci Theologi dixere, cui proxime alludit latinus terminus diſpenſatio, vt enim diſpenſator dicitur ſeruus, qui rationes domini adminiſtrat, ac familiæ diſtribuit *l. Diſpenſatori. iunc. l. diſpenſatorem. ff. De ſolut. l. 1. ff. De auro, & arg. leg.* ità diſpenſator, & diſpenſare meritò dicitur, qui Reipublicæ Præſes, ac legis adminiſtrator ità impendit, ac temperat, vt & rigorem exigat, & vbi æquitas, & ratio expoſcit, remittat, vinculum laxet, & obligatum ſoluat.

*De verb. ſign. lib. 4*

*1. ad Cor. 4. c. 4.*

2 Indeq; emicat aptiſſima diſpenſationis definitio, quod ſcilicet *ſit Iuris alicuius relaxatio*; quidquid addatur, abundat, pauca enim hæc verba ſatis exprimunt, & ſi quid vltrà deſideretur, virtualiter, & proximè definitio illud inuoluit; Exprimit

mit enim formalem intentionem, & effectum immediatum ipſius diſpenſationis; qui eſt eximere aliquem à vinculo legis reliquis manentibus obſtrictis, & ideò *D. Auguſtin.* relatus à *Gratiano* in *Can. ipſa Pietas* §. *Si inquiunt* 23. *q.* 4. diſpenſationem *vulnus* appellat, *contra integritatem Seueritatis*. Genus prætereà, & differentia ad normam veræ definitionis continet, cum *relaxationis* vox genus ſuppleat, reliquæ, *Iuris ſcilicet alicuius* differentiam exhibeant, qua propria ratione relaxatio diſpenſationis à qualibet alia diſtinguitur; & quamuis ſit tradita definitio ab effectu, non tamen per hoc ſpernenda, cum ſit definitio Iuris, quæ ſatis, ſi exprimat adæquatum intentum, nam & *Vlp.* ex *labeone* contractum definiuit in *l. labeo*. 19. *ff. De verb. ſign. Vltrò citròque obligationem* ab effectu, & tamen laudatur definitio, vnde & hæc non improbabitur, quæ effectum propriũ, & naturalem rei definitæ explicat, tollere ſcilicet vinculum, & obligationem legis ex parte, non in totum, ne in abrogationem tranſeat; Tollit diſpenſatio quodlibet legis vinculum etiam in conſcientia, cum & hoc vinculum lex inducat, immò quòad pœnam, ſiquam infligat, & quòad reatum pœnæ, pœnam, vbi per culpam eſt iam contracta, tunc enim remiſſio pœnæ iam debitæ eſt legis ipſius relaxatio; reatum pœnæ, vel ad pœnam, quia præſeruat, ne quis fiat pœnæ obnoxius, & in pœnam incidat, licèt in legem delinquat; Hancque pœnæ iam contractæ, & debitæ relaxationem Græci propriè dixere *οικονομιαν*; tunc enim, cum maximè vigeret Eccleſiaſtica diſciplina, erat hæc diſpenſatio valdè in vſu; tantus ſiquidem erat diſciplinæ rigor, vt Canonis frangendi nulla daretur diſpenſatio, at fracti vtique cum, temerato Canone, pœnæ debitum eſſet contractum, ſiue Clericus, ſiue laicus in Canonem peccaſſet; tanta erat Canonum reuerentia! praxim exhibet Zacharias Summus Romanus Pontifex ſcribens Bonifacio Moguntino Epiſcopo de quodam, qui viduam auunculi ſui vxorem ſibi coniunxerat, & diſpenſationem ſibi indultam à Gregorio III. ipſius Zachariæ præceſſore prętexebat; per parenteſim enim ſcribit. *Abſit hoc, vt prædeceſſor noſter ità præciperet; nec enim ab hac Apoſtolica Sede illa diriguntur, quæ contraria eſſe Patrum, ſiue Canonum inſtitutis perhibentur*. Rogauerat idem Bonifacius Epiſcopus annis iam grauis, & ſanctis laboribus penè conſumptus, vt ſedem ſuam Moguntinam dimittere ſibi liceret, & alium ſubſtituere, qui etiam ſibi ſuccederet; Reſpondet Zacharias, & tranſtulit *Gratian.* in *Can. petiiſti*. 7. *q.* 1. *De eo autem, quod tibi ſucceſſorem conſtituere dixiſti, vt te viuente in tuo loco eligatur Epiſcopus; hoc nulla ratione concedi patimur, quia contra omnem Eccleſiaſticam regulam, vel inſtituta patrum eſſe monſtratur*. Expedita erat negatio, vbi Canones refragarentur, nec eos tranſgredi vllo modo fas erat, quamuis temerantibus clemens Eccleſia largiretur miſericordiam in tranſgreſſionis remedium, non in incitamentum.

*Ep. 1. com. 2.*

*Epiſt. Decret. pag. 679.*

3 Penès quem autem hæc diſpenſandi poteſtas reſideat, haud difficile eſt aſſignare, cui enim competit legiſlatio eidem, & diſpenſandi circa latam legem facultas *l. Nibil*

*bil tam nat. ff. de reg. Iur.* idemque legiſlator, ac Princeps diſpenſandi eſt arbiter, nec minùs qui ſit in Iuriſdictione ſuperior, aut in eadem æqualis, & ſucceſſor. Superior ideò, quia ſuppoſita Iuriſdictionis ſubordinatione virtualiter, & eminenter id omne habet, quod habet inferior. Succeſſor ideò, quia, vtcumque par, formaliter in ipſo eadem continuatur auctoritas, quæ in anteceſſore erat, & ideò (vt praxim exhibeamus) Summus Pontifex diſpenſare poteſt in legibus à ſe conditis, in Canonum, & generalium Conciliorum Decretis.

Supremum enim Eccleſiæ Caput omnibus hiſce eſt ſuperius, cum omnimoda Iuriſdictionis ſubordinatione adeò, vt ſi Apoſtolica eſſet Conſtitutio, dum tamen merè humana, diſpenſare in ea vtique poſſet; eſto ſiquidem quod Apoſtoli excellentiores fuerint pluribus cauſis; eſt enim in Summo Pontifice eadem poteſtas, quæ in ipſis, cum ſit eadem poteſtas, quæ fuit in Petro, cui in ſuprema capitis prærogatiua ſucceſſit, qua & Concilijs antiſtat, & eorum leges habet ſubiectas. Res tamen adeò certa non eſt in Patriarcha, Primate, Archiepiſcopo, & Epiſcopo reſpectu Patriarchalis, Nationalis, aut Prouincialis Concilij ſui, nam reſpectu alieni Concilij res compertiſſima eſt eorum neminem diſpenſare poſſe, & nodus difficultatis maximè pendere videtur ex eo, an ſcilicet eorum quilibet diſpenſans in lege Concilij ſui diſpenſet tanquam in lege propria, an verò tanquam in lege Superioris. Propria enim videtur cuiuſlibet Epiſcopi huiuſmodi lex, cum quilibet Epiſcopus in ſua tantùm Diœceſi diſpenſet, præterquamquod in Concilio Prouinciali non eſt ſpecialis Iuriſdictio, quæ vna dici valeat ſupra omnes ſuffraganeorum Diœceſes, cum nec diuino, nec poſitiuo Iure fuerit ipſi tributa, vnde non videtur prouincialis Synodus eſſe, niſi plurium Epiſcoporum aggregatio, qui ex condicto conueniant ad leges huiuſmodi ferendas, & vnuſquiſque pro ſuo Epiſcopatu eas ferat, & omnes pro tota Prouincia.

*Victor. relec. de pot. Papæ.*

*Couarr. in 4. p. 2. c. 6. §. 9. num. 6.*

Cæterum, vbi agitur de lege prouincialis Synodi diſpenſanda, cenſendam ipſam reſpectu Epiſcopi legem ſuperioris verius eſſe, in qua diſpenſare ei non liceat, niſi quatenùs tacitè, aut expreſsè ſit indultum, aut conſuetudine ſit quæſitum, Vt enim prouinciale Concilium eſt vnum Corpus myſticum, ita in eo, & ex eo reſultat vna, eaque propria Iuriſdictio tanquam connaturalis, & ſubſiſtens, quæ non eſt ſola aggregatio Iuriſdictionis. *C. ſaluo. 9. qu. 3. cum ſeq. C. Graue de Præb. C. Sicut olim. de Accuſat.* quæ quidem Iura auctoritatem ſupponunt in prouinciali Synodo condendi leges, quas ſuffraganei Epiſcopi tanquam ijdem prædicti ſubiecti ſeruare teneantur, immò quantam habuerint auctoritatem prouincialia Concilia in Epiſcopos indicauimus loco ſuo, cum tamen quantumuis aggregarentur Epiſcopi ſine Capite, nunquam id Poteſtatis haberent, aut Iuriſdictionis in ſingulos.

Habet igitur prouinciale Concilium auctoritatem, ac Iuriſdictionem propriam, cui Epiſcopi omnes eiuſdem Prouinciæ ſubijciuntur, vnde diſpenſare Epiſcopum in lege eius Concilij, eſt diſpenſare in lege ſuperioris, quod eatenus licet, quatenus

tenus conceſſum, aut conſuetudine quæſitum, abrogare verò non item legem huiuſmodi pro ſua Diœceſi; & cum ſit, quod hæc eadem Synodi prouincialis Iuriſdictio, ſit alia à Iuriſdictione Archiepiſcopi, hinc eſt, quod nec ipſe magis diſpenſare poteſt in eadem lege, quàm poſſit quilibet alius ex ſuffraganeis; appellatur enim à Metropolitano ad Concilium prouinciale, vt notat *Gloſſ. ad C. pen. de Appellat. in 6. ex C. multis 17. Diſt.* quod apertiſſimum eſt argumentum Iuriſdictionis ſuperioris, & vlterioris, quam habet Archiepiſcopus, qui adeſt eidem Concilio non tanquam ſuperior, aut maior Iuriſdictione toto Concilio, ſed tanquam Præſes ſola dignitate, & auctoritate ſublimior. Vndenam autem habeat Concilium prouinciale ſuam Iuriſdictionem, an à Summo Pontifice hìc non repetimus, cum ex proprijs eiuſdem Concilij aliàs tractatis facilè conſtet. Diſpenſant primò ſuffraganei, diſpenſat Archiepiſcopus in legibus Concilij prouincialis tanquam in legibus ſuperioris, & quia nullibi legitur facta huiuſmodi diſpenſationum reſeruatio, ideò eorum quilibet pro ſua Diœceſi circa Decreta prouincialia diſpenſat.

Extrà autem omne dubium eſt poſſe Epiſcopum diſpenſare in legibus ſuis, & præſertim in legibus Synodi ſuæ Diœceſanæ, reſpectu cuius ipſe nullo modo inferior dici poteſt, cum Synodus Diœceſana non habeat Iuriſdictionem diſtinctam, aut diuerſam à Iuriſdictione Epiſcopi, tum quia Presbyteri, qui hanc Synodum conſtituunt, non habent Iuriſdictionem propriam Epiſcopalem legiſlatiuam, ſicut habent Epiſcopi in Synodo prouinciali, vnde nec conuenientes poſſunt conferre ipſi Synodo Iuriſdictionem diſtinctam ab Epiſcopali, & illa ſuperiorem, quæ reſultat ex natura rei in huiuſmodi conuentu Synodali ex omnium conſenſu, tum etiam quia Chriſtus Dominus illam nec contulit vnquam, nec confert, cum nullum extet de huiuſmodi collatione in Sacra Scriptura teſtimonium, nec vlla traditio, neque Summus Pontifex eam contulit vnquam, aut confert, in Iure nullibi legitur id traditum, & ideò Synodalis Diœceſana Iuriſdictio alia non eſt, quàm Epiſcopalis, & in ſtatutis per eam tanquàm in lege propria diſpenſat Epiſcopus.

Conſequenter igitur licet inferre non poſſe eundem Epiſcopum diſpenſare in lege Summi Pontificis tanquam ſuperioris, niſi expreſſa, aut tacita ipſi fiat conceſſio; *Clem. Ne Romani. De elect. C. inferior. De maior. & obed.* etſi conceſſio fiat, nihilominus ordinaria poteſtate id facere intelligitur non delegata; concedendò enim Epiſcopo huiuſmodi diſpenſandi facultatem, excitari potius cenſetur ipſius Iuriſdictio, quàm aliqua de nouo concedi, generali ſiquidem paſcendi poteſtate, quæ data eſt Epiſcopo, contineri & diſpenſandi facultatem virtualiter intelligitur; verè enim diſpenſator Epiſcopus, cui ſpiritualia, & temporalia inter ſingulos diuidenda mandantur. *Lucæ C. 12.* inter quæ & legis derogatio, vbi id opus exigit, & quamuis appareat facta conceſſio, ſiue commiſſio, non tamen per hoc neceſſariò dicenda eſt delegata poteſtas, cum ſit perpetua, & facta Epiſcopali dignitati conna-

Digitized by Google

connaturalis, & ideò ordinaria cenſeri debet, vt not. *Gloſſ. ad C. fin. de off. Ord.* & appoſitè obſeruat *Couar.* ſtat enim mandatarium Iuriſdictionem habere, & habere aliquid proprium, vt exemplificat *Cuiac.* & tradit *Ant. Gouean.* Hactenus de ijs, penès quos diſpenſandi facultas.

*Var. lib. 3. c. 20. n. 6. & 10*

*Ad l. More maior. ff. de Iuriſd. omn. Iud.*

## Quæ materia, & quæ forma Diſpenſationis.

## §. II.

1 *Legem diuinam, aut naturalem non eſſe materiam diſpenſationis, ſed vinculum legis humanę.*
2 *An in traditionibus Apoſtolicis licita diſpenſatio.*
3 *De diſpenſatione quatenus circa perſonas.*
4 *An Princeps ſecum ipſe poſſit diſpenſare.*
5 *In diſpenſatione quàm neceſſaria iuſta cauſa.*
6 *Quæ cauſa ſit cenſenda diſpenſationis.*
7 *Cauſæ ad Summa capita reuocantur.*

Qvòad materiam; certum eſt legem Diuinam, aut naturalem materiam diſpenſationis eſſe non poſſe, ſuſpicienda ſiquidem vtraque eſt tanquam lex ſuperioris, nec fas eſſe poteſt circa eam diſpenſare, *quod non ab homine traditum* (ait *Diuus Bernardus*;) *ſed diuinitùs promulgatum niſi à Deo, qui tradidit, mutari omninò non patitur.*

*De præcep. & diſp. c. 5.*

1 Diſpenſationis igitur materia erit legis humanæ vinculum, aut obligatio, quam lex ipſa humana, & humana conſtitutio inducat, & ad hanc ipſam reuocabimus effectus morales, ſi qui ſint à lege ipſa proficiſcentes, ſiue ſint perpetui, ſiue temporales, ſed eatenus ſolummodò, quatenus à lege ipſa pendeant in eſſe, & in conſeruari, ſublato enim reſpectu, & relatione ad legem effectus huiuſmodi materiam diſpenſationis effugiunt; Sit enim filius ſpurius, quem pater per diſpenſationem legitimare velit, vt ſibi tanquam legitimus hæres ſuccedat, facere hoc poterit, cum ſit, quod hic effectus legitimationis, & illud illegitimitatis impedimentum pendeat à lege pro eo tempore. Moriatur Pater, ſuccedantque ei legitimi hæredes, legitimatio fieri non poterit, obſtat enim, & lex, & iuſtitiæ ratio, quæ non patitur legitimationem fieri in præiudicium legitimorum hæredum, quibus per ſucceſſionem iam eſt ius quæſitum.

2 Quia verò inter leges humanas, & præcipuè Eccleſiaſticas, dantur traditiones Apoſtolicæ, quæ dici poſſunt nobiliſſima pars non ſcripti iuris, & de quibus agemus opportunè, cum de non ſcripto Iure tractabimus, ideò hìc meritò ambigemus, an in ipſas, & earum obſeruantiam cadat diſpenſatio?

Nec ſine cauſa dubitamus: nam Summi Pontifices adeò ſe obſtrictos Patrum ſtatutis agnoſcunt, vt in contrarium quidpiam operari ſe non poſſe profiteantur, ſic enim apertiſſimè *Zoſim.* in *C. ſicut* 14. *diſt.* & *in C. contra ſtatuta* 25. *quæſt.* 1. *Vbi ſup. num. 4.* Verùm traditiones Apoſtolicæ ſeparandæ ſunt, & accuratè diſcernendæ, vt obſeruauit *Victoria*; Aliquæ enim dicunt præcepta in Sacra ſcriptura con-

contenta, & mandata Iuris Diuini, hoc eſt lata auctoritate Diuina, quamuis ab Apoſtolis promulgata; Vt Extrema Vnctio, quæ eſt Diuinum Sacramentum à D. Iacobo promulgatum, & de Matrimonio *D. Paulus*. *Qui matrimonio ſunt iuncti præcipio non ego, ſed Dominus vxorem à viro non diſcedere*.

*Epiſt.Iacob.c.5.*

*1. Ad Corinth.c.7*

Aliæ verò traditiones, ea proponentes, quæ ſunt decreta ab Apoſtolis ipſis; Sic enim *D. Paulus*. *Nam cæteris dico ego non Dominus, ſi quis habet vxorem infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo, non dimittat illam*; Apoſtolos enim pleraque præſcripſiſſe pro recta Eccleſiæ intentione, & adminiſtratione credendum omninò eſt; *D. enim Paul. Cætera cum venero diſponam*. In traditionibus illis primis diſpenſationem licere negandum eſt; non enim magis in ipſis licita, quàm in ijs, quæ ſunt Iuris Diuini; In alijs ſecundi generis traditionibus diſpenſare vtique fas eſt, & recti regiminis ratio id exigit, in quo explicando præcipua pars Iuſtitiæ eſt, vt fiat recta commenſuratio communis ad ſingula, idque intendere, & operari diſpenſationem obſeruat *Diu. Thom*: & eò magis, quò quæ fuit auctoritas in Apoſtolis, pro condendis huiuſmodi Decretis, eadem viget in eo, qui eandem cum Apoſtolis gerit auctoritatem, qualis Pontifex Summ. Tenacis obſeruantiæ erga ea, quæ à Patribus ſunt ſtatuta, ſe profitentur quidem Summi Pontifices ità, vt leuiter ab ipſis non recedant, at hoc non excludit prudentis, & moderatæ, aut neceſſariç diſpenſationis vſum; & ideò quæ leguntur in *C. Sicut*. 4. *Diſt*. & *in Cap. ſtatuta, quæ contra* 25. *q*. 1. accipit, & intelligit *Gloſſ*. de ijs, quæ reſpiciunt fidem, in quibus, vel minimùm tranſgredi, aut immutare non licet, & ſi præciſè accipere velimus de Patrum decretis, & Apoſtolorum ſtatutis, vel traditionibus, aduocabimus appoſitam *D. Thomç* doctrinam de voto loquentis. *Cum diſpenſatur in aliqua lege humana non fit, vt legi humanæ non obediatur, quod eſt contra legem naturæ, & mandatum diuinum, ſed fit, vt quod erat lex, non ſit lex in hoc caſu*. Maneant Patrum decreta, maneat Apoſtolica traditio, & ijs non parere non audebit Eccleſia; Diſpenſet Superior competenti auctoritate, & non parere non eſt piaculum, vbi deficit vinculum.

*Vbi ſup.*

*1.adCor.c.11.*

*1.2.q.97.art.10.in corp.*

*2.2.q.88.art.10.ad 2.*

3 Verſatur vlteriùs Diſpenſatio, & circa perſonas, quæ eiuſdem dici poſſunt, immò re vera ſunt, ſubiectum; Diſpenſatio ſiquidem eſt actus Iuriſdictionis, quç in alium non poteſt exerceri, quàm in ſubditum; Sicut enim vinculo legis non poteſt ligari niſi ſubditus *C. Inferior*. 21. *diſt*. Ita nec alius legis vinculo ſolui, ſed cum eo diſcrimine, quod lex obligat etiam inuitum, vnde ſupponit Iuriſdictionem neceſſariam, & vim coactiuam, at ad ſoluendum per diſpenſationem ſufficit Iuriſdictio voluntaria, quæ denominatur ex eo, quod à volente in volentem exerceatur, ſed vtraque vera Iuriſdictio eſt, neque volentis, aut coacti differentia veræ Iuriſdictionis rationem immutat, aut minuit; verùm inter legem, ac diſpenſationem adhuc illud diſcriminis viget, quod lex fertur ſemper pro communitate, vnde dicta *commune præceptum l. 1. ff. de legib*. At diſcipis

cipis

penſatio indulgetur, aut ſingulari perſonæ, aut communitati, quæ ſit pars, & minor alia maiori communitate, quæ ideò eximatur, & excipiatur à lege communi; vnde & ſortitur rationem ſingularis, licèt non indiuidui.

4 Quamuis autem diſpenſationis actus verſetur circa ſubditum, vt ſupra diximus, non tamen per hoc fit, quin poſſit legiſlator, & Princeps ſecum ipſe in lege ſua diſpenſate; Iuriſdictionem neceſſariam, quæ per vim coactiuam explicatur, non poteſt quidem quis in ſe ipſum exercere, vnde nec in cauſa ſua iudicare *Rub. Cod. ne quis in ſua cauſa iudicet*; at voluntariam vbique, cuius voluntariæ Iuriſdictionis actus eſt diſpenſatio, quæ ratio fuit, vt legis actiones apud Romanos poſſent à gerente Magiſtratum apud ſe ipſum expediri, quia legis actiones erant merè voluntariæ Iuriſdictionis; Sicque, ſi Conſul eſſet filius familias, poterat apud ſe ipſum emancipari, aut in adoptionem dari *l. ſi Conſul. iunc. l. ſeq. ff. de Adopt.* multò magis ſi legiſlator poteſt ſe ipſum ligare lege ſua, quod ſapit vim coactiuam, poterit & ſe ipſum ſoluere eadem lege per diſpenſationem, ſubditus enim in hac parte cenſetur, & ideò etiam diſpenſationis capax.

5 Vt autem grauiſſimus eſt hic actus diſpenſationis, ſiue ſe ipſum ſoluat Princeps, ſiue alios, ita temerè ad diſpenſandum accedere non debet, ſed iuſta, & rationabilis aliqua cauſa debet ſubeſſe, etſi in hac parte diuiſos intueamur auctores, pròvt agmina vtrimque ſentientium regerit *Sanchez*; At verò materiæ grauitas, quanta eſt legum integra, & illibata cuſtodia, exigit, vt non aliter liceat Pontifici, Regi, aut Supremo Principi diſpenſare in lege ſua, niſi iuſta cauſa adſit, quæ nedum ſuadeat, ſed vrgeat, ſin minùs lethale id ſit diſpenſanti. Præit id aſſerentium agmini *D. Thom.* quem ſequuntur innumeri apud *Sanchez*, qui in diſpenſante duplex exigit munus ex Chriſti Domini præcepto aiẽtis, *quis putas eſt fidelis diſpenſator, & prudens*.

*De Matrim. lib. 5. diſp. 18 num. 2. 3.*

*1. 2. q. 97. art. 4. in corp.*

*Vbi ſup. num. 3.*

*Lucæ c. 12.*

Da diſpenſationem ſine iuſta cauſa, & dos vtraque deficit; fidelis enim non eſt, cum recta non ſit eius intentio ad bonum commune, cuius ratio ſumma cauſa cenſenda eſt; Nec prudens dici poterit, qui cauſam diſpenſationis ignoret, ſed nuda ſua voluntate nitatur, nec ſine iniuſtitiæ nota inducta per eum videtur perſonarum acceptio, quandò alijs ſub legis pondere manentibus vnus aliquis gratis eximitur, quod eſſe nequit ſine aliorum iniuria, cum enim omnibus eadem, & æqualis lex eſſe debeat, iam ſine cauſa redditur diſpar, & inæqualis, & demum ius naturale ipſum pugnat, quod exigit, vt pars quælibet toti ſuo congruat, qui ſanè concentus turbatur, vbi ſine cauſa diſpenſatur in lege, ſiue Princeps ſecum ipſe diſpenſet, ſiue cum ſibi ſubdito.

Eſt quidem in arbitrio Principis figere, ac refigere leges, condere, & abrogare, at non item pro libito diſpenſare; Vbi enim lex iam condita eſt, eaque obtinet ſine ipſius iuſtitiæ iniuria æqualitas tolli non poteſt, quæ quidem tollitur, quoties vnus à vinculo legis eximitur, & ſine cauſa; vtcumque enim legibus ſit ſolutus Princeps, legibus tamen viuit, & licet vis coactiua non eum vrgeat,

ſtringit tamen vis directiua, quæ non ſinit omne arbitrarium eſſe licitum, neque ex eo, quod in caſu particulari hominis adſit iuſta cauſa diſpenſandi, ſolutum eſt vinculum eiuſdem legis, quia ratio legis ceſſat in caſu particulari, generali nihilominùs manente vinculo, quod ſoluere ſolus poteſt ſuperior cauſa cognita, & approbata, qua non exiſtente peccat contra iuſtitiam diſpenſans, quicumque is ſit, peccat is, cum quo diſpenſatur, nec contra iuſtitiam leue poteſt eſſe peccatum, cum diſpenſatio in eo caſu ſit omninò illicita; *C. Neceſſaria. C. quod pro remedio. 1. quæſt. 7. Concil. Trid. Seſſ. 23. de Reform. C. 18. & Seſſ. 24. C. 5. de Reform. l. Relegati. ff. de pæn. l. 4. in pr. ff. de damno infect.* Illicita quidem, non tamen conſequenter inualida, ſed immò valida. *C. Venerabilib. §. Sanè. de Sent. Excommun. in 6.* quia ſiue licita, ſiue illicita ſit diſpenſatio, hoc tamen non tollit poteſtatem in Principe, qua ſtante actus per eum geſtus ſubſiſtit, præſertim circa legem propriam; quod ſi fortè ageretur de lege ſuperioris, tunc diſpenſatio largita ſine cauſa, nedum illicita, ſed & inualida eſſet; non enim præſumi poteſt, ſuperiorem conſentire in diſpenſationem ſuæ legis factam ab inferiore ſine cauſa, qno caſu cum deficiat in ipſo diſpenſante poteſtas, irrita, & inſubſiſtens redditur diſpenſatio.

6 Si verò inquiratur vlteriùs circa iuſtitiam ipſius cauſæ, & declarari petatur, quænam ſit cenſenda iuſta cauſa, propter quam licitè veniat indulgenda diſpenſatio; Iam ad ſingularia nimis pertrahimur, de quibus theoriam, & doctrinam aptam tradere, non eſt adeò facile, immò fermè impoſſibile. Quantum ergo fas eſt pro inſtituto noſtro trademus ea, quæ facem ad ſingularia ipſa diſcernenda præferant. Iuſtitia igitur, aut iniuſtitia in cauſa diſpenſationis merè arbitraria eſt, & eius determinatio ab arbitrio prudentis, & diſcreti viri omninò pendere debet, quod quidem arbitrium ex periſtaſium, ſeù circumſtantiarum collatione, & examine debet dirigi, & inſtrui. Inſpicietur autem præcipuè tempus, vtilitas, perſonarum conditio, meritum, qualitas, & dotes, neceſſitas, pietas, rei euentus, multitudo, ſcandalum, quod in alterutrum datæ, aut denegatæ diſpenſationis poſſit contingere, prout ſpecimen ſatis accomodum exhibent tex. in *C. fraternitatis. 34. Diſt. C. requiritis C. neceſſaria C. tali 1. q. 7.* & vt tam lata amplitudo ad definitum aliquod contrahatur,

Diſpenſationum cauſæ ad tria hæc motiua poſſunt reuocari, à quibus iuſtitiam aſſequantur, hæque ſunt charitas ſcilicet, neceſſitas, vtilitas, & ſiue harum aliqua vix eſt, vt debeat fieri diſpenſatio, rectiſſimè *D. Bernard. Nouit fidelis ſeruus, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, ibi tantùm vſurpare diſpenſationem, vnde bonam poſſit habere recompenſationem*, qua compenſationis voce vſus eſt & *Iuo Carnotenſis* mutuatus à *Concilio Africano*. Charitas omnium virtutum excellentiſſima, omnibuſque ſublimior nonniſi iuſtam reddet diſpenſationem, vbi eius fuerit habenda ratio, vt in legibus, & conſtitutionibus, in quibus maximè charitas ſpectatur, & quæ ad charitatem principaliter tendunt, de quibus

*De Præcep. & diſpenſ. c. 3.*

*In Pręf. Decret. Cod. Can Eccleſ. Afric. Can. 68.*

bus idem *D. Bernard. Nonne Iuſtiſſimum eſſe liquet, vt quæ pro charitate inuenta fuerunt, pro charitate quoque, vbi expedire videtur, vel omittantur, vel intermittantur, vel in aliud forte commodius demutentur.*

Neceſſitatem tanquam legitimam diſpenſationis cauſam agnoſcunt allegati iam ex *Gratiano* Canones, & ipſe *D. Bernard.* pro libertate ſua ad Eugenium III. Pontificem. *Quid inquis? Probibes diſpenſare? Non; ſed diſſipare; Non ſum tam rudis, vt ignorem, poſitos vos diſpenſatores, ſed in ædificationem, non in deſtructionem; Denique quæritur inter Diſpenſatores, vt fidelis quis inueniatur, vbi neceſſitas vrget, excuſabilis diſpenſatio eſt.*

*Lib.3. De Conſid.c.4. in fin.*

Vtilitas demùm in Canonum diſpenſationibus ſpectata, quæ tamen pro duplici reſpectu duplex, publica ſcilicet, & priuata. Publica cum primis in diſpenſationibus ſpectatur vetuſtum æque, ac ſplendidum exhibet teſtimonium *Carthaginenſe Concilium*, aliàs etiam *Africanum*. Concilio tranſmarino, hoceſt Italico, vt not. *Zonar. & Balſam.* & fortaſſe Capuano, cautum diſtrictè fuerat; ne pænitentes hæretici locum ſuum in Eccleſia retinerent; Cum verò decreuiſſent Patres Africani Concilij, vt mitiùs, & humaniùs cum Donatiſtis ageretur, opus agnouerunt ſpeciali decreto, vt ſine iniuria vniuerſalis Eccleſiæ in Clero reciperentur, immò & auctoritate, & conſenſu Romani Pontificis, quod ſummopere notandum eſt; Vnde in ea verba decreuerunt. *Placuit, vt literæ mittantur ad fratres, & conſanguineos noſtros, & maximè ad Sedem Apoſtolicam, in qua*

*Can. 68. in cod. Can. Eccl. Afric. 71 apud Balſam. 74. apud Zonar.*

*præſidet memoratus Venerabilis frater, & Collega noſter Anaſtaſius, quò nouerit habere Africam magnam neceſſitatem propter Eccleſiæ pacem, & vtilitatem, vt & ipſi Donatiſtæ, quicumque Clerici correcto conſilio ad Catholicam vnitatem tranſire voluerint, in ſuis honoribus ſuſcipiantur.* Proteſtantur autem ijdem Patres id à ſe peti, *non vt Concilium, quod in tranſmarinis partibus de hac re factum eſt, diſſoluatur, ſed vt illud maneat circa eos, qui ſic tranſire ad Chatholicam volunt, vt nulla per eos vnitatis compenſatio procuretur.* Sicque in progreſſu Canonis laudant, & reuerentur ſupraſcriptum tranſmarinum decretum, moxque claudunt, *ſed exceptis his, per quos Catholicæ vnitati conſulitur.* Noluerunt ergo Patres ſolui Concilij decretum in gratiam ſingularis alicuius perſonę, niſi id exigat *compenſatio* publicæ vtilitatis, vnitatis ſcilicet Eccleſiæ, vnde & cauſam indulgendæ diſpenſationis *compenſationem vnitatis appellant.* Spectabile ſanè, vel ipſa vetuſtate, nedum auctoritate teſtimonium! Addi poteſt *D. Auguſtini*, & *Iuonis Carnotenſis* conſenſus.

*Epiſt. 50. ad Bonif.*
*In Præf. Decret.*

7 Ad hoc ipſum Caput publicę vtilitatis reuocari poteſt pro diſpenſationum cauſa, & perſonarum dignitas, quarum intuitu largita diſpenſatio poteſt proficere ad Religionis, & Reipublicæ bonum; Sic enim appoſitè *D. Thom.* de diſpenſatione in matrimonio loquens. *Diſpenſatio Matrimonij contrahendi principaliter fieri propter fœdus pacis firmandum, quod quidem magis eſt neceſſarium communi vtilitati circa perſonas excellentes, & ideò cum eis faciliùs diſpenſatur abſque*

*2.2.q.63. Art.2. ad 2.*

peccato

*peccato acceptationis perſonarum*, & ideò *Concilium Syluaneƈtenſe* vtile cenſuit Eccleſiæ gratiam Principibus præſtare in rei Eccleſiaſticę permutatione, etiam cum re æquali, *C. 1. de rerum permut.* eòque reſpexit pari prudentia *Concil. Trid.* dum ſtatuit, ne in ſecundo gradu vnquam diſpenſetur, niſi inter magnos Principes, & ob publicam cauſam. Verùm proceſſu temporis immutatis rebus, & Eccleſiæ ſtatu ità exigente varijs bellorum motibus aliquandò concuſſo, diſpenſationum etiam rigida diſciplina cæpit immutari, ac priuatorum hominum ratio haberi, & publicum bonum exiſtimari non tantùm quod immediatè, & principaliter communem vtilitatem tangeret, ſed & quòd mediatè, indireƈtè, & conſequenter, cum publicum bonum ex priuato etiam conſtet, & ideò in *Can. Requiretis 1. quæſt. 7.* variæ diſpenſationis cauſæ recenſentur, quæ priuatum intereſſe reſpiciunt, & *D. Thom.* maius bonum priuatæ perſonæ, & maioris mali declinationem iuſtam cauſam indulgendæ diſpenſationis aſſerit, nec minus ipſum *Concil. Trid.* cauſas, & priuatas, & publicas regerit; Neque enim nouum, vt declinantis ſæculi collapſi mores legum Eccleſiaſticarum moderationem, ac diſpenſationem à prudentibus, & diſcretis paſtoribus pro temporis opportunitate extorſerint. Aeuo D. Anſelmi Cantuarienſis Archiepiſcopi eò deuenerat Canonum contemptus, vt propter reorum multitudinem à punitione abſtinendum prudentia diƈtaret, ac diſpenſationis auxilio potius agendum, præueniendamque Canonum tranſgreſſionem, quàm poſt eam quærendum remedium; Scribit ergò Paſchali Papæ, & conquæritur diſpenſationis neceſſitatem; *Sæpe neceſſe eſt* (inquit) *aliquid de Apoſtolicis, & Canonicis ſtatutis pro compenſationibus* (terminus Concilij Africani, de quo ſup.) *relaxare, & maximè in Regno, in quo ferè omnia ſic corrupta, & peruerſa ſunt, vt vix ibi aliquid ſecundùm ſtatuta Eccleſiaſtica fieri poſſit*. Sicque ſubditorum contumacia, ac inobſeruantia diſpenſationibus viam aperuit, ſaltem frequentioribus, non auaritiæ ſtimulus, vt calumniantur Nouatores, & ideò *Gloſſ. ad d. C. Requiretis 1. quæſt. 7.* ſcandali declinandi zelum, iuſtiſsimam eſſe cauſam diſpenſationis concedendæ ſcribit, & quamuis dicatur nonunquam in praxi concedi diſpenſationem ſine cauſa, attamen maior pecuniaria compoſitio in publicos ſumptus reƈtè dicitur cauſa. Hæc ad theoriam diſpenſationis pro coronide traƈtationis de legibus, & conſtitutionibus tradidiſſe contenti erimus, reliqua pragmaticis relinquentes, inter quos *Sanchez. Ponce*, & alij, qui circa ſingularia diſpenſationum conſuli facilè poſſunt. Tranſibimus ergò ad Reſcripta.

*Seſſ. 24. De Ref. Matr. c. 5.*

*1.2.q.97. art. 4.*

*Seſſ. 23. De Ref. c. 1. Seſſ. 25. cap. 18.*

*Iuretus in Not. ad epiſt. Iuon. Carnot. pag. 214.*

## CAP. VI.

## De Reſcriptis.

1 *Reſcriptorum origo ex antiqua Decretali, & Iuris Ciuilis, ac Imperatorum exemplo.*

2 *Relatio de duplici Cauſarum genere facta fidei ſcilicet, & diſciplinæ, & confirmatur exemplis.*

3 *Varij modi, quibus tum Imperatores, tum Summi Pontifices ius dixere, & adhuc dicunt.*

4 *Reſcriptum quid ſit per plures, definitiones, & plures æquipollentes voces.*

5 *Reſcriptorum diuiſiones plures, & ſingulæ declaratæ.*

6 *Differentiæ, quæ vigent inter reſcriptum Gratiæ, & Iuſtitiæ.*

7 *Qui non poſſint reſcriptum impetrare.*

8 *In impetratione reſcripti cauenda maximè Subreptio, & obreptio, quæ vtraque declaratur, & regula pro tota materia traditur.*

9 *Quæ alia annullent reſcriptum.*

10 *Vltra reſcripta ſunt aliæ plures Pontificiæ literę, & quo honore, & cultu excipiendæ.*

Conſtitutionibus proximè accedunt reſcripta tanquã pars ſcripti iuris præcipua, & tanquam proprius, & ſingularis modus, per quem Summi Romani Pontifices Eccleſiæ, & fidelibus ius dicunt; ideò poſt Conſtitutiones recto ordine ſubijcimus reſcripta ipſa.

1 Poterat non omittere Raimundus Decretalium Gregorij IX. compilator in *Cap. 1. de Reſcriptis* præfationem, quę in eodem capite in Antiqua Decretali præmittitur; præbet enim ipſa totius materiæ fundamentum, dum Ius peructuſtum ſupponit, & morem enarrat Apoſtolicæ Sedis, & Summorum Pontificum reſpondendi propoſitis ſibi conſultationibus, aut quæſitis, quæ reſponſa propriè reſcripta dicuntur, hac enim præfatione ſublata caput illud primum vix ad tit. de reſcriptis pertinet. Præfatur ſiquidem Alexander III. ſic ſcribens Senonenſi Epiſcopo; *Sicut Romana Eccleſia omnium Eccleſiarum, diſponente Domino, Mater eſt, & Magiſtra, ita & nos, qui eidem Eccleſię, licèt immeriti, ſupremæ diſpoſitionis prouidentia præſidemus, pròut Dominus nobis miniſtrauit, conſultationibus reſpondere cogimur ſingulorum, & quæ videntur dubia Apoſtolicæ circumſpectionis prouidentia declarare.* Hactenus Alexander III. ſuum, ſuæque Sedis ius tanquam reſcriptorum fundamentum præmittens in Iudicijs toti Chriſtiano Orbi reddendis; quod quidem omninò diſtinguimus, ac ſegregamus ab eo, quod habuit ſemper, & habet Romanus Pontifex, aut tanquam Metropolitanus prouinciæ ſuæ, aut tanquam ſuæ Diœceſis Patriarcha; Ius enim, de quo loquimur, ei competit tanquam ſupremo Capiti totius Eccleſiæ, ad quod omnia Iudicia Chriſtiani Orbis iure poſſunt tranſmitti, ac deuolui, hocque maximè Nouatores abhorrent, quaſi à Ni-

*1. Comp. Antiq. Decretal. apud Anton. Auguſtin. c. 1.*

cæna

cæna Synodo ſit adeò ſtabilita in Iudicijs prouincialium Synodorum auctoritas, vt omnis ſublata remaneat appellatio, & omne confugium. Verùm, vt ſit obſcurus appellationum vſus pro Eccleſiæ illo æuo, quod anteceſſit Sardicenſe Concilium annis ſcilicet 347. quandòquidem Eccleſiæ ſtatus, & rerum conſtitutio tunc temporis appellationum vſum non adeò facilè admitteret, frequens nihilominus erat alius iudiciorum ſtylus, qui ſupremum Romani Pontificis gradum ſupponeret, ac conteſtaretur, isque erat relationum, ſiue conſultationum vſus, quò ad Apoſtolicam Sedem, tanquam ad ſupremum totius Eccleſiæ oraculum, confugiebat. Obtinuit anteà in Iure ciuili hic mos conſultationum, ſiue relationum (promiſcuè enim hæ voces accipiuntur, vt indicat *Barnab. Briſſon.*) Conſultatio ſiquidem dicebatur, cum ad Imperatorem quid de Iure dubitans Magiſtratus referret, & ad cuius Conſultationem idem Imperator reſponderet, ſiue reſcriberet; Sic enim *Vlp.* in *l. Solet ff. de off. Proconſul.* in *l. Verum.* 12. §. *ex facto ff. de Minor.* in *l.* 1. *ff. de Appellat. & Relat.* vt mittamus *Cuiac. Plinium Iuniorem, & Symmach.* in eorum epiſt. nec non *l.* 31. & 34. *C. Theod. de Appell. & Conſult; & ibid. Iacob. Gothofred.*

*De Verb. ſignif. lib. 3. & 16.*

*Ad tit. C. de relat. & ad tit. Cod. de appell. et conſult.*

Ad Exemplar igitur ſupremæ poteſtatis in Republica aſſumptus inualuit in Eccleſia hic idem conſultationum, & relationum vſus, & circa geminum cauſarum genus exercebatur; aut enim circa ea, quæ fidem reſpicerent quæſtio proponebatur, aut circa ea, quæ diſciplinam, nec erat antea Canonibus deciſa.

2 De fidei Cauſis proſtat apertiſſimum teſtimonium inter epiſtolas S. Innocentij Papæ primi. Cum emerſiſſet error Pelagij, & Cæleſtij repreſſus fuit ſtatim à Concilijs Mileuirano, & Carthaginenſi in Africa, & hoc vtrumque Concilium referens ad Innocentium ſcripſit, Chartaginenſe. *Hoc itaque geſtum, Domine frater, ſanctæ Charitati tuæ intimandum duximus, vt ſtatutis noſtræ mediocritatis, etiam Apoſtolicæ Sedis adhibeatur auctoritas.* Mileuitanum præfatur in Epiſtolæ exordio cauſas fidei ad Romanum Pontificem eſſe referendas, moxque claudit epiſtolam. *Hæc ad ſanctitatem tuam de Concilio Numidiæ ſcripta direximus imitantes Carthaginienſis Prouinciæ Coepiſcopos noſtros, quos ad Sedem Apoſtolicam (quam beatus illuſtras) de hac cauſa ſcripſiſſe comperimus.* Reſcribit Innocentius; laudat Meliuitani Concilij curam, quòd ſecutum ſit exemplum Carthaginienſis, & relationem in cauſis fidei faciendam ad Sedem Petri confirmat ab vnaquaque orbis parte. Neque obijciatur, quod ab vtroque hoc Concilio non fuerit de dubia cauſa fidei relatum, ſed potius eorum, quæ eſſent definita, petita confirmatio; Nam obſeruandum illud eſt, quod quamuis in dubijs fidei cauſis tam ab Oriente, quàm ab Occidente ad Romanam Sedem ſcriberetur, id tamen cum eo diſcrimine fiebat, quod ab Oriente non dirigebantur relationes ad Romanam Sedem, niſi emergentia dubia, aut erumpentes cauſæ in Synodo Patriarchali eſſent examinatæ. At ab Occidente ſtatim, & immediatè ad Apoſtolicam Sedem huiuſmodi quæſtiones tranſmittebantur. De Eccle-

*Tom. 1. epiſt. Decret. p. 2. pag. 40.*

*Vbi ſup. p. 97 eſt epiſt. 32*

ſijs

ſijs Orientis teſtatur *D. Hyeronimus* ſcribens ad Ioannem Hieroſolymitanum; Conqueritur enim, quod circa inſurgentes Origenis errores retulerit ad Epiſcopum Alexandrinum, cum iuxtà Nicœnos Canones referre potiùs debuiſſet ad Nercæſarienſem, aut Antiochenum, qui erat Orientis, & Páleſtinæ Metropolita; *Antiochiam* (inquit *Hyeronim.*) *quæ eſt Metropolis Orientis referre debueras*, & demum inſignis eſt relatio Iuſtiniani Cæſaris Ioanni Summo Romano Pontifici in *l. Nos reddentes C. de Summa Trin. & Fide Catholica*. De Cauſis Fidei Occidentis confirmant Carthaginenſis, & Mileuitani Concilij teſtimonia ſupra allata.

De dubijs, ſiue cauſis dubiæ diſciplinæ fiebat relatio, & dirigebatur conſultatio ad Apoſtolicam Sedem, ſumptis ſemper promiſcuè *relationis*; *& conſultationis* terminis Ep. 11. n. 20. prout ſumpſit *D. Hyeronim.* ad *Ageruchiam. Ante annos plurimos, cum in cartis Eccleſiaſticis iuuarem Damaſum Romanæ Vrbis Epiſcopum, & Orientis, atque Occidentis Synodicis conſultationibus reſponderem*. Exhibet oblatæ conſultationis ſpecimen *Siricij Summi Pontificis* Epiſtola, qui Damaſo ſucceſſerat ad Himerium Tarraconenſem Epiſcopum, qui Damaſo dubia quamplura diſciplinam Eccleſiaſticam reſpicientia propoſuerat, & cum eius litteræ reperiſſent Damaſum iam defunctum, Siricius eius ſucceſſor reſpon- Tom. 1. epiſt. Decret. p. 21. pag. 37. det, & quæſitis ſatisfacit: Sanctiſſimè enim ſemper in Eccleſia Romana cuſtodita fuit Eccleſiaſtica diſciplina; & ideò vbicumque, & quandòcumque dubitare circa ipſam contigeret, ad eandem, tanquam ad communem omnium normam, & exemplar Eccleſiæ, & Præſules omnes ſe conuertebant, neque hæc reſponſa habebantur, aut recipiebantur tanquam mera conſilia, aut prudentum conſulta, ſed tanquam vera decreta ex Canonibus, & traditionibus ſacris dictata; Ideoque Siricius ſupra allegatam epiſtolam ſuam claudens Himericum Tarraconenſem ſic alloquitur. *Nunc fraternitatis tuæ animũ ad ſeruandos Canones, & decreta alia conſtituta magis, ac magis incitamus, vt hæc, quæ ad tua conſulta reſcripſimus, in omnium Coepiſcoporum noſtrorum perferri facias notionem*.

Addere licet conſultationis ſuper Eccleſiaſtica diſciplina exhibitæ Romanæ Sedi ſpecimen elegantiſſimum ex Epiſtola *Innocentij I.* Summi Tom. 1. p. 1. ep. 1. Innocent. pag. 52. Pontificis ad Victricium Epiſcopum Rhotomagenſem; In ea enim fas eſt inſpicere plura capita quæſita, & reſponſa exhibita, non ex arbitrio, ſed fundamento Apoſtolicæ, & Patrum traditionis, & Canonum auctoritate, immò & generalem regulam; *Vt ſi maiores cauſæ in medium fuerint deuolutæ ad Sedem Apoſtolicam, ſicut Synodus ſtatuit, & beata conſuetudo exigit poſt Iudicium Epiſcopale referantur*; Vbi per maiores cauſas epiſtolæ ipſius contextus indicat ſignificari dubias fidei, ac diſciplinæ, & difficiles quæſtiones, quarum relationem ad Apoſtolicam Sedem moribus, & Synodo tribuit Innocentius; Synodo certè non alij, quàm Nicænæ. *Canon. ſcilicet V. & VI.* & conſuetudini illi, cuius meminit eadem Synodus Can. VI. qui Canon Eccleſiam, & Pontificem Romanum proponit tanquam exemplar, ad cuius inſtar aliarum Eccle-

ſiarum,

ſiarum, & aliorum Epiſcoporum prærogatiuæ veniant conſeruandæ; Vnde multò magis ijdem Eccleſiæ Romanæ ſuæ veniant cuſtodiendæ, inter quas illa potiſſima, quam Anacletus Papa à Chriſto, & ab Apoſtolis repetit, vt ſcilicet omnes cauſæ ſiue fidei, ſiue diſciplinæ, quæ meritò dicuntur maiores, ad Apoſtolicam Sedem referrentur. Hic relationis recurſus maximè frequens fuit ante Sardicenſe Concilium; Sicque idem ſupponebat ſupremum gradum in Romana Eccleſia, cuius gradus ratione, & appellatio ipſa competebat, neque enim admittimus *Sardicenſe Concilium Can. ſuo* 3. & 4. Ius appellationum Romanæ Sedi contuliſſe, vt & iam ſupra obſeruauimus, & dicemus exactiùs loco ſuo.

Tom. 1. ep. Decr. p. 1. p. 40.

Hiſce igitur fundamentis innititur reſcriptorum Pontificiorum origo, & auctoritas, adeòque Ius ipſum Pontificium, quo hucuſque vſa eſt, & vtetur ſemper Eccleſia, quæ principia retexiſſe, vt neceſſarium nouimus, ita percepiſſe benignum lectorem non pigebit.

3 Reſcriptorum igitur materiam aggredientes præmittemus, Pontifices maximos non minùs, quàm Imperatores ius condere conſueuiſſe; Imperatores ſiquidem, vt docet *Cuiac.* ius conſtituebant reſcriptis, pragmaticis, ſubſcriptionibus, adnotationibus, decretis, interlocutionibus, & ſi quæ eſſent huiuſmodi; Pontifices verò Romani rem obſeruantes de nomine non admodum fuerunt ſolliciti, ſed ſæpius voces, & nomina ipſa confuderunt, Et Edictis fuiſſe aliquandò vſos indicat tex. in C. 3. *de off. leg.* in *C. præſenti. de off. Ord. in* 6. & ſanè regulæ Cancellariæ Apoſtolicæ nil aliud ſunt niſi edicta, ſicut olim Prætoria ad annum, ità hæc ad vitam Pontificis duratura. Decreta adhibent, cum ipſi per ſe partibus auditis, ſiue ad relationem dati Auditoris, aliquid de ſententia fratrum definiunt. C. *Eccleſia S. Mariæ de conſtit.* C. *conquærente. de off. Ord.*

In Paratit. ad Cod. lib. 1. tit. 14.

4 Adnotationis, ſeu ſubſcriptionis terminus non eſt in vſu apud Pontifices Summos, re tamen vtuntur in ijs, quæ communiter ſignaturæ dicuntur C. *fin. de pænit. & remiſſion. inter extrauag. communes*, at reſcriptis frequentiſſimè, & ideò (ad rem noſtram) reſcriptum, vel reſcripta poſſunt definiri, quod ſint *Pontificum conſtitutiones editæ ad conſultationem, relationem, & ſuggeſtionem tam ſingulorum in priuatis cauſis, quàm Prouinciarum, Ciuitatum, Capitulorum, Collegiorum, & Corporum in publicis cauſis*, quæ propriè pragmaticæ nuncupantur *l. fin. C. de Diu. reſcrip.* & tradit *Cuiac.* & cauſa cognita in Principis conſiſtorio precibus adhibitis fiebant. *Gloſſ. ad cap fin. Diſtin.* 101. Vel breuiùs ex *Anaſtas. Germon.* Reſcriptum *eſt reſponſio ad alicuius petitionem, conſultationem, aut relationem à Pontifice data*; quæ quidem definitio adæquatè congruit præmiſſis ſupra reſcriptorum primordijs, vt ex nominis ethimologia apertè emicat; Scribenti enim reſcribit Princeps, dum ſiue ſupplicanti, ſiue conſulenti reſpondet, hucque reſpiciens *Pet. Greg. Tholoſan.* reſcripta definiuit, *Quod ſint litteræ Principis ſiue ſpiritualis, ſiue ſæcularis, per quas reſp. ſeu reſcribitur ad relationem, vel ſuggeſtionem, quæ fiunt per abſentes, vel præſentes per litteras, vel voce, vel ad conſulta-*

In Paratit. ad Cod. lib. 1. tit. 23.

In Paratit. lib. 1. tit. 3.

*ſultationem Iudicum* , *vel ad ſupplicationem* , *ſeù preces impetrantium l. 2. C. de legib.*

Neque ſolum reſcripti nomen ad hoc intentum exprimendum inſeruit, ſed & aliæ æquipollentes voces ad idem ſignificandum adhibentur . Mandatum enim parùm, aut nihil differt à reſcripto, cum reſcriptum ipſum ſæpius, & mandatum inuoluat, ideòque epiſtolæ, edicta, præcepta, iuſſiones eadem ſignificatione nuncupantur ipſa reſcripta,

5 Quæ & ſubinde diuiduntur; primò enim alia ſunt generalia, & alia ſpecialia; Generalia ea dicuntur, quę communem omnium, vel plurium cauſam reſpiciunt, eaque propriè, quæ legem conſtituunt, ad quam ſpeciem reſpexit Vlp. in *l.* 3. §. *Diuus tamen Marcus ff. de ſepulc. viol.* reſpondens; quia generalia ſunt reſcripta, & oportet Imperalia ſtatuta ſuam vim obtinere, & in omni loco valere *l.* 1. *in fin. ff. de Conſt. princ.*

*Theſ. vbi ſup. c. b. n. 1.*

Specialia verò, quæ ad priuatorum, & ſingularium vtilitatem diriguntur, & hæc ipſa diuiduntur adhuc ratione ſubiectæ materiæ, vt ſcilicet alia ſint reſcripta gratiæ, alia iuſtitiæ, ſiue (quod idem eſt) alia ſint ad bemeficia, & alia ad lites. Reſcripta ad beneficia dicuntur gratiæ, vt in *C. Gratia h. t. in Clem. Gratiæ eod.* quia nullam aliam cauſam agnoſcunt, ob quam concedantur, niſi concedentis liberalitatem, & gratiam, cuiuſmodi ſunt reſcripta, quibus Summus Pontifex mandat de Beneficio Eccleſiaſtico alicui prouideri *C. mandatum* . *C. Abbate h. t.* vel in quibus, & per quæ Sum. Pontifex liberaliter agit non ſolùm beneficium conferendo, ſed etiam pœnam remittendo, diſpenſando, vel de Iure diligentiore remittendo, aut minuendo *d. Clem. Gratiæ*, & C. *Gratioſæ de reſcrip. in* 6. vel moderando etiam per Epicheiam *l.* 1. *l. leges ſacratiſſimæ C. de legib.* Reſcripta verò ad lites, ſiue Iuſtitię ſunt, aut quandò Pontifex de iure partis obſcuro conſultus aperit illud, & quid Iudex iudicando ſectari debeat, oſtendit C. *ex parte* C. *ſedes & paſſim h. t.* aut quando cauſa ad ſe deuoluta Iudicem delegat. C. 1. C. *Nonnulli*, & *ſucceſſiuè h. t.* & ideò dicuntur *Iuſtitiæ*, quia ad Iuſtitiam adminiſtrandam diriguntur, aut quia cauſam habent, ob quam concedi debeant, neque ſunt merę liberales gratiæ, & hæ quidem duæ reſcriptorum ſpecies dici poſſunt ſubiectum, circa quod tit. ipſe *de reſc.* verſatur.

6 Hincque facilè eſt deſumere differentias, quæ inter hanc vtramq; reſcriptorum ſpeciem vigent; primò enim reſcriptum gratiæ nullam exigit cognitionem cauſæ, iuſta ſcilicet, an iniuſta ſit, cum à mero Principis arbitrio, eiuſque liberalitate dependeat; Sacrilegij enim inſtar eſt inquirere, an dignus ſit, quem Princeps elegerit, quamuis obijcere reſcripto ſubreptionem, aut obreptionem, neutiquam dedeceat. C. *cum adeò*. *de reſcript.* qua de re mox inf.

At in reſcripto Iuſtitiæ cauſæ cognitio adhibetur ijs vocatis, quorum intereſt; vult enim, ac intendit id ipſum Summus Pontifex expreſſè reſcribens adiecta clauſula illa *Si ita eſt*, *ſi ita conſtiterit* C. *ſciſcitatus*. C. *Olim*. C. *ex parte*. C. *Significauit*. *h. t.* *Vel, ſi ita inueneris illud agas*. C. 2. *h. t.* Immò etiam ſi clauſulæ huiuſmodi non eſſent expreſſę, tacitè tamen ſubeſſe ſemper cenſetur clauſula

illa

illa, *ſi preces veritate nitantur cap. 2. de reſcript.* Quæ quidem omnes clauſulæ cauſæ cognitionem, probationes, & exceptiones admittunt *C. quoniam contra. de probat.* Differunt ſecundò quòad durationem; ſed variat ius Canonicum à iure Ciuili in hac parte. Nam iure Ciuili reſcripta, quæ continent ius commune perpetuò durant, niſi expreſſè fuerit ipſis tempus adiectum; quæ verò gratiam continent anni ſpatio expirant, & ideò ad tempus ipſum difiniendum dies, & Conſul reſcripto adijci debet *l. 2. & l. 4. C. de Diu. reſcript.*

At iure Canonum reſcripta ſiue gratiæ, ſiue iuſtitiæ perpetua ſunt, niſi impetrans ex dolo, aut negligentia obtento reſcripto vſus non fuerit, tunc enim fatale reſcripto eſt anni ſpatium. C. *ſi autem*. C. *ex parte*. C. *plerumque de reſcrip.* Tertiò differunt, quod reſcripta gratiæ non intereunt morte Principis concedentis, ſi ſint abſolutè conceſſa. C. *Decet*. C. *Indultum de Reg. Iur. in 6. l. Iuriſperitos. ff. de excuſ. tut.*

At quæ ſunt iuſtitiæ expirant cum vita concedentis, ſi res ſit integra, hoc eſt, ſi vigore ipſius reſcripti non fuerit proceſſum per Iudicem delegatum, ſicque non fuerit, aut emiſſa citatio, aut lis conteſtata C. *Gratum C. Relatum de off. & pot. Iud. deleg. l. ſi quis poſtea. ff. de Iudic. l. cum quædam ff. de Iuriſd. omn. Iud.*

Quarta differentia eſt, quod reſcripta gratiæ tribuunt Ius aliquod nouum impetranti, vel tribuere poſſunt per executionem, quod ante non habebat C. *ſi cui. de reſcript. in 6.* At quæ iuſtitiæ, non tribuunt ius aliquod nouum impetranti, ſed, ſi quod habeat, conſeruant, quò tendunt clauſulæ illæ, & formulæ, *ſi ita eſſe conſtiterit*, reſcriptis huiuſmodi adhiberi ſolitæ, per ſententiam enim non debet ius de nouo conſtitui, ſed iam conſtitutum conſeruari, vt inquit Vlp. in *l. ſicut autem §. ſed ſi quæratur. ff. ſi ſeruit. Vind:* error quidem nonnunquam verſatur, ſed interim dum error conuincitur ſtandum eſt ſententiæ, & pro ſententia ipſa præſumendum *l. & ex diuerſo. ff. ſi ſeru. vind. l. Ingenuum ff. de ſtatu hom.*

Diſtant quintò hæc reſcripta, quod, quæ ſunt gratiæ ſtatim vires, & efficaciam habent à tempore conceſſionis, ſiue datæ C. *eam te.* C. *conſtitutus de reſcript.* & ſi fortè plura reſcripta gratiæ eadem die fuerint conceſſa, ſpectabitur data eius, quod prius fuerit impetratum, ſicut & prius in data præfertur. *C. Capitulum. 30. de reſcript.* vel ſi gratiæ plurium ſint æquales, & eiuſdem temporis, præſentatio ſpectatur, & prior præſentata præfertur *C. pen. de ſcript. in 6.* cum alioqui ſola præſentatio non ſufficiat. C. *tibi, qui 12. eod. in 6.* adeòque ſpectatur data in reſcriptis, vt ſi quis tempore ipſius datæ ſit incapax beneficij, & ex poſtfacto reddatur capax, nihil ei proficiat ad ſuſtinendam gratiam capacitas ſuperueniens C. *ſi eo tempore*. C. *tibi, qui de reſcript. in 6.* C. *ei, cui. de præb. in 6.* At reſcripta iuſtitiæ vim, & efficaciam recipiunt à tempore, & puncto præſentationis C. *vt debitus. de appell. Gloſſ. ad* C. *pen. de reſcript. in 6.* Verùm quia hæc ipſa gratiæ, & iuſtitiæ reſcripta, licet adeò inter ſe diuerſa, nonnunquam permiſcentur ita, vt tertia quædam ſpecies conſurgat, ideò dicuntur reſcripta mixta, quæ propriè appellantur ex eo, quod de vtraque

ſpecie participent, quamuis & alia ratione poſſit dici reſcriptum mixtum puta quia & ab Eccleſiaſtica poteſtate, & à ſæculari poſſit expediri; cuiuſmodi erit reſcriptum legitimationis, ſiue reſtitutionis natalium C. *Per venerabilem*; *qui fil. ſint legit*. Demùm reſcripta gratiæ adhuc ſubdiuiduntur, quatenus reſpiciunt prouiſionem beneficiorum Eccleſiaſticorum, vt ſcilicet alia ſint beneficiorum iam vacantium, alia verò contineant ſpem, & expectationem vacaturorum, quæ tamen expectatiuæ gratiæ ſunt ſublatæ per *Concil. Trid.* *Seſſ. 24. de reform. c. 19.* Dantur etiam alia reſcripta gratiæ, vt diſpenſationum, indulgentiarum, remiſſionum, abſolutionum, ſicut & reſcriptorum iuſtitiæ, alia ſunt delegationum Breuia, & his ſimilia, quæ ſub varia forma, & ſigillo expediuntur, de quibus agemus opportuniùs ad iudiciorum materiam.

7 A reſcriptorum ſpeciebus ad eos tranſibimus, qui poſſint reſcripta ipſa impetrare, pro quo capite regulam fundamentalem ſtatuemus, quod impetrare poteſt reſcriptum quicumque non prohibetur C. 1. *de reſcrip. in 6.* ſiue actor, ſiue reus; C. 3. C. *ad hæc. h. t.* etiamſi ſit filiusfamilias, vel Monachus; reſcriptum ſiquidem petere, aut impetrare non eſt agere, & quamuis Monachus moriatur mundo, attamen non implicat petere poſſe reſcriptum circa ea, quæ ſtatus ſui ſunt propria; vnde fit, vt prohibitus quilibet à petitione reſcripti arceatur, ſic namque repelluntur hæreticus, excommunicatus, ſeruus, niſi agat pro vindicanda Domini nece, falſus, aut reuocatus procurator C. 1. *h. t. in 6.* C. *ex parte h. tit. l.* 1. C. *de precib. imper. offer.* Laicus impetrare non poteſt reſcripta gratiæ, cum ipſe non ſit capax Eccleſiaſtici beneficij C. *fin. de inſtit.* C. *ex litteris de tranſac.* at reſcripta iuſtitiæ vtique ex tot tit. *de off. & pot. Iud. Deleg.* quæ ſanè diſtinctio, & in procuratore videtur attendenda, nam ſine mandato nemini licet nomine alieno reſcripta ad lites impetrare, immò impetrans tanquam falſarius punitur *C. ex parte C. Nonnulli in fine de reſcrip.* ſed ad beneficia vtique C. *ex ore*, *& ibi Ab. de his*, *quæ fiunt à maior. parte Cap.* Quamuis praxis, & ſtylus Romanæ Curiæ aliud obſeruet, teſtatur enim *Gonzal.* reſcripta quælibet, ſiue gratiæ, ſiue iuſtitiæ ibi ſine mandato rectè impetrari, quidquid ſit de iure communi ſtatutum, aſſignatque rationem; cum enim qui impetrat literas faciat impenſas, & laborem, ac operam addat, præſumitur id facere, cum mandato eius, cuius intereſt. *Ad Reg. 8 Canc. Gloſſ. 64. num. 16. & ſeqq.*

8 Cautus autem admodum debet eſſe quilibet impetrans, ſi reſcriptum ipſum velit ſubſiſtere, ne ſubreptionem, aut obreptionem committat; ſubreptio eſt cum per fraudem narratur falſum; obreptio, cum reticetur verum, ad quam vtramque declinandam pro integritate impetrationis, & reſcripti regula præſcripta eſt, vt ſcilicet impetrans omnia illa exponat, quæ Summum Pontificem à conceſſione gratiæ poſſent remorari, vel ea non reticeat, aut ſupprimat, quæ ſic ſuppreſſa faciliorem conceſſionem redderent, quam quidem regulam præſcribit Innocentius III. in C. *ſuper literis* 20. *h. t.* quem tex. centrum totius tituli, ac vniuerſæ materiæ dicere poſſumus. Edidit autem conſtitutionem illam Innocentius, vt altercationes ſcribentium tolleret ad *l.* 1. 2. & 5. *cod.*

*cod. ſi contra ius. vel vtilitatem publicam* ad *l. nec exemplum*. C. *Ad.l.cornel. de falſ.* quibus conſonat, & Paul. Iuriſconſultus *lib. 1. ſent. tit.* 12. Relatis enim opinionibus varijs demùm diſtinguendo eas conciliat iuxta regulam ſupraſcriptam, cuius fuſior tractatio ab ipſo Innocentij tex. repeti facilè poteſt. Regula autem hęc ipſa obtinet in reſcriptis omnibus ſiue ad beneficia, ſiue ad lites, ſiue gratiæ, ſiue iuſtitiæ; verùm diſcrimen duplex inter ius canonicum, & ius ciuile in hac parte obſeruabimus. Ius enim canonicum grauiùs punit mendacem impetrantem, ſi de fraude, aut dolo conſtet, quia inutile facit reſcriptum, non ſubſiſtit Iudicis datio, nec de principali cauſa cognoſcere vllo modo fas eſt. At ius ciuile delegationem Iudicis ſuſtinet, qui iudicat ex præcepto iuris communis nulla habita ratione ſtatutæ formę in reſcripto. Secundum diſcrimen; iure ciuili Iudex à Principe delegatus punit impetrantem cum dolo, & falſitate, *careat pœnitus impetratis*, reſcribunt Cæſſ. in *l. & ſi* C. *ſi contra ius, vel vtilit. pub. & ſi nimia mentientis inueniatur improbitas etiam ſeueritati ſubiaceat iudicantis. l. vniuerſa C. de Diu. reſcrip.* Iure autem canonico Iudex delegatus falſarium punire non poterit, ſed cognitione dilata Summo Pontifici ſcribet, & ſi culpa grauior appateat, falſarium ad eundem Pontificem remittet puniendum. C. 2. *de reſcrip.* Mendacium verò committitur tam proferendo falſum, quam reticendo verum C. *quiſquis* 11. *quæſt.* 3. *l.* 2. C. *ſi contra ius, vel vtilit. pub.* Eorum autem, quæ debeant exprimi exempla paſſim leguntur ſub tit. de reſcrip. C. *cum ordinem* 6. C. *ad Aures*. 8. C. *Paſtoralis*. 14. C. *ſedes* 15. C. *cum adeò* 17. C. *conſtitutus* 19. C. *Dilectus*. 26. C. *Poſtulaſti*. 27. C. *ad audientiam*. 31. quæ ſingula poſſunt iura videri, ne plus nimio circa hęc immoremur.

Quamuis autem ſubreptio vitiet reſcriptum, non tamen vitiat quò ad omnes partes, ſed quò ad illam tantùm, in qua commiſſa eſt ſubreptio, manentibus reliquis, quæ ſunt ſeparatę. C. *ſi eo tempore. de reſcrip. in 6.* niſi ſit doloſa, & fraudolenta ſubreptio, quia tunc totum ſubuertit reſcriptum *C. Sedes Apoſtolica. C. ex tenore. de reſcrip.* & ſi ſubreptio in vno Capitulo fuerit cauſa impetrandi reſcripti, tanquam vitium ſit in cauſa formali, corruet totum reſcriptum. *C. conſtitutus. & ibi Gloſſ. h. t.* Si verò reſcripto fuerit adiecta clauſula, ***motu proprio***, ***Non obſtante &c.*** *vel ſi non ſit alteri ius quæſitum*. tollitur ſubreptio *C. quamuis de reſcrip. in 6.* Sic etiam, ſi ſint adiectæ clauſulæ, *ex certa ſcientia, ex plenitudine poteſtatis; Pro expreſſis habentes, ſupplentes omnes defectus*, & ſi quæ ſint huiuſmodi, à quibus ſubſiſtentiam acquirit reſcriptum, & à ſubreptione vindicatur.

9 Plura alia ſunt, quæ reſcriptum inſubſiſtens reddunt, vt ſi ſit contra ius *C. reſcripta*. 25. *quæſt.* 2. ſiue ſit ius Diuinum, quod tollere nequit inferior, ſiue naturæ, quod eſt immutabile, ſiue ciuile *C. Imp.* 25. *quæſt.* 2. ſiue contra Concilia generalia, & ius Canonicum *C. ex parte. de Cappell. Monach.* & demum contra ius municipale, aut conſuetudinem, nulla de eo, aut de ea facta mentione, quorum omnium

eſt ratio, quia ſcilicet reſcripta huiuſmodi præter intentionem Summi Pontificis cenſentur extorta, vt ipſemet innuit Pontifex in *d. C. ex parte*.

*De capell. Monach.* neque enim credendum eſt voluiſſe ipſum iura tanta maturitate condita vno reſcripto conuellere C. *Eccleſiaſtica de Elect. l. ſi quando* C. *de innoff. teſt.* Immò ſtyli conſueti mutatio reſcriptum reddit ſuſpectum. Stylum enim non immutat conſuetum Pontifex; vnde literæ huiuſmodi ſuſpectæ fiunt, tanquam à Summo Pontifice non manauerint. C. *Porrecta. de confir. vt. vel inut.* Nec minus eſt ſuſpectum, ſi clauſulas contineat inſolitas, ſi tollat ius tertij, ſi careat debita ſolemnitate, ſi ſit raſum in loco ſuſpecto, aut demum ſi aliquid ſit diminutum C. *cum adeò de reſcrip. &c.*

10 Vltra reſcripta ſunt etiam aliæ literæ Pontificiæ, quæ à Summis Pontificibus, Epiſcopis, & alijs Prælatis dabantur, vt pacificæ, confeſſoriæ, communicatoriæ, commendatitiæ, Decretales, Paſtorales, Catholicæ, Apoſtolicæ, Dimiſſoriæ, Circulares, ſiue Encyclicæ, Synodicæ. *diſt.* 71. & 72. *can.* 7. *Antiochenæ Synodi &* 11. *Chalcedonenſis*, quæ quidem pro varia ſcribentis Pontificis intentione varias etiam ſortiuntur denominationes.

Hoc vnum de omnibus cenſendum, & ſeruandum, vt honore, & debito cultu recipiantur, & impleantur. *Decretales Epiſtolas, quas Beatiſſimi Papę diuerſis temporibus ab Vrbe Roma pro diuerſorum Patrum conſultatione dederunt, venerabiliter eſſe recipiendas*. Dixit *Gelaſ.* 1. *in* Concil. *Rom.* & firmat tex. in C. *ſi quando de reſcrip.* Honor autem reſcriptis, & literis Pontificijs præcipuè oſculo exhiberi conſueuit; Oſculum ſiquidem adhibere ſummæ erat venerationis, & adorationis ſignum; Plinius; *In adorando dexteram ad oſculum referimus*; vnde Lipſius. *Factum adorandi verbum*, Cenſuit, *non ab adorea, quæ frumenti genus, vt voluit grammaticorum acumen, ſed quia ſummè venerantes manus ad ora admouebant, indeque dicti adorare, ac denominata adoratio*. Quæ quidem debita præ cæteris Diuinis apicibus, ac literis Summi Pontificis, in cuius Epiſtolis, & mandatis non tam hominem, quàm Deum ipſum loquentem ſuſpicere, ac venerari fas eſt, vnde nulla ei poteſt exhiberi veneratio, quæ celſitudine tanta non ſit inferior, & ideò iuſtè animaduerſum in contemptores, ſi qui auſi debitum fraudare cultum. Hæc de reſcriptis Apoſtolicis pro inſtituto; plura & minutiora relinquendo tractatoribus, & interpretibus, qui conſuli facilè poſſunt.

*Lib. 28 cap. 2. Elec. l. 1. cap. 6.*

CAP.

# CAP. VII.

## De Priuilegijs.

1 *Priuilegij denominatio, ſiue Ethimologia.*

2 *Priuilegium modis pluribus definitur, & examinantur definitiones, ſoluendo obiecta, & quomodo ſaluetur ratio Legis in priuilegio.*

3 *Ad priuilegium an neceſſaria ſcriptura, & differentia inter priuilegium, & reſcriptum, diſpenſationem, vel gratiam.*

4 *Diuiditur priuilegium in plures ſpecies, & præcipuè in perſonale, & reale, quod vtrumq; declaratur.*

5 *Diuiditur in gratioſum, & remuneratiuum.*

6 *Item in perpetuum, & temporale, de qua diuiſione latè.*

7 *Iterum diuiditur priuilegium, vt aliud ſit priuatum, aliud commune.*

8 *Tanguntur aliæ diuiſiones remiſſiuè, & potiſſimùm illa, vt aliud ſit ſcriptum, & aliud non ſcriptum.*

SCRIPTO Iuri non ſine cauſa priuilegium adcenſemus, & legibus, ac Conſtitutionibus tractādo adnectimus, ſiue quia vt plurimum priuilegia in Scriptis conceduntur, ſiue quia per priuilegia conſtitutionibus derogatur, ſiue demùm quia priuilegium eſt lex licet priuata, & ideò, quamuis alia ratione, quam aſſignat *Gloſſ. ad Rub. de priuileg.* Raymundus tractatum de Priuilegijs in quintum librum Decretalium reiecerit, nos tamen ad coronidem ſcripti iuris opportunè de Priuilegijs ipſis agemus, maximè quia ad Iuriſdictionem voluntariam ſpectant.

1 Priuilegii nomen à vetuſto verbo *Priuum* deductum docet *Pompeius Feſtus*, eoque *ſingulos* veteres indigitaſſe, vnde & priuata dicuntur, quæ vniuſcuiuſque ſunt, & ideò eruditè obſeruauit *Iacob. Ræuard.* alio ſenſu Decemuiros Romanorum, alio Iureconſultos *priuilegium* accepiſſe. Illi enim priuilegii nomine omnes illas leges intellexere, quę in priuatos, & ſingulares homines ferebantur, qui priui dicti, & leges ſingulos reſpicientes dictę priuilegia. Sumpſere Decemuiri ex legibus Solonis, inter quas & hęc ipſa, quæ in leges duodecim tabularum tranſlata. *Priuilegia nè irroganto.* vt ex ęnea tabula notauit *Cuiac.* cui innixus legi ſcripſit *Vlp.* quod *iura non in ſingulas perſonas, ſed generaliter conſtituuntur* in *l. 8. ff. de legib.*

*De verb. ſignific. verbo Priuus.*

*Lucret. lib. 4. & 5.*

*Horat. lib. 2. ſat. 5. ad L. l. 12. tab.*

*Lib. 15. obſer. cap. 18.*

Iureconſulti verò ius ſingulare priuilegium dixerunt, quod aperta, & euidens ęquitatis ratio contra vulgatas iuris communis regulas nonnunquam cogit indulgeri; Decmuiri nulla omninò admittunt priuilegia; Iureconſulti ea indulgeri aliquandò non abnuunt; Hęc quòad nomen ſatis erunt, non enim omnia, quę occaſione legis duodecim tabularum poſſent conſiderari, ſunt hìc nobìs congerenda.

2 A nominis notione facilè erit ad definitionem deſcendere. Priuilegium enim nihil aliud eſſe videtur niſi

Digitized by Google

niſi *ius ſingulare in perſonæ certæ, vel cauſæ gratiam, & fauorem conſtitutum*, vel *lex de vno homine lata*, & demum ex communi ſcribentium voto; Priuilegium *eſt lex priuata ſpeciale aliquid indulgens, vel concedens*. Sic enim *Iſidorus* in C. *Priuilegia*. *Diſt.* 3. *Priuilegia ſunt leges priuatorum, quaſi priuatæ leges*.

*Ad Rub. de priuil.*

Aſſignent quidem ex communi voto hę definitiones priuilegium, non tamen ſine ſcrupulo apud accuratè examinantes tranſeunt, vix enim probari poteſt, priuilegium eſſe legem; De ratione enim legis eſt, vt pro communitate feratur, & pro communi bono, & vt ſit perpetua, quod neutrum poteſt de priuilegio verificari, cum ſingularis perſonę bonum reſpiciat, & cum priuilegiati vita extinguatur, vnde, & commune bonum, & perpetuitatem excludit; Non tamen ità eſt, ſed immò ratio legis latè ſumptę optimè, & in priuilegio ſubſiſtit, idque ſatis, vt rectè, & verè priuilegium lex dici poſſit; quod etenim ad commune attinet, quamuis priuilegium ſingularem perſonam tangat, non tamen deſinit eſſe commune pręceptum, per quod populo iniungit Princeps, vt omnes priuilegium, & fauorem priuilegiati obſeruent, ipſi pareant, & quantum in ipſis eſt, impleant; quod verò ad bonum, & vtilitatem communem, licèt priuilegium feratur immediatè in bonum, & commodum priuilegiatę ſiue perſonę, ſiue familię, tendit nihilominus, & dirigi debet in commune bonum, vt mediatè ſaltem in ipſum redundet. C. *Requiritis*. §. *Niſi rigor*. C. *Diſpenſationes*. 1. *quæſt.* 7. Vbi enim conceſſio fuerit rationabilis, bonum commune erit, in ſimilibus ſimilia concedi, & ciues per hęc exempla ad virtutem, & merita incitantur, idq; demum in Reipublicæ bonum deſinit; Viget igitur in priuilegio ratio legis, & meritò dicitur lex; at lex non abſolutè, ſed priuata, quæ vox tanquam contrahens vicem differentiæ in definitionibus ſupplet C. *Abbate*. 25. *de verb. ſign.* & rationem priuilegii propriam in eo conſiſtentem indicat, vt largiatur aliquid ſingulare, ſiue perſonę, ſiue communitati extrà ius commune, vt optimè exprimit Honor. III. in *cap. In ijs. de Priuileg.* & ex Leone IV. Gratian. in C. *fin.* 25. *quæſt.* 1. *neque enim priuilegia aliquibus concederentur, ſi præter generalem legem nulli aliquid ſpeciale indulgeretur*; cui proxima & priuilegii ratio illa, vt ſcilicet fauorem aliquem, aut aliquod commodum conferat, ſine qua ratione priuilegium dici nequeat, ſufficitque fauor, licèt non ſit commodum. C. *hinc* 16. *quæſt.* 1. & ſat eſt, ſi quid ſpeciale indulgeat, quodcumque illud ſit reſpectu iuris communis, etiamſi non ſit contra ius, cum immò poſſit eſſe priuilegium, etiamſi illud ipſum indulgeat, quod ius commune largitur, non enim modicę vtilitatis eſt, ſi quis ad rem ſuam, & iure communi, & priuilegio vti valeat, addit ſiquidem priuilegium vltra ius commune ſpecialem auctoritatem, interceſſionem, & protectionem Principis, vt innuit Summ. Pontifex *in C. quia in cauſis. de procurat.* idque ſatis, vt ratio priuilegij vigeat, quod rectiſſimè definitur lex priuata.

3 Et inde fit, vt priuilegium ad ſui ſubſtantiam non requirat, vt ſit ſcriptum, vel non ſcriptum, ſicut

enim

enim ex ijs, quæ ſupra tractauimus ad legem, vt lex eſt, ſcriptura non requiritur, ita neque ad priuilegium, in quo nihil eſt, propter quod magis requiratur ſcriptura, quàm in lege; voluntas ſiquidem, & poteſtas Principis eſt tota cauſa priuilegij, de qua etiam ſine ſcriptura, & ſolo verbo ſatis conſtare poteſt, D. Gregor. in *C. Inſtitutionis* 25. *quæſt.* 2. *Clem. Dudum. de ſepult. Gratias, aut priuilegia ſcripto, aut verbo conceſſa*, ait ibi Sum. Pontif. *Extrau. etſi Dominici. de pœnit & remiſſ.* vnde ſcripturam ad probationem priuilegij requiri, non item ad ſubſtantiam in caſu ſuo indicat ad ſummum tex. in *cap. contra morem*. 100. *Diſt.* Ex qua conſideratione facilè colligi poteſt differentia inter priuilegium, reſcriptum, & diſpenſationem, vel gratiam. Reſcriptum enim (vt indicat nomen ipſum) ſcripturam ſupponit, ſiue accipias reſcriptum, quaſi iterum ſcriptum, ſeu veriùs, & iuxtà antiquam iuris ciuilis acceptionem, quaſi reſponſum ſcriptum *l.* 1. *ff. De appellat. & remiſſ. l.* 1. *ff. Quando appell. ſit*, quamuis hæc differentia merè verbalis ſit. Reſcriptum enim in vſu Pontificij iuris latiùs patet, quàm priuilegium, continet namque ſub ſe priuilegium ſcriptum, & plura alia, quæ priuilegia non ſunt, ſicque priuilegium ſcriptum poterit dici reſcriptum, at quodlibet reſcriptum non item dici poteſt priuilegium.

Differt ſecundò priuilegium à diſpenſatione, nam diſpenſatio latius & ipſa patet, quàm pateat priuilegium, cum poſſit dari diſpenſatio, quæ non ſit priuilegium, poteſt enim quis diſpenſari ad vnum actum tantùm, vt ad matrimonium contrahendum in gradu interdicto, quo caſu deficit ratio propria priuilegij, quod eſt lex priuata, quæ lex dicit quid permanens, nec per vnicum actum durans, & ideò præceptum ad tempus ſicut non eſt priuilegium, cum non ſit lex, ità nec diſpenſatio ad actum vnicum, immò diſpenſatio nonnunquam nihil confert, ſed tantum redigit ad Ius commune, vt cum diſpenſatur cum irregulari, ſubmoto enim impedimento plura poteſt, quæ ante non poterat, hæcque operatur ex iure communi, ad quod ſublato irregularitatis impedimento fuit reſtitutus; vnde diſpenſatio tunc demùm erit verè priuilegium, cum quis eius virtute firmiter, & ſtabiliter, ac per modum legis poteſt operari, quod ſit contra ius. Gratia igitur, & beneficium ſe habent tanquam genus ad priuilegium, quodlibet enim priuilegium eſt gratia, aut beneficium, at non è conuerſo, quatenus priuilegium non eſt debitum gratia eſt, & beneficium, quod nihil aliud eſt niſi Principis fauor, at non viceverſa quælibet gratia, & quilibet Principis fauor eſt priuilegium. Diſpenſatio eſt gratia, & beneficium, & tamen quælibet diſpenſatio non eſt priuilegium.

4 Hocque ipſum tanquam genus hactenus conſideratum diuiditur in ſpecies plures: Scholaſtici diuidunt vt aliud ſit diuinum, & aliud humanum. Diuinum legem vtramque ſiue Moſaicam, ſiue Euangelicam reſpicit, quidquid enim ſingulare in lege Moſaica Deus indulſit priuilegium fuit contra legem ipſam, vt facultas repudiandi vxorem, ducendi ſimul plures vxores, & in lege Euangelica facultas aliquid ſingulariter operandi alicui perſonæ data per in-

ter-

ternum Spiritus Sancti impulſum, aut per internam motionem, quæ etiam lex priuata vocatur in *C. duæ ſunt* 19. *quæſt.* 2. *C. Dixit Dominus* 14. *quæſt.* 5. *C. Non licet* 23. *quæſt.* 5. priuilegium erit; quod priuilegium non ſemper repugnat, aut eſt contrarium legi, aut præceptis, ſed ad aliquid perfectius, & excellentius operandum excitat, & tunc non tam eſt priuilegium, quàm ſpeciale Dei auxilium prudentia, & ſpirituali ſanctaque ſolertia accuratè diſcernendum, eòque reſpiciens legem priuatam *in C. commiſſum de ſponſalibus* rectiſſimè interpretatur *Cuiac. Diuinum afflatum*; Hoe autem priuilegium veriùs dixeris diuinam diſpenſationem quandam. Hoc dimiſſo priuilegio humanum aſſumamus, quod diuidetur, vt aliud ſit perſonale, & aliud reale, quam quidem diuiſionem innuit, *S. Gregorius in C. Mandata de præſump.* vices enim Apoſtolicæ Sedis Maximo Epiſcopo committens in vniuerſam Siciliam ait, *quas loco non tribuimus, ſed perſonæ,* nec abſimiliter *Modeſtin. in l. Priuilegia* 157. *ff. de reg. iur. Priuilegia quædam cauſæ ſunt, quædam perſonæ.* Adſtipulante, & *Vlp. in l. forma* §. *quemquam ff. de cenſib.* termini rem ex ſe ipſis declarant, perſonale enim dicitur, quod conceditur perſonæ, & eius intuitu. Reale verò quod ratione rei, vel loci indulgetur. Certè omne priuilegium reſpicit perſonam, quia cum eſſentialiter ſit lex nonniſi rationali creaturæ ferri, & fieri poteſt, attamen verſatur vtilitas priuilegij aliquando circa res, loca, fructus, quo caſu denominationem realis ſortitur, & ideò cum priuilegium perſonale denominamus de perſona vera accipimus, non de ficta, ſeu myſtica, puta Collegio, Vniuerſitate, Monaſterio, Ciuitate, tunc enim reale potius eſt, cum ſit perpetuum, & cum ipſa myſtica, & ficta perſona duraturum; eſt enim per ſucceſſionem eadem vniuerſitas, vt inquit Iuriſconſultus in *l. Proponebatur ff. de Iudic.* hocque ſiue vſus priuilegij concedatur, & ſit penès totum corpus, ſiue penès ſingulos de corpore, nihilominus enim cenſetur reale, & datum corpori, nam ciuibus ciuitatis legatum, vel fidei commiſſum ciuitati relictum videtur inquit Papin. in *l.* 2. *ff. de reb. Dub.*

Cæterum cum perſonæ veræ, ac naturali indulgetur priuilegium ſpectari attentè debet, an ſub ratione eius indiuiduali, an verò ſub alia ratione concedatur; primo caſu merè perſonale eſt priuilegium, & extinguitur cum perſona, nec tranſit in hæredes. *C. priuilegia. de priuileg. in* 6. Secundo caſu cum datur priuilegium E. G. maritis, mulieribus, minoribus, priuilegium certè perſonale eſt, quamuis enim perſonæ veræ ſub nomine communi concedatur, non tamen datur tanquam communitati huiuſmodi perſonarum, aut tanquam corpori myſtico, ſed intuitu indiuidui, cuius ratio, & vtilitas directè, & immediate ſpectatur, vnde fit, vt cum perſona etiam extinguatur *l. Maritum. l. ſi poſt, diuortium. ff. ſol. matrim.* At quia hoc idem priuilegium, licèt conceſſum perſonæ, eſt tamen conceſſum ſub ratione quadam communi, quæ nunquam deficit, vt maritis, minoribus, inde eſt, quod idem priuilegium eſt perpetuum in ſe, cum nunquam defutura ſint indiuidua, in quibus priuilegium ſuſtineatur; & ideò ſortitur rationem priuilegij

realis,

realis, cum non tam perſona, quàm conditio, & certa cauſa ei occaſionem dederit, vt imbecillitas in minore, ſexus fragilitas in muliere pro Velleiano, ſtatus, & ſubiectio filij familias pro Macedoniano; indeque priuilegium rationem realis induit. Doctrina elegantiſſima Pauli Iure-Conſulti *in l. in omnibus 69. ff. de reg. iur.* hiſce expreſſa verbis. *In omnibus cauſis id obſeruatur, vt vbi perſonæ conditio locum facit beneficio, ibi deficiente ea deficit quoque beneficium; vbi vero genus actionis id deſiderat, ibi ad quemuis perſecutio eius deuenerit non deficit ratio auxilij.*

Abſtracta igitur (vt ita loquamur) huiuſmodi priuilegia rationem realium potius habent, applicata verò perſonalium, & an ad alterutrum motiuum reſpexerit Princeps in largiendo priuilegio ſi aſſequamur, facilè poterimus qualitatem ipſius priuilegij noſſe, & intentionem concedentis percipere; eo modo planè, quo de perſona in pactum deducta arguit Iure-Conſultus, an faciat nec ne pactum perſonale, id enim venandum ab intentione paciſcentium docet. In *l. iuris gentium. §. Pactorum ff. de Pact. vtrum autem in rem, an in perſonam pactum factum ſit, non minus ex verbis, quam ex mente conuenientium æſtimandum eſt. Plerumque enim perſona pacto inſeritur, non vt perſonale pactum fiat, ſed vt demonſtretur, cum quo pactum factum eſt.* Intentionem autem, vt in pacto, ita & in Priuilegio à verbis, à ſubiecta materia venabimur, & ex ea de qualitate priuilegij iudicabimus.

5 Huic diuiſioni ſuccedit & ſecunda priuilegij diuiſio, vt ſcilicet aliud ſit gratioſum, & aliud remuneratiuum; gratioſum eſt, quod gratis, & ex mero animi, ac liberalitatis impulſu à largiente conceditur. Remuneratiuum verò, quod intuitu meritorum indulgetur, & hoc ipſum dicitur etiam conuentionale, de quo ſi dubitetur, an ſit perſonale, an reale, cum ex natura ſua abſtrahat ab vtraq; hac qualitate, & ſit planè indifferens, verba à concedente adhibita ſpectabimus, & inde ſpecificationem priuilegij hauriemus, ſi enim dirigantur proximè, & immediatè in rem, quamuis conſiderentur merita petentis, aut poſſidentis rem ipſam, priuilegium erit reale; ſi verò tendant in perſonam, & intentionem principalem exprimant remunerandi merita, erit perſonale, quod ſi verba ſint dubia, expendetur proportio meritorum ad priuilegium, & iuxta eam de qualitate priuilegij cenſebitur, maximè ſi ſit beneficium Principis, & fauorabile, & ex eadem regula tranſmiſſionem ad hæredes examinabimus.

6 Indeque manat tertia priuilegij diuiſio, vt ſcilicet aliud ſit perpetuum, & aliud temporale, perpetuum dicitur, quod rei perpetuò inhæret, aut indefinitè, ac illimitatè conceditur; temporale verò, quod temporis lapſu circumſcribitur, ac finitur; aut quia in conceſſione certum temporis ſit ſtatutum, vltra quod non porrigatur. *l. quoties C. de precib. Imper. offer.* aut quia ſit merè perſonale, quia perſona extincta cadit priuilegium, *C. priuilegium. de reg. iur. in 6.* aut quia ſub conditione ſit conceſſum, conditione enim deficiente corruit priuilegium. *l. vn. §. ſin autem ſub conditione C. de caduc. tol.* Vnde etiam ſit, vt morte conce-

concedentis poſſit finiri priuilegium, reddaturque temporale; ſi enim fuerit ita conceſſum *donec viuam*, *vel donec deceſſero*. Morte ſuperueniente priuilegium expirabit; regulariter enim morte concedentis gratia non expirat. *C. gratum. de off. & poſt Iud. deleg. C. ſi ſuper gratia eod. in 6.* idemque cenſendum, quo caſu fuerit conceſſum priuilegium duraturum ad beneplacitum concedentis; eo enim vita functo ceſſat priuilegium, ſecus ſi eſſet datum ad beneplacitum Apoſtolicæ Sedis, quia etiam ſi decedat Pontifex, perenne eſt priuilegium, nunquam enim deficit Apoſtolica Sedes. *C. ſi gratioſè. de reſcrip. in 6.* Duo ergo ſunt quæ conſtituunt priuilegium perpetuum, ex parte concedentis vnum, vt ſcilicet ſimpliciter, abſolutè, indefinitè concedatur, vel ſub conditione aliqua perpetua. *C. ſi ſuper gratia. de reg. Iur.* in *6. C. ſi cui nulla. de præb. in 6.* Ex parte priuilegiati alterum, vt ſcilicet rei perpetuæ fiat priuilegium, perpetuæ ſcilicet per ſucceſſionem, quia indiuidualiter nihil ſub ſole perpetuum, ſicque priuilegium conceſſum religioni, aut vniuerſitati, niſi ſupprimatur, aut extinguatur (ſicut factum vidimus hoc æuo) quia tunc eum ſubiecto omnia priuilegia euaneſcunt. *C. quæ ſemel. C. Abate. & vtrobique Gloſſ. de verb. ſign.* Diuiditur quartò priuilegium, vt aliud ſit priuatum, & aliud commune, ſiue publicum, ſpectata potiùs materia, quàm fine ipſius priuilegij, quod ſiue mediatè, ſiue immediatè tendit in commune bonum, igitur ratione materiæ priuatum dicemus priuilegium, quod reſpicit priuatum priuilegiati comodum; commune verò, quod commune, ſiue publicum, quam quidem diuiſionem ſupponit vulgata differentia illa, quod priuato priuilegio, quilibet renunciare poteſt. *C. ad Apoſtolicam. de regular. C. ſi de terra. de priuil. l. fin. C. de pac.* communi verò, ſiue publico non item. *C. ſi diligenti. de foro compet. C. contingit de ſent. excom. l. ius publicum ff. de pac.*

Dantur & aliæ leuiores diuiſiones priuilegij, vt ſcilicet aliud ſit fauorabile, & aliud odioſum. Quod enim merum commodum priuilegiati reſpicit, fauorabile eſt, quod autem comodum vni ità confert vt & incomodum ſit alteri, hoc reſpectu priuilegiati erit fauorabile, & reſpectu alterius odioſum. Aliud affirmatiuum, aliud negatiuum; aliud pro foro interiori, aliud pro foro exteriori, quæ quidem duo diuidentia membra non ſunt inuicem adeò oppoſita, quin ſint etiam ſubordinata ità, vt priuilegium in foro exteriori contineat illud etiam in foro interiori, quamuis è conuerſo non hoc illud. Sed hiſce ſic tactis adnectemus aliam diuiſionem, quæ exhactenus traditis conſurgit.

Cum ergo ſit dictum priuilegium ad ſui eſſentiam ſcripturam non requirere, iam demum videtur diuidendum priuilegium, vt ſcilicet aliud ſit ſcriptum, de quo hactenus, & aliud non ſcriptum, de quo aliquanto exactius, quia eius vſus in Eccleſiaſticis præſertim frequentiſſimus eſt, vnde & illud noſſe perutile erit.

De

## De Priuilegio non Scripto.

### §. I.

1 *Priuilegium non Scriptum dupliciter accipi poteſt, & de quo agendum.*
2 *Obijcitur contra hoc non Scriptum priuilegium, & ſoluitur obiectio, ac fundatur priuilegium à Conſuetudine.*
3 *Vnde nam tanta vis conſuetudini, & modus, quo priuilegium inducit. Opiniones variæ proponuntur.*
4 *Vera opinio ſubditur, & confirmatur latiſſimè.*
5 *Conſuetudo verum priuilegium confert.*
6 *Soluuntur, quæ obiecta contra priuilegium non Scriptum.*

IAM igitur priuilegium non Scriptum dupliciter accipi & intelligi poteſt; aliud enim erit, quod à Principis ore proceſſit, & à viua eius voce, ſed non in ſcripturam redactum, hoc priuilegium eſt efficax, & planè ſubſiſtens, non Scriptum quidem, ſed per accidens, quatenùs, aut nondum eſt ſcriptum, aut non authentica forma, & huiuſmodi eſt, quod in Romana Curia reſpectu Romani Pontificis dicitur viuæ vocis oraculum, & de hoc accipiendum quidquid de neceſſitate ſcripturę ad priuilegium expendimus.

1 Aliud verò priuilegium non Scriptum illud eſt, quod non eſt ita conceſſum, vt ſcribi poſſit, ſed vſu ſolo eſt inductum, & tacita Principis conniuentia quæſitum, ac longa conſuetudine firmatum, & de hoc priuilegio non Scripto, & in Eccleſiaſticis Vniuerſitatibus perfrequenti agere breuiter, & vtiliter inſtituimus.

2 Res implexa planè videtur, & attentiùs examinanti omninò implicans, induci poſſe, & vigere priuilegium non Scriptum ſolis moribus, & ſola conſuetudine inductum; nam mores iſti, & per hos inducta conſuetudo, demùm reſoluuntur in actus priuatorum, & ipſius populi, concedere, quod per hos actus inducatur priuilegium, nil aliud erit niſi aſſerere populum, & priuatos, ac ſubditos homines ſe ipſos à lege eximere poſſe, & legem priuatam, ſibi condere, quod quidem ſolus legiſlator facere poteſt, legem enim condere (vt vidimus) maieſtatis eſt, quæ maieſtas tantum eſt penès ſupremum, non penès ſubiectum populum. Et ſi confugere velis ad Principis conniuentiam, & tacitum conſenſum, facilè intercludetur effugium, quia hæc voluntas, & hic conſenſus Principis, & ſupremi excluditur euidenter, nam hæc voluntas ſupponit ſcientiam; Princeps autem non præſumitur ſcientiam habere de ſingularibus ſubditorum actis, ſicque nec approbare ſingularem conſuetudinem, ſed tantùm generalem *Cap. contra morem* 100. *Diſt.*

Sed hæc non tanti; quin aſſeramus intrepidè conſuetudine acquiri priuilegium, ipſamque priuilegium conferre, vel (ſi mallis cum alijs loqui) conſuetudinem priuilegio æquiparari, ſic enim locuta *Gloſ.* & ſic re ipſa ſenſit. *Innoc. III. Sum. Pontif.* ſcribens Prælatis per Franciam conſtitutis, *in d. C. Nouit. de iudic.* *Ad C. Nouit. de Iudic. verb. Conſuetudini* *Niſi fortè iure communi, per ſpeciale priuilegium, vel contrariam* con-

*conſuetudinem aliquid ſit detractum*, en æqualem omninò virtutem, & efficaciam ad detrahendum legi, & priuilegij, & conſuetudinis. Nicolaus Papa apud *Gratian. in Can. Conqueſtus 9. q. 3. Primates, & Patriarchas* (ait) *Nihil priuilegij habere præ cæteris Epiſcopis, niſi quantum Sacri Canones concedunt, & priſca conſuetudo*.

At hac de re inuincibile eſt teſtimonium Nicæni Magni Concilij, quod quidem euincere poſſe videtur, prima immo priuilegia in Eccleſia Dei *non aliunde* fuiſſe, quàm à conſuetudine, celebris eſt *Can. vi.* aliàs à nobis ponderatus, cuius ea verba. *Antiqui mores ſeruentur, qui ſunt in Aegypto, Lybia, & Pentapoli, vt Alexandrinus Epiſcopus horum omnium poteſtatem habeat, quandoquidem, & Epiſcopo Romano hoc eſt conſuetum. Similiter, & in Antiochia, & in alijs Prouincijs, ſua priuilegia, & ſue dignitates, & auctoritates Eccleſijs*. Supponit Concilium priuilegia *non aliundè* quàm à moribus accepta, & ad mores ea referunt Nicœni Patres. Ad rem *Innoc. III. in C. ſuper quibuſdam. §. Prætereà de verb. ſignif.* æquipatat pedagia, guidagia, Salinaria, quæ ab Imperatoribus, Regibus, aut lateranenſi Concilio fuerint conceſſa, & quæ conſuetudine præſertim immemorabili fuerint quæſita. Idem in *C. ſimul. de off. ord.* & meritò quidem, ſuppoſita vi conſuetudinis, quæ tanta eſt, vt limitet, vincat, & abroget legem ſicut tractatu ſequenti oſtendemus, igitur, & poterit ſupra legem, contra legem, & vltra legem priuilegium, conſuetudinis enim, & Principis pares ſunt vires, quam ſiquidem iuriſdictionem dare poteſt ſolus Princeps, hanc ipſam dat conſuetudo *d. C. ſuper quibuſdam. de verb. ſign.*

3 At vndenam conſuetudini tantæ vires? & quiſnam modus, per quem conſuetudo priuilegium tribuat? & in hoc variatum inter ſcribentes. *Gloſ. enim ad C. conqueſtus 9. quæſt. 3.* quam approbauit, & *Craueta*, aſſeruit conſuetudinem pariari priuilegio, at non eſſe verum priuilegium, idque ex *l. hoc iure. §. Ductus aquæ. ff. de aqua. quot, & æſt. Ductus aquæ, cuius origo memoriam exceſſerit, iure conſtituti loco habetur.* ait ibi Iureconſultus: obſeruat *Craueta.* verbum *habetur*, quod improprietatem, & fictionem indicat, cum aliud ſit eſſe tale, & aliud haberi pro tali, quidquid limitet ſubinde de extendenda diſpoſitione à caſu vero ad caſum fictum. Expoſuere alij conſuetudinem non eſſe, aut dare priuilegium, ſed argumentum, ac probationem priuilegij, & præſertim ſi ſit immemorabilis, cum probationem in contrarium excludat, & veritati æquipolleat, idq; ſenſiſſe videtur Iureconſultus in *d. l. hoc iure §. Ductus aquæ. ff. de aqua quot. & æſt.* & hoc factum obſeruamus in ſeruitutibus, vt eleganter notauit *Vueſembet*. Nam certum eſt, quod docuit *Iacob Reuard.* lege ſcribonia vetitam fuiſſe ſeruitutum vſucaptionem *l. ſi aliena §. hoc iure. ff. de vſucap. l. ſeruitutes. ff. de ſeruit.* Potuere nihilominus incorporalia iura, & inter ea, ſeruitutes acquiri *d. l. hoc iure. §. Ductus aquæ, non iure vſucapionis, ſed iure conſtituti.* ait ibi Iureconſultus, quod ſcilicet ex vſu tanti temporis præſumatur initio, ſeruitutem pactione, & Domini fundi ſeruientis volun-

*De antiq temp. p. 4 §. abſolutis n. 10. tom. 17. tract. p. 161. 11.*

*In paratit. ad tit. de ſeruit. num. 5.*

*Lib. ad l. ſcribon. c. 2.*

tate; & conſenſu fuiſſe conſtitutam; Quod ſi de aqua ducenda ex flumine publico agatur, quo caſu nulla adeſt patientia Domini, quæ poſſit præſumi, adhuc tamen immemorabilis temporis lapſus operabitur, vt non quidem vſu, aut aliquo opere manufacto conſtituta huiuſmodi ſeruitus cenſeatur, ſed quaſi naturæ beneficio conceſſa, tanquam naturaliter, & ſua ſponte aqua in eum locum ſolita ſit fluere, vt infert *Franciſc. Connan.* quaſi temporis vetuſtas in vim probationis, & argumenti operetur, & tanquam præſumptio quædam, cui ſtandum neceſſariò ſit, cum probari in contrarium in re immemorabili non poſſit, quod dicitur de ſeruitute aptari facile poteſt acquiſitioni priuilegij, & circa modum ipſius acquirendi inde concludere.

*Com. Iur Ciu. lib. 4. cap. 12 num. 16.*

4 At verius, quod quando quis fruitur, aut exercet quidpiam per conſuetudinem, quod ei largiretur priuilegium, tunc conſuetudo verum, ac proprium inducit priuilegium, non ſcriptum quidem, ſed eiuſdem & naturæ, & virtutis, ſeu vniuocum, vt ſcholaſticè *P. Suarez.* cum priuilegio ſcripto, quod ſimplici, & abſoluta priuilegij appellatione veniet. Confirmamus aſſertionem arguendo ab effectu. Aut enim hæc conſuetudo ſcilicet contra legem, derogat ei, diſpenſat, & eius obligationem in caſu particulari tollit, aut vltra legem, & dabit verè facultatem, poteſtatem, ac iuriſdictionem, & in hoc ratio priuilegij conſiſtit; primò dat verum priuilegium, conſuetudo, augetur illatio, nam conſuetudo facit veram legem, & non fictam verè, & non fictè obligantem *L. de quibus. ff. de legib.* & exactè probabimus tractatu ſequenti, ſi publicam legem veram facit, ergo faciet veram legem priuatam, quæ priuilegium, immo ſi præſcriptio acquirit verùm dominium, & non fictum, veram iuriſdictionem, & non fictam, & verum, non fictum priuilegium dabit conſuetudo, adeòq; verum, vt non dubitauerit inquirere *Dec.* vtrum ſit potentius priuilegium? an quod à Principe, an quod à conſuetudine? & quæſito non eſt adeo facile reſpondere, cum priuilegium, & conſuetudo ſe habeant tanquam excedens, & exceſſum, & in quo vnum preponderat, alia deficit, & vice verſa. Priuilegium enim plures poteſt producere effectus, quàm conſuetudo, nam priuilegium poteſt tollere inhabilitatem perſonæ, quam tollere non poteſt conſuetudo *C. quanto de conſuet.* conſuetudo è contra eſt potentior priuilegio in eo, quod priuilegium faciliùs tollitur, quàm conſuetudo, quippe quæ nitatur iure communi *l. de quibus ff. de legib.* priuilegium iure ſpeciali, quod faciliùs tollitur, quam illud *l. eius militis §. militia miſſus ff. de milit. teſt.* at ſuppoſita perſonæ capacitate regula fermè brocardica eſt, poſſe acquiri conſuetudine quidquid obtineri poteſt priuilegio, præſertim ſi ſit legitimè præſcripta, vt not. *Felin.* tex. in *C. ſuper quibuſdam. de verb. ſig.* &c. quæ quidem regula ingens fundamentum, & præſidium præbet Eccleſiaſticis inferioribus, quos zelus neſcio quis ſuperiorum ſæpiſſimè vexat.

*Ad C. Nouit. de Iudic. nu. 18.*

*Ad C. Accedentes de præſcrip. n. 3. & n. 6.*

5 In materia igitur fauorabili, & vbi de incremento, & conſeruatione priuilegiorum agitur conſuetudo priuilegium conferens nomine veri priuilegij venit, & ſub eo comprædenditur tanquam veriſſimum

priui-

priuilegium per ſe non ſcriptum, & in ſubiecto, ac materia habili, & capaci, poterit per eam acquiri, quod per priuilegium poſſet obuenire. At in materia odioſa, puta vbi ageretur de priuilegiorum reuocatione, neutiquam veniret conſuetudo, niſi eius fieret expreſſa mentio, cum enim ipſa altiores agat radices, vtpote innixa iuri communi, vt ſupra diximus, hinc eſt, quod non adeò de facili poteſt euelli, vnde nec generali priuilegiorum reuocatione comprehænditur. Quantum autem requiratur temporis ſpatium ad inducendam conſuetudinem, & non ſcriptum priuilegium inquiremus opportunius, cum de conſuetudine agemus.

6 Iam facilè concidunt, quæ ſupra proponebantur tanquam obſtantia conſuetudini, quæ priuilegium inducat; Non enim (quod dicebatur primò) ſubditus ſe ipſum, & actibus ſuis à lege eximit, quia tantum virtutis non adipiſcitur conſuetudo ab actibus priuatorum hominum, ſed à tacita, ſiue præſumpta Principis voluntate, ſiue melius iuris communis auctoritate tantum virium ipſi conſuetudini impertientis, nec eneruat reſponſionem, quod ſcientia Principis non adſit, cum ipſum ſcire huiuſmodi actus, certè, & cum veritate aſſerere non poſſimus; Non eſt hic agendum, quatenus ſcientia Principis ſit neceſſaria ad conſuetudinem, ſed alibi opportuniùs, interim dicemus, ſcientiam Principis non eſſe neceſſariam, vbi conſuetudo eſt legitimè præſcripta; ſi enim ſit immemorabilis, cenſetur iam Principi nota, ſin ſecus; iuris communis auctoritas ſupplet, cuius virtute habitualis ſcientia in Principe præſumitur, immò & inducitur; ſat enim eſt ipſum generaliter conſenſiſſe, vt in ditione ſua conſuetudo induci poſſit, & obtineat. Canon verò *contra morem*. 100. *diſt.* ſe ipſum ſoluit, loquitur enim de pallij Archiepiſcopalis abuſu, ſiue vſu extra ſtatuta tempora à iure, quem eſſe impræſcriptibilem agnoſcit *Felin.* *Ad d. C. Accedentes nu. 6. de præſcrip.* *lex enim vetat* (inquit ipſe) *niſi ex ſpeciali priuilegio*. At re vera nullus adhuc legitur canon, quo ante illud decretum fuerit ſtatutum, vt non poſſit ille honor, & illa facultas præſcribi, ſed vtique cenſuetudine generali vſus pallij extra ſtatuta tempora fuit primò interdictus, cui innititur *D. Gregor. Magn.* tranſlatus à Gratiano in d. canon. *contra morem*. quam conſuetudinem ita accepit *Diuus Gregorius*, vt ipſa contra ſe præſcriptionem impediret per conſuetudinem ſpecialem, ſicut enim lex ſcripta poteſt excludere, quò minùs per conſuetudinem ſpecialem ei derogetur, ita conſuetudo generalis ſe ipſam præſeruare poteſt impediendo ſpecialem conſuetudinem; de qua ſpeciali conſuetudine notauit *Card. à Turrecrem.* eam non eſſe tantæ virtutis, vt habeat locum in ijs, quæ reſpiciunt honorem, ſed vtique in ijs, *Ad d. C. contra morem.* quæ ſunt oneris; vnde cum vſus palij extra miſſarum ſolemnia, reſpiciat honorem, non potuit per ſpecialem conſuetudinem ab Archiepiſcopo Rauennate acquiri. Demum obſeruat idem *Turrecrem.* non excludere *D. Gregorium* in eo tex. quò minus conſuetudine ſpeciali poſſet ille vſus palij acquiri, ſed tantum duo conſiderare, cenſetur; cauſam ſcilicet generalem, & priuilegium, quandoquidem duo hęc Archiepiſcopus Rauennas allegabat; vnde

non

non obſtat, & concludimus, conſuetudinem conferre priuilegium non ſcriptum eiuſdem naturæ, & virtutis cum ſcripto; Hæcque ſatis de priuilegij eſſentia, & virtute.

## Quinam poſſit, & cuius ſit, Priuilegium conferre.

### §. II.

1 *Idem auctor, & cauſa priuilegij, qui & legis, & probatur.*

2 *Impugnatur in hac parte illatio à lege ad priuilegium, & augetur ratio, ac ſoluitur.*

3 *Inde ad ſingularia deſcenditur, & primò de Summo Pontifice quæritur.*

4 *An Epiſcopus in Diœceſi ſua poſſit priuilegium concedere.*

Conſuetudini, quæ tanquam cauſa priuilegium non ſcriptum inducit, adnectimus cauſam aliam inductiuam priuilegij, hominem ſcilicet concedentem, de qua pauca dicenda ſuperſunt, præter ea, quæ de cauſa inductiua legis tradidimus, ſi quid tamen ſingulare, & proprium vigeat, expendemus.

1 Dicamus igitur, eum poſſe priuilegium concedere, qui poteſt & condere legem, & è conuerſo, non poſſe indulgere priuilegium, cui legis condendæ facultas non eſt; Definitio ipſa priuilegij robur aſſertioni confert; priuilegium enim eſt lex, licèt priuata, igitur dare priuilegium eſt legem ferre, & eiuſdem eſt poteſtatis vtrumque condere, & ex eo, quod ſit lex priuata, dicit conceſſionem contra vniuerſalem legem, per quam lex ipſa ſoluitur, quæ ſolutio ab alio fieri non poteſt, quàm ab eo, qui ligauit, *l. nihil tam nat. ff. de reg. iur.* vnde eiuſdem eſt maieſtatis, & eiuſdem ſupremi, & legem, & priuilegium dare.

2 Verùm non adeò rationabilis videtur illatio à lege ad priuilegium, nam priuilegium non eſt lex abſolutè ſed lex priuata, & ideò non tanta videtur neceſſaria auctoritas ad hanc, quàm ad illam condendam, & inductione id poteſt magis confirmari; nam priuilegium aliquid concedens, aut concedit contra legem, aut præter legem, ſi primum erit hæc diſpenſatio, ad quam non requiritur vera legiſlatiua poteſtas, cum multi poſſint diſpenſare, qui non poſſunt legem condere; ſi ſecundum, poterit hoc ipſum ab eo indulgeri, qui ſolùm habeat poteſtatem diſpenſandi in lege, immo Princeps inferior ſupremo, ciuitas quælibet alteri ſubiecta poteſt concedere ciui ſuo exemptionem à tributis, quod certè erit priuilegium, non tamen datum à ſupremo, & valente condere legem, quæ quidem collectio ſumi videtur ex *l. 1. C. de his, qui ſponte munera pub. ſub lib. 10.*

Cæterùm eſt quidem priuilegium lex priuata, non tamen amittit veram rationem legis, quæ ad ſui conſtitutionem publicam poteſtatē ſemper requirit, quoquomodo enim conſideremus priuilegium, id euincitur. Si enim expendamus quatenus derogat iuri communi; certè hæc derogatio fieri non poteſt niſi ab eo, qui publicam habeat poteſtatem, & ad Ius condendum ſufficiat; ſi verò prout obligat alios ad obſeruantiam, & executionem, tunc reſpicit communita-

nitatem, in hoc vera legis ratio conſiſtit, vnde & legiſlatiuam poteſtatem veram in concedente ſupponit. At ſi priuilegium ſit contra ius aliquod municipale, tunc eam ipſam poteſtatem exiget, quæ ad condendum ius municipale ſufficiat, qua attenta doctrina corruunt, quæ ſupra mox propoſita. Nam ex traditis aliàs diſpenſare in lege ille ſolùm poteſt, qui & legem condere, vel eo ſuperior, neque à diſpenſatione ad priuilegium tuta eſt illatio; nam priuilegium tanquam lex propriè ius facit, & dicit quid permanens; at diſpenſatio dicit actum tranſeuntem, & ideò à poteſtate communicata ad diſpenſandum, non rectè arguas ad poteſtatem concedendi priuilegium. Eximat Princeps inferior, eximat ciuitas ſubdita ciuem ſuum à tributis, minuit de bonis ſuis, ſibique detrahit, non tam per legem, quam per pactum, & conuentionem quandam, quæ ſine iuriſdictione, & legiſlatiua poteſtate fieri poteſt, quibus ſic generaliter præmiſſis facilis eſt illatio ad ſingularia.

3 Nam nemo ambigit primò, quin Summus Pontifex Romanus tanquam pollens ſumma legiſlatiua poteſtate in ſpiritualibus poſſit priuilegium concedere, tanquam ſupremus arbiter à Deo conſtitutus *C. 1. de tranſlat. Epiſcoporum*; nec minus certum in temporalibus poſſe idem præſtare in regionibus, & ditionibus illis, quibus dominatur tanquam Princeps temporalis. Quod verò ad temporalia ſibi non ſubiecta Regna, ſumenda eſt doctrina ab ijs, quæ de Summi Pontificis poteſtate in ordine ad ſpiritualia iam ſupra tractauimus, quæ non ſunt iterum ingerenda *C. 2. de priuileg. C. Per venerabilem. qui fil. ſint legitim. & ibi ſcribentes*.

4 De Epiſcopis, & maioribus Eccleſiæ Prælatis idem erit cenſendum, vt pro poteſtate, quam in Eccleſia gerunt, poſſint & ipſi ſua priuilegia conferre, ſicque contra ius à ſe conditum poterunt priuilegium largiri, at contra ius commune non item; hoc enim eſt ius non à ſe conditum, ſed à ſuperiore ſtatutum, & quamuis in hoc ipſo nonnunquam diſpenſent, faciunt hoc tamen, aut iure indulgente, aut conſuetudine, à quo neutrum ius concedendi priuilegium contra ius commune habent; priuilegia verò in his, quæ non ſint contra ius, in rebus ad ſe ſpectantibus Epiſcopus poteſt largiri, vt apertè indicat Innocent. III. in *cap. conſtitutus, de Relig. Domib.* quamuis obſeruabile ſit in ſpecie illius tex. confirmationem Cæleſtini Summi Pontificis interueniſſe, ſic in *C. cum venerabilis de cenſib.* at ibi etiam videtur potiùs priuilegium conuentionale, quàm verum, & iuriſdictionale, ſiue publicum priuilegium, & quas legimus paſſim factas ab Epiſcopis largitiones, liberalitates, magis ſunt donationes monaſterijs factæ, quam priuilegia, vt in ſpecie *C. viſis. 16. quæſt. 2. C. cum inter. de ſent. & re iud.* de ſæculi Principibus, quatenus priuilegia poſſint concedere, vltra intentum ſacræ iuriſprudentiæ eſt, & ideò hìc ſubſiſtimus.

Qua

## Qua de re, & cui poſſit, aut debeat concedi Priuilegium.

### §. III.

1 *Priuilegio eadem materia, quæ legi niſi quid exigat proprium, quod aſſignatur.*

2 *Materia, cui priuilegium traditur, ſiue ſubiectum priuilegij, & cui illud concedi valeat.*

REI, ſiue materiæ appellatione æquè accipimus & eam, quæ per priuilegium conceditur, & perſonam, cui indulgetur iuxta vulgatos ſcholarum terminos diſtinguentium materiam, *circa quam*, & materiam *cui*, de qua vtraque vniuerſaliter, ſingularibus omiſſis, & ad rem breuiter.

1 Cum priuilegium ſit lex, non aliam ſtatuemus eius materiam, quàm illam ipſam, quam legi aſſignauimus; cumque materia legis debeat eſſe iuſta, rationabilis, honeſta, prout loco ſuo oſtendimus, has ipſas conditiones habere debebit, & priuilegium, niſi quid ex propria ſui ratione vltra legem expoſcat, quale illud & primum, vt materia ſit fauorabilis, nam priuilegium verſatur circa honores, commoda, prouentus, redditus, munera, nec minus circa onera, tributa, & ſi quæ ſint huiuſmodi quatenus non ſoluenda. *C. quia circa. de priuileg.* & quatenus quis fauorabiliter per exemptionis priuilegium ſubtrahitur. Fauorabilem dicimus priuilegij materiam, non ideò quia quilibet fauor poſſit eſſe materia priuilegij, quia plures fauores ſunt, qui cum meri facti ſint, & nihil iuris conferant, aut inuoluant, ſubijci non poſſunt priuilegio tanquam idonea materia, at accipimus per fauorabilem priuilegij materiam ſpecialem aliquam facultatem ad agendum aliquid, aut non agendum, recipiendum, aut non recipiendum, cum priuilegium tanquã lex ius tribuat, non commune, ſed ſpeciale, vnde & tanquam lex ratiònem iuſtitiæ, & honeſtatis inuoluere debet ſiue reſpicias illam, cui, & in cuius gratiam conceditur, ſiue illos, ad quos obſeruandum dirigitur, reſpectu quorum habet rationem communis præcepti, & veræ legis. Habito reſpectu ad illum, cui conceditur, ſat erit, vt ſit honeſtum, vt poſſit honeſtè exerceri, & ſine alterius iniuria; at reſpectu illorum, qui ſeruare debent, dicetur honeſtum ſi moderàtum, & rationabile grauamen contineat, quod poſſit ab omnibus rationabiliter ſuſtineri, ſicque reſpectu diuerſo, variè etiam honeſtas, & iuſtitia debet in priuilegio æſtimari; quæ ſanè theoria ſatis explicat materiam, *circa quam*, ipſius priuilegij, neque enim ſingularia poſſunt, aut debent cumulari ſub theoria, & doctrinali tractatione.

2 Iam tranſeamus ad materiam, *cui*, ſiue ad ſubiectum priuilegij capax, quæ quidem materia debet, & ipſa cum analogia ad legem ſtatui, ac proinde dicemus hominem ſubditum, & aliqua ratione inferiorem eſſe capacem priuilegij, & præterea neminem; lex ſiquidem pro ſubdito fertur, & ſubdito datur; Principes omnes legiſlatiuam poteſtatem habentes legem præſcribunt, igitur ſicut ijdem priuilegium poſſunt concedere, & ſubditus poterit tantùm recipere, non tamen ita, vt non poſ-

ſit Princeps in ditione ſua etiam non ſubditum priuilegio donare; poteſt enim, vt E. G. indulgere, ne exteri ex aliqua natione tranſeuntes per ditionem ſuam pedagia, & alia incolarum, & ſubditorum onera perſoluant, vt not. ad *C. 2. de probat.* & ratio plane obuia eſt, quia quamuis priuilegium verè ſit lex, non dicit tamen vim aliquam directiuam, aut coactiuam reſpectu priuilegiati, & ideò neque vllam exigit, aut ſupponit iuriſdictionem, qua priuilegiatum obliget ſiue ad culpam, ſiue ad pœnam, loquendo tamen de ſimplici priuilegio, quod nec diſpenſationem, aut exemptionem contineat ab aliqua lege, nam vbi diſpenſatio conceditur, hæc ſupponit ex ſe voluntariam iuriſdictionem, cum ſit proprius eius iuriſdictionis actus, & ſimul neceſſariam, ſiue coactiuam, ad præceptum obligans inducendum, & hoc eſt priuilegium illud, quod requirit ſubiectionem, nam extra hoſce terminos priuilegium dare non eſt actus iuriſdictionis, ſed liberalitatis, & ideò ſubdito, & non ſubdito, inferiori, & ſuperiori competere poteſt, ſed ita ſuperiori, vt acceptando priuilegium reddatur quodammodo inferior reſpectu concedentis, eique ſubiectus, vtens enim priuilegio ſibi conceſſo ſub hoc reſpectu redditur inferior, licèt per priuilegium non obligetur, ſicut obligantur illi, qui priuilegium ſunt ſeruaturi, & ideò non ſubdito etiam extra ditionem ſuam donationem liberalem poteſt quidem facere Princeps, quæ dicit merum factum, at priuilegium dicit ius ſpeciale,& legem priuatam, quam non poteſt Princeps conſtituere dando facultatem agendi, vel non agendi niſi in ditione, & terris ſubiectis, & cum relatione ad ipſas.

Indeque fit, vt Sum. Rom. Pontifex, cui tanquam ſupremo Capiti ſubſunt omnes Eccleſiæ, omneſque Eccleſiaſticæ perſonæ, poſſit quibuſcumque ex ipſis priuilegia concedere, inter quæ vnum ponderabimus vſitatiſſimum olim in Eccleſia, quod in Regularibus intuemur adhuc, & cuius ſola veſtigia extant in aliquibus Cathedralium Eccleſiarum Capitulis, ſed & ea adeò turbata nonnunquam, vt vix agnoſcere liceat. Exemptio ea eſt à iuriſdictione Ordinarij, de qua agemus per Excurſum.

## De Exemptione tùm Regularium, tùm Capitulorum Cathedralium Excurſus.

1 *Clerici omnes, & Monachi ordinario iure ſubiecti Epiſcopo, & Exemptionum, ſeu Dimiſſionum origo, & progreſſus.*

2 *Eadem exemptio introducitur circa Capitula, & Canonicos Cathedralium, eaque definitur, & explicatur definitio.*

3 *Ratio inquiritur huius exemptionis.*

4 *Reſtrictio ad ſolam Pontificiam exemptionem, & an requiratur ſcriptura? & reſpondetur ſub diſtinctione.*

5 *Qua forma exemptio ſit concedenda, vel conceſſa intelligatur remiſſiuè, & de conſtitutione* Bonif. in C. cum perſonæ. de priuil. in 6.

6 *An præſcriptione poſſit exemptio acquiri.*

7 *Quid innouatum per Concil. Trid. & tota praxis exhibita.*

Com-

COmpertiſſimum eſt, Clericos omnes, & Monachos in Diœceſi Epiſcopali ſitos, ſubiectos ſemper fuiſſe Epiſcopo, in cuius eſſent Diœceſi, ſic enim ſtatuit Concilium Chalcedonenſe C. 4. Aurelianenſe Can. 21. & Agathenſe Can. 27. quarum ſynodorum decreta tranſlata in Hiſpaniam Eccleſia ipſa Hiſpanica excepit, ac rata habuit in *Concilio Ilerdenſi* Can. 3. *de Monachis id obſeruari placuit, quod Synodus Agathenſis noſcitur decreuiſſe*. Quod tamen ius immutatum non remanſit, verùm derogari cœptum eximendo Monachos, & Monaſteria ab Epiſcoporum iuriſdictione.

1 Primitùs non tam exemptio, quam dimiſſio ab Epiſcopis fieri cœpit; petente enim Principe cum Epiſcoporum comprouincialium conſenſu Epiſcopus remittebat ius, quod ei in Monaſterium competebat. Extat formula huiuſmodi libertatis apud *Marchulphum Monachum*, qui labente ſeptimo Eccleſiæ ſæculo floruit, vt coniectatur *Bigonius*, ex qua non ſolùm de conſenſu, & ſubſcriptione comprouincialium Epiſcoporum conſtat, ſed & de Regis, & Principis confirmatione ex formula ſecunda immediatè ſequenti, vnde & temporalibus rebus immunitates quamplures exempto, vel potius dimiſſo Monaſterio obueniebant. Epiſcopalibus huiuſmodi decretis accedere cœpit, & Pontificis Romani auctoritas excitantibus Monaſteriorum fundatoribus impertita, ſed per quam potiùs bonorum incolumitati conſultum, quàm fuerint Abas, & Monachi à lege Diœceſana, & iuriſdictione Epiſcopi exempti, leguntur epiſtolæ *D. Gregorij Magni*; quibus quieti, & tranquillitati Monaſteriorum conſuluit, formam iudicandi delinquentem Abatem Epiſcopo preſcribit, at de exemptione ab Epiſcopi iuriſdictione, nec verbum quidem; Adeodatus Romanus Pontifex primus videtur fuiſſe, qui Monaſteria à iuriſdictione Epiſcoporum exemerit; legitur enim apud *Baron.* priuilegium exemptionis, quod indulſit Monaſterio S. Martini Turonenſis in Gallia; & primum fuiſſe hunc Pontificem, qui huiuſmodi exemptionē conceſſerit indicant verba priuilegio inſerta. Quibus ait: *Parumper autem ambigimus, idcirco, quod mos atque traditio ſcilicet noſtræ Eccleſiæ plus non ſuppetat, à regimine Epiſcopatus prouidentiæ religioſa loca ſecernere*. Legitur itaque exemptio, at non inuito Epiſcopo, ſed inſpecta Epiſcopi Turonenſis, & aliorum Comprouincialium Epiſcoporum ſubſcriptione ſicq; potius dimiſſionem Epiſcopalem confirmat. Ex hoc gratioſo, & liberali principio factū demùm, vt cum Epiſcopi pro charitate, & paterna affectione Monachis non præeſſent, ſed eos turbarent potius, quam regerent, vt quieti & tranquillitati eorum conſuleretur, exemplo parentum, & dominorum, qui malè habentes filios, aut ſeruos coguntur eos emancipare, aut manumittere, eoſque *ab omni miſeriarum neceſſitate abſolui*, vt loquuntur Cęſſ. in *l. ſi Lenones C. de Epiſc. aud.* cœperint Monaſteria ab Epiſcoporum iuriſdictione eximi, ac liberari iiſdem Epiſcopis etiam renuentibus, & inuitis, ea ſemper pretexta cauſa *infeſtatione ſcilicet præſidentium*, *inquietitudine*, *ac importunitate*, ſed demum cum priuile-

Formula 1.

In Notis.

*Lib. 11. Regiſt. Epiſt. 10. 11. 12. lib. 4. Epiſt. 43.*

*Tom. 8. Annal. An. 676. in pr.*

uilegia huiuſmodi exemptionum ex ſola Pontificum liberalitate indulgeri cæpiſſent frequentari, grauiter commoti ſunt Epiſcopi, & tragicè conquæſtus eſt *D. Bernardus*; *murmur loquor* (ait) *& quærimoniam Eccleſiarum, truncari, ſe clamitant, ac demembrari. Vel nullæ, vel paucæ admodum ſunt, quæ plagam iſtam, aut non doleant, aut non timeant. Quæris? quam ſubtrahuntur Abates Epiſcopis, Epiſcopi Archiepiſcopis, Archiepiſcopi Patriarchis, ſiue Primatibus. Bona ne ſpecies hæc? mirum ſi excuſari queat, ſic factitando probatis, vos habere plenitudinem poteſtatis, ſed iuſtitiæ fortè non ità; facitis hoc, quia poteſtis, ſed vtrum debeatis quæſtio eſt.* Dolet inuerſum Eccleſiæ ordinem fuſiſſimè, totamque turbatam Eccleſiaſticam Hierarchiã. Haud minùs liberè inuehitur, & *Petrus Bleſenſ. Quid eſt* (inquit) *eximere ab Epiſcoporum iuriſdictione Abates, niſi contumaciam, ac rebellionem præcipere, & armare filios in parentes?* vt cætera omittamus; & demùm neceſſitate impellente eò res redacta eſt (de quo timuit *Petr. Bleſenſ.*) vt ſcilicet hæc ipſa exemptionum priuilegia fuerint ab Apoſtolica Sede ad Capitula Eccleſiarum Cathedralium porrecta, ea ratione, vt nonnulli voluere, quod in Cathedralibus pleriſque Eccleſiis Monaſtica vita cum Clericatu eſſet coniuncta, ſed ea potius, quod aſpera, & graui nimis dominatione à ſuis Epiſcopis premerentur.

*Lib. 3. de Conſid. c. 4.*

*Epiſt. 68.*

2 De hoc igitur Capitulorum, & Canonicorum Cathedralium exemptionis priuilegio, cuius reteximus originem, pauca adnectemus, & magis neceſſaria, pro ea notitia, quam ad defenſionem propriam pro viribus comparauimus. Hanc exemptionem definiuit *Eraſm. à Cokier.* ex communi ſcribentium placito, quod ſit *liberatio à iuriſdictione ordinarij*. Subtrahit enim Summ. Pontif. exemptos à poteſtate, & iuriſdictione Ordinarii, ac ſubtrahendo liberat; tanquam generali vſus eſt hoc termino *liberatio*, vtpote qui vndecumque prouenientem exemptionem aptus ſit compræhendere, ſiue à præſcriptione, ſiue ab Apoſtolica auctoritate proueniat; Præſcriptio enim modus legitimus, eſt exemptionis acquirendæ, ſicut & priuilegium, ſiue ſit illud commune, puta clauſum in corpore iuris, ſiue ſit proprium, quod propriè legem priuatam appellamus. Subditur in definitione (*à iuriſdictione*) quo nomine lex vtraque Epiſcopalis, tam Diœceſana, quàm iuriſdictionis compræhenditur, à qua vtraque exemptus liberatur; & demum dicitur *Ordinarij*, quæ vox latiùs patet, quam vox Diœceſani, vbi compræhendit non ſolùm Epiſcopum, ſed & quemlibet alium ſuperiorem habentem Epiſcopalia iura, ſiue quaſi Epiſcopalia, & ordinariam iuriſdictionem, ſiue à canone, ſiue à præſcriptione ſiue à priuilegio.

*De iuriſd. Ord. in exemp p. 1. q. 1. num. 3.*

3 Scrutantur ſubinde ſcribentes rationem, aut cauſam, propter quam inducti ſunt Summi Pontifices ad huiuſmodi exemptionum priuilegia indulgenda; *Suauis* quidam *auctor* faciles ad id ſe præſtitiſſe, ſcripſit, Pontifices Romanos, vt fælicius propagarent, & fulcirent auctoritatem ſuam, tot enim conſtituunt eiuſdem poteſtatis ſuæ ſtrenuos milites, & aſſertores, quot faciunt exemptos. At non adeò leuiter fundata

*Card. ad Cle. quia regul. nu. 11. de ſup negl. prelator.*

data

data Pontificia auctoritas, vt debuerit ab huiuſmodi munimentis præſidia mendicari dimiſſa hac ratione, quam commentus eſt Auctor ad ſibi fingendum facilis. Seriùs, & veriùs *Card. Pallauicin.* excitaſſe Pontifices ad exemptiones Monachis concedendas, Abatum virtutes eximias, quibus Orbis, & Sæculi corruptos mores reformabant; vnde in diſſitis regionibus ad operandum omnimoda, & indefinita, ac non ſubiecta auctoritas videbatur concedenda; nec minùs inſtituti vniformitas, quæ inter regulares maximè eſt cuſtodienda; cum enim regularium familię eſſent per vniuerſum Chriſtianum Orbem diffundendæ, decuit, eos non pendere à varijs Epiſcoporum iudicijs, & legibus, & ideò viſæ ſunt hæ familiæ ab eorum auctoritate ſubtrahendæ. Sed hæc regularium tantùm eſt. Addidit *Eraſm. à Cokier* impulſiuam exemptionum cauſam, eamque magis generalem, quæ & regulares, & Clericos, ſiue Canonicos compræhendat. *Præſumptum ſcilicet, odium, grauamen, & oppreſſionem ordinariorum*. At nimis profectò eſt, tanta, & indiſtinctè de ordinarijs præſumere; eſto, quod ab oppreſſione alicuius ordinarij in Capitulum ſuum aliqua prouenerit exemptio; ab re fortaſſe non erit, credere, datas à Summo Pontifice Capitulis exemptiones ad tuendam Eccleſiæ vnitatem, & vnionem cum capite ſupremo; cum enim Eccleſiæ ſingulæ per orbem diffuſæ ab vno regantur, facile eſſet Monarchiam in ſui oppoſitum corruptiuum deflectere, & ideò debuit ſentiri ſupremi Capitis Eccleſiæ præſens vbique manus per priuilegia inferioribus indulta, & elargitas iiſdem exemptiones etiam ad eorundem tranquillitatem.

*Hiſt.Tri. lib. 8. c. 17.n.11.*

*Vbi ſup. num.15.*

4 Dimiſſa igitur ea inquiſitione, an Epiſcopus Capitula ſua poſſit liberare, ad ſolam Pontificiam exemptionem nos reſtringemus. Sacrilegium eſſet quærere, an Summ. Pontif. poſſit eximere? Hoc igitur ſuppoſito, dicemus, quod cum exemptio nil aliud ſit niſi priuilegium, idem cenſendum eſt de ipſa, ac de quolibet priuilegio, quoad neceſſarium ſcripturæ concurſum; ita vt ſcriptura non requiratur ad ſubſtantiam exemptionis, ſed tantùm ad probationem; ſcriptura ſiquidem non eſt neceſſaria ad ſubſtantiam actus, niſi id in iure ſit expreſsè cautum. *l. Pactum, quod bona fide. C. de pact. l. contrahitur. ff. de pignorib.* quod tamen factum in cauſa exemptionis nullibi legimus. At ſi de probatione agatur, vtique neceſſaria eſt ſcriptura, ſine qua non poteſt fieri probatio. *l. ſacri affatus C. de Diu. reſcrip. l. probatorias. C. de Diu. off.*

5 Amiſſo tamen exemptionis priuilegio, poterit tunc illud probari per teſtes, vt not. ad *C. cum olim. de priuil.* qui tria copulatiuè probare debebunt; primò tenorem inſtrumenti, ſecundò publicum, ſiue authenticum illud fuiſſe, & tertiò fuiſſe amiſſum, vt docuit *Eraſm. à Cokier*, & quamuis exemptionis indulgendæ nulla ſit conſtituta forma, ſed pro libito Summi Pontificis indulgentis per quæcumque verba poſſit concedi *C. ſi Papa §. licet. de priuileg. in 6. C. 1. §. per declarationem. in fine. in 6.* ſunt nihilominus formulæ nonnullæ, ex quibus apertè probatur conceſſa exemptio, & potiores tangemus; prima ſiquid dicatur

*Lib. 1. qu. 7. num. 8.*

tur

tur exiſtere iuris B. Petri, ſiue ad ius, & proprietatem Romanæ Eccleſiæ, vel ad Romanam Eccleſiam ſpecialiter, & ſine medio pertinere, tunc ſiquidem plena indicatur exemptio *C. cum tempore. de arbitr. C.* 2. §. *nos igitur. de reſtit. in integ. C. cum olim. de priuileg. d. C. ſi Papa.* §. *ſi Papa eod. in 6.* Secunda ſi Pontifex per priuilegium eximat ab Ordinarij poteſtate *d. C. ſi Papa.* Tertia ſi recipiat ſpecialiter in ſubiectos Romanæ Eccleſiæ. *d. C. ſi Papa.* §. *ſimiliter*, & ſi quæ ſint ſimiles, de quibus latè per *Eraſmum*. Vnde fit, vt ſtatuenda ſit generalis regula, ſpectandam maximè eſſe formam priuilegij, & attendendum eius tenorem, & ideò Bonifacius VIII. conſtitutione ſua in *C. cum perſonæ. de priuileg. in 6.* decreuit, vt ſalua ſint ordinariorum, & eorum, qui ſe exemptos profitentur iura, & in ea verba ſtatuit. *Nos volentes ſuper hoc de ſalubri remedio prouidere, ſtatuimus, vt hi, qui ſe aſſerunt per priuilegia, ſiue indulgentias Apoſtolicæ Sedis exemptos, à locorum ordinarijs requiſiti huiuſmodi priuilegia, vel indulgentias, quibus ſe dicunt fore munitos ipſis ordinarijs in loco congruo, & ſecuro, aut aliquibus prudentibus viris omni ſuſpicione carentibus ad hoc per dictos ordinarios deputatis intra terminum competentem pro facti qualitate ipſorum ordinariorum, vel delegatorum ſuorum arbitrio moderandum iuſto impedimento ceſſante oſtendere, ac ad legendum integraliter exhibere, nec non de articulis, de quibus controuerſia fuerit tranſcriptum tradere teneantur. &c.*

*Vbi ſup. per tot. quæſt.*

6 Quæ quidem forma exemptionis probandæ meritò quæſtionem excitat, num ſcilicet præſcriptione poſſit exemptio acquiri, aut haberi? & vnanimes conſentiunt ſcribentes vtique poſſe innixi eiuſdem Bonifacij auctoritate in eadem conſtitutione ſua in §. *licet*; ibi enim allegantes præſcriptionem eam teneri probare ſtatuit, nec quamlibet ſufficere, ſed quadragenariam cum titulo requiri, & per titulum intelligit Summus Pontifex titulum licet imperfectum, ſed qui iuſtam cauſam præſcriptioni præbere valeat; *& quia de priuilegio faciunt fidem in libertatis, vel exemptionis poſſeſſione non violenta, non clandeſtina, non conceſſa precario, de qua fidem fecerint, non turbentur.*

Itaque quadraginta annorum ſpatium ad præſcribendam exemptionem requiritur, & ſufficit vna cum titulo colorato, & imperfecto. At verò ſi immemorabilis præſcriptio adſit, tunc titulus non eſt neceſſarius, immemorabilis enim ipſa facit titulum. *C. 1. & ibi Gloſſ. de præſcrip. in 6.* quæ omnia non de qualibet exemptione ſunt accipienda, ſed de exemptione (vt vocant) tranſlatiua, per quam exemptus vni potius, quàm alteri ſit ſubiectus, non item de extinctiua, quæ exemptum ita liberat, vt nemini ſe eſſe ſubiectum aſſerat; huiuſmodi enim exemptio omninò imperſcriptibilis eſt, cum ſacri Canones huic acephaliæ diſtrictè reſiſtant ipſam abominantes, vt ex *Concilio Melphit. not. Baron.* *Tom. 11. Annal. an no 1090.*

7 Hæc quidem à tempore Bonifacij VIII. & ſucceſſiuè obtinuere, & fuere ſeruanda vbicumque de aſſerenda, & comprobanda exemptione ab auctoritate ordinarij ageretur, vſque ad Concilium Tridentinum,

in

in quo cum Epiſcopi grauiter conquæſti eſſent ſuper regularium, & Capitulorum exemptionibus pro earum integra, ac totali reſtitutione, acerrimè inſteterunt. Res non adeò leuis habita fuit, & altiores viſa habere radices, quàm, vt nedum euelli, ſed vix concuti, aut poſſet, aut deberet, & demùm ea diſcuſſa, ac ſæpius agitata ad moderamen eſt deuentum, & *ſeſſ.* 25. *C.* 6. Decretum. ***Vt capitula Cathedralium initio cuiuſlibet anni eligant ex Capitulo duos, de quorum conſilio, & aſſenſu Epiſcopus, vel eius Vicarius, cum extra viſitationem proceſſerit, contra capitula Catrhedralium illarumque perſonas, tam in formando proceſſu, quàm in cæteris omnibus actibus vſque ad finem cauſæ incluſiuè coram Notario ipſius Epiſcopi, & in eius domo, aut conſueto tribunali, procedere teneatur. Aliter geſta nulla, & irrita cenſeantur &c.*** Quod nouiſſimè decreuit Concilium eſt planè conforme peruetuſtæ Eccleſiaſticæ diſciplinæ, quam exhibet Concilium Carthagin. IV. C. 23. cauet enim, *vt Epiſcopus nullius cauſam audiat abſque præſentia Clericorum ſuorum, alioqui irrita erit ſententia Epiſcopi, niſi Clericorum præſentia confirmetur*; cui inhærens, & Alexander III. in *C.* 1. *de exceſſ. Prælat.* vetuit, ne Epiſcopus ſuſpendere Presbyteros ſine conſenſu Capituli audeat; verùm quamuis Concilii decretum generaliter loquatur, & dicat. ***Statuit Sancta Synodus, vt in omnibus Eccleſijs Cathedralibus.*** Nihilominus illud aſſeritur deciſum ex plurium auctorum teſtimonio, quos enumerat *Auguſtin. Barboſa*, non obtinere ſcilicet in omnibus Cathedralibus, & Capitulis, ſed in ijs ſolummodò, quæ ante Concilium Tridentinum erant exempta, quæ autem non erant exempta, quantumuis priuilegia habeant, ſub eo decreto neutiquam compræhendi, qua veritate attenta, dicendum eſt Concilium exemptiones abrogaſſe, & (quaſi in ſignum deſtructionis) ad ſolam electionem adiunctorum (ſic enim Canonici electi vigore decreti appellantur) redegiſſe; vnde & neceſſariò conſequitur deciſionem tex. ſupracitati in *C. cum perſonæ de priuil. in* 6. ceſſare; & locum tantùm ſibi vindicare, quo caſu Capitulum velit aggredi electionem Adiunctorum, & eam quolibet anno proſequi, tunc enim tenetur ſe docere, & oſtendere exemptum iuxtà formam legitimam, & à Bonifacio VIII. præſcriptam. Extra hunc caſum nullum exemptionis priuilegium eſt allegabile, quandoquidem poſt Tridentini decretum ad nihil aliud poteſt ſuffragari, aut inſeruire, & ideò facta ſemel à Capitulo ritè, & rectè, & cum conſenſu Epiſcopi Adiunctorum electione, & ea legitimè perſecuta per longam annorum ſeriem, iam non eſt amplius locus *cap. cum perſonæ. de priuileg. in* 6. ſed ſola adiunctorum electio exemptionem probat, & eò efficaciùs, quò longiùs fuerit ſpatium electionis annuæ, & præſertim ſi quadragenarium excedat; at ſi vltra ſexaginta, ſeptuaginta, & ſi per centum annos ab huiuſmodi electione fuerit proceſſum titulus exemptionis irrefragabili præſumptione iuris, & de iure probatus intelligetur, adeò, vt nulli inquiſitioni relinquatur locus, & obligatio quælibet exhibendi, & probandi deficiat, nec quidquam poſſit in contrarium tentari in re immemo-

*In Collect. ad Conc. Trid. ſeſ. 25. c. 6. num. 3.*

*Hieronym. Venero in exam. lib. 4. c. 27. num. 1.*

*In paratit. lib. 8 tit. 1. num. 6*

memoriali, vt perappoſitè not. *Vueſembec.* quæ quidem illa ipſa eſt iam ſupra tradita doctrina de priuilegio non ſcripto, & quam veluti ad praxim huc transferendam monemus demptis copioſis allegationibus in re contrita. Hoc Adiunctorum priuilegium, & ad aliud proficit, vt ſcilicet Epiſcopus non pro ſui libito, ſed ſub certa forma, & modo debeat Capitulum, & Canonicos viſitare iuxta S. Congregationis decreta, qua de re alibi opportuniùs.

In eo ſtatu eſt Capitulum Eccleſiæ Cathedralis Paduanæ, cuius minima portio ſumus. Centum enim, & ſex ab hinc annis aſſenſum habuit ab Epiſcopo ſuo ad eligendos Adiunctos immediatè ab iniuncta executione Concilij in ditione ſua à Sereniſſima Republica Veneta anno ſcilicet 1566. & ab anno 1597. poſt multas turbas cum decreto cauſa cognita facto ab Epiſcopo tunc regente Adiunctos ipſos ſine vlla interruptione elegit, ſicque per ſeptuaginta annos, & vltra, in quaſi poſſeſſione huius prærogatiuæ conſiſtit. Ad hæc obiter tangenda excitauit exemptionis, & priuilegiorum materia non inutiliter ad praxim, circa quas exemptiones non cenſemus immorandum vltra hæc principia, quid enim poſſint Adiuncti, & alia circa ipſos alibi oportuniùs tractabuntur, & ad iudiciorum Eccleſiaſticorum materiam.

## De Forma, Fine, Effectu, & Interpretatione Priuilegij.

### §. IV.

1 *Forma extrinſeca priuilegij proponitur, & plures enumerantur.*

2 *Quando motu proprio, & ad inſtantiam partis cenſeatur conceſſum priuilegium, & de differenti effectu vtriuſque conceſſionis.*

3 *De priuilegio purè conceſſo, & ſub conditione, ac ſub modo.*

4 *Qui ſint effectus priuilegij, & tres proponuntur.*

5 *An ad priuilegium neceſſaria promulgatio? diſtinctione ſoluitur quæſitum.*

6 *Quomodo facienda priuilegij interpretatio, & in antecedens inquiritur, an priuilegium ſit quid fauorabile, an quid odioſum.*

7 *Solutio quæſiti, & difficultatis adſtruitur per varias opiniones, & demum diſtinctio traditur, à qua tota interpretandi ratio.*

CVM priuilegium ſit lex, licèt priuata, eodem modo cenſendum erit de forma indulgendi priuilegij, ac legis condendę; vnde ſicut legis formam intrinſecam, & ſubſtantialem diximus eſſe Principis, & legiſlatoris voluntatem, extrinſecam verò ſignum aliquod ſenſibile, & externum, per quod mens ipſa, & voluntas exprimatur, idem & de priuilegio

legio aſſerendum, ac ipſi adaptandum. Quia verò noſtra intentio eſt agere modò de forma extrinſeca, quæ cum ſit expreſſiua priuilegij, & expreſſiò fiat voce,& ſcripto de ea, quæ fit ſcripto breuitèr differemus. Quot ergo ſunt modi priuilegii concedendi, tot erunt formæ, eaſque enumerabimus.

1 Priuilegium igitur aut liberali, benigno, & ſpontaneo indulgentis impulſu conceditur, aut ad ſupplicationem,& preces petentis. Primum dicitur conceſſum motu proprio, ſecundum verò ad inſtantiam partis. Facile eſt dignoſcere, an alterutro modo ſit conceſſum, vbi enim non legitur expreſſum *motu proprio*, præſumitur ſemper datum ad petitionem, & ſupplicationem partis apertiſſimè *Clem. III. in C. ſi motu proprio. de præb. in 6.* cum enim motus proprius dicat negationem inſtantiæ, & petitionis, hæc negatio difficillimæ probationis eſt, & ideò oppoſitum præſumitur.

2 Non tamen implicat interueniſſe ſupplicationem partis, & nihilominus priuilegium adhuc eſſe motu proprio, perinde enim eſt, ac ſi nulla interceſſerit petitio, vbi interuenit ea quidem, ſed Princeps à petitione ipſa motiuum, & impulſum non ſumpſit, facta enim expreſſione motus proprij priuilegium nihilominus motu proprio conceſſum intelligetur, quamuis de porrectis precibus conſtet; an verò alterutro modo concedatur priuilegium intereſt valde, & diſcriminis hæ ſunt rationes potiores. Prima, priuilegium motu proprio eſt magis ſpontaneum, & liberale, quàm illud ad inſtantiam partis; prouenit enim ab intrinſeco animi, & ideò magis ampliatur, & eò vſque, quò verborum proprietas patitur, cum ſit magis fauorabile. Non item illud, quod ad ſupplicationem partis. Secunda, priuilegium motu proprio conceſſum nunquam retorquetur in eum, in cuius gratiam eſt conceſſum, ſicut retorquetur illud, quod datur ad inſtantiam partis; non enim prouenit tunc à priuilegiato, ſed à concedente, vnde non eſt, cur in ipſum retorqueatur, ſicuti eſt, cum datur ad inſtantiam, quia patens tunc eſt cauſa priuilegij, & meritò in ipſum poteſt retorqueri. *l. 3. ff. quod quiſque iuris*, præcipuè ſi ille ipſe ſit, qui petijt. Tertia demum clauſula; motu proprio tollit ſubreptionem, vt not. communiter ſcribentes ad *C. ſi motu proprio. de præb. in 6.* quamuis diſtinctionem adhibuerint plerique, an ſubreptio naſcatur ob tacitam veritatem, an ob falſitatem narratam, attamen magis appoſita illa eſt, an in priuilegio motu proprio petitio aliqua partis præceſſerit, an verò nulla. Primo caſu (non enim implicat, vt iam diximus, eſſe priuilegium motu proprio, & tamen præceſſiſſe preces) ſubreptio aliqua etiam in priuilegio motu proprio, locum habere poteſt, ex quo enim ſupplicans decepit aliquid narrans in cauſa principali deficit Principis voluntas, & intentio ſicut, & deficit, quo caſu aliquid taceat, quod inducit Principem ipſum ad concedendum, & tunc defectus huiuſmodi per clauſulam motu proprio ſanari non poteſt, nec tollit eadem, quò minùs adſit ſubreptio, vt not. Ab. At ſecundo caſu vbi nullæ interueniunt preces, & ſic nulla poteſt imputari narratio veri, aut falſi, gratia ex hoc capite ſubſiſtit *d. Clem ſi* Ro-

*Marta de clauſ. clauſ. 73. num. 4.*

*Ad C. quia circa de conſag. & aff. num. 5.*

*Romanus. de præb.* attamen ſi cauſa aliqua falſa in priuilegio exprimatur poteſt adhuc ipſum eſſe nullum, non quidem ex cauſa ſubreptionis, cum nullæ interuenerint preces, & nulla ſi facta narratio, ſed ex defectu voluntatis in concedente, qui impulſum ex falſa cauſa, ſiue per facti ignorantiam ſuſcepit; deceptio adeſt vndecumque inducta, vnde clauſula motu proprio non purgat.

3 Alia eſt forma priuilegij iuxta modum duplicem ipſius indulgendi, aut enim purè conceditur, aut ſub conditione, termini notiſſimi ſunt; purè, cum nihil conceſſioni eſt adiectum, & ideò ſtatim effectum ſuum ſortitur; ſub conditione, cum aliquid eſt adiectum, quod ſuſpendat, vnde nec effectum habebit niſi primùm impleta fuerit adiectio *l. 1. ff. de cond. & dem. l. qui hæredi. ff. eod.* Quod ſi modus ſit adiectus, hic non ſuſpendit, ſed obligat tantùm ad implementum. Conditio concipitur per particulam *ſi*; modus verò per particulam *vt l. Meuia*. Fran. Sarucientus optimè diſtinxit, & definiuit ff. de manumteſt. Ideò ſpectanda attentè erit loquendi forma, qua vſus fuerit Princeps in priuilegij conceſſione, vt cenſeatur, an purè, an ſub conditione, an ſub modo conceſſerit, & de efficacia, ac virtute priuilegij iudicetur.

*Select. Interpret. l. 2. c. 2.*

4 A forma priuilegij ad eius effectus progredimur, qui quidem, ex hactenus dictis, & præſertim ex definitione deſumentur; tres recenſuit Suarez. Primus eſt, vt conferat ius aliquod priuilegiato faciendi quidpiam, aut non faciendi, recipiendi, vel conferendi; Secundus, vt obliget ad ius illud obſeruandum, aut non impediendum; Tertius demum, vt deroget iuri alicui pugnanti cum ipſo priuilegio.

*Lib. 8. de legib. c. 22. n. 2.*

Definitio priuilegij, qua dictum, quod ſit lex priuata hanc ſeriem effectuum confirmat; vt enim definitur *lex* vim obligandi neceſſariò ſupponit, vt eſt *Priuata*, ius aliquod ſpeciale, ſiue ſpecialem facultatem indulget; ſpecialia ſiquidem iura ſolent derogare iuri communi, *l. ius ſingulare ff. de legibus*, & priuilegium propriè ſumptum ſemper alicui iuri; conſiderari itaque poteſt, aut reſpectu eius, cui conceditur, aut reſpectu aliorum, qui ſunt ſubditi Principi concedenti, aut tandem reſpectu aliorum iurium, quibus repugnat; ſi primo modo veram habet rationem priuilegij; aliquid enim ſingulare indulget, ſi non quòad ſubſtantiam, ſaltem quòad modum effectus, ſi ſecundo, aſſequitur veram rationem legis obligantis ad obſeruandum, vel non impediendum vſum ipſius priuilegii. Tertio verò modo vim habet derogandi iuribus, quæ ſibi obſiſtunt, & ita derogando ea elidit.

5 Cum autem in priuilegio ratio legis conſiſtat, ambigitur meritò, an requiratur promulgatio? ſcinduntur opiniones; ratio enim legis promulgationem requiri ſuadere videtur; at cum non ſit lex ſimpliciter, ſed cum adiecto, *Priuata* ſcilicet, non ſtatim videtur rectè inferri, ad promulgationis neceſſitatem, ideòq; admittunt huius ſententiæ aſſertores neceſſariam quidem notitiam, quæ à promulgatione latiſſimè differt.

Dirimit nodum Felin. diſtinguendo; aut enim priuilegium conceditur per conſtitutionem, & eſt vera conſtitutio, aut eſt ſimplex priuata

*Ad C. cognoſcentes lim. 3 nu. 7. de conſtit.*

uata conceſſio alicui indulta. Priuilegium primo modo, vt eſt veriſſima, & propriiſſima lex, ita & promulgationem requirit; Huiuſmodi eſt priuilegium Clericis, & Clericali ordini indultum, quod dicitur priuilegium Canonis, quo excommunicatione plectuntur Clericorum percuſſores. C. *ſi quis ſuadente 17. q. 4.* nec abſimile priuilegium regularibus conceſſum ex *Clem. dudum. de ſepult.* aliud in *Clem. vn. de Baptiſmo. in Clem. graue. de celebrat. miſſ.* & in *Clem. Archiepiſcopo. de priuileg.* & in omnibus hiſce priuilegiis tanquam veris conſtitutionibus neceſſaria fuit promulgatio. At priuilegia, quæ ſingulari alicui perſonæ, aut vniuerſitati conceduntur, cum dicant legem quidem, ſed merè priuatam promulgatione non indigent, vt cumque priuilegium reſpectu illorum, qui ipſum obſeruare debent, habeat veram rationem legis, & pro obſeruantia debeat ipſis innoteſcere, non tamen per hoc licet inferre ad neceſſitatem veræ, & ſolemnis promulgationis; ſufficiet enim ad id ſimplex notitia data per intimationem priuilegii, & certitudo moralis de priuilegio ipſo inducta per authentica inſtrumenta priuilegium ipſum comprobantia, non enim datur in commune bonum, ſed in vtilitatem ſingularis perſonæ, & ideò ſufficit notificatio congrua ſine ſolemni promulgatione, quæ neceſſaria eſt in lege publica, quia pertinet ad Principem legiſlatorem, priuilegium verò ad perſonam priuatam.

6 Iam de interpretatione priuilegij ſupereſt agendum; præparatoria ad rationem interpretandi priuilegij eſt inquiſitio illa, an ſcilicet priuilegium ſit quid fauorabile, an verò quid odioſum? & ex definitione in alterutram partem quæſtionis tota interpretationis ratio pendet, ſuſpenſum, adeòque difficile redditur iudicium, quando in vtramque partem non leuia vrgent momenta; ſupponit namque quid fauorabile priuilegium I. C. in *l. 3. ff. de conſtitut. Princ.* dum ait, *Beneficium Imperatoris, quod à diuina eius indulgentia proficiſcitur, quam pleniſſimè interpretari debemus*, ſic & Pontifices Summi in *C. quia circa de priuileg. in C. cum dilecti. de donat. in C. olim. §. qui verò. de verb. ſig.* & tamen in *C. ſanè, & in C. porrò, de priuileg.* ſtricta, & intra proprios fines arctata, nec vltra priuilegiatas perſonas facienda ſtatuitur interpretatio, quod & obſeruatum videmus in *C. licet. de tranſlat. Epiſ.* immò ratio acceptationis perſonarum, quam leges abhorrent, inuidiæ, & inæqualitatis inter ciues, quæ, quantum fieri poteſt, ſemper eſt declinanda, priuilegium omninò quid odioſum videtur inſinuare.

7 Ad concilianda pugnantia hæc, nonnulli beneficium Principis à priuilegio ſegregant, quæ tamen diſtinctio non ſatisfacit, cum id ſupponat, de quo quæritur. Alij priuilegium aſſeruere nec fauorabile, nec odioſum, ſed quid ex vtroque mixtum, ac de vtroque participans; *Io: de Sallas.* fauorabile, & odioſum cenſendum aſſeruit priuilegium perſonis attentis, ad quas refertur, ſi enim reſpiciatur perſona eius, cui indultum eſt priuilegium, fauorabile erit, & quantum fieri poteſt ampliandum, ſi eius, qui indulſit idem poſſe cenſeri, ſi verò tertij, qui damnum ſit paſſurus, vel acceptatio-

*De legib. diſp. 17. lect. 6. nu. 41.*

tionem perſonarum, odioſum erit habendum, & arctanda eius interpretatio, ſiue conceſſio. Sed exacta hæc diſtinctio contraria habet iura, quorum auctoritas eleuari facilè, immò ne vix quidem poteſt; *in d. C. quod dilectio. in d. C. licet, in l. ſi quando. C. de inoff. teſt.* nulli tertio inferebatur damnum, & tamen reſtringi conceſſiones debuerunt, communem igitur amplexabimur diſtinctionem, eamque veriorem, an ſcilicet priuilegium ſit contra legem, an verò præter legem; ſi contra legem, aut à lege ipſa exorbitet, vel ius alterius lædat, odioſum erit. Si præter legem fauorabile.

*De qua vt com. Panorm. ad C. quod dilectio. Bart. ad l. ſi finita §. ex hoc edicto ff. de dam. inf. & alij, ac quib. Sanch. de matrimon lib. 8. diſp. 1.*

Erunt quidem hæ regulæ attendendæ; non perpetuæ, vtpote quæ immutari ab accidentibus, & circumſtantijs facilè poſſint, vt aliquando vix certum poſſit conſtitui; nam idem priuilegium reſpectu vnius videri poteſt fauorabile, reſpectu alterius odioſum; tuncque hærebimus, nec circa fauorem, aut odium certi aliquid poterimus ſtatuere; ideò in librandis circumſtantijs attentè expendemus, an fauor abundet, an incomodum, quæ correſpectiua ſunt, & debent inuicem conferri inſpecta prudenti, & diſcreta ratione concedentis, itaque vbi fauor excellit, iam ſtatim fauorabile priuilegium iudicabimus, & latiùs interpretandum, quamuis à iure communi exorbitet, aut ſit ipſi contrarium, aut lædere videatur ius tertij, quando & hęc ipſa ratio operatur, vt in pœnis latior adhibeatur interpretatio, & in hunc ſenſum beneficium Principis latiſſimè venit interpretatum, per beneficium enim accipimus Principis conceſſionem, in qua fauor exuberet, illudque propriè eſt, *quod à Diuina eius indulgentia proficiſcitur*, vt loquitur I. C. in *d. l. Beneficium ff. de conſt. Princ.* Ex qua theoria totam interpretandi priuilegij praxim facile erit haurire, eaque contenti ad interitum priuilegij, & tractationis finem accedamus.

---

## Cap. VIII.

## De Modis, quibus finitur Priuilegium.

1 *Duplex modus finiendi priuilegij, ſicut & legis ab intrinſeco, & ab extrinſeco, ſiue à cauſa contraria perimente. De formalis, & finalis cauſæ defectu tota difficultas.*

2 *Cauſa formalis expenditur, & eius defectus. primò cum ad tempus priuilegium conceditur, vel ſub conditione, de qua exactè.*

3 *Cauſa finalis proponitur, & an ea ceſſante expiret priuilegium. Segregatur cauſa finalis ab impulſiua, & priuilegium derogans à beneficio, & ſoluitur quæſitum.*

4 *Limitatio ſubditur, & latè declaratur.*

5 *De interitu priuilegij ab extrinſeco, & primò an morte concedentis pereat? & examinatur, ac ſoluitur quæſitum.*

6 *Secundò renunciatione priuilegiarij priuilegium expirat.*

7 *Per non vſum quatenus, & quomodo perimatur priuilegium.*

8 *Per*

8 *Per contrarium vſum an amittatur priuilegium, & finiatur.*

9 *An perimatur per contrarium vſum in vim præſcriptionis, an verò in vim renunciationis.*

10 *Per abuſum quomodo amittatur priuilegium, de quo latè.*

11 *Reuocatione Principis, & concedentis quatenus amittatur priuilegium, & perimatur.*

12 *Examinatur modus, quo reuocatio priuilegij ſit facienda, & præcipuè expreſſus, & tacitus.*

MORALIA, vtpote humana, humanæ etiam ſortis conditionem ſequuntur, in qua nil perpetuum, ſed omnia caduca, ideò & priuilegium (quidquid ſibi blandiantur homines de perpetuitatis titulo) tandem finitur, & cadit; quæ pars poſt alias conſtituentes recto ordine conſideranda eſt ad coronidem.

1 Quod diximus de occaſu legis, & priuilegio (quod & ipſum eſt lex) applicandum eſt; duplex modus conſiderandus eſt; perimi ſiquidem poteſt priuilegium ab intrinſeco, ac veluti à ſe, & ab extrinſeco, ſiue à cauſa contraria corrumpente, & deſtructiua, & de vtroque modo partitè.

Sicut autem ad priuilegij conſtitutionem quatuor concurrunt cauſarum genera, quæ ratione diuerſa influunt, ſic vario hoc ſubtracto influxu neceſſariò priuilegium interit. De deſitione ob defectum materiæ non agemus ſtatim, cum ea redigatur ad conſiderationem perſonalis priuilegii, quod ſubtracta perſona tanquam materia, & fundamento corruit; De efficiente, obueniet ponderatio vbi tractabitur de deſitione priuilegij ab extrinſeco; tota igitur diſſertatio redigetur ad formalem, & finalem cauſam, quæ demùm coincidunt.

2 A cauſa formali inducitur interitus priuilegij, cum ad certum tempus fuit illud indultum, elapſo enim tempore cadit priuilegium tanquam temporale. *C. de cauſis. de off. & pot. Iud. deleg. l. 2. & l. 4. C. de præcib. Imper. offer.* Neque id virtutis tribuimus tempori contra *l. obligationum ferè §. placet. ff. de oblig. & act.* ſed voluntati, & intentioni concedentis, qui conceſſionem ſuam termino certi temporis voluit limitari, nec vltra protendi eo inuito fas eſt. *l. non omnis ff. ſi cert. pet.* Nec magis durabit priuilegium, ſi ſub conditione fuerit indultum, quod fieri poſſe iam oſtendimus, cum ſit largitio, quam ſub conditione poſſe fieri indubium eſt, *C. cum dilecti. de Donat. l. perfecta. C. de Donat. quæ ſub modo*; igitur conditione adiecta, ſi ea deficiat, euaneſcit, & priuilegium, cuius eſſentia ſtat in ſuſpenſo, vſque ad conditionis euentum. Sed tamen ſpectandum erit attentè, an conditio adiecta reſpiciat conſtitutionem, iuxtà enim varium adiectionis modum, variè etiam de conſeruatione, aut interitu priuilegii erit cenſendum. Si conditio adiecta reſpiciat conſtitutionem, conditione impleta inducitur, & ſtatuitur priuilegium, eoque inducto nil amplius attenditur conditio, ſed remanet purum. At vbi reſpicit conſeruationem, & perſeue-

perſeuerantiam, priuilegium ſemper a conditione pendet, & ea deficiente perit. Concedat Summ. Pontif. Monaſterio priuilegium exemptionis à Decimis ea conditione *ſi Epiſcopus conſenſerit*; Non ante incipiet priuilegium, quàm impleta fuerit conditio per conſenſum Epiſcopi, eoque præſtito, priuilegium conſtituitur, incipit operari, nec amplius à conditione pendet, ſed ea iam ſemel impleta redditur abſolutum, & purum; ſi verò concedat exemptionis priuilegium ſub ea conditione, *donec Epiſcopus conſenſerit*. tunc conditio reſpicit conſeruationem, & perſeuerantiam priuilegij; ſemper enim ac præſtitum conſenſum reuocet Epiſcopus, & ſi in eodem non perſiſtat, deficiet conditio, & peribit priuilegium. Notiſſima eſt doctrina ex materia conditionum, nec morandum vlteriùs.

Hucvſque reuocari poteſt priuilegium alicui indultum ratione ſtatus, aut priuilegium vni cònceſſum, & alii communicatum; mutato enim ſtatu intercidet priuilegium, & vita functo illo, cui principaliter fuit conceſſum, communicatio etiam expirat, hęc enim priuilegia virtualiter conditionem inuoluunt, vel diem incertum, qui demùm conditionem facit *l. ſi dies*. 21. *ff. quando dies leg. ced.* an autem priuilegium per primum, & vnicum actum finiatur, quamuis diſtinguendo variis modis procedant ſcribentes tutior eſt reſolutio, quæ normam ſumit ab intentione, & voluntate concedentis, quam ex verbis, & circumſtantiis venari licet, & ſecundum eam ſtatuere.

*Nauar. ad C. placuit de pœnit. diſt. 6. nu. 167. 168.*

*Felin. ad C. 2. de tregua, & pace.*

*Panorm. ad C. cum Acceſſiſſent de conſtit. num. 6.*

3 Cauſæ formali, de qua hactenus, ſuccedit cauſa finalis, & de ea meritò inquirendum, an ea ceſſante corruat priuilegium? ſed ſegreganda primò eſt cauſa finalis ab impulſiua, & ſubinde priuilegium, quod derogat iuri communi, aut iuri alicuius tertii à priuilegio, quod ſit merum beneficium Principis, & à mera eius munificentia, ac liberalitate procedat. Cauſa igitur finalis eſt, quam in agendo inſpicit agens, & à qua ad actum principaliter mouetur. De hac dictum, quod ſit cauſa cauſarum intentione prima, ſed executione poſtrema, vt *D. Thom.* aduertit. Impulſiuam verò cauſam dicimus illam, quæ præter finem vltimum mouet agentem, cauſam dat actui, & ſine qua actus non fieret. Impulſiua ideò, quia impellit agentem, cum finalis potiùs trahat; duplicis huius, adeòque diuerſæ cauſæ concurſum, & modum cauſandi diuerſum exhibuit Vlp. in *l.* 1. §. *ſexum. ff. de poſtul.* rationem aſſignans, ob quam arceantur fœminæ à poſtulando. *Et ratio quidem prohibendi eſt* (en cauſam finalem) *ne contra pudicitiam ſexui congruentem alienis cauſis ſe immiſceant*; *origo verò* (en cauſam impulſiuam) *introducta eſt à Calpburnia improbiſſima fœmina, quæ inuerecundè poſtulans, & Magiſtratum inquietans cauſam dedit edicto*.

*1. 2. q. 1. art. 1. ad 1. & q. 18 art. 6. ad 2.*

Cum igitur finalis cauſa ſit potiſſima cauſa, & principalis, & intimè influat, inde eſt, quod ea ceſſante priuilegium concidit, priuilegium ſcilicet, quod iuri deroget, aut legis, aut alicuius tertii; de hac enim cauſa vulgatum illud accipitur effatum, quod ceſſante cauſa ceſſat effectus. *C. cum ceſſante. de appellat. S. adigere. §. quamuis. de iur. Patron.* optimè declarat Innocent. III. in *C.*

*Abate.*

*Abate. in fine. de verb. ſign. tex. in C. ſuggeſtum. de decim. C. tuæ. de Cler. non reſid.*

Influit enim cauſa finalis in priuilegium non ſolùm in fieri, ſed etiam in conſeruari; vnde ſicut ab initio non poſſet concedi, niſi eſſet iuſtum, ita nec poteſt perſeuerare niſi iuſtus ſit eius vſus, ſupponendo priuilegium, quod habeat tractum ſucceſſiuum, & vſum in futurum, nam ſi eſſet ad vnum actum tantùm, ſi ceſſatio finalis cauſę ex poſt facto ſuperueniat non per hoc annullatur priuilegium; iam enim eſt conſummatum, & ius quæſitum, quod retractari non debet, vtile enim per inutile non vitiatur. *C. vtile. de reg. iur. in 6.* at vbi priuilegium eſſet merum Principis beneficium, & ex eius liberalitate profectum, etiamſi deficeret cauſa finalis, ſubſiſteret tamen adhuc priuilegium, quia huiuſmodi priuilegium, aut nullam omninò exigit cauſam, vt plerique volunt, aut ſi exigat (vt prudenter, & honeſtè fiat) vbi ſemel facta eſt conceſſio ſatis eſt, nec vlterius neceſſaria eſt cauſa, quæ quidem requirebatur ad mouendam Principis voluntatem, at vbi iam mota eſt, alia cauſa non eſt opus. Decet enim ſtabile eſſe beneficium Principis, & durabilem eſſe fauorem, prȩſertim ſi ſit merè liberale, abſolutum, & purum *C. ſi ſuper gratia. de off. deleg. in 6.*

4 Quamuis autem ſit dictum, quod priuilegium habens tractum ſucceſſiuum ceſſet quoad actus futuros ceſſante cauſa finali, illud tamen limitando admonemus, eſſe hoc accipiendum, vbi cauſa ceſſaret contrariè, hoceſt, quod ità mutatur cauſa, vt obſeruare priuilegium redd datur iniquum, & iniuſtum, non item ſi ceſſaret tantùm negatiuè ita, vt cauſa amplius non ſubſiſteret, aut adeſſet, tunc enim priuilegium non redditur iniuſtum, aut iniquum, & vſus eius non eſt alicui virtuti contrarius, & ideò adhuc ſubſiſteret; Exemplum petemus *à tex. in C. ſuggeſtum. de decim.* Dederat Summ. Pontifex priuilegium quibuſdam Monachis, vt exempti eſſent à ſolutione decimarum; Monachi alii nonnulli nihilominus decimas petebant; Innuit Alexander III. ceſſare Priuilegium, quia quando Sedes Apoſtolica exemptionem indulſit pauca erant Monaſteria eius ordinis, quæ cum ſint aucta exuberanti numero, iam incipit aliis ſcandalum ſuboriri, & quærelæ frequentiſſimæ ad Sedem Apoſtolicam deferebantur, ſicque priuilegium reddebatur iniuſtum, & iniquum, & ceſſabit contrariè ratio eius concedendi, & ideò corruit, res enim ad eum ſtatum redigitur, à quo non poteſt incipere, & quod contrariè eſt oppoſitum corrumpit, & deſtruit; non item oppoſitum negatiuè, ſit conceſſum priuilegium alicui Monaſterio exemptionis à decimis propter indigentiam, etiam ſi Monaſterium non indigeat, non ceſſabit priuilegium, quia nimirum non per hoc redditur iniquum, aut iniuſtum priuilegium ipſum, aut illicitus eius vſus, & in hoc notabilis eſt differentia inter legem communem, & priuilegium, quamuis, & ipſum ſit lex, ſed priuata; nam in lege communi ſi ceſſet eius ratio, & finis negatiuè, cadit & lex ipſa, quia redditur inutilis communitati, & ideò definit eſſe lex, cum deficiat eius proprietas, communis ſcilicet vtilitas, im mò & poteſt dici praua, cum imponat onus graue,

& inu-

& inutile communitati; vnde videtur ita ceſſare negatiue, vt etiam ceſſet contrariè. At priuilegium non eſt lex quatenus reſpicit priuilegiatum, & reſpectu eiuſdem nihil continet oneris; ſed ſimplicem fauorem, & licèt ratio concedentis ceſſet, non tamen redditur inutile ipſimet priuilegiario, aut oneroſum, & ideò, quæ ratio viget in lege communi ceſſat in priuilegio.

Et quamuis priuilegium habeat veram rationem legis in eo, quod alios omnes ſubiectos obligat ad ſui obſeruationem, non per hoc ceſſante eius ratione, aut fine debet ceſſare priuilegium in ratione legis, nam durante fauore priuilegiati perſeuerat in alijs omnibus obligatio ad ius eius non temerandum. Quod ſi eueniat, vt non ſolùm ceſſet finis priuilegij, ſed etiam reddatur inutile omninò tunc rationabile eſt aſſerere finiri priuilegium non ſolum in ratione priuilegij, ſed etiam in ratione legis, ſicque ſeruabitur proportio inter legem communem, & priuilegium etiam, vt priuilegium eſt; ſed eo attento diſcrimine, quod lex reddita inutilis eſt nulla, & facto, & iure, nam fit iniuſta, vnde ita ceſſat negatiuè, vt etiam contrariè. At priuilegium inutile fit nullum, non quia ſit iniuſtum, ſed quia aut ſit moraliter impoſſibilis vſus eius, vel non deſiderabilis, ex quo nihil proficiat facto magis, quàm iure. Poſſet tamen propter hanc ceſſationem rationis, & finis reuocari, eaque iuſtum argumentum, & cauſam ad reuocationem eſſe, ſed de hac reuocatione non agimus modò, ſed de ceſſatione ipſo iure, quæ ad hoc intentum perimendi priuilegij debet eſſe perpetua, alias enim ſi ſit temporalis non perimet, ſed ſuſpendet tantùm, quouſq; ceſſatio ipſa finis, aut rationis duret.

5 Hæc ſunt, quibus veluti ab intrinſeco priuilegium perimitur, ſicut, & in lege obſeruauimus; ſubſequitur inſpiciendum, quomodò, & ab extrinſeco idem extinguatur, & inter hæc, quæ extrinſecùs fatum inferunt priuilegio, illud primò ſe exhibet, de quo dubitatur; An ſcilicet morte concedentis intereat priuilegium? reſolutio eſt, eaque planè recepta non extingui priuilegium etiam ſi decedat Princeps, qui indulſit, dum ſit abſolutè conceſſum, & nihil in eo ſit expreſſum, quod arguat intentionem largientis, vt priuilegij duratio ad vitam concedentis tantùm protendatur. Apertiſſime Bonif. VIII. *in C. ſi ſuper gratia de off. & pot. Iud. Deleg. in 6. Gratiam enim decet eſſe manſuram* (inquit idem Bonifac.) *& non expirat etiam re integra per obitum concedentis* in *C. ſi Cui. de præb. in 6.* meritò; Nam gratia, & priuilegium donatio, & largitio quædam eſt, quæ ſemel facta morte donantis non deſinit, idque ſiue ſit mera gratia, & Principis beneficium, ſiuè ſit priuilegium, quod deroget iuri communi, aut iuri alicuius tertij, quod certè aliquid odij habet admixtum, ſemper enim venit appellatione gratiæ, & iure gratiæ cenſetur. Aperta autem ſunt adeò allegata iura, vt nullum relinquant diſtinctioni locum, an res ſit integra, nec ne, quantumuis enim decedat Princeps, antequam priuilegiarius aliquem vſum conceſsi ſibi priuilegij exercuit (quo caſu dicetur adhuc res integra) ſubſiſtet priuilegium, nec quidquam terrent iura *in C. licet, in C. gratum, & in C. relatum de off. & poſt. iud. deleg.* quæ indicant

per

Digitized by Google

per mortem delegantis, re integra expirare delegationis priuilegium; loquuntur enim in terminis contentioſæ Iuriſdictionis, & non voluntariæ, ſiue in materia beneficiaria, & ambitioſa, & vltra non ſunt extendenda, & cum ſint odioſa, nec interpretatione iuuanda. Subſiſtit igitur ſtatim à conceſſione priuilegium, nec acceptatione priuilegiarij eſt opus, id enim factum in donatione obſeruamus, cuius totum eſſe à liberalitate pendet, & ad quam donationem priuilegium reuocauimus, & redegimus.

6 Potiſſimus autem extrinſecus modus, quo perimitur priuilegium, eſt renunciatio priuilegiarij, loquendo de priuilegio permanente, & habente tractum ſucceſſiuum, nam priuilegium, quod in vnico actu conſiſtat, vt diſpenſatio in irregularitate, in impedimento matrimonij, & ſi quod fuerit huiuſmodi, vix eſt, vt renunciationem admittat, poteſt quidem diſpenſatus non ordinari, matrimonium non contrahere, at non per hoc dici poteſt diſpenſationi iam factæ renunciare. At verò ſi habeat priuilegium tractum ſucceſſiuum, & ſit quid permanens, renunciare ipſi poteſt priuilegiarius *C. ſi de terra. C. accedentibus. de priuileg. C. ad Apoſtolicam. de regular.* vulgatiſſima. *l. ſi quis in conſcribendo. C. de pac.* indeque haud minùs contrita regula, quod vnuſquiſque fauori pro ſe introducto renunciare poteſt, dum ſit ipſius proprius, & immediatè ipſum tangat, aliàs non admittitur renunciatio. Ecce enim, ſi priuilegium reſpiciat non tam perſonam, quàm ſtatum, & conditionem priuilegiarij, qui renunciare velit, non permittetur ei renunciatio, quæ ratio eſt, propter quam Clericus priuilegio Canonis, ſiue fori renunciare non poteſt. *C. ſi diligenti. de foro compet.* quia non tam in Clerici, quàm ordinis, & conditionis Clericalis intuitum eſt indultum, vel ſi non pendeat immediatè à voluntate priuilegiarij, & ius alterius reſpiciat; lædere enim alium renunciatione ſua non poteſt, ſicque non permittitur Epiſcopo renunciare libertati Eccleſiæ, ſiue matrimonij, quod ad Romanam Eccleſiam pertineat. *C. cum tempore. de arbitr.* at iuri ſuo vtique ſiue negatiuè id faciat, hoceſt non vtendo, tuncque non tam iuri, quàm vſui renunciare intelligitur, ſiue poſitiuè, abdicando ſcilicet à ſe ius ipſum. Habeat quis immunitatem à ieiunio, ſi ieiunet, non priuat ſe facultate non ieiunandi, ſed actu tantùm, quia ea non vtitur, ſed vti poteſt, ſi velit; ſi verò quis abdicet priuilegium, ipſique renunciet, tunc poteſtatem à ſe dimittit, nec ea vti amplius ipſi licet, quæ vera, & propria renunciatio eſt; vnde voluntatem renunciandi manifeſtatam, & expreſſam exigit, & renunciandi toti priuilegio, & non parti, vt abſoluta renunciatio dici valeat. arg. *tex. in l. voluntaria. ibid. Gloſſ. C. de excuſ. tut.*

7 Promouemur inde opportunè ad modum alterum, quo perimi poteſt priuilegium, & eſt non per vſum eiuſdem; amittitur enim non vtendo, not. omnes ad *C. cum acceſſiſſent. de conſtit. ad l. falſo. C. de Diu. reſcrip. & ad l. 1. ff. de nundin.* hicque modus non in quolibet priuilegio obtinet, ſed in priuilegio affirmatiuo, quod facultatem ad aliquod faciendum indul-

geat, affirmationi enim ſola negatio opponitur. Verùm dupliciter poteſt contingere, vt quis non vtatur priuilegio, negatiuè ſcilicet, & priuatiuè, ſiue omiſſiuè. Negatiuè, quando quis habet priuilegium, ſed tamen occaſio non ſe exhibet eo vtendi; non vſus enim tunc non eſt contrarius priuilegio, & omittens non poteſt dici non vti, cum vtendi non ſit occaſio quantumuis diuturnum ſit tempus, quo occaſio non ſe offert, neque inde licet arguere intentionem, aut voluntatem aliquam renunciandi ipſi priuilegio, & ideò per non vſum negatiuum priuilegium non amittitur. Priuatiuè autem, ſeu omiſſiuè per non vſum amittitur priuilegium affirmatiuum, quando eo vtendi ſeſe exhibet occaſio, & tempus adeſt, pro quo conceſſum eſt; tunc enim ſi priuilegiarius non impeditus, non abſens, non prohibitus eo non vtatur, voluntariè amittit priuilegium, cui voluntate renunciaſſe intelligitur; verùm hæc priuilegij amiſſio per non vſum in duplicem vim reſolui poteſt, in vim ſcilicet præſcriptionis, & in vim tacitæ renunciationis *Gloſſ. ad C. fin. 16. q. 4.* ſed tamen non eſt adeò facile aſſignare, quomodo in vim præſcriptionis poſſit priuilegium per non vſum amitti, quando poſitiua aliqua poſſeſſio non adſit, & quamuis videatur poſſe diſtingui præſcriptio in affirmatiuam, & negatiuam, & per hanc amitti dicatur priuilegium per non vſum, & non per illam, eo modo, quo amittuntur ſeruitutes non vtendo per modum, & tempus; *l. ſequitur §. ſi viam ff. de vſucap. l. hæc autem. ff. de ſeruit. Vrb. præd. l. 2. C. de præſcrip. l. pen. C. de ſeruit.* attamen à ſeruitutum amiſſione per non vſum non videtur poſſe inferri ad amiſſionem priuilegij, in vim præſcriptionis, nam in præſcriptione vnus non amittit quin alius per poſitiuam præſcriptionem acquirat, ſic enim in amiſſione ſeruitutis, vnus ita eam amittit, vt alter acquirat libertatem, ſic & in amiſſione actionis amiſſio non fit ſine alterius poſitiua præſcriptione; quæ conſideratio locum habere non poteſt in priuilegio, per cuius non vſum nihil acquiritur alteri; vnde ad rem ſcripſit Alberic. quod lex non tollitur per non vſum, quia aduerſus ipſam nemo eſt, qui per non vſum præſcribat, præcipuè ſi lex ſit permittens, indulgens facultatem, & non imponens neceſſitatem. *Ad l. falſo C. de Diu. reſcript.*

A lege autem ad priuilegium concludens eſt illatio, quando priuilegium eſſentialiter eſt lex, licèt priuata. Rectè quidem, at duplex diſtinguemus priuilegium; aliud quod ita comodum indulget priuilegiario, vt tamen onus in alios redundet, vt eſſet ius exigendi decimas extra munus parochiale, aut certum aliquod tributum cuiuſmodi etiam eſt Nundinarum priuilegium, vt not. *Gloſſ. ad l. 1. ff. de Nundin.* & hoc dixerimus reſpectiuum.

8 Priuilegium igitur primum, quod redundat in aliorum onus eatenus per non vſum amittitur, quatenus alii poſſint contra ipſum præſcribere, quod ſæpius non fit ſine aliquo actu ipſorum præſcribentium, idque euincunt rationes iam ſupra factę, & præcipuè id obtinet in eo caſu, quo alii exercent actum ſine priuilegiario, vt ſi quis habeat ius eligendi ex priuilegio, ſi enim eligentes ſine ipſo eligant præſcribent, & ipſe per non vſum priuilegium amittet.

amittet. Aliud verò priuilegium, quod verſatur circa actiones proprias abſque alterius onere non amittitur per non vſum, niſi quatenus tacita quædam renunciatio inducatur; cum enim hoc priuilegium aliorum onus non reſpiciat, nullam poſſumus imaginari poſitiuam aliorum præſcriptionem.

At verò renunciatio illa tacita eatenùs locum habebit, quatenùs lex aliqua ſiue communis, ſiue municipalis præſumptionem hanc renunciationis, & voluntatem renuntiandi in non vtente non inducit ſine iuris adminiculo, per quod renunciationis intentio præſumatur. Et iuxta hanc diſtinctionem facile eſt ſtatuere, quantum tempus adamittendum, aut perimendum priuilegium per non vſum requiratur. Nam in priuilegio reſpectiuo, in quo locum habere poteſt præſcriptio, tantum temporis requiretur, quantum exigitur ad præſcriptionem complendam ex parte eius, in cuius onus redundat, & qui præſcribit; at in abſoluto, in quo non procedit, aut obtinet præſcriptio, nullum tempus dici poteſt ſtatutum, & aliud ſpatium non erit attendendum, niſi quod conſtituatur à iure aliquo, nam ſi in priuilegio ipſo tempus aliquod fuerit inſertum, tunc non tam ipſo non vſu, quam lege in priuilegio dicta amittetur, & quamuis in *l.* 1. *ff. de Nundin.* ſit ſtatutum decennium, non tamen licet inde inferre ad quemcumque alium caſum, tum quia, ſi ſit illud nundinarum priuilegium, non eſt abſolutum, ſed reſpectiuum, ex quo onus aliis obuenit; tum etiam quia in eadem *l.* 1. eſt expreſsè ſtatutum, vt, qui intra decennium nundinarum conceſſo priuilegio non vtitur, illud amittat, quod ſingulariter in eo caſu conceſſum, & tanquam odioſum ad alios conſimiles extendi non debet.

Amiſſioni priuilegij per non vſum, adnectimus modum alium haud minùs conſiderabilem, & eſt per contrarium vſum, qui quidem modus obtinet præcipuè in priuilegijs negatiuis, quæ dant facultatem non faciendi in aliquo certo caſu, puta non ſoluendi, aut onus aliquod non ſubeundi, qui actus ſit directè oppoſitus, atque contrarius ipſi priuilegio, legitimum hunc priuilegij amittendi modum probant apertiſſima iura tex. *in C. gratum. de off. & pot. Iud. deleg.* & ibi *Gloſſ. in verbo receſſum. C. ex ore. de his, quæ fiunt à maiori par. Cap.* & ibi *Gloſſ. in verbo renunciaſſe. C. fin. de vita, & honeſt. Cleric.* & ibi *Gloſſ.* vbique concordantia iura cumulans. Apertiſſimi tex. in *C. de terra, & in C. accedentibus. de priuileg.* Actus autem huiuſmodi à priuilegiario debet fieri, & eſſe ipſimet priuilegio contrarius, vt inde liceat arguere priuilegiarium ipſum contrariæ obligationi ſe ſubdere velle, & ideò ſi operans actum contrarium proteſtetur expreſsè, ſe non intendere ſibimetipſi detrimentum inferre, actus non cenſebitur priuilegio contrarius, vt not. ad *C. cum acceſſiſſent. de conſtit.* apertè enim indicat per proteſtationem ſe non operari ex obligatione priuilegio contraria, neque animo renunciandi ipſi priuilegio. Immò is debet eſſe priuilegiarius, qui poſſit priuilegio renunciare, aliàs ſi ſit impotens, nihil operabitur actus eius priuilegio contrarius, ſiue naſcatur impotentia ex eo, quod priuilegium reſpiciat ius

ius publicum, cui priuatus homo renunciare non poſſit, vt in priuilegio fori reſpectu Clerici in *C. ſi dilig. de foro compet.* ſiue quia priuilegium ſit conceſſum toti vniuerſitati tanquam corpori myſtico in vſum quidem ſingulorum, ſed ita, vt vti debeant non ex neceſſitate, ſed ex libera facultate, neutro enim caſu officient iuri, aut vniuerſitati, etiamſi actum contrarium faciant, in vim enim renunciationis nocere non poſſunt, quamuis vbi datum priuilegium eſt vniuerſitati in vſum ſingulorum, ſinguli non vtendo per modum tacitæ renunciationis ſibi nocere vtique poſſint, cum fauor ipſorum ſit fauor diſtinctus à fauore vniuerſitatis.

9 An autem per contrarium vſum amittatur priuilegium in vim renunciationis, an verò in vim præſcriptionis; iura ſupra tacta in *C. de terra in C. accedentibus*; *& in C. ex ore*; ad vtramque cauſam ſe referre videtur, & quamuis ſcribentes ad *C. cum acceſſiſſent. de conſtit.* præferre cauſam tacitæ renunciationis videantur, tutior tamen eſt ſententia diſtinguens. Aut enim conſideramus actum, qui fit ab ipſo priuilegiario, & de cuius ſubſiſtentia agitur, & tunc derogatum intelligitur priuilegio in vim tacitæ renunciationis, ita *tex. in d. C. ex ore. & in d. C. gratum. vbi Gloſſ. latè.* At ſi conſideremus totam facultatem, & vim priuilegij, pròut dirigitur in futurum, tunc contrarius vſus non perimit ipſum in vim tacitæ renunciationis, ſed in vim præſcriptionis, vnde hæc ipſa legitima præſcriptio accedere debet. tex. in *d. C. ſi de terra. & in C. accedentibus. de priuileg.* & meritò, nam per ſolum vſum, & actum contrarium non cenſetur quis renunciare niſi in eo actu, quem facit contra priuilegium, & ideò neceſſaria eſt præſcriptio, quæ compleri debet legitimo ſpatio decem annorum inter præſentes, viginti inter abſentes, tantum enim temporis eſt ſtatutum ad præſcriptionem ſeruitutum, quæ immobilibus adcenſentur. Verùm quia Eccleſia, & Monaſterium potiore gaudet iure, ideò quoties contra eius priuilegium ageretur longius ſpatium requiritur, ita expreſsè, & ſpecialiter diſponente tex. in d. *C. accedentibus. de priuil.* quadraginta ſcilicet annorum, nam Innocentius III. in *d. C. accedentibus*, porrexit conſtitutionem. tex. in *C. illud. de præſcrip.* quæ quadraginta annos ad præſcriptionem contra Eccleſiam exigit ad priuilegia Eccleſiarum per præſcriptionem tollenda, nam in d. *C. accedentibus* ſpatium 40. annorum conſideratur non ſolum in parte narratiua, ſed etiam in parte conſtitutiua, vt obſeruanti patere poteſt.

10 Contrario vſui ſubijcimus tanquam affinem modum amittendi priuilegij abuſum, quem proponit Simplicius Papa in *C. vbi. 74. diſt. nam priuilegium meretur amittere* (ait ibi *Simplicius*) *qui conceſſa ſibi abutitur poteſtate*. totidem verbis reſumpſit D. Gregorius in *C. priuilegium. 2. quæſt. 3. Innoc. III. in* C. *licet. de regular. & in* C. *vt priuilegia. de priuileg. C. contingit. il 2. de ſent. ex com.* C. 2. *de poſtul. prælat.* Innuit *Alex. III. in C. recolentes. de ſtatu Monach.* & eſt brocardica, & naturalis regula, vt in quo quis delinquit in eo plectatur. Dum autem dicimus amitti priuilegium per abuſum, non intelligimus

mus quodlibet delictum, niſi quatenus reſpiciat directè, & immediatè priuilegium ipſum; aliàs enim propter delictum abſolutè non amittitur priuilegium niſi quatenus à iure, aut à Principe reperiatur expreſſè cautū. Abuſum (ad hunc effectum) intelligimus per exceſſum, nam ſi quis, aut non vtatur priuilegio, aut contrario modo vtatur non erit abuſus ille, de quo loquimur; Abuti igitur (ad rem) dicetur priuilegio, qui in eius vſu exorbitat ſiue loco, ſiue tempore, ſiue modo, ſiue ratione perſonæ excedat ita tex. in C. *licet. de regular. in C. 1. & 2. de poſtul. prel. in C. vt priuilegia. de priuil. iunc. C. ſuggeſtum de decim.* nec minus, & 2. abuti dicitur, qui occaſionem delinquendi ex priuilegio deſumit, vt cum exemptus delinquit fidens ex priuilegio id ſibi futurum impunè, ſic enim tex. in C. *contingit il 2. de ſent. excom. in C. fin. de vita, & honeſt. Cler. in C. fin. de immun. Eccleſ.* Tertiò demum & abuti dicetur Priuilegiatus, qui malis moribus repugnat fini priuilegij, vt cum beneficiarius abſens cauſa ſtudij, poſthabito ſtudio inanibus alijs actionibns deſtinetur. C. *Recolentes de ſtatu Monach. C. ex parte. de Cler. coniug. & C. vn. eod. in 6.* quilibet enim abutendi modus in hiſce caſibus culpabilis eſt, ideòque meritò ex culpa ſua priuilegiatus priuilegium amittit. Vt autem hoc certum eſt, ita rationabiliter dubium, an amittatur per abuſum priuilegium quòad totam materiam, an quòad partem? an verò quòad actum ſolummodò, de quo agitur?

Et ſanè adſunt iura, quæ quolibet ex hiſce modis amitti priuilegium probent pro caſus, & rationis diuerſitate. Nam de omnimoda, & totali amiſſione tex. in C. *Priuilegium 2. quæſt. 3.* quatenus ait, *Priuilegium omninò meretur amittere &c.* Aduerbium *omninò* totalem amiſſionem probat, ideòque Romani Correctores agnoſcentes hoc dictum tanquam illud ipſum Simplicij Papæ in C. *vbi. 74. diſt.* aduocant quaſi planè concordans dictum D. Auguſtini. *Iudicio enim legum iure ab obtenta dignitate deijcitur, qui priuilegio ſibi conceſſo abutitur*, quæ verba omnimodam amiſſionem dignitatis indicant, quamuis in *d. C. vbi.* aduerbium illud *omninò* non legatur. De partiali amiſſione tex. in C. *denunciamus. 25. quæſt. 2.* Simplicius Papa ſcribens Ioanni Rauennati Archiepiſcopo abutenti auctoritate in ordinatione comminatur. *Ordinationes Rauennatis Eccleſiæ, vel Aemilienſis auferendas.* Quæ pœna partialis eſt, ſicut priuatur quis eligendi iure in futurum pro certo tempore. *C. cum in cunctis. C. cum Vintonienſis. de elect. C. 1. & 2. de poſtul. prælat.* Et demùm de priuatione, quòad actum illum ſolummodo eſt exemplum in *C. vel non eſt. de temp. ord.* in *C. decernimus. 16. quæſt. 7. C. 1. 71. diſt.* iuxta enim æquitatis dictamen poteſt eſſe hæc ſufficiens pœna, abſque eo, quod priuilegium in totum, & in perpetuum amittatur; in opinionum igitur varietate, quarum ſingulæ ſuis nituntur iuris auctoritatibus, pro caſuum diuerſitate, & prudentiæ modo iudicantis intret arbitrium, qui quidem attentè obſeruans loquendi formam in reſcripto, aut priuilegio diſcernet, an per abuſum ipſo iure, an ſuperioris au-

*Serm. 147. de tempore.*

ctoritate

ctoritate interueniente amittatur priuilegium, ſi enim non contineant verba ſententiam ipſo iure latam non amittetur ipſo facto priuilegium, nam regula in C. *Priuilegium*. 2. *quæſt.* 3. *ait*, *meretur amittere*, non igitur ſtatim amittit, idem cenſendum, & de conſimilibus verbis, vt ſi dicat, *priuetur*, *vel careat priuilegio*, vel vt in C. 1. *de poſtul. prælat.* & in C. *vt priuilegia*. *de priuileg. propter abuſum poſſe auferri*, *aut reuocari priuilegium*; at ſi dixerit *nouerit ſe priuatum*, *vel ipſo facto priuationis pœnam incurrat*. vt in C. *cum in cunctis*. *de elect.* tunc facto ipſo amittetur priuilegium, ſed tamen ita, vt vbi per modum pœnæ inflicta fuerit amiſſio priuilegij, ſententia declaratoria adhuc requiratur, niſi abuſus tollat fundamentum priuilegij, & res ſit aperta, ac omninò certa, tunc enim nullo erit opus facto Iudicis, ſed ipſo iure amiſſum erit priuilegium.

11 Supereſt poſtremus modus perimendi priuilegii, iſque omninò extrinſecus, & eſt reuocatio à concedente facta, de qua potiora delibabimus ex iis, quæ ſacri iuris interpretes tractarunt ad C. *Nouit. de Iudic.* Non videtur autem ad praxim iuſtè reducibilis hic modus; cum enim priuilegium ſit donatio, eam iam factam, & perfectam reuocare non poterit Princeps, aut quicumque indulgens, iuſtitia illæſa, ideò rem temperandam per diſtinctionem cenſuerunt ſcribentes; aut enim conceſſum eſt à Principe priuilegium non ſubdito, aut ſubdito. Si non ſubdito, & ab eo ſit acceptatum reuocare, non erit integrum, non enim poteſt Princeps priuare non ſubditum iure ſuo, & legitimè quæſitis, vndecumque obuenerint, idque tam de concedente, quam de ſucceſſore accipiendum eſt, qui idem cenſetur; niſi abdicatio facta per priuilegium graue nimis detrimentum Sedi, aut Coronæ afferret, aut iam afferre inciperet, tunc enim reuocare poſſet ſucceſſor, in re enim omninò graui, & Sedi, aut Coronæ præiudiciali ſubeſſe tacitè cenſetur illa conditio *ſi ſucceſſor conſenſerit*, æquè ſiquidem in Principis, ac priuati donatione ſubeſt tacita illa conditio *rebus ſic ſtantibus*; vnde facta notabili mutatione reuocatio permittitur *l. ſi vnquam*. *C. de reuoc. donat.* ſi verò ſit conceſſum priuilegium à Principe ſubdito ſuo, reuocabile illud aſſerunt ſcribentes, & firmauit auctoritatibus pluribus *Gloſſ.* ſegregant nihilominus priuilegium datum ex contractu, ſiue ſit oneroſus, ſiue lucratiuus ab eo, quod liberaliter, & merè gratuitò conceditur. Priuilegium igitur ex contractu, etiam merè lucratiuo reuocare Princeps non poteſt; obligatur enim lege iuſtitiæ ad pactum ſeruandum etiam cum ſubditis, & legibus ſolutus legibus viuit *l. digna vox*. *C. de legib.* ſed maximè legibus iuſtitiæ, & naturalis iuris, à quibus nulla ſolutio; niſi tamen inſuetus aliquis caſus ſe offerret, quia tunc ſicut poteſt Princeps ſubditum priuare bonis ſuis, ita poteſt & reuocare priuilegium, ſpectata ſemper tamen æquitate, vt compenſationem ſubdito præbeat, ſi is caſus ſit, qui compenſationem admittat, & exigat. Quod dicimus de priuilegio ex contractu accipiunt omnes, & de remuneratiuo, illud aſſerunt æque irreuocabile; remuneratio enim inuoluit vniuerſalem contractum, vnde quod in remune-

*Ad C. Nouit. de Iudic. Ad C. Decret. de reg. iur. in 6. verb Manſuris*

rationem

rationem datur gratis non cenſetur datum, pręcipuè ſi ſit remuneratio ex debito iuſtitiæ; nam etſi priuilegium ex mera gratitudine, & antidorale ſit irreuocabile, attamen exigente aliqua cauſa faciliùs reuocabitur antidorale, quàm propriè remuneratiuum ex iuſtitia, vnde ex eadem cauſa gratitudinis debita erit compenſatio, non ex lege iuſtitiæ.

At ſi priuilegium non ſit ex contractu, ſed merè liberale, ac gratuitum, tunc intuendum eſt, an donationem rei, ſiue iuris alicuius conferat in priuilegiarium, an verò ſolam facultatem ad aliquid agendum, vel non agendum. Priuilegium primum, vtcumque merè liberale, & gratuitum ex ſe abſolutè loquendo irreuocabile eſt, niſi, iuſta, & legitima cauſa intercedat, ita *Felin. & Ant. Gabriel.* Non enim poteſt Princeps rem ſuam ſubdito adimere ex mero arbitrio, & ſine legitima cauſa, abſque eo, quod peccet in legem iuſtitiæ, immò cum hæc ipſa collatio ex mera liberalitate facta ſit donatio, iam contractus naturam ſortitur, quem ſine cauſa legitima temerare Principi nefas.

*AdC.Nouit.Com. concil.lib 3.De Iureg q.con-7.n.3.& 5.*

Priuilegium autem ſecundum, quod nihil transfert in priuilegiarium, ſed facultatem tantùm ad agendum, vel non agendum largitur, poteſt pro libito ſine vlla cauſæ conſideratione reuocari; hoc ſiquidem priuilegium non tranſit in dominium ſubditi, & ideò pendet ſemper à concedentis voluntate, & liberè poteſt ab eo reuocari; & quia fuit legitimè datum, ideò honeſtas quidem aliqua huic reuocationi repugnat, vnde decet, ac honeſtum eſt, ipſum ſeruare, attamen facta reuocatio (ſi fiat) valida eſt, & non iniqua, ex quo nihil eſt, quod commutatiuæ iuſtitiæ repugnet, & ideò honeſtas illa iuſtam aliquam cauſam ad ſummum expoſcet, vt reuocatio licitè fiat, quamuis fiat ſine ea validè; *C. decet. de reg. iur. in 6. C. ſuggeſtum. de decim.* quæ diximus hactenus de concedente, & de eius ſucceſſore accipienda ſunt, qui quocumque nomine, & titulo ſuccedat, implere debet obligationes præceſſoris ſui, præcipuè ſi ſine Reipublicæ detrimento poſſint obſeruari.

*Lib.1. de Repub. cap.3. in fin.*

12 Poſita in concedente priuilegium eius reuocandi facultate, iam de modo ipſius reuocationis faciendæ ſubdendum eſt. Voluntatem igitur (ſine qua etiamſi adſit facultas nihil actum intelligitur) & intentionem reuocandi priuilegij exprimere poteſt concedens dupliciter, expreſsè ſcilicet, & tacitè expreſſè facta cenſebitur non ſolùm apertis verbis, ſed & ſpecificè exprimendo priuilegium, quod reuocatur, & de hac nulla ſubeſſe poteſt difficultas, cum poteſtas adſit, & de voluntate conſtet. Poteſt tamen adhuc reuocatio fieri expreſsè, ſed non ſpecificè, at per clauſulam generalem; *non obſtantibus priuilegijs quibuſcumque*; & tunc regulariter reuocatum expreſsè priuilegium intelligetur; nec ſine re diximus *regulariter*, & non vna ratione, nam & primò; ſi ſit priuilegium aliquod clauſum in corpore iuris, generali hac derogatione, nihil patietur, ſed durabit adhuc; nam cum ſit clauſum in corpore iuris, vltra rationem priuilegij rationem etiam legis inuoluit, vnde eſt potentius, quàm, vt generali clauſula poſſit ei derogari, niſi derogatio pariter legum, & Canonum inferatur, vt poſt *Gloſſ. notauit Martha.*

*Ad Auth quia C. vbi de Crim verbo Illi hic enim priuilegiis clauſul. 79 p. 1.*

*Martha*. Secundo *regulariter* propter priuilegia, in quibus ſingulariter eſt expreſſum, vt reuocari non poſſint, niſi eorumdem expreſſa habita mentione; generalis enim clauſula ad id non ſufficiet, quæ autem verba adhiberi debeant, tractant Intrepp. latè, ſed præcipuè adhiberi debent verba ad id operandum apta, & expreſſa, vt in *Clem. 1. de ſepult. in fine. & in Clem. 2. eod*; non enim obſtringendus eſt Summus Pontifex omnia priuilegia, & ſingula referre, dedecet hoc ſummam eius poteſtatem, & ideò verba generalia ſat eſſe debent. Tertiò demùm *regulariter* propter priuilegia ex contractu, quibus derogatum per generalem regulam non intelligitur, niſi generalis ſaltem mentio eorumdem habeatur. Huiuſmodi enim priuilegia ſunt ex natura ſua irreuocabilia, & non niſi ex magna cauſa præſumuntur reuocari, niſi modo ſalrem ſuppoſitiuo memorentur; continet reuocatio præiudicium tertij, nec adeò de facili eſt præſumenda, vt *not. Gloſſ.*

*Ad C. quia non nonnulli De reſcript. et ad C. cum inſtantia de cenſibus.*

*Ad Clem. Dudum de ſepul. verbo pacta.*

Tacita priuilegij reuocatio ea eſt, quæ nec verbis expoſitis, nec derogatoria aliqua clauſula, ſed implicitè, & per quamdam conſecutionem efficitur; idque tunc maximè, cum Princeps facit aliquem actum, qui conſiſtere non poteſt, ac ſuum effectum ſortiri tanquam implicans, ſine derogatione priuilegij; cum enim concurrant duæ voluntates Principis inuicem oppoſitæ circa idem, poſterior tanquam potentior vincit priorem, & ipſi derogat, & ideò requiritur, vt habeat ſcientiam priuilegij, & voluntatem faciendi actum cum priuilegio pugnantem, vt tacita, & virtualis huiuſmodi reuocatio facta intelligatur; ſcientia enim virtualis voluntas argui non poteſt, eleganter *Modeſtin.* in *l. idem Vlp. §. ſunt alij. ff. de excuſ. tut.* tutorem illum (ait) excuſari à tutela, qui reſcripto, & permiſſione Principis domicilium aliò tranſtulit *ſciens* (ait ibi *Modeſtin.*) *quidem tutorem eſſe eum, tranſmigrare autem expreſſè ei concedentis*, quia ſi ignoraſſet tutelam, voluntas excuſandi non argueretur, nec abſimiliter Summus Pontif. in *C. 1. de conſtit. in 6.* proteſtatur, ſe non reuocare per poſteriorem conſtitutionem ſtatuta, & leges particulares, quas in facto conſiſtentes ipſe ignorat; idem in *C. nonnulli. de reſcrip.* quia virtualis voluntas, ſicut nec actualis fertur in ignotum.

Poſita autem ſcientia Principis reſpectu priuilegij, ſpectandum adhuc erit, quanta ſit repugnantia inter actum priuilegio oppoſitum, & priuilegium ipſum, ac iuxtà eam de derogatione cenſendum adeò, vt ſi toti totaliter repugnet totum reuocatum, ſi parti pars tantum reuocata cenſeatur, & ſic cum proportione intelligatur. Quando autem dici poſſit ſciuiſſe Principem, colligitur ex verbis, aut ex clauſulis; vbi autem non ſint verba, quæ indicent, & res ſit obſcura, qualiter coniectandum ſit, tradunt ſcribentes ad *C. veniens. de præſcrip. & ad C. 1. & C. nonnulli. de reſcrip.* ad quos remittimus, claudentes Tractatum De Scripto Iure.

CAP.IX.

## CAP. IX.

### De Iure non Scripto.

1 *Scripti, & non ſcripti iuris fundamentum, & non ſcripti antiquitas.*

2 *Eiuſdem non ſcripti vtilitas, atque neceſſitas ab exemplis.*

3 *In Eccleſia vtrumque hunc iuris, & legis modum ſeruari, ſed præcipuè non ſcriptum, & mores.*

4 *Iuris non ſcripti tres ſpecies.*

1 Celebris eſt illa Iuris diuiſio, quam cum *Vlp. in l. Ius ciuile 6. ff. de iuſt. & iur.* tradidit Iuſtinianus *in §. conſtat inſt. tit. de Iure nat. gent. & ciu.* & qua diuiditur ius in ſcriptum, & non ſcriptum, cuius quidem iuris vtriuſque par eſt auctoritas, & æqualis poteſtas, & quamuis ſcriptum ius placuerit, pleriſque exponere non quidem literis exaratum, ſed ſanctione expreſſa præſcriptum, attamen & ità hic libet accipere, vt ſcriptum ſcriptura contentum ſignificet; neque fuit hæc partitio iuris Romanorum propria, ſed gentibus omnibus communis; nulla ſiquidem extitit rectè inſtituta Reſpublica, quæ ſcripto, & non ſcripto iure non vteretur; cum enim ea ſit humanæ naturæ imbecillitas, iſque defectus, vt omnes caſus præuidere, omnibus conſulere, omnes periſtaſes expendere valeat, ideò nec pro omnibus caſibus potuit ius ſcribi, nec de omnibus circumſtantijs, ſed prudentiæ, & vſui pleraque fuerunt relinquenda, & ſine ſcripto ſeruanda, quando & ipſa primordialis humanæ naturæ inſtitutio non à ſcripto, ſed à non ſcripto iure cœperit, vnde & non ſcriptum ſcripto vetuſtius eleganter obſeruauit *Philo Iudæus*. *Priſci illi* (inquit) *ante leges ſigillatim proditas non ſcripto iure vſi pari facilitate, atque fœlicitate vixerunt, vt meritò quis dicere poſſit leges ſcriptas nihil aliud eſſe, quàm vitarum Patrum Commentarios, in quibus eorum dicta, factaque narrantur, nam illi ſcholas nullas frequentauerant, nullis præceptoribus vſi fuerant, ſed à ſe ipſis inſtituti, doctique ordinem naturæ ſecuti ſunt, quæ lex dubio procul eſt antiquiſſima omnium, quam ipſi ius ſuum, faſque rati eſſe, totam vitam vltrò ei ſubdiderunt*. Hactenus *Philo*. ſed exigua ſit iuris non ſcripti gloria à ſola antiquitate ducta, niſi præſtare ſcripto dictet vtilitas nedum, ſed & neceſſitas.

*Vult. ad §. Conſtat de iure nat. Gent & Ciu.*

*Lib. de Abraha in princ.*

2 Hebræi enim acceptis à Nomotheta Numine legibus Diuino deſcriptis digito, non ſcripto iure adhuc ſunt vſi, quaſi non ſufficiens agnoſcerent ſcriptum; habuere ſiquidem tranſmiſſas per prudentum manus interpretationes, & traditiones, quibus Diuinæ legis obſeruatio maximè foueretur. Habuere Romani ſcriptas leges, at ex ipſis ius non ſcriptum deduxit neceſſitas; latis enim legibus 12. tabul. iuriſperitorum interpretatio neceſſaria apparuit, quæ non perceptas legum ſententias elucidaret; ſic enim *Pompon.* in *l.* 2. §. *his legibus. ff. de orig. iur. his legibus latis cœpit*, vt

*vt naturaliter euenire ſolet, vt interpretatio deſideraret prudentum auctoritatem, neceſſariam eſſe diſputationem fori*. Hancque ſine ſcripto conſtitiſſe indicat ſubinde *Pompon. hæc diſputatio* ( ait ) *& hoc ius, quod ſine ſcripto venit compoſitum à prudentibus propria parte aliqua non appellatur, vt cæteræ partes iuris ciuilis ſuis nominibus deſignantur, ſed communi nomine appellatur ius ciuile*, & fuit hæc media iuriſprudentia dicta; neque hoc ſolo iure non ſcripto, quod ſcilicet in interpretatione conſiſteret, vſi ſunt Romani, ſed & eo inſuper, quod moribus, & obſeruatione populi fuerit inductum, de quo inquit *Paul. I. C.* in *l. immò 36. ff. de legibus. immò magnæ auctoritatis hoc ius habetur, quod in tantum probatum eſt, vt non fuerit neceſſe ſcripto compræhendere*. Docuit id ipſum Ariſtoteles, dum ſcripſit *leges alias contineri literis, alias moribus*, & alibi, duo hæc inuicem commutari lex, & conſuetudo. *Lib. 3. Ethic. lib. 5. Ethic.*

3 Conſultò igitur & Eccleſia tanquam optimè conſtituta Reſpublica vtrumque legis modum eſt amplexa, & vtroque tam ſcripto, quàm non ſcripto iure vtitur, legibus ſcilicet, & moribus præſertim tamquam ſibi maximè proprijs, quando auctore *Feſto mos eſt inſtitutum patrium pertinens maximè ad Religionem, cæremoniaſque Deorum*. Quod ipſum agnouit, & *D. Auguſtin.* tranſlatus à *Gratiano* in *Can. Catholica* 8. *diſt.* 11. *Catholica Eccleſia per orbem terrarum diffuſa tribus modis probatur exiſtere, quidquid enim in ea tenetur, aut auctoritas eſt ſcripturarum, aut traditio vniuerſalis, aut certè propria, & particularis inſtitutio*, quam non immeritò conſuetudinem cuiuſque propriam dixeris. *De Verbo ſignif.*

4 Et quia ius Pontificium æquitatem maximè colit, ideò non ſcripti iuris tres diſtinguemus partes de ſingulis tractaturi, conſuetudinem, æquitatem, & traditiones.

## CAP. X.

## De Conſuetudine.

1 *Notio vocis, & definitio multiplex, ſicut conſuetudo duplex iuris, & facti.*

2 *Quæ differentia inter conſuetudinem, & mores, inter morem, & vſum.*

3 *Conſuetudo triplex.*

1 PRima igitur non ſcripti iuris ſpecies conſuetudo eſt, quę ſub genere iuris compræhenditur *C.* 2. *C. conſuetudo* 1. *diſt.* adeò, vt ius ciuile dicatur. *C. ius ciuile*. 1. *diſt. l. omnes populi ff. de iuſt. & iur.* Quæ ideò dicta conſuetudo, ſi *Iſidoro* credimus in d. *C. conſuetudo, quia in communi vſu eſt*, vnde & eam definiuit, mutuatus à Cicerone, quod ſit *ius quodam moribus inſtitutum, quod pro lege ſuſcipitur, cum deficit lex*; & *Duaren.* eundem Ciceronem ſecutus. *Conſuetudo eſt ius non ſcriptum, quod in morem vetuſtas vulgi approbatione produxit*. Quæ vtraque definitio duplicem exhibet conſuetudi- *Lib. 2. De inuent. ad Heren. Comment Ad titul. de ll. c. 11*

tudi-

tudinem, iuris dicemus vnam, facti alteram. Iuris, qua ligamur volente lege, de qua veriſſimè in definitione dictum, quod ſit ius, facti verò, quæ in communi vſu, qui meri facti eſt, conſiſtit, & hæc ipſa conſuetudinis diſtinctio differentiam inſinuat, quę viget inter conſuetudinem, & mores, qua attenta ſine vitio circuli *mores* adhibuit *Iſidor.* in definitione conſuetudinis.

2 Mos enim eſt frequentia, & continuatio actuum moralium, adeòque humanorum, per aliquod tempus, in quem ſenſum dicere ſolemus aliquid fieri ſecundùm morem, indeque arguimus ſubtile diſcrimen inter morem, & vſum, vſus enim tam de frequentia actuum, quàm de ſingulis actibus dici poteſt, mos verò de ſola actuum frequentia, & non de vnico actu. Itaque ſi conſuetudinem ſumamus, vt facti eſt, & ſumit Sum. Pontif. in *C.* 1. *de conſtit. in 6.* vix eſt, vt ipſam à more diſtinguas, & ideò ſi conſuetudinem, vt facti eſt, definiuiſſet *Iſidor.* circulo laboraret tradita ſupra eius definitio; at ſi accipiamus conſuetudinem, vt iuris eſt, à more omninò diuerſa eſt; non enim dicit actuum frequentiam, ſed quid ex ipſa actuum frequentia reſultans, eaque poſterius, ſiue ſit phyſicus habitus ex actuum frequentia contractus, quem, licèt non adeò propriè, conſuetudinem appellamus, ſiue quid morale per modum facultatis, & iuris obligantis ad quid operandum, vel obligationem aliquam tollendam, & tunc conſuetudo eſt quid iuris, & quid à more omninò diuerſum, hancque definiuit *Iſidor.* eſſe, *quod moribus inſtitutum eſt*; *moribus* hoc eſt actuum frequentia tanquam ius ex facto, & ſicubi dixit, morem eſſe conſuetudinem, vt in *C.* 4. 1. *diſtinct.* tunc accipit, vt facti eſt, & actuum frequentiam dicit, quæ actuum frequentia æquè de more, ac conſuetudine, vt facti, intelligitur, qui mos ex moribus, hoc eſt ex actibus diſtributiuè ſumptis inducitur, hocq; voluit *Iſidor.* in eod. *C.* 4. dum dixit, quod *mos eſt conſuetudo de moribus tantummodò tracta*. Quod autem addit definitioni conſuetudinis *Iſidor. quod pro lege ſuſcipit, cum deficit lex*, expreſſit longè antea totidem verbis *Tertullian.* *De Corona cap. 4.* ſcribens *conſuetudo autem etiam in ciuilibus rebus pro lege ſuſcipitur, cum deficit lex*. Hoc Iſidori dictum difficultatem inducit non modicam, nam ſi aſſertum tanti Patris attendimus, iam dicendum erit vnicam tantùm eſſe conſuetudinem, præter legem ſcilicet, cum tamen detur conſuetudo, quæ ſit contra legem, & ſecundùm legem, ſicque ſint tres conſuetudinis ſpecies ex communi ſcribentium voto; *Ad l. de quibus ff. de legibus.* ſolutionem difficultatis ne protrahamus, inquiſitionem de conſuetudine contra legem remittemus poſt ſolutionem ipſam. Dicimus ergo, quod quamuis *Iſidor.* verbis definitionis ſuæ videatur aſſignare ſolam conſuetudinem, quæ ſupplet defectum legis, & ideò eſt, præter legem, non tamen per hoc excludit præcipuè conſuetudinem, quæ eſt contra legem; nam deficere legem dupliciter, & ęquè propriè, dici poteſt, & cum nulla omninò condita eſt, & cum condita quidem, at interijt, idque tunc etiam factum cenſetur, cum conſuetudine contraria abrogata eſt, nam

nam apud probatos latinæ linguæ auctores deficere, & interire ſynonimæ voces ſunt, quæ pro eodem accipiuntur, igitur & conſuetudinem contra legem compræhendit definitione ſua *Iſidor.* dum ait. *Cum deficit lex*. Neque magis excluditur à definitione conſuetudo, quæ ſit ſecundùm legem, quia licèt huiuſmodi conſuetudo dicat obedientiam, & executionem legis, attamen veriſſima conſuetudo eſt, & definitione conſuetudinis continetur, eiuſque munus eſt, ambiguam, & obſcuram legem interpretari, vbi æquitati locus non eſt, nec poteſt ea per æquitatem à I. C. explicari. *l. ſi de interpretatione ff. de legibus*; tuncque id, quod obſeruatur non in vim legis ambiguæ, ſed in vim conſuetudinis cuſtoditur, atteſtante Calliſtrato I. C. in *l. nam Imperator. ff. de legib. nam Imperator noſter Seuerus reſcripſit in ambiguitatibus, quæ ex legibus proficiſcuntur, conſuetudinem, aut rerum perpetuò ſimiliter iudicatarum auctoritatem vim legis obtinere debere*. En ſeruari vt conſuetudinem, non vt legem ambiguam; deficit ergo lex ambigua, ac viget conſuetudo ſecundùm ipſam, hancque definitione ſua *Iſidor.* complexus eſt, ex qua triplicem elicimus conſuetudinis ſpeciem, ſecundùm legem, præter legem, & contra legem. Prima exponit. Secunda ſupplet. Tertia vincit legem.

3 Verùm quod dictum de conſuetudine legem ſuperante, & abrogante implexum, & vix admiſſibile redditur ex apertiſſimis tum Pontificij tùm Cæſarei iuris auctoritatibus, quæ inſuper eò difficiliores redduntur, quò alias pugnantes, & directè oppoſitas patiuntur; quæ antinomias apertiſſimas inducunt; vt à Pontificio iure exordiamur Alexander III. in *C. cum cauſa. de ſent. & re iud. Nos autem conſiderantes, quod licèt vſus, vel conſuetudinis non minima ſit auctoritas, nunquam tamen veritati, aut legi præiudicat*, & nil magis conſuetudini tribuit idem Alex. in *cap. ſanè. de temp. ord.* ſed ad ſummum, vt eos excuſet, qui non paruerunt legi; at quod vincat legem nunquam ab Alexandro dictum.

Et tamen pugnat cum ipſo directè Innoc. III. in *C. nouit. de Iudic. non enim intendimus iudicare de feudo, cuius ad ipſum ſpectat iudicium, niſi fortè iure communi per ſpeciale priuilegium, vel contrariam conſuetudinem aliquid ſit detractum*. Comparatur conſuetudo cum priuilegio, quo ius commune abrogari extra omne dubium eſt, & Greg. IX. in *C. fin. de conſuet. licèt etiam longæuæ conſuetudinis non ſit vilis auctoritas, non tamen eſt vſque adeò valitura, vt vel iuri poſitiuo debeat præiudicium generare*.

Nec minores ſunt in Cæſareo iure antimoniæ. Conſtantinus enim Imperator in *l. 2. C. quæ ſit longa conſuetudo. Conſuetudinis, vſuſq; longæui non vilis auctoritas eſt, verùm non vſque adeò ſui valitura momento, vt rationem poſſit vincere, aut legem*. Iulian. I. C. in *l. de quibus ff. de legib. de quibus cauſis ſcriptis legibus non vtimur id cuſtodiri oportet, quod moribus, & conſuetudine inductum eſt*. Obtineat igitur conſuetudo, vbi deeſt lex, at legem non vincat, aut abroget, quod nec ei concedit Conſtantinus.

Sed

Sed directè in oppoſitum idem Iulian. in ea ipſa *l. de quibus* in fine; *quare rectiſſimè etiam illud receptum eſt, vt leges non ſolùm ſuffragio legiſlatoris, ſed etiam tacito conſenſu omnium per deſuetudinem abrogentur*. Et Iuſtinian. in §. *pen. inſt. tit. de iure nat. Gent. & Ciu. Ea verò, quæ ipſa ſibi quæque ciuitas conſtituit, ſæpe mutari ſolent, vel tacito conſenſu populi, vel alia poſteà lege lata*.

De eadem conſuetudinis vi circa legẽ apertiſſimæ pugnæ inter vtriuſq; prudentiæ auctores, nec ſatis luminis, cui acquieſcere debeat iudicium. Subtiliter *Connan.* & ante eum *Græci Interpretes*, conſuetudinem ſegregat à diſſuetudine, & carpit credentes diſſuetudinem eſſe conſuetudinem antecedenti conſuetudini contrariam, vel legi, quaſi diſſuetudo non in ſola patientia, aut negligentia, ſed in actis, ſiue rebus contrarijs conſiſtat; quas meras eſſe nugas ait; itaque diſſuetudine tolli, & abrogari legem vult *Connan.* non quia poſitiui actus contrarij ſint facti, hæc enim eſſet conſuetudo, ſed quia non factum id, quod imperat lex conuiuente, & annuente negligentia, aut patientia eius, aut qui legem condidit, aut cui legis cuſtodia credita eſt, ſicque non tam abrogata dici poteſt lex, quàm antiquata, quod quidem factum cenſetur non ſolùm cum ſtatim, ac eſt propoſita, non admittitur, aut cum nimio tempore conſeneſcit, ſed & cum poſt exiguum tempus non ſeruatur, vnum proferemus exemplum ex ijs, quæ adduxit *Connan.* ſit lex, ne muri ciuitatis tranſiliantur, nihilominus paſſim tranſiliuntur, & liberè, lex abrogatur tacito omnium conſenſu, non quia fecerunt contra legem, ſed quia illa tandiù neglecta eſt, quæ tamen negligentia non poſſet probari niſi factum id eſſet, quod lex ipſa prohibebat, vt ipſa non facto ciuium, ſed ſua ipſius ignauia obſoleuerit, vt dicitur de ſeruitute, quæ quaſi non vtendo amiſſa ſit. Ita ſubtiliter *Græci Interpretes*, & cum eis *Connan.* ſic enim optimè ſaluari credunt, quod obijcitur, tanti non eſſe facta legi contraria priuatorum hominum, vt poſſint legem abrogare, quando (ſi *Græcos*, & *Connan.* audias) non factis ciuium, ſed eorum non factis lex antiquatur, ſicque non admiſſione, ſed omiſſione, quam ſententiam probauit, & *Iacobus Reuardus*, qui duo hæc maximè diſtare profitetur, tolli ſcilicet legem contraria conſuetudine, & abrogari diſſuetudine, tolli contraria conſuetudine, tunc dicitur, cum ius aliquod introducitur legi directè contrarium, & quo antea populus non erat vſus, idque fieri non poteſt, ne legem vincat conſuetudo, at diſſuetudine tollitur lex, quæ conſenſu tacito ſic obliteratur, vt ius illud vetus iterum vſu recipiatur, quod per obliteratam legem fuerat abrogatum, quæ ſane eſt explicatio ipſius ſententiæ *Connani*, vt, laudans ipſam, profitetur *Reuard.*

*Comment. iur. ciuil. lib. 1. cap. 10. nu. 9. 10.*

*De Auct. prud. c. 16.*

Cæterùm hæc opinio, quæ commendabili zelo Principis auctoritatem præſeruat, dempta loquendi forma in idem demùm recidit, & quod negat verbis, re ipſa indulget. Nam rectiſſimè obſeruauit *Cuiac.* inter conſuetudinem, & deſuetudinem nulla alia demùm niſi ſolius vocis differentia viget, nam deſſuetudo nil aliud eſt niſi conſuetudo, & vix

*Ad d. l. 2. C. quæ ſit. longa conſuet.*

& vix eſt, vt populus deſueſcat aliqua lege vti, quin & conſueſcat ſimul vti more legi contrario, & è diuerſo vix eſt, vt populus conſueſcat vti iure nouo, quin deſueſcat vti antiquo iure ſcripto, vt exemplis indicat idem *Cuiac.* præterquam quod apertè nimis *Innoc. Greg. & Gratian.* aſſerunt conſuetudinem contrariam tollere, & abrogare legem. *Sicut enim moribus vtentium in contrarium nonnullæ leges hodie abrogatæ ſunt*. in C. *in iſtis* §. *leges*. 4. *diſt.* ſic *Greg.* in C. *fin.* quaſi paraphraſim ſcribens ad conſtitutionem Conſtantini in *l.* 2. C. *quæ ſit longa conſuet.* immò abſurdum planè eſt plus virium tribuere deſuetudini, quàm conſuetudini, cum enim expreſſo populi conſenſu lex ſtatuatur eodem & tollitur; in conſuetudine, quando factis lex antea lata improbatur, conſenſus adeſt expreſſus, in deſuetudiue tacitus, & ideò dedecet omninò plus tribuere ad abrogandam legem deſuetudini, quàm conſuetudini.

*Donel.* contulit legem in genere cum conſuetudine in genere, & legem in ſpecie cum conſuetudine in ſpecie, lex in genere non eſt potentior conſuetudine in genere, nec conſuetudo lege, quia vna alteram abrogat, & altera vnam; æqualis enim vtriuſque eſt vis, pares cauſæ, & ijdem vtriuſque effectus. *l. de quibus* §. 1. *iunc. l. ſed & ea*. 35. *ff. de legib.* eadem virtus, eadem natura. Dum ergo ait *Conſtantinus* in *l.* 2. conſuetudinem non vincere legem, intelligendum eſt conſuetudinem in ſpecie non vincere legem in genere, ſicque conſuetudinem municipij non vincere legem populi Romani, ſicut vinceret eiuſdem populi Romani conſuetudo. At conſuetudo muncipij vinceret legem municipij, & eam abrogaret; æquè enim eſt lex, quæ eſt ſcripta, & conſuetudo non ſcripta, quæ æquè ius facit; vnde tollit lex conſuetudinem, & conſuetudo legem, non quia lex, aut conſuetudo, ſed quia ius eſt poſterius, quod naturaliter abrogat primum. Nimium eſſet, ſi ſingulas interpretum explicationes congerere vellemus, vt *Mureti*, *Duareni*, *Hotman. Matthcac. Vult.* Contenti (his omiſſis) potiores enumeraſſe, dicemus tandem ad conciliandas iam ſupra redditas antinomias, & diſuetudine legem antiquari, & contraria conſuetudine æquè abrogari, nam apertæ nimis ſunt tum Pontificum, tum Principum auctoritates, quæ id virium conſuetudini tribuunt C. *fin. cum alijs. ſup. alleg. de conſuet. l. de quib. ff. de legib.* at iure Pontificio ita omninò temperanda eſt aſſertio, vt quod reſcribit Conſtantin. Magn. in *d. l.* 2. C. *quæ ſit longa conſuet. conſuetudinis, vſuſue longæui non vilem eſſe auctoritatem, licèt non adeò tutam, vt rationem poſſit vincere, aut legem, niſi rationabilis conſuetudo ſit, & legitimè præſcripta.* Sic enim moderatus eſt *Gregor.* in d. C. *fin. de conſuet.* dum ijſdem vſus *Conſtantini* verbis ſic antimoniam conciliandam inſinuauit apertè, & iuxta eandem limitationem ſumenda ſunt iura, & verba Alexandri Summi Pontificis in d. C. *cum cauſa. de ſent. & re iud.* & in C. *ſanè. de temp. ordin.* dum enim ait *Vſus, & conſuetudinis non minimam eſſe auctoritatem, ſed quæ tamen veritati, aut legi non præiudicet, & nihil vltra conſuetudinem poſſe,*

*Com. iur. Ciu. lib. 1. C. 10. in fin.*

*Ad l. 32. ff. de leg.*

*Ad tit. de leg. c. 12. & diſput anniu. lib 2. cap. 3.*

*In Epiſt. ff. de leg. num. 10.*

*De via, & rat. iur c. 33. n. 21*

Digitized by Google

*poſſe*, *quàm vt eos excuſet*, *qui non paruerunt*; intelligendum eſt iuxta à Gregorio IX. ſtatutum, *niſi rationabilis conſuetudo ſit*, *& legitimè præſcripta*.

Eæ igitur ſunt conſuetudinis vires, ea virtus, ad quam exactiùs ponderandam nos promouit tradita definitio. Verùm non cuilibet conſuetudini tantum efficaciæ tribuendum, ſed ei conſuetudini, quæ vera conſuetudo ſit, & in qua veræ conſuetudinis conditiones, & requiſita ſpectare liceat, quæ quidem ad tria numero recenſent ſcribentes, & & nos partitè ſingula proponimus, ac ponderabimus.

Primum igitur conſuetudinis requiſitum, & prima conditio eſt diuturnitas temporis ita, vt longa ſit conſuetudo; longam autem non ita accipimus, quaſi opponatur breui, non diſcretione à breui, vel breuis (inquit *Cuiac.*) ſed adiectione perpetua; nec ſufficit ad conſuetudinem temporis diuturnitas, ſed comes debet eſſe & actuum frequentia, quorum actuum tempus ſit menſura; inducitur enim conſuetudo per vſum, & per mores, quorum vterque actuum frequentiam dicit. Quoto autem temporis ſpatio veniat metienda hæc ipſa actuum frequentia, vt conſuetudo fiat, compertum non adeò eſt. Decennium exigit communior opinio; cum enim debeat eſſe conſuetudo longa, & diuturna *l. non tantum*. *ff. de decur. l. ſed*, *& ea*. *ff. de legib. Rub. & l.* 1. *C. quæ ſit longa conſuet.* vtrumque decennio completur. §. 1. *inſt. de vſucap. l. ſi cum fid.* §. *Ariſto. ff. qui, & à quibus*. neque enim præſentium, aut abſentium ratio vlla eſt habenda, cum populus ſit ſemper præſens, & ſemper idem. ad *l. cum proponebatur*. *ff. de iudic.* Neque arguere licet à ſeruitute diſcontinua, ad quam præſcribendam immemoriale tempus requiritur, quia aperta nimis inter vtramque eſt differentia; ad conſuetudinem enim non continuatio, vel continuitas, ſed actuum frequentia requiritur, eaque ſufficit, & ideò decennium ſat eſt.

*Lib. 10. obſeruat. cap. 1.*

*Connan.* nullum certum, aut determinatum tempus ad conſuetudinem neceſſarium agnoſcit, ſed aut arbitrarium, aut immemorabile. Arbitrarium ideò, quia cum variatum ſit admodum in iure in definienda longi, & diuturni temporis menſura iuxta materiæ ſubiectæ rationem, & non ſemper ad decennium, vt multiplici exemplo oſtendit *Cuiac.* hac poſita varietate arbitrium, & diſcretio Iudicis videtur adhibenda. Nihil certi tradunt iura, & variè conſuetudinem ipſam deſignant, modò enim longam, modò diuturnam, modò inueteratam *l. non tantum in fin. ff. de decur.* modò plurimorum annorum denominant, modò longæuam *l. 2. C. quæ ſit longa conſ. C. fin. de conſ.* modò inueteratam *l. de quib. ff. de legibus*. modò diuturnam in *l. ſeq.* modò veterem in *l. Imperatores ff. de pollicit.* modò vetuſtiſſimam, & iugiter obſeruatam *l. fin. C. de priuil. ſchol. lib.* 12. vnde perappoſita eſt Vlp. doctrina in *l.* 1. *ff. de iure delib. cum dicit tempus* (Prætor ſcilicet) *nec adijcit diem* (ait ibi Vlp.) *ſine dubio oſtendit eſſe in ius dicentis poteſtate, quem diem præſtituat*.

*Comment. lib. 1. cap. 10. n. 6.*

*Lib. 18. obſer. cap. 18.*

Non ita tamen in re noſtra, vt Iudex diem præfigere, ac tempus ſtatuere ad conſuetudinem valeat, ſed ita,

ita, vt ſubiectam materiam, & rem, de qua agitur, examinans dijudicet, num tantum temporis ſit elapſum, quanto dici poſſit inducta conſuetudo. Immemoriale ideò, inquit *Connan.* quia cum inueterata debeat eſſe conſuetudo d. *l. de quib. ff. de de legib.* ſcimus, vetus illud eſſe, quod à noſtra memoria longè remotum eſt, vel quod tantum durat, quantum vita eſt hominis *l. vſuſf. ff. quib. mod. vſuſf. vel vſus amittat*, cumque longæuam dixerit conſuetudinem *Conſtantin.* in d. *l.* 2. *C. quæ ſit longa conſuet.* æuum latinis longum adeò tempus ſignificat, vt quaſi ſempiternum eſſe videatur. Sed neutrum ſatis præcisè, cum promiſcuè accipiatur nomen vetuſtatis ſicut & æui in linguæ vſu, & diuerſimodè applicetur. Placet nihilominus *Connani* opinio, ſed ita temperata, & accepta, vt tota diffinitio ad ſubiectam materiam ex iudicantis prudentia redigatur, nam conſuetudini ineſt præſcriptio temporis, quamuis non ſit ipſa formaliter præſcriptio, vt mox videbimus, & ideò præſcribit conſuetudo id, quod proprium eſt Principis, & de regalibus eius, puta ius abrogandæ legis, ſi ſit contra legem, vel ſtatuendæ, ſi præter legem, & tamen regalia non præſcribuntur niſi centum annorum ſpatio *C. ſuper quibuſdam* §. *præterea. de verb. ſignif.* indeque tota temporis definitio in conſuetudine à ſubiecta materia eſt, ita vt pro materiæ diuerſitate, & maius, & minus veniat ſtatuendum, & ideò *Ant. Fab.* (nec malè) aſſeruit, quantumcumque tempus ad conſuetudinem ſufficere, ſi modò appareat in omnibus caſibus, qui poſt legem ſcriptam contigerint, idem fuiſſe vniformiter obſeruatum; *vniformitas enim obſeruationis illa eſt* (inquit *Faber*) *quæ conſuetudinem inducit*, qua de re, & nos mox infra.

*Ad l. Nam Imperator ff. de legib. in pætonal.*

Conſentiunt & Auctores grauiſſimi *Duaren. Coraſ. Matthæac.* & nos meritò ijdem aſſertioni acquieſcimus. Quamuis autem hoc temporis definitum ſpatium ad conſuetudinem requiratur, præſcriptionem tamen eſſe credendum non eſt, ſit quidem præſcripta, at non præſcriptio; quando & Greg. IX. in *C. fin. de conſuet. præſcriptam* exigit, at præſcriptionem non dicit, cum conſuetudinis, ac præſcriptionis longè ſit differens ratio, & ius planè diuerſum. Nam conſuetudo ius legale inducit, ſeu ius quodam diſponens non ſecus, ac lex, præſcriptio non item, ſed ius dominij acquirit, vel vtendi, aut fruendi re corporali, aut incorporali, & inde in conditionibus, & requiſitis vtriuſque diſcrimen; nam ad conſuetudinem requiritur vſus populi, ad præſcriptionem vſus ſingularis, & priuatæ perſonæ, niſi fortè corpori myſtico, aut vniuerſitati ius veniat quærendum; tunc enim vſus eiuſdem erit neceſſarius.

*Com. Iur. Ciu. Ad tit. de leg. c. 11. Ad l. 33. ff. rod. de Via, & Ratione iur. c. 33. num. 1.*

Ad conſuetudinem propriam, & legalem conſenſus populi exigitur, aut Principis, contra quem quodammodò inducitur; at in præſcriptione non eſt opus conſenſu eius, contra quem præſcribitur, quo nomine factum, vt ad conſuetudinem non requiratur titulus, cum conſenſus ſufficiat, ad præſcriptionem vtique, ſaltem vt plurimùm. Et demùm differentia conſurgit, & quòad effectum, quia præſcriptio nullum ius acquirit, niſi præſcribenti, & in eos, contra quos præſcriptum, & tantum,

tum, quantum fuit poſſeſſum, aut quaſi poſſeſſum, vnde ex vno etiam, vel altero actu ius acquiritur per præſcriptionem, ſi ſemel tantùm, vel bis vtendi ſeſe obtulerit occaſio. At conſuetudo in vniuerſum ius acquirit omnibus, & contra omnes in caſu ſuo, quia, cum ſit lex quędam, & in vniuerſalitate, ac latitudine obligationis legem imitatur *l. fin. C. quæ ſit longa conſuet.* & ideò nec vno, aut altero actu conſuetudo inducitur, quia nec de ijs, quę rarò accidunt, lex ferri ſolet, ſed de ijs, quæ frequenter *l.* 1. 3. 4. 5. *ff. de legib.* indeque emicat opportunè ratio, propter quam ad conſuetudinem neceſſaria eſt actuum frequentia, & vniformitas, qua deficiente de populi conſenſu conſtare non poteſt, aliàs enim ſicut lex incerta, & obſcura improbatur ita, & conſuetudo debet eſſe clara, & certa.

Debet ſecundò rationabilis eſſe conſuetudo; difficilis eſt hæc conditio, ſed & facilem colorem præbet ijs, qui contraria aliqua conſuetudine preſſi, eam impugnare, ac conuellere nituntur, aſſumentes pro ratione paſſionem, & affectum, vel vtile, irrationabile enunciant, quod affectioni propriæ non arridet, & quod ijdem eſt contrarium, nutritiuum peccati denominant, ſicque conſuetudinem improbant.

Rationabilitas hæc, aut irrationabilitas maximè in reſpectu conſiſtit, & à ſingularibus pendet, & ideò anguntur Interpretes, vt definiant, & aſſignent quænam ſit rationabilis conſuetudo. *Gloſſ.* eam dixit rationabilem, quæ non obuiat canonicis inſtitutis, & irrationabilem oppoſitam, quæ neruum diſrumpat Eccleſiaſticæ diſciplinæ, aut Eccleſiaſticam libertatem lædat; generaliter quidem, ſed non ſatis, nam habito reſpectu ad ſingularia ex alijs cauſis poterit eſſe conſuetudo irrationabilis. *Io. And.* illam, quæ Canonum ſanctionibus ſit improbata, vel improbatæ ſimilis. *Butr.* rationabiliorem conſuetudinem ex eo cenſendam dixit, quò propiùs iuris fini, aut intentioni accedit, vnde cum Pontificij iuris finis ſit beatitudo æterna, ciuilis verò ciuile, & publicum bonum, collata ad huiuſmodi finem rationabilis, aut irrationabilis erit, & demùm cum totum hoc iudicium ad ſingularia redigatur, relinquunt alij dignoſcendum Iudicis diſcretioni, & arbitrio. Alij rationabilem dicunt, quę peccatum non nutrit, ſed regula nimis ampla eſt, nec adeò fixa, & latiùs, aut ſtrictiùs cenſenda pro iuris canonici, aut ciuilis diuerſitate; quæ iura pro fine diuerſo variè etiam hominum actiones metiuntur. Apta, & congrua eſt regula, quam ſtatuit *Salas*, qui normam rationabilis conſuetudinis legem aſſignat ita, vt qua de re lex poſſet conſtitui, & de eadem iuſta, ac rationabilis poterit induci conſuetudo; aſſumamus legis conditiones in *C. erit autem lex.* 4. *diſt.* & apparebit illicò, qualis & debeat eſſe conſuetudo; & tandem altiorem, & magis diſtinctam regulam dedere *Rocb. Azor. Nauar. Layman.* irrationabilem dicentes conſuetudinem, quæ iuri naturali, vel Diuino aduerſatur, vel iure canonico reprobatur, vel peccandi licentiam, aut occaſionem præbet, vel alia ratione communi vtilitati pernitioſa eſt; Sed tamen adhuc Iudicis diſcretio, atque prudentia neceſſaria eſt; vbi enim conſuetu-

*Ad C. fin. De conſuet. verbo rationabilis.*

*Ibidem.*

*Nor. Panorm. Menoch. de arbi. iud. c. 82 lib. 2.*

*De legib. diſp. 19. ſect. 5. n. 50.*

*Ad C. fin. De conſuet. n. 26. Tom. 1. lib. 5. c. 17. q. 5. in com. de ſpol. cler. §. 14. n. 7 Theol. moral. lib. 1. tract. 4. cap. 24.*

ſuetudo legem vincere, aut abrogare debet, quæ lex ſupponitur rationabilis, iam eius ratio iunctis circumſtantijs expendi debet, conferri eum conſuetudine, quæ quidem tanquam magis naturæ arridens, vel æquitati magis conſona, vel Reipublicæ magis commoda, ſicque ratione legis potentior librata apparere poteſt, ideòque iuſtè ipſi legi, & rationi eius debeat præferri, ſicque ſtet, vt lex ſit rationabilis, & non ſit irrationabilis conſuetudo, quæ ipſam vincit; meritò igitur ad dignoſcendam conſuetudinem rationabilem, quamuis ſint regulæ traditæ, adhuc diſcretio, & prudentia Iudicis ſpectanda proponitur, eamq; irrationabilem quidem dixeris, ſi nulla ratione nitatur, at non item, ſi rationem habeat, licèt rationi legis oppoſitam, & ipſam circumſtantijs vincentem.

Neque ſatis eſt rationabilem eſſe conſuetudinem, tacito populi conſenſu ſuffultam per vſum, niſi accedat vlteriùs, vt ſit diuturna per tempus legitimum, de quo nos ſupra iuxta variam ſubiectam materiam, & ipſa ſcribentium placita; vnde & præſcriptam appellauit *Greg.* in *d. C. fin. de conſuet.* ſed ita, vt nihilominùs integra, eaque non vna remaneat differentia inter conſuetudinem, & præſcriptionem, quæ quidem, vt non eſt legitima, niſi fuerit tractu legitimi temporis continua, & non interrupta; ita interpolata conſuetudo nulla debet interruptione eſſe, idque tunc præſtitum cenſebitur, ſi agatur de conſuetudine contra legem, ſi populus aliquoties legem ſeruauerit, immò & actum vnum contrarium ſufficere voluit Panorm. quia ex huiuſmodi, licèt vnico actu, colligere poſſumus populi mentem, & intentionem ſeruandi legem, & dimittendi oppoſitam conſuetudinem, dum ſit actus ipſe à tota communitate, à qua ſtatim tota inducitur conſuetudo; licèt autem legitimè præſcripta eſſe debeat conſuetudo, non tamen per hoc excluditur, quò minùs exiſtat, & conſuetudo non præſcripta, qualis illa, quæ cum ſcientia, & patientia Principis inducitur etiam ſine vlla certi temporis determinatione, hæc enim efficax erit non in vim præſcriptionis, ſed in vim taciti conſenſus factum approbantis.

Temporis tractui ad inducendam conſuetudinem addendus omninò tanquam principalis cauſa populi conſenſus. Apertiſſimè I. C. in *l. de quibus. ff. de legib.* rationem aſſignans, propter quam vim legis obtinet inducta conſuetudo. *Nam cum ipſæ leges* (inquit I. C.) *nulla alia ex cauſa nos teneant, quam quod iudicio populi receptæ ſunt, meritò, & ea, quæ ſine vllo ſcripto populus probauit, tenebunt omnes*, quia vna, & eadem ſit legis condendæ, & conſuetudinis inducendæ penès eundem populum poteſtas; ſic enim & Hermogenian. in *l. ſed, & ea ff. de legib.* At conſtans non videtur hæc ratio, eſto ſiquidem ipſa obtineat in Populo Romano, at nec in ipſo ſemper; vtique tunc, cum penès ipſum cum maieſtate tota reſidebat legiſlatiua poteſtas; at ex quo poteſtatem à ſe abdicauit, totamque per legem Regiam tranſtulit in Principem. *l. 1. ff. de conſtit. Princ.* cum qua abdicatione euanuiſſe videtur, & tota inducendæ conſuetudinis poteſtas, qua

conſide-

conſideratione inducti aſſeruere plerique, non quemlibet populum habilem ad inducendam conſuetudinem, ſed ſolummodò illum, qui legis condendæ habeat poteſtatem. Nec rectè tamen, nam populus conſuetudinem inducens inducit non tanquam imperans, non tanquam ille, qui poſſit legem ferre, ſed qui poſſit magis legem accipere, nec tàm actum ſpectamus legis ferendę in populo, quàm potentiam, & habilitatem, & populus ille conſuetudinem inducat, qui poſſit legem ferre, quantum ex ſe eſt, & ſit capax legiſlatiuæ poteſtatis, & hunc dicimus populum, & communitatem perfectam, de qua certè intellexere I.C. in *l. de quib. in l. de eq,* & *in l. ſi de interpretatione ff. de legib.* quæ ſcilicet, ſi non eſſet ſubiecta Principi, legem poſſet condere. Quæ fuit Doctrina D. Thomæ tradentis, communitatem, à qua poſſit conſuetudo introduci, debere eſſe, aut Rempublicam liberam, ſiue ſupremam, aut ſi ſit ſubiecta, inducere nihilominus conſuetudinem in vim conſenſus Principis, cui ſubeſt, qua attenta doctrina, & ſola capacitate in populo legiſlatiuę poteſtatis inconueniens non eſt, ſi Clerici, qui leges condere contra Canones non poſſunt, poſſunt tamen inducere, & nutrire *conſuet. ad C. fin. de conſuet. C.* 1. *de conſtit. in 6.* Populus ſæcularis, qui non poteſt legem Eccleſiaſticam condere, tamen in materia ad Eccleſiam ſpectante poſſit conſuetudinem inducere; eſt enim in Clericis, eſt in populo capacitas ad legem ſuſcipiendam, quo nomine communitates perfectæ dici poſſunt, & quamuis mercatorum Collegium, Moniales, familiæ particulares, & priuatę non ſint capaces legiſlatiuæ poteſtatis, nec dici poſſint per hoc communitates perfectæ, & tamen conſuetudinem poſſint inducere in Collegio, Monaſterio, familia, attamen à coniunctione cum conniuente Principe tota vis eius eſt; ſed ſalebram offendimus adhuc; ſic enim fiet, vt nunquam ſit valitura conſuetudo, niſi ſciat, & conſentiat ille, penès quem eſt legis condendæ poteſtas, quod & pleriſque placuit ex *l. de quibus. ff. de legibus*. Da enim Principem, & populum in eadem ditione penès illum, non penès hunc erit legis condendæ poteſtas *l.* 1. *ff. de conſtit. Princip.* vnde ſi conſuetudo eſt lex, à Principe, non à populo pendere debet; immò ſi agatur de conſuetudine, quæ ſit contra legem, hæc incipiens nil aliud erit niſi legis tranſgreſſio, quæ progredi non poterit aduerſus Principem eo inſcio, & tamen ſum. Pontifex in *C.* 1. *de conſtit. in 6.* ignorare ſe profitetur ſtatuta, ac conſuetudines locorum ſpecialium, & ſingularium perſonarum, *quæ facti ſunt, & in facto conſiſtunt*. ait ibi tex.

*Ad C. fin. de conſuetud.*

*1.2.q.97. art.3. ad 3.*

Non negamus conſenſum Principis ad conſuetudinem neceſſarium, cum ipſam, & eius progreſſum impedire poſſit, ſi velit; verùm conſenſum diſtinguimus, actualem ſcilicet, ſiue perſonalem, & legalem, ſiue virtualem. Actualem ad conſuetudinem negamus neceſſarium, at legalem, ſiue virtualem ſatis eſſe ad eandem agnoſcimus; ſi enim per legem ſuam perpetuò valituram Princeps conſuetudinem admittat, & approbet, ſemel conſuetudine recepta, per legem ſemper loquitur, & ſemper conſentit,

& per eam ſemper præcipit, cum lex ſit commune præceptum, & ideò ſemper adeſt eius conſenſus conſuetudinem approbans, & confirmans, quæ etiam ratio eſt, propter quam vetante lege conſuetudo non inualeſcit, facta enim per legem expreſſa conſuetudinis prohibitio conſenſum legalem Principis, & legiſlatoris excludit; niſi ea ſit conſuetudo, quæ priuilegio Principis æquiparetur, immemorabilis ſcilicet d. *C. ſuper quibuſdam*. §. *praeterea*. *ff. de verb. ſign.* ſed in conſuetudine contra legem quomodo poterit Princeps conſentire in errorem; & tranſgreſſionem populi contra legem operantis? Reſpondetur, tunc conſentire Principem, cum impleta exactè, & perfectè conſuetudo eſt, tuncque delet reatum populi legem tranſgredientis contrarijs actibus, & conſuetudinem inducentis, indeque facile emicat, & emergit ratio, & modus, per quem in Eccleſiaſticis inducitur conſuetudo, & vim habet, cum tamen penès populum nec actu, nec habitu ſit vlla legiſlatiua poteſtas, quæ tota ſupernaturalis eſt, & non à populo, aut in populo; reſoluitur enim tota vis huius conſuetudinis in ſcientiam, & conſenſum Præſulum Eccleſiæ, & præſertim Summi Pontificis, qui cum conſtitutionibus, ac decretalibus ſuis conſuetudinem legitimam approbauerit, ſemper in eandem conſentit, dummodò legitima ſit, & à maiori parte populi inducta, quia tunc totius populi conſenſus cenſetur *l. quod maior. ff. ad municipal.* Ex eo autem, quod tota conſuetudinis conſtitutio à populi conſenſu pendeat, facilè conuincitur abſona illorum aſſertio, qui ad conſuetudinem neceſſarium volunt iudicium, quo fuerit conſuetudo ipſa confirmata, & res iudicatas, quæ eandem ratam habeant, *nam* (vt inquit *Cuiac.*) *à rebus iudicatis conſuetudo ſeparatur. l. nam Imperator ff. de legib.* & non res iudicatæ conſuetudinem faciunt, ſed illiteratus populi conſenſus frequenti, aſſiduo, & longæuo vſu inueteratus; nunquam fuerit nata contentio ſuper conſuetudine, ſed liquidò ſemper iſta proceſſerit, nec de ea vnquam fuerit dubitatum; numquid per hoc dicemus inanem conſuetudinem? Diuerſa eſt auctoritas conſuetudinis, & rerum iudicatarum, ſicut & diuerſa eſt origo, non igitur debent res iudicatæ ad inducendam conſuetudinem requiri, quaſi ſine rebus iudicatis nequeat eſſe conſuetudo. Nam vel requirimus ſententiam Iudicis antequam inducatur conſuetudo, vel cum iam eſt inducta; non ante, quia nunquam dici poſſet conſuetudo ante ſententiam, ſicque nec per primam ſententiam poſſet declarari conſumata, quomodo enim conſumata, ſi nondum cæpta? Non poſt; ad quid enim ſententia, cum iam conſuetudo ſit inducta? Ex facti contingentia conſiderabuntur quidem (ſi interuenerint) res iudicatæ, nec exigui erunt momenti; at ſi defuerint, non deficiet per hoc conſuetudo, *C. Abate. de verb. ſignif.* Vlp. in *l. cum. de conſuetudine. ff. de legib. cum quis nititur conſuetudine, primùm quidem illud explorandum eſſe arbitror* (ait ibi Vlp.) *an etiam contradicto aliquando iudicio conſuetudo firmata ſit*. Probatur ergo per res iudicatas conſuetudo, at non neceſſariò per ipſas conſtituitur,

*Lib. 10. obſerv. c. 1.*

ſicut

ſicut ſententia Iudicis ſeruitutem non conſtituit, ſed conſtitutam declarat, vt inquit I.C. in *l. ſicut* §. *ſed ſi quæratur. ff. ſi ſeruit. vind.* nec vltra voluit Vlp. in d. *l. cum de conſuetudine*, congruum, & non neceſſarium, intendens rerum iudicatarum concurſum ad conſuetudinem, vt poſt *Alberic.* expoſuit Com.Iur. Ciu.lib.1 c.11. *Donell.* nec plus vrget tex. in d. *C. Abbate. de V. S.* cum in eius ſpecie agatur magis de præſcriptione, quàm de conſuetudine, cum controuerſia eſſet de iure eligendi, & verba, quæ videntur iudicatum requirere, non ſint in parte diſpoſitiua tex. ſed in narratiua, nec tam Summi Pontificis decernentis, quàm partis allegantis, nec eſt credibile Summum Pontificem intendiſſe firmare, res iudicatas eſſe ad conſtituendam conſuetudinem neceſſarias, qui in *C. fin. de conſuet.* vbi conſuetudinis requiſita recenſet, earum nullam rationem habuit.

Hiſce ergo conditionibus conſtans conſuetudo lex eſt, & eoſdem parit effectus, quos parit lex ipſa, ſed & eum vlteriùs, vt legem interpretetur, ſi ſit ſecundùm legem, quæ enim eſt præter legem, nullam ſupponit legem, quam interpretetur, & quæ eſt contra legem, eam abrogat, ac tollit, non autem interpretatur, quæ ergò ſecundùm legem eandem interpretatur, & planè tuta, ac propria eſt huiuſmodi interpretatio, quam apertiſſima iura confirmant. *C. cum dilectus. de conſuet. Optima legum interpres conſuetudo* ait I.C. in *l. ſi de interpretatione ff. de legib.* & meritò; ſi enim legem facere poteſt, multò magis & interpretari, cum æqualis adſit auctoritas, & voluntas. Differentias alias inter legem, & conſuetudinem addidit *Franc. Connan.* quas totidem eius verbis reddemus; Vbi ſupra. *legum conſtitutio certa eſt, tempus, quo ſunt latæ certum, & qui eas tulerit, non ignotus, iſque habens eius rei auctoritatem. At è contra conſuetudinis ignoratur principium, vt plurimùm, & auctor certus nullus citari poteſt, ſed imprudentibus ſeſe nobis inſinuat, voluntateſque noſtras obſcurè primùm, tum etiam apertè ipſa ſibi conciliat, poſtremò tantum acquirit auctoritatis, & gratiæ, vt regnet, ac dominetur lege potentiùs.* Sed & aliam agnoſcit differentiam idem *Connan.* quaſi eſſentialem, & conſtitutiuam, quæ duas iuris ſpecies conſtituit, ſcripti ſcilicet, & non ſcripti *l. ius ciuile. ff. de iuſt. & iure*; Non ſcripti iuris duas diſtinguit ſpecies conſuetudinem, & æquitatem, quam vtramque, ſi reuocemus ad ſcripturam deſtruimus, & legem ſtatuimus, dum tamen ſcribatur ab eo, qui legis condendæ poteſtatem habeat; ſecus ſi à priuato homine, à quo ſi memoriæ ergò ſcribatur non erit lex, ſed Commentarius, ſicut factum notat idem *Connan.* in conſuetudinibus feudorum, quæ ſcriptæ ab *Oberto*, & *Gerardo* conſuetudines adhuc ſunt, cum fuerint illi priuati homines. Sed tamen non tanti hæc differentia ſuperuenientis ſcripturæ, vt ſpeciem continuò immutet, nam etſi iubeat ſcribi conſuetudines is, qui legem condere poteſt, ſi tamen non faciat ea mente, vt legem condat, ſed ad tutiorem obſeruantiam, aut cuſtodiam ipſius conſuetudinis, conſuetudo adhuc erit; Differentia alia magis intrinſeca inter legem, & conſuetudinem

tradita

Digitized by Google

tradita à nobis iam eſt, vt lex ſit à ſuffragio populi, ſeu ab expreſſa Principis deſtinatione, & iuſſione, conſuetudo verò à rebus, & factis, ſunt aliæ etiam, licèt leuiores, nec eſt cur huic merè extrinſecæ, & accidentali inſiſtamus; vtile eſſe, ius conſuetudinarium ad ſcripturam redigi, vt minor labor, & minores impenſæ fiant, quàm fierent ſi ſine ſcriptura exiſtens, probanda eſſet conſuetudo, & vt litibus innumeris occurratur, notauit *Ant. Fab.* & quamuis Imperator tanquam contradiſtinctas ſpecies oppoſuerit inuicem ſcriptum ius, & non ſcriptum, attamen rectiſſimè Vult. (vt aliàs etiam reddidimus) per ius ſcriptum non intelligi illud voluit, quod ſcriptura ſit exaratum, ſed quod præſcriptum, & ſancitum publica auctoritate, & è conuerſo ius non ſcriptum, non quod ſcripturę non ſit mandatum, ſed quod expreſſè, & præciſè non ſit præſcriptum, & ſancitum, vt pro iure ſeruetur, quod nempè tacitè, & vtentium moribus abſque ſanctione vlla receptum eſt, & comprobatum; ſic enim in *l. ſed & ea ff. de legib. ſcripta iura*, exponimus, *præſcripta, & tradita* & in §. *ſingulorum. inſtit. tit. de rer. diuiſ.* & leges ſcribi cęperunt, hoc eſt præſcribi, & ſtatui. Non ſcriptum igitur ius conſuetudo, non quia non poſſit, ſed quia non ſit neceſſe ſcribi.

*In rational. ad l. 36. ff. de legib.*

*Ad § Conſtat.*

Conſuetudini ſubijcimus ſtylum, & ritum tanquam ſpecies ſub genere, ſtylus enim nil aliud eſt niſi conſuetudo, quæ reſpicit modum, & ordinem loquendi, & procedendi in iudicio, quamuis hæc ipſa vox æquè adhibeatur in iudicijs, & extra, ſi tamen latiùs ſumatur, poteſtque ipſa eſſe, nou ſecùs, ac conſuetudo facti, & iuris; facti ſtylus non tam eſt frequentia actuum, quàm forma artificialis, quæ ſeruari ſolet in loquendo, ſcribendo, aut iudicando *l. 1. C. de ſacroſ. Eccleſ. l. 3. C. Bon. Vac. lib.* 10. Huic ſtylo facti cum ſuccedit conſurgens obligatio obſeruandi certum eum modum in procedendo, hæc ipſa obligatio erit ius ſingulare, ſiue ſpeciale non ſcriptum, & ſtylus iuris, qui præcipuè de iudicijs, & actibus iudiciarijs accipitur; reſpicit enim tunc commune bonum, & rationem veræ legis inducit, idq; dici non poteſt de ſtylo, quatenus modum loquendi, aut ſcribendi ſignificat; plura de ſtylo *lother. in apparatu ad tract. de re benef.*

Stylo adnectimus ritum tanquam alteram conſuetudinis ſpeciem, & de ritu loquens *Panorm.* ait, *ritum eſſe conſuetudinem ſolemnitatem præbentem in aliquo actu exercendo ita, vt vbi vſus diſponit erga ſolemnitatem actus, ritus, ſeu obſeruantia dici poſſit*, quæ verba ſi ſpectemus etiam ſtylus erit quidam ritus, quamuis è conuerſo, non omnis ritus ſit ſtylus, & ideò idem Panormit. alibi ritum aliquantò preſſiùs ſumpſit, dicens, *ritum ſignificare morem in ſpiritualibus* qua attenta aſſignatione non omnis obſeruantia, aut ſolemnitas actus erit ritus, ſed præciſè quæ ſit circa ſacra, nunquam tamen vſus eſt *Panorm.* voce conſuetudinis ad ritum ſignificandum, immò alibi ritum aliter definiuit *ſolemnitatem ſcilicet quandam, & formam ſpecialiter in actu Sacramentali*. Cum proportione igitur ad ſtylum poſſumus, & de ritu loqui, ipſumque in ritum facti, & iuris

*Ad C. cũ ſecundũ de tempo. ord.*

*Ad c. In aliquib. in pr. de Decim.*

*Ad c. presbyter de De Sacr. Vaõ.*

& iuris diſtinguere. Primus conſiſtit in cæremonia, & ſolemnitate alicuius actus, & ſic ſumptus non redigitur ad conſuetudinem, nec eſt conſuetudo; poteſt enim induci ſine vlla actuum frequentia ſola voluntate auctoritatem habentis ad præfigendum ritum; ſic enim Chiſtus Dominus ſolo verbo ritum ſubſtantialem Sacramentorum præſcripſit, ſic Eccleſia in aliquibus actibus ſolemnia ſeruanda conſtituit; non repugnat tamen eoſdem ritus per conſuetudinem induci, quæ tunc poterit dici ritus, & hæc quidem, vt dicit frequentiam ſic operandi in tali materia, erit quid facti, at verò, vt obligat ad ſic operandum in tali materia ex illa frequentia actuum erit ius, & ideò huiuſmodi conſuetudo circa diuina dici poterit ritus, quatenus ſcilicet dat formam, & ſpecialem modum operandi circa diuina, & circa ſacra, & quòad eius introductionem eodem modo erit differendum, ac cenſendum, quo ſupra de conſuetudine, de qua ſatis, quòad potiora eius.

# CAP. XI.

## De Æquitate.

1 *Nominis* æquitas, *ratio*, *& ſignificatio*, *Munus*, *& Intentio*.

2 *Aequitatis definitio*; *quæ explicatur*; *ex duplici legis defectu*.

3 *Differentia inter Ius naturale*, *& æquitatem*.

4 *An æquitas poſſit ſcribi*, *& an detur æquitas ſcripta* ad l. placuit C. de legibus.

5 *Aequitatis diuiſio pro duplici iure cui adhibetur in naturalem*, *& ciuilem*.

6 *Arguitur æquitatem non eſſe Iudicis*, *aut Iureconſulti*, *ſed ſolius Principis*.

7 *Soluuntur obiecta*, *& datur praxis exercendę æquitatis*.

8 *Inter æquitatem*, *& Clementiam quod ſit diſcrimen*, *& an Iudex vtens æquitate Clementiam exerceat*.

9 *Aequitas circa legem non ſolùm leniendo*, *ſed & vbi opus eſt*, *aſperando*.

1 Conſuetudine, primaque non Scripti Iuris ſpecie explicata, ad ſecundā tranſimus, prudentię filiam, ęquitatem ſcilicet; quam principaliter ſpectat Ius Pontificium, ſuſpicit, & colit. Indè latinis dicta; quod Summum Ius ad æqualitatem redigat. Græci appoſitè ἐπιείκειαν, ſiue epicheiam dixere, quæ omnia ex præſcripto

ſcripto rationis agat, ac moderetur, & de iure ſuo facile cedat iuſtitiæ, ac bonitati; Aptiſſimè comparata regulæ lesbiæ, quæ plumbea erat, adeòque flexibilis, & ſe clementer ſtructuræ adaptans, non autem ſtructuram ad ſe ipſam exigens, proprijſſimum æquitatis munus, quæ leges quaſi regulas ferreas, & inflexibiles plumbeas reddit, & appoſitè vnicuique adaptat, expendens attentè, quo quidquid conſilio, quo animo, loco, tempore, occaſione, vel neceſſitate ſit geſtum, aut dictum; Durioribus cedit, ac obtemperat, atque diſcernit quidquid rationi, & honeſtati congruat, ſententiam legis aptans prudenter, idque bonum, & æquum nuncuparunt latini.

Vtcumque variabile, ſemper tamen regula, ſemper norma, ſemper ius, ſemper idem, neque enim æquum quidpiam, quod non iuſtum, ſed æquum quodammodò praeſtantius, & iuſtius, cuius virtus maximè in iudicijs emicat, à quibus quies, tranquillitas, & incolumitas ciuium, tolle æquitatem, & iudicium ſine iudicio reddes, iudicem ſine lumine, ipſo legis ductu à recto aberrantem. Aequitas iuſtitia quidem, & æquum iuſtum, ſed iuſtum extra ordinem, ac ſupra omnem Philoſophorum, & I. C. artem, vt pote quod nec ſcribi, nec præſcribi, nec doceri præciſè poſſit; ſcrutemur, & inſpiciamus æquitatis, & æqui primordia, & incertitudinem, ac verſabilitatem eius agnoſcemus.

2 Definiuit ergo Ariſtoteles, quod æquitas, ſiue æquum, & bonum *ſit legis correctio, qua aliquid ei deeſt, propterea quod generaliter loquitur*, eſt legis correctio in eo, quod deficit propter vniuerſale. *Lib. 5. Ethic. cap. 14.* Detegamus legis defectum, & emicabit æquitas, exiliet ęquum. Ait rectiſſimè I. C. in *l. 2. ff. de iur. & fac. ignor.* ius finitum eſſe debere, non infinitum; facta, & caſus, quibus ius applicari debet, ſunt planè infiniti, & incerti, ex circumſtantijs, ac periſtaſibus, quæ contingere, & comitari poſſunt omninò varij, hique ab humano intellectu, & prudentia nequeunt pręuideri, vnde nec de ſingulis poteſt lex propria conſtitui; ita enim Iulian. in *l. neque ff. de legib. neque leges, neque S. C. ita ſcribi poſſunt, vt omnes caſus, qui quandoque inciderint, comprehendant*; ideòque lex debuit conſtitui, & ſcribi de ijs, quæ vt plurimum accidunt *l. 4. 5. 6. ff. de legib.* & en fontem, en cauſam, vnde primus legis defectus. Ex modo autem, quo lex ſcribi debet, naſcitur & defectus ſecundus, debet enim generaliter ſcribi, & generaliter loqui, ideòque definitur, quod ſit *generale præceptum l. 1. ff. de legib.* Et ex duplici hoc legis defectu æquitas, & eius circa legem operatio emergit, corrigit enim legem, quæ peccat per defectum, & in eo quod vniuerſaliter diſponat, & loquatur generaliter; poteſt enim caſus euenire non cogitatus à legiſlatore, & ab eo non præuiſus, verbis quidem legis comprehenſus, at non mente, quam legem, ſi in eo caſu ſeruare velis, eius inhærens verbis iniuſtè facias. Interpretamur ergò tunc legem, & ex mente legiſlatoris benignè, qui & idem ſtatuiſſet, ſi caſum præuidiſſet, aut de eo cogitaſſet; hæcque interpretatio correctio quædam, & emendatio legis eſt, & laudabilis eiuſdem legis tranſgreſſio, & hæc ipſa eſt æquitas benigna, & liberalis,

quę

quæ plus præſtat, quàm verba legis largiantur. Exemplum rem illuſtrabit; ſit lex generalis, vt quicumque aliquem occiderit, & ipſe vita plectatur. Inuadentem inimicum quis interficit ad neceſſariam ſui defenſionem, & cum moderamine inculpatæ tutelæ, numquid erit ab eo exigenda pœna legis, & ipſe morte puniendus? vtique dixeris, ſi verba legis attendas; non item, ſi mentem legiſlatoris, quam benignè interpretantes, arguimus eam fuiſſe, vt ſi de huiuſmodi homicidij circumſtantia cogitaſſet, non fuiſſet illud, lege ſua compræhenſurus, ſed potiùs excepturus, & hæc benigna interpretatio eſt æquitas, de qua loquimur. Innumera ex Romani iuris fontibus exempla æquitatis exhibet *Pet. Faber.* quæ docent, operari æquitatem, vt legum præſcripta aliquando ſequenda non ſint, & ſubtilitate verborum reiecta, id quod benignius eſt, amplecti I. C. debeat ſectando potiùs rationem legis, quàm captando verba, & iiſdem mordicùs inhærendo.

*Ad l. In omnib. 90 ff. de reg. iur. n. 4.*

3 Ius naturale hoc ipſum eſt, quod in legibus etiam ſcriptis dominatur, & imperat; vnde, quæ viam indicat, qua ad naturam in legibus eundum ſit, æquitas eſt, quæ ius dictat, quòad legum moderamen vtamur, cumque id beneficio æquitatis contra legem ſcriptam adepti ſumus, bonum, & æquum dicitur. Quod quidem ius naturale dici poteſt, ſed tamen adhuc differentia notabilis ſubſiſtit inter ipſum ius naturale, & æquitatem; nam ius naturale dicit in ſe quid abſolutum, & per ſe quid ſubſiſtens, quod vi ſua aliquid iubet, aut vetat; qua ratione attenta ius naturale nec eſt, nec dici poteſt æquitas; at æquitas dicit quid reſpectiuum, & eſt quidem ius naturale, ſed cum relatione, & intrinſeco reſpectu ad legem, cum eius ſcriptæ voluntatem, intentiones, & ſenſus omnes noſcat, pro bonitate ſua rationi naturali adaptet, eaque ſublata nulla eſſe poteſt æquitas, quæ maximè in hoc reſpectu, & hac relatione intrinſeca ad legem conſiſtit, & hæc, quæ in iudicijs dicitur æquitas, in contractibus eſt bona fides, ſic enim I. C. in *l. bona fides ff. depoſ. bona fides, quæ in contractibus exigitur, æquitatem ſummam deſiderat*; eamque metiendam ex duplici regula docet, de qua mox infra, & nos, cum æquitatem ipſam diuidimus.

4 Hæc æquitatis tradita explanatio, qua munus, intentio, finis, & virtus eius apparuit, iam ſuggerit, quid de ea quæſtione cenſendum, qua inquirunt Interpretes, an ſcilicet æquitas ſcribi poſſit? & an detur æquitas ſcripta? Placuiſſe veterum pleriſque compertum eſt, dari æquitatem ſcriptam, dum eam præferendam iuris rigori frequenter docuerunt ſecuti celebre *Conſtantini* reſcriptum in *l. placuit*. 8. *C. de iudic. placuit in omnibus rebus præcipuam eſſe iuſtitiæ, æquitatisq; ſcriptæ, quam ſcripti iuris rationem*. Ait ibi *Conſtantin.* quem agnouiſſe æquitatem ſcriptam non licet ambigere, at nil minùs verè pronunciari poteſt, quàm æquitas ſcripta, quaſi ſit implicantia in adiecto dicere æquitatem ſcriptam, cum, ſi addatur ſcriptura, deſtruatur æquitas, nec æquitas propriè amplius ea dici valeat, & quod ſcriptum fuerit bonum quidem, & iu-

ſtum adhuc erit, ſed æquum non item. Expende iterum attentè æquitatem ipſam, & quàm ei repugnet ſcriptura facilè cernes; vt enim opponitur ſummo iuri, ex ſola aliqua ratione naturali æſtimari debet, quæ non alibi, quàm in prudentis, & benè ſenſati cuiuſque mente ſcripta, & poſita eſt, & eſt quædam moderatio, quæ in animo, & pectore reſidet, & quæ ex natura ſua nulla lege poteſt præſcribi; tota enim (vt iam diximus) in reſpectu, ac relatione ad legem conſiſtit, & ſi ſcribatur non erit amplius æquitas, ſi formalem eius rationem ſpectes, ſed potius lex fiet, nec erit amplius interpretatio (qualis propriè eſt æquitas) ſed ipſa potiùs egebit interpretatione, cum enim ſit emendatio, & correctio legitimi iuris, & iuris ſcripti, iam ipſa ſui ipſius emendatio fieret, quod planè ineptum, & demùm ſi ſcribatur æquitas, aut tranſit in aliam ſpeciem, aut manet eadem, ſi mutatur, iam non eſt amplius æquitas, ſed ex mutatione fiet lex, ſi non mutatur, ſed remanet eadem æquitas, ergo inanis planè ſcriptura, quæ adiecta nihil operetur, aut immutet. Reſcriptum Conſtantini in *l. placuit. C. de iudic.* vtcumque viſum pleriſq; per difficile, facile declinatur. *Connan.* exponendo eius auctoritatem vitauit; per æquitatem enim ſcriptam intellexiſſe *Conſtantinum* aſſeruit æquitatem illam, quæ ad ius ſcriptum exhibetur. *Iacob Reuard.* per æquitatem ſcriptam ius Prætorium accepit. Expedita eſt difficultas, & eneruata vis illius auctoritatis ſi corrigatur tex. & expungatur vox illa *ſcriptæ*, quæ abundat; abeſſe enim ab omnibus vetuſtis exemplaribus codicum teſtantur *Duaren. Pet. Fab. & Ant. Auguſtin.* Et ſi vrgeas; ius naturale ſcribi poſſe, & adhuc, licèt ſcriptum, eſſe ius naturale; iam ſtatim ex dictis erumpit reſponſio, ius naturale eſt quid abſolutum, ac per ſe ſubſiſtens, denominationemque ſuam ſemper, ac per ſe retinet; æquitas, vtcumque ipſa ſit ius naturale, dicit quid reſpectiuum, & tota ad legem ſcriptam eſt, tanquam eius interpretatio, ac moderamen; ſcribas, relationem amittit, & eo ipſo deſinit eſſe æquitas; factum id intuemur in Prætorio iure, quod totum ab æquitate fuit, & totum in interpretandis, ac leniendis legibus 12. Tabul. ex quo ſcribi cæptum æquitatis nomen, ac rationem amiſit, & nomen iuris quæſiuit, cui etiam ſæpius ſua æquitas adhibetur, tanquam & ipſum nonnunquam leniendum.

*Comm. Iur. Ciu lib. c. 11. num. 6.*

*Ad l. in omnib ff. de Reg. Iur.*

*Lib. 2. diſp. Anniu. c. 18.*

*Ad l. in omnib ff. de regul. iur. lib. 4. emend. c. 8.*

5 Hic autem æquitatis reſpectus ad legem eſt adeò ipſi naturalis, vt non ſolùm ad ſcriptam legem referatur, ſed & ad non ſcriptam, adeòque ſcripta ipſa altiorem; vnde diuiſionem æquitatis exeogitauit *Connan.* in naturalem, & ciuilem, ſcriptam (vt ipſe exponit) & non ſcriptam. Supra enim ius ciuile eſt ius gentium, ipſumque non ſcriptum, & vtrique ſua venit adhibenda æquitas, iuri gentium, & non ſcripto ſua applicatur æquitas non à Iudice quidem, ſed à nobis ipſis, aut à legiſlatore, ius ſiquidem ipſum gentium receſſit aliquantùm à ſimplicitate, & ingenuitate naturæ, vt communi hominum vtilitati ſe accomodaret; hoc Iudices quidem immutare non debent, cum omnium gentium conſenſu ſit receptum,

ceptum, at legiſlator vtique, noſq; ipſi plurimùm; lex etenim ipſa gentium, quæ eſt naturalis, ſupplemento aliquando indiget, ac moderamine non quidem ex ſe, ſed ad frænandam hominum malitiam; ſubijcimus praxim; natura nil minùs velit, quàm bella, quàm hoſtilia, & tamen hæc ipſa veluti natura repugnante ius gentium induxit, & ad reprimendos malorum hominum impetus rationis naturalis titulo ſpecioſo contexit; credidit enim, ſuaſumque habuit, naturam non aliter rerum communionem inter homines voluiſſe, quàm ſi ipſi in eadem poſſent perſeuerare, & conſiſtere, ſeruato pacis, & concordiæ nexu; ſoluto autem naturæ fœdere, dominiorum diſtinctionem bella, ac ſeruitutes, & naturam ipſam inducturam, ſuadendo; ſicque æquitas dominiorum diſtinctionem, bella, & ſeruitutes inuexit ius ipſum gentium interpretans. Nec minùs ius ipſum ciuile naturalis iuris dictamina ſupplet, ac moderatur ciuili quadam æquitate, quæ ad procurandas ciuium neceſſitates expedire videatur, & illud agit, quod ageret ipſa natura, ſi ſingularia hæc appræhendiſſet, aut appræhenderet; nec deſit exemplum. Ius naturale pacta ſeruanda, & implenda promiſſa dictat; ius gentium ad contractus frequentiores, magiſque neceſſarios, eoſque nominatos reſtrinxit, & ad eas ad ſummum conuentiones, quibus ab aliqua parte adeſſet implementum cauſæ, ſiue accederet ſynallagma. Ius ciuile nudæ pactioni omnem actionem denegandam cenſuit, & omnem exactionem; prouidendum enim maximè fuit, ne litibus facilis nimis pateret aditus, pròut eſſet, ſi promiſſa omnia inter homines quoquo modo facta obligarent; haud abſimiliter vſucaptionem cenſuit inducendam, vel repugnante naturæ lege, quæ non patitur, ſed dictat, neminem cum alterius iactura locupletandum, benignè interpretans hanc naturæ legem, preſtareque credens, vt immò rerum dominia non ſint in incerto; indeque orta æquitatis diuiſio in naturalem, & ciuilem; naturalis illa dicitur, quæ gentium, adeòque naturali iuri adhibetur, hancque dixerimus non ſcriptam; ciuilis verò, quæ ciuili, & ſcriptæ legi moderamen, & benignitatem aptat, hancque appellamus ſcriptam, non quod verè æquitas ſcripta ſit, ſed quod circa ius ſcriptum verſetur, vt accepit *Connan.* qui æquitatem ſcribi omninò negat doctrinæ, & diſtinctionis gratia; admitti poteſt hæc æquitatis diuiſio in naturalem, & ciuilem facta denominatione extrinſeca, cum alioquinulla alia ſit æquitas, niſi naturalis, & ad ſummum (ſi quæ ciuilis) quæ naturali æquitati proportione reſpondeat.

Aequitas igitur legum interpres, & I. C. eſt, iuſti, prudentisque Iudicis leges ex æquitate interpretari.

6 Verùm hæc æquitatis munia, hi æquitatis Miniſtri apertè nimis videntur excludi à Principum reſcriptis in Cod. Iuſtinianeo; Conſtantinus enim magnus in *l. 1. C. de legib. inter æquitatem, iusque interpoſitam interpretationem nobis ſolis oportet, & licet inſpicere*. Preſſiùs adhuc Iuſtinian. in *l. fin.* §. *definimus. C. eod. ſi enim in præſenti tempore leges condere ſoli Imperatori ſolo dignum imperio eſſe oportet*.

*tet*. Præciſè in terminis obſcuræ legis, & duræ interpretationem, & emendationem ſibi auocant, *Valentinian. & Martian. Ceſſ.* in *l. leges ſacratiſſimæ. C. de legibus.* ne ſingula eorum verba regeramus. Non ergo inferioris Iudicis, non prudentis, & I. C. adhibere legi æquitatem; aliàs enim facilis nimis aperietur via iudici, vt æquitatis colore poſſit iniquè, & contra leges iudicare, hocque à iudicijs auertendum diſcrimen nouit *Iulian.* I. C. in *l. & ideo ff. de legib.* vnde & praxim attexuit *Modeſtin.* in *l. ſi expreſſim. ff. de appellat.* cuius dictum firmauit & *Gregor. Summ. Pontif.* in *C.* 1. *de ſent. & re Iud.* in ea verba reſcribens. *Sententia contra leges, canoneſue prolata, licèt non ſit appellatione ſuſpenſa, non poteſt tamen ſubſiſtere ipſo iure*; quæ verba, ſi conferamus cum I. C. dictis in prolatis mox ſupra iuribus, iam nullum relinquunt locum huc vſque traditæ de æquitate doctrinæ, immò apertè æquitatem ipſam excludere, & perimere videntur.

7 Promouemur ab hiſce obiectis ad praxim exercendæ æquitatis, & ad rectum eius vſum; cum enim à prudentia maximè pendeat, & cum prudentia exercenda eſt. Si igitur lex ſit adeò clara, adeòque certa, vt nulla indigeat interpretatione, non poteſt iuris peritus, non poteſt Iudex inferior vti epicheia, admouere æquitatem, & legem ipſam, vtcumque duram, interpretari, vel emendare, ſed ſolius Principis eſt, idque vult Conſtantin. in *l.* 1. *C. de legib. id Valentinian. & Martian. Ceſſ. in l. leges ſacratiſſimæ. C. eod.* nil enim abſurdius in iudicijs poteſt occurrere, quàm ſi liceret Iudici pro libito æquitatem comminiſci, & cerebrina, vt vocat *Ant. Fab.* æquitate leges fallere, & eludere. Standum legi præciſè tunc erit, vt inquit *Vlp.* in *l. proſpexit. ff. qui. & à quib.* *per quam durum eſt* (ait ibi Vlp.) *ſed ita lex ſcripta eſt*; aut ad Principem confugiendum, vt iubent *Conſtantin. & Iuſtinian.* in reſcriptis ſuis. Quod ſi lex ſit quidem obſcura, & præſertim recens condita, & promulgata adeò, vt praxis eam nondum elucidet, idem erit ſeruandum, nec vlla ſperanda æquitatis opera, quæ interpretando benignè facem veluti admoueat; ſic *Ceſſ.* in *l. leges ſacratiſſimæ. C. de legibus. & Iulianus* in *l. & ideò. ff. de legib.* Obſcuram dicimus legem, ex cuius verbis legiſlatoris mens, & & intentio nequeat compræhendi; hanc nec legem dixeris *Can. erit autem lex.* 4. *Diſt.* nec vllæ poſſunt eſſe interpretis partes circa eam, non enim eſſet interpretari, ſed magis legem nouam condere, quod interpreti non licet. Principis ergo erit elucidare, aut conſuetudinis ad ſummum, quæ lex altera *l. de quib. ff. de legib.* eademque optima legum interpres *l. ſi de interpretatione. ff. de legib.* idque apertiſſimè *Ceſſ.* in d. *l. leges ſacratiſſimæ. Cum de nouo iure, quod inueterato vſu non adhuc ſtabilitum eſt, dubitatio emergat, neceſſaria eſt tam ſuggeſtio Iudicantis, quàm ſententiæ principalis auctoritas.*

*Iuriſp. Papin. tit. 1. de iuſt. & Iur. Princ. 2. Illat. 6.*

Vbi verò Principis, & legiſlatoris mentem Iudex, aut Interpres aſſequi leniori aliqua interpretatione poteſt, tunc iuſtè vtitur æquitate, & per æquitatem legem explicat. *l. in ambigua. ff. de legibus. In ambigua*

*voce*

*voce legis ea potius accipienda eſt ſignificatio, quæ vitio caret, præſertim cum etiam voluntas legis ex hoc colligi poteſt.* Aequitatis tunc aptiſſimum munus, eoque dum vtitur. Iudex ſecundum legem iudicat, quando per legem non verba legis, ſed mentem, & ſententiam legis intelligimus *l. ſcire. ff. de legib.* quam qui in iudicando ſequitur ex bono, & æquo iudicat.

At demùm vbi legiſlatoris voluntas eſt omninò certa, aut ex oppoſito adeò obſcura, & incerta, vt eam aſſequi nullo modo liceat, aut adeò ambigua, vt hinc iubere videatur æquitas, hinc ſcriptura vetare, ſilebit Interpres, ſubſiſtet Iudex in ambiguitate tanta, & referet ad Principem, cui ſoli inter æquitatem, & ius fas eſt interponere arbitrium, vt ſtatuit *Conſtantin.* in d. *l.* 1. *C. de legib.* nec admittitur cerebrina æquitas; & quamuis in *l. ſi expreſſim. ff. de appellat.* dicat *Modeſtin. Si expreſſim ſententia contra iuris rigorem data fuerit valere non debet*; adeòque videatur omninò æquitatem excludere, non tamen hoc intendit *Ad l. In omnib. ff. de reg. iur. num. 6.* *Modeſtin.* quia quamuis ( vt rectiſſimè notat *Pet. Fab.*) nonnunquam æquitas à rigore iuris ſegregetur, ipſique opponatur *l. qui accuſare. Iunc. l. fin. C. de edendo.* attamen apud *Modeſtinum* ita accipiendus eſt iuris rigor, vt æquitatem non excludat, ſed & ipſam contineat, adeòq; iuris tenorem, verba, mentemque legum, atque conſtitutionum ſignificet, ſicque factum ex lege cenſeatur, & ſententia tunc ex lege lata, cum iuxta ſententiam legis per æquitatem manauerit, & ideò non per hoc lata contra iuris rigorem, ſed immò iuxta iuris rigorem adhuc dici poterit.

8 Sed ne quid omittamus, quod æquitatem impugnet, immò & ſolutum confirmet, illud addemus; ſuſpectam in Iudice præſertim, ex eo reddi æquitatem, & eius vſum, quod ſupra Iudicis limites, & partes conſurgat; non enim eius eſt in iudicijs clementiam exercere; æquitatem autem adhibere nil aliud eſt, quàm temperare, & ſe exhibere clementem, idque non Iudicis, ſed Principis, & ſupremi eſt. Cæterum confundit obiectio æquitatem cum clementia, quas ſi diſtinguas, vt re ipſa diuerſæ ſunt, nihil ſupereſt, quod æquitatem lædat, aut legitimum eius vſum turbet; falſum igitur eſt Iudicem æquitate vtentem exercere clementiam, falſius, æquitatem ipſam, ſolam legis ſeueritatem moderari.

9 Non eſt æquitas clementia; hæc enim ſolius eſt Principis, aut ad ſummum eius Magiſtratus, qui parem cum Principe iudicandi poteſtatem habeat, vt Senatus olim apud Romanos. *Excelſa virtus Imperiorum luna* ( inquit eam deſcribens Lipſius ) *mitis, & mollis ea diua, quæ lenit, quæ temperat, noxios eripit, lapſos erigit, & ſeruatum it eos ipſos, qui ſe perdunt*; mox quaſi definiens; *virtus animi à vindicta ad lenitatem cum iudicio inclinantis.* Rectiſſimè; *cum iudicio*, *quia*, vt mox idem explicat, *abſque illo molities hæc, & lentitudo ſit, ac flagitium, adeò non virtus*; *ſecedit paulùm, fateor, ab acri illo iuſtitiæ Sole, hæc luna*; *ſed ſecedit, non diſcedit diuerſa potiùs, quàm aduerſa.* Ita *Lipſius*, cuius ſententia proprijs reddenda fuit verbis, alioqui, vt ſine venere, & ſine vi; variè, ſed ad intentum idem, definiuit & Seneca, vt tutiùs definiret; *ne vna definitio* *parum*

*Cap. 13.*

*Lib. 2. de Clem. c. 3.*

*parum rem comprehendat, & vt ita dicam formula excidat*, ideò dixit; *clementia in pœna exigenda eſt inclinatio animi*, vel *eſt moderatio aliquid ex merita, & debita pœna remittens*; & tandem extra quācumq; obiectionem; *clementia, quæ ſe flectit circa id, quod meritò conſtitui poſſet*. Clementia eſt temperantia animi in poteſtate vlciſcendi, vel lenitas ſuperioris aduerſus inferiorem in conſtituendis pœnis; confer modò cum ſic definita clementia æquitatem, & diſparem, ac planè diuerſam comperies vtriuſque rationem. Nam æquitas non ſolius Principis eſt, ſed & inferioris Iudicis, immò & I. C. benignè interpretantis; cum è contra clementia ſolius Principis ſit, quem læſum ſupponit, & in hoc eius gloriam conſtituit *Seneca*, dum ſcribit *quidquam non eſſe glorioſius Principe impunè læſo*. Clementia ad leniendam pœnæ vltionem reſtringitur contra merentem, ac tota veluti circa pœnam ſe impendit; æquitas tota circa legem eſt, & non tam circa pęnam, quàm circa legem verſatur, quam ſaluam, & integram ſeruat, licèt ipſam interpretetur non ex verbis, ſed ex ſententia. At clementia legem tollit ex toto, quatenùs eius veniam facit, aut ex parte, ſi mitiget, aut remittat; tollit igitur clementia, aut remittit legem, quod vni Principi datum, aut ei, qui adinſtar Principis eſt; nil ergo magis à veritate alienum, quàm æquitatem confundere cum clementia, & credere, quod exerceat Iudex clementiam, dum æquitatem exercet. Falſum haudminùs, quod æquitas circa legem leniendo, & molliendo tantùm modò verſetur; nam legem, & legis voluntatem, ac ſententiam ſectatur, ſiue ad humanitatem lex ipſa tendat, ſiue ad aſperitatem, ac acerbitatem vrgeat. Delinquat quis in legem eo tempore, quo maximè erat illa cuſtodienda, & timeatur, ne huiuſmodi legis tranſgreſſio exemplo ſuo nimis noceat; æquitas in eo caſu exiſtimabit veriſſimum, & iuſtiſſimum legis ſenſum, qui eius ſcripturam ad maximam pœnæ acerbitatem pertrahet, idque cum fiet non tam ſummo iure, aut ex verbis, ex ſcripto legis, quàm ex eius ſententia, ex mente, & conſilio legiſlatoris, ſicque ex bono, & æquo, factum veriſſimè dicetur; ſi enim eum caſum præuidiſſet legiſlator bono publico intentus nullam lenitatem in eo admiſiſſet, ſed potius exaſperandam pœnam cenſuiſſet; vnde nec iniuſtè faciet ſic interpretans, quaſi ſeueriùs, quàm lex ipſa præſcribat; immò iuſtiſſimè, & æquiſſimè, ſi modò non plus exigat pœnę, quàm tranſgreſſio, & neceſſitas poſtulet; non ergò eſt clementia eadem cum æquitate, nec ſemper æquitas leniendo, ſeu mitigando operatur. Eſt quidem aliquandò, vt æquitas pro benignitate, & clementia ſumatur, ſed per ſimilitudinem, & ampliata ſignificatione, non propria illa, de qua loquimur. Sit ergò clementia Principis, æquitas eſt Iudicis; cum enim ſit prudentiæ, & non poteſtatis opus, inferior etiam, & I. C. exercere eam poteſt, cuius eſt ex bono, & ęquo legem interpretari. Et de æquitate ſatis.

Lib. 1. de Clem. cap. 22.

CAP. XII.

## CAP. XII.

## De Eccleſiaſticis, & Sacris Traditionibus.

1 *Traditio conſuetudinis nomine venit, ſed inter vtramque diſcrimen.*

2 *Traditionis ethimologia, & definitio, quæ ponderatur, & explicatur, & origo traditionum detegitur, earumque rationes redduntur.*

3 *Traditionum auctoritas adſtruitur.*

4 *Traduntur regulæ quattuor ad dignoſcendas legitimas traditiones.*

5 *Prima Traditionum diuiſio, vt aliæ ſint Diuinæ, ſiue Dominicæ, aliæ Apoſtolicæ, aliæ Eccleſiaſticæ, quæ ſingulæ declarantur.*

6 *Secunda Traditionum diuiſio à materia, vt aliæ reſpiciant fidem, aliæ mores, & diſciplinam.*

7 *Tertia diuiſio, vt aliæ ſint perpetuæ, aliæ temporales.*

8 *Quarta à loco, vt aliæ ſint vniuerſales, aliæ particulares, ſiue locales.*

9 *Quinta diuiſio, vt aliæ neceſſariæ, & aliç liberæ.*

10 *Quæ contra ipſas Traditiones afferant hæretici, & ea ſoluuntur.*

1 SVccedit iam tertia non ſcripti iuris ſpecies, eaq; potiſſima in Eccleſiaſtica Republica, cuius vis, & auctoritas non minor, quàm ſcripti iuris, & quamuis ſub generali conſuetudinis nomine veniat, attamen quid ſublimius adhuc inuoluit vulgari conſuetudine, indeque longè eius venerabilior auctoritas. Vulgata ſiquidem conſuetudo ab actibus frequentatis populi conſurgit, & eius ignoratur principium; irrepit namq; ſenſim, & tunc fermè cognoſcitur, cum iam inducta; Traditio verò altiùs, & euidentius habet principium, ipſumque ſublimius; reſoluitur enim in Chriſti Domini, & Apoſtolorum auctoritatem tanquam in fontem, vnde fidei, & traditionum eadem origo, & principium idem.

2 Traditio igitur, de qua tractationem inſtituimus, à tradendo denominatur, tanquam per manus à maioribus tradita poſteris, qua phraſi, & loquendi forma vſus eſt, & *Papinian.* in *l.* 10. *ff. de iure Codicil. Quod per manus traditum eſt, codicillis hæreditatem dari non poſſe.* Regulam per manus traditam appellat, quæ ſine ſcripto iamdiù omnium ore iactabatur, ac ſucceſſiuè habebatur tranſmiſſa. Sic denominatam traditionem definiunt Theologi, vt ſit doctrina viua voce accepta, & continuata ſucceſſione in poſteros deriuata, necnon conſuetudine perueruſta firmata, quç licèt in libris Sacræ Scripturæ canonicis expreſsè conſignata non ſit, tamen in alijs inſtrumentis, monimentiſque fide dignis legitur conſcripta; fuſa qnidem deſcriptio, at quæ rem aſſignatam exactè indicet. Non ſcripta dicitur traditio, non quod nuſquam ſit ſcripta, ſed quod à primo Auctore non ſit ſcripturę conſignata, vtcumque poſteà à ſacris ſcriptoribus ſit literis commendata, eo modo, quo de conſuetudine ſcripta fuit ſupra à nobis diſer-

diſertatum; indeque in Eccleſiam ſcripti, & non ſcripti iuris inducta diuiſio, & meritò, cum Apoſtoli doctrinam ſuam, & fidelium inſtructionem partim ſcripto, & partim non ſcripto tradiderint; grauiſſimis de cauſis, & ſumma prudentia, ac prouidentia. Moris enim id fuiſſe veterum Philoſophantium compertum eſt, qui auditoribus ſuis præter ea, quæ ſcripto tradidiſſent, pleraq; & non ſcripta tradere conſueuerunt. *Lib. 1. Strom. Lib. 2. de Anatom. admin.* Præſtitit id Pithagoras, vt *Clemens Alexandrinus* teſtatur, id Phyſici veteres *Galeno teſte*, & ſi in ſcientijs, & diſciplinis habitum fuit congruum, multò rationabilius, & vtilius fuit habendum in ijs, quæ Dei cultum, & religionem tangunt, ideòque poſt celebres Hebræorum Doctores, ſcripſere ex noſtris *Hilarius*, & *Origenes* *Sup. Pſalm. 2. Homil. 5. in num.* Moſem non legem ſolam in monte Synai à Deo accepiſſe, ſed ſimul prçceptum, vt legem populo ſcriberet, occulta autem legis Myſteria ipſe Miniſtro ſuo Ioſue, hic ſubinde ſuccedentibus Sacerdotum primoribus magna religionis, & ſilentij fide communicaret; idq; Eſdrę Deus ipſe teſtatus dicitur, ſic loquens *Lib. 4. cap. 14.* de Moſe. *Et adduxi eum ſuper montem Syna, & detinebam eum apud me diebus multis, & enarraui ei mirabilia multa, & præcepi ei dicens; hæc in palam facies verba, & hęc abſcondes.* Hinc regius Pſaltes; *Pſalm. 43.* *Deus auribus noſtris audiuimus, Patres noſtri annunciauerunt nobis.* iterum; *Pſalm. 77.* *quanta mandauit Patribus noſtris nota ea facere filijs ſuis.* Et Moſes *Deuteron. cap. 32.* ipſe; *interroga Patres tuos, & dicent tibi, maiores tuos, & annunciabunt tibi.* Non ſolùm igitur Philoſophi, ſed Moſes, immò & Deus ipſe pleraque non ſcripta tradidere, & vltra ſcripta, nec ſine ratione, eaq; multiplici; primò enim non omnia omnibus vulganda prudentia dictat, ſed grauibus, & fidis auribus tantùm committenda, præcipuè in ijs, quæ religionem tangunt, idque vel Ethnicis curæ fuit, adeò, vt *Plato* ſcribens Dyoniſio de ſacris quibuſdam myſterijs eum moneat, vt epiſtolam è veſtigio diſcerpat, ne in manus imperiti, & ad ea imparis vulgi deueniat. Secundò quia habet neſcio quid latentis energiæ, & efficacię vox viua, & per aures in animum fortiùs perſuadit, præcipuè ſi ea, quæ Dei ſunt, exhibeat. *Nam viuus eſt ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vſque ad diuiſionem animę, ac ſpiritus, compagum quoque, ac medullarum* ait *D. Paul.* Debuere igitur & Apoſtoli doctrinam ſuam ſcripto tradere; ſed *Ad Hebr. cap. 4.* & aliqua non ſcripta relinquere; hæcque ſic relicta traditiones & dicuntur, & ſunt; quæ quidem vel ex eo neceſſariæ, quod ſenſus ſcripturarum non erat ab ijſdem Apoſtolis alijs ſcripturis explicandus, niſi in ſcripta ſua ipſi ederent commentarios, quod viri grauiſſimi ſemper abhorruere, & ideò ſcripturarum intelligentiam diſcipulis ſuis viua voce tradiderunt, vt in Eccleſia quodlibet tempore illud impleretur. *Dabo le-* *Ierem. 31.* *gem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam*; idque factum ab Apoſtolis ipſis non eſt ambigendum, quando in Eccleſia non ſcriptum fuit prius ſcripto, & vt acutè loquitur *Tertullian. certè prior anima, quàm liber, prior ſermo, quàm liber, prior ſenſus, quàm ſtylus.* *De Teſtim. Animæ c. 6. Annal. tom. 1. annal. 41.* Verè quidem, nam Euangeliſta Matthæus ſcripſit omnium primus, & Apoſtolicam fidem, ac Doctrinam

lite-

literis conſignauit, non ante Domini annum quadrageſimum primum, vt colligit. *Baron.* Sicque neceſſarium omninò eſt, Apoſtolos ſolo verbo; & ſola traditione Euangelicam doctrinam in corda fidelium infudiſſe,& ſymbolum, quod eſt veræ fidei teſſera, oretenùs inſinuaſſe, ac proinde traditionum Eccleſiaſticarum hæc origo vera, ac ſolidum earumdem hoc fundamentum, quod ſcilicet Apoſtoli partim ſcripto, partim non ſcripto Euangelicam doctrinam communicauerint; idque Patrum, & Auctorum nube confirmare temperamus, vna D. Pauli auctoritate contenti *Theſſalonicenſibus* enim ſic primò ſcribit. *State, & tenete traditiones, quas accepiſtis ſiue per Epiſtolam, ſiue per Sermonem*; Corinth. *Laudo autem vos, fratres, quod ſicut tradidi vobis præcepta mea tenetis*; mox inferiùs. *Ego enim accepi à Domino quod tradidi vobis.* Timotheo, *formam habe ſanorum verborum, quæ à me audiſti bonum depoſitum cuſtodi*, inferiùs. *Quæ audiſti à me per multos teſtes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt alios docere.* Demùm *D.Ioan.Apoſtolus. Plura habens vobis ſcribere nolui per chartam, & atramentum, ſpero enim me futurum apud vos, & os ad os loqui.* Credibile non eſt D.Paulum; qui tot regiones peragrauit; D.Petrũ, qui ſeptem annis Antiochiæ ſedit, & vigintiquinque Romæ, nil aliud docuiſſe niſi quod epiſtolis ſuis commendarunt, aut ſolas illas gentes, quibus ſcripſerunt; Apoſtoli reliqui tot nationes inſtruxerunt non ſcriptura, cuius quidem nullum veſtigium habemus, igitur verbo ſolo, ſicque certiſſimum Apoſtolos ſcripto,& non ſcripto doctrinam ſuam diſſeminaſſe, quæ ſubinde per manus tradita propagata, & cuſtodita fidelium animis, & cordibus viguerit. Hæc tutiſſima Eccleſiaſticarum traditionum origo, quarum veritatem fas ſit aliunde breuiter adſtruere.

*Annal. tom. 1. An. 41*

*1. c. 2.*

*1. Cep. 11*

*Epiſt. 2.*

3 Eccleſia longè antiquior eſt ſcriptura, ac proinde fides, & religio etiam ſine ſcriptura conſtat; ſemper fuit Eccleſia, eamque ſemper eſt comitata religio, & tamen in lege naturæ, ante Moyſem Patres illi ſine vlla ſcriptura cultum Dei exercuerunt ac ad poſteros tranſmiſerunt; circumciſionem à Deo imperatam Abrahã familiæ tradidit, eaque ſine vllo ſcripto in prolem, & liberos ſucceſſiuè migrauit, Chriſtus Dominus totum genus humanum inſtructurus nullum conſcripſit librum, ſed nec præcepit quidem, vt ſcriberetur, dimittens Apoſtolos ſuos ad eximium conuerſionis opus inquit; *Euntes baptizate, & docete*, at neutiquam dixit, *ſcribite*; vnde Chriſtiana fides, & doctrina non libris primùm, ſed traditione conſtitit, adeòque non traditio à ſcriptura, ſed ſcriptura potiùs à traditione auctoritatem, & fundamentum habuit; Et licet poſteà ſuperuenerit ſcriptura, non tamen omnia ſunt ſcripta, ſed plura adhuc extra ſcripturam relicta, quæ nihilominus integra fide ſunt credenda, vt perpetua intemeratæ Beatiſſimæ Mariæ,& Matris Virginitas, Baptiſmus paruulorum, ſuffragia pro defunctis, & plura alia apud *Bellarmin. & Baron.* Immò multa pertinent ad Chriſtianorum doctrinam, quæ nec apertè, nec obſcurè in ſacris literis continentur, & conſequenter ſola traditione nituntur, teſtatur Innocent. III. Summ. Pontifex *in cap. cum Martha.de celebrat. Miſſ.* verba enim, quibus vtitur

*Matth. cap. vlt.*

*Controu. tom. 1. lib. 4. cap. 4. de verbo Dei non ſcrip. 1. 1. Annal. an. 34 & 53.*

tur Eccleſia in Calicis conſecratione non omnia leguntur apud Euangeliſtas, vt *Myſterium fidei*, *& æterni Teſtamenti*, & tamen ea à Chriſto Domino *præcepta* agnoſcit, ac profitetur. Demùm quatuor ipſa Euangelia, Petri, & Pauli epiſtolas, totamque ſacram Scripturam ſiue veteris, ſiue noui teſtamenti firmiſſimè tenemus nulla innixi ſcripturæ auctoritate, at ſola traditione. Inde igitur iuſta traditionum neceſſitas, & earundem germana auctoritas; cum enim in Chriſtum, & Apoſtolos reſoluantur, quæ fides ex hoc principio debetur ijs, quæ habemus ſcripta, eadem & ijs debetur, quę ſunt tradita, tanquam ab eodem auctore, & eodem principio. *Chryſoſtomus* traditionum maieſtatem ſuſpiciens; *Hinc patet* (ait) *quod non omnia per epiſtolam tradiderint, ſed multa etiam ſine literis; eadem verò fide digna ſunt, tam illa, quàm iſta; itaque traditionem quoque Eccleſiæ fide dignā putamus. Traditio eſt; nihil quæras amplius.* Satis hæc ex *Chryſoſtomo*, cui vnanimes conſonant, & reliqui omninò Patres Eccleſiæ, quos longa ſerie congeſſit *Bellarmin.* Sit quidem tanta traditionum auctoritas; at inde facilis nimis videtur aperiri aditus ad errores in Eccleſiam inuehendos; traditionum enim nomine obtrudi poſſunt, pleraque ſuſpecta, & fortè, falſa, cum infidelis, incerta, & mutabilis ſit huiuſmodi per manus doctrinæ traditio, nec ipſi fidere tutò poſſumus, fallaciſſima ſiquidem ſunt, quæ de aure in aurem migrant, & alterationi ſemper obnoxia. Rectè quidem; ſed non temerè, cuique doctrinæ ſub traditionis obtentu credit Eccleſia; regulas enim ſuas ſtatuère Patres, ad quas tanquam ad lydium lapidem, traditionum fidem fas ſit tutò experiri.

*2. Ad Teſſalonic. cap. 2. homil. 4.*

*Tom. 1. controu. lib. 4. cap. 7.*

4 Prima fuit Auguſtini, eaque ipſi frequens, *quod vniuerſa tenet Eccleſia, nec Concilijs inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſimè creditur.* Obuia, atque parata eſt ratio, quę enim in Eccleſia ſemper obtinuit conſuetudo, nec à Pontificibus apparet profecta, aut Conciliorum Epiſcopalium auctoritate inducta, & tamen vetuſta adeò eſt, vt eius origo ad Apoſtolos demùm referatur, meritò Apoſtolica traditio cenſenda eſt, cum in ſcriptis Eccleſiaſticis Monumentis nullum eius legatur veſtigium. Hac regula facile, ac tutum eſt dicere Minores ordines ab Apoſtolica traditione eſſe, ieiunium Quadrageſimæ, & alia plura, quæ fidem reſpiciant; ante Pontifices enim, qui à pleriſque aſſeruntur minorum ordinum auctores, ſiue inſtitutores, vt Damaſum, aut Symmacum, longè vetuſtiores Patres in Eccleſiæ primordijs eorum meminere, vt *Ignatius*, *Clemens*, *Anacletus*, tanquam rei in Eccleſia iam antea receptæ, & obſeruatæ; vnde fit, vt quò ad eorum originem, ad Apoſtolos demùm ſit deueniendum, idemque cenſendum de ieiunio, & alijs huiuſmodi.

*Lib. 4. Cont. Donat. c. 24.*

*Ep. 8. Ad Antioch. Epiſt. Ad Vniuerſ. in Decretis.*

Secunda regula, eaq; primæ valde affinis. Si quod fidei Dogma Patres Eccleſiæ ſemper tenuerunt ei oppoſitum tanquam hæreticum deteſtantes, & damnantes, cum tamen in ſacrarum litterarum monumentis non legatur id ipſum, hoc idem habendum eſt Apoſtolica traditio; huiuſmodi eſt perpetua Dei Matris Virginitas, Euangeliorum numerus, & ſi quæ alia conſimilia, de quibus nunquam dubitarunt Patres, & oppoſitum ſemper tanquam hæreticum damnarunt.

Tertia

Terria regula. Si quid eſt in Eccleſia fidelium vniuerſali conſenſu approbatum, quod tamen ab humana poteſtate non potuit induci, aut oriri, hoc vtique Apoſtolica traditio cenſebitur. Vt vota diſſoluere, iuramenta remittere, non erat humanæ poteſtatis, cum vota implere, iuſiurandum ſeruare iure naturæ teneamur, quæ autem naturæ iure ſunt debita humanæ auctoritatis non eſt condonare, aut remittere, proceſſiſſe ergo debuit aliunde tanta auctoritas, quam à puris hominibus, ideòque meritò Apoſtolis tribuenda eſt; ſic etiam, quod diſſoluatur matrimonium ratum per ingreſſum in Religionem, ſiue in Monaſterium à traditione eſt, & ab Apoſtolorum doctrina, neque enim credibile eſt, Eccleſiam Dei generaliter ſibi arrogaſſe in ijs, quæ ad ius naturę ſpectant, niſi in eo, quod quaſi profectum à Chriſti, & Apoſtolorum inſtructione accepiſſet, qui haſce obſeruationes tanquam ad Eccleſiæ regimen neceſſarias tradidere.

Quarta demùm ſuauior, & notior cæteris, vbi Eccleſiaſtici viri aliquod dogma, aut aliquam conſuetudinem vno ore profitentur ſe ab Apoſtolis recepiſſe, hoc etiam traditum ab Apoſtolis credendum eſt; cuiuſmodi eſt imaginum cultus, & conſeruatio in Eccleſia, aliaue plura, quæ ſingula non ſunt nobis enumeranda; hæc ſi attentè ſpectentur, & ad eorum amuſſim traditiones examinentur falſas, aut ſuppoſititias nemo audebit, aut poterit obtrudere; & ſi quæ obtrudantur, facilè dignoſcere ab eo examine quiſque poterit.

5 Pro varia autem traditionum origine variæ etiam aſſignantur earumdem ſpecies. Aliæ ſiquidem ſunt Diuinæ, ſiue Dominicæ, aliæ Apoſtolicæ, aliæ Eccleſiaſticæ. Diuinæ, ſiue Dominicæ traditiones dicuntur, quæ ab ipſo Chriſti ore Eccleſiam ſuam in Apoſtolis erudientis ( vt loquitur Sanctus *Leo Magnus* ) proceſſere, quæ tamen nuſquam reperiuntur ſcriptæ in Euangelicis, & Apoſtolicis libris; huiuſmodi ſunt, quæ materiam, & formam Sacramentorum reſpiciunt; de quibus pauca in Diuinis libris habemus, & tamen extra omne dubium eſt, eſſentiam Sacramentorum, quæ ex materia, & forma conſtat non potuiſſe inſtitui niſi à Chriſto, quem appellat *Sanctus Ambroſius Auctorem Sacramentorum* & ideò Apoſtolus Paulus auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum tractans Chriſto tribuit eius inſtitutionem, quam cum inter diſcipulos faceret, licèt fateatur ſe non eſſe intuitum, accepiſſe tamen ſe profitetur per reuelationem, ac ſubinde tradidiſſe verbo; ſic enim expreſsè; *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis*. Inſtitutionem ipſam ibi diligenter, non tamen per partes deſcribit, ſicut de ſacrificij ritu nil ſubdit, aut de materia Calicis, quandoquidem hæc omnia, cum præſens eos inſtrueret, tradidiſſet. Sanè Chriſtus Calicem in Cœna offerens aquam vino miſcuit, idque faciens faciendum & Apoſtolis iniunxit, qui acceptum morem ſucceſſiuè alijs tradiderunt, indeque propagatus, & in tota conſeruatus Eccleſia, vt teſtantur *D. Cyprian. & D. Chryſoſtom.* qui perenni hac Eccleſiæ obſeruatione aliter ſentientes reuincunt, & præcipuè *Chryſoſtom.* illos, qui ſola aqua in ſacro Myſterio vti audebant, impia hæreſi, de quibus, & *Can.* 32. *Concil. Conſtantinop. in trullo*. Vbi notauit, & *Theodor. Balſam.* Eodem

*Serm. 3. de ieiun. 10. Mis. in pr.*

*Lib. 4. de Sacram. cap. 4.*

*1. Ad Corinth. cap. 11.*

*Lib. 2. Epiſt. 3. ad Cecilian. Homil. 83. in Matth.*

dem modo, & Chriſmatis, ſiue Confirmationis Sacramentum ſuis Apoſtolis tradidiſſe Chriſtum Dominum dicendum eſt, idque ab eodem inſtitutum *S. Dionyſ. Areopagita Deificum Vnguentum* appellauit, ac proinde Diuinam, ac Dominicam traditionem in ipſo agnoſcimus, à quo vtroque exemplo ad conſimilia inferre non erit difficile.

*De Eccl. Hierarc. cap. 2.*

Apoſtolicæ traditiones illæ dicuntur, quæ ab Apoſtolis inſtitutæ ſunt, non tamen ſine Diuini afflatus concurſu, ſed quæ in Apoſtolicis libris regeſtæ non leguntur; cuiuſmodi eſt quadrageſimale ieiunium, quod in Apoſtolicam auctoritatem reſoluit *S. Leo Magnus*; dies enim quadrageſimales extollens ait; *in quibus meritò à Sanctis Apoſtolis per doctrinam Spiritus Sancti maiora ſunt ordinata ieiunia*. Ab eodem fonte profecta colit & quatuor temporalia ieiunia dum inquit; *cum omne tempus ſit congruum, hoc tamen habemus aptiſſimum, quod Apoſtolicis, & legalibus inſtitutis videmus electum*, & de ieiunio Pentecoſtes prædicaturus ſic exorditur. *Dubitandum non eſt (Dilectiſſimi) omnem obſeruantiam Chriſtianam eruditionis eſſe Diuinæ, & quidquid ab Eccleſia in conſuetudinem eſt deuotionis receptum de traditione Apoſtolica, & de Sancti Spiritus prodire doctrina*. Sic, & ſecundò, ſuffragia defunctorum in Sacramento altaris Apoſtolicæ traditioni tribuuntur à *D. Io. Chryſoſtomo*, qui de his loquens. *Non temerè* (inquit) *ab Apoſtolis hæc ſancita fuerunt, vt in tremendis myſterijs defunctorum agatur commemoratio*. Tertiò aquam benedictam Apoſtolis adſcribit *Sanctus Clemens Romanus*, eiuſque vſum inter Apoſtolicas traditiones recenſens *S. Baſilius* plures alias conſimiles traditiones enumerans totus in ijs confirmandis. Nobis vnam, & alteram exempli loco tradidiſſe ſatis.

*Serm. 9. de Quadrag. in princ.*

*Serm. 8. de ieiun. 8. Menſ. in fin.*

*Serm. 2. in princ.*

*Homil. 69. ad Popul. litt. G.*

*Lib. 8. Conſtit. cap. 35.*

*Lib. De Spirit. S. cap. 27.*

Traditiones Eccleſiaſticæ propriè dici ſolent conſuetudines quædam antiquæ à Prælatis, aut alijs hominibus ſanctis, vel à populis in quibuſdam locis inuectæ, quæ tacito fidelium conſenſu vim legis obtinuerunt; huiuſmodi eſt Teleſphori inſtitutio, vt in die Chriſti Natali tres liturgiæ, ſeu Miſſæ celebrentur; S. Syluestri, vt in vertice ſacro Chriſmate Sacerdotes liniantur. A Sanctis Viris, vt Rogationum ſolemnitas, per tres dies ante Aſcenſionem S. Mammerto Viennenſi Archiepiſcopo tribuitur. *de Conſec. diſt. 3. C. Rogationes*. Commemoratio omnium fidelium defunctorum poſt diem Omnium Sanctorum ſolemnem S. Odiloni Cluniacenſi Abati. A populari more manantis traditionis inſigne illud eſt exemplum, quod exhibet *D. Hieronymus* ſcribens; *Per totas Orientis Eccleſias quando legendum eſt Euangelium accenduntur luminaria iam Sole rutilante, non vtique ad fugandas tenebras, ſed ad ſignum lætitiæ demoſtrandum*; quem morem traditum, & Occidentalis Eccleſia excepit, vt indicat peruetuſtus *Ordo Romanus*; exhibens enim Diaconum procedentem ad legendum Euangelium, ait, *& ante ſe habentes* (ſubdiaconi ſcilicet regionarij) *duos Acholitos portantes duo ceroſtrata*, & inferius iterum; ab hiſce traditionibus facile eſt inferre ad alias perennes Eccleſiæ obſeruationes, quæ meritò traditionum nomine, & virtute donantur, cum ſcripti iuris nullum habeant fundamentum, quarum auctoritatem egregiè confirmat Patrum Eccleſiæ anti-

*Contra Vigilant.*

*Sub titul. de Offic. Miſſæ.*

antiquiſſimus *Tertullianus*, qui fusè rem hanc eandem diſſerit; at potioribus eius verbis contenti erimus; *& quamdiù per hanc lineam ſerram reciprocabimus habentes obſeruationem inueteratam, quæ præueniendo ſtatum fecit? hanc ſi nulla ſcriptura determinauit, certè conſuetudo corroborauit, quæ ſine dubio de traditione manauit; quomodo enim vſurpari quid poteſt, ſi traditum prius non eſt? etiam in traditionis obtentu exigenda eſt* (inquis) *auctoritas ſcripta. Ergò quæramus, an & traditio non ſcripta non debeat recipi? Planè negabimus recipiendam; ſi nulla exempla præiudicent aliarum obſeruationum, quas ſine vllius ſcripturæ inſtrumento ſolius traditionis titulo exinde conſuetudinis patrocinio vindicamus &c.* Ingreditur ſubinde *Tertullian.* enumerare ritus, & obſeruationes varias, quas eius æui cuſtodiebat Eccleſia ſine vlla ſcriptura, quaſque in traditionum confirmationem eruditè illuſtrat ibidem *Pamelius*, & nouiſſimè *P. Dyoniſ. Patauius de Eccleſ. hierarch. C. 1.* Nobis hæc ſatis ad aliam traditionum diuiſionem properantibus.

*De Corona cap. 2 & 3.*

6 A materia hæc diuiſio deſumitur; traditionum ſiquidem aliæ circa ea verſantur, quæ ſunt fidei, alię circa ea, quæ morum; fidei, vt quod Dei Mater fuerit ſemper Virgo, perennis fuit aſſertio in Eccleſia per manus tradita non ſcripta; quod quatuor ſunt Euangelia; morum, quales illæ, quas, vtpote vetuſtiſſimas, recenſet *Tertullianus* circa varios Eccleſiæ ritus verſantes, & de quibus Sanct. etiam *Magnus Baſilius*.

*Vbi ſup.*

*De lib. Spirit. S. cap. 27.*

7 Diuidentur traditiones iterum ſumpta differentia à tempore, & loco, à tempore, vt aliæ ſint perpetuæ, alię temporales; perpetuæ, quæ ita ſunt inductæ, vt ſemper veniant ſeruandę, cuiuſmodi multæ in exemplis iam ſupra allatis ex omni genere, tam Diuinarum, quàm Apoſtolicarum; & Eccleſiaſticarum. Temporales, quæ obſeruationem ſuam ad certi temporis limites definitam habent, quales legales nonnullæ, quæ cuſtodiendæ fuerunt vſque ad exactam Euangelij promulgationem, vt feliciùs, & faciliùs Eccleſia ex Iudæis, & Gentilibus coaleſceret; Ea fuit obſeruatio illa in Concilio Apoſtolorum Hieroſolymis habito, vt fideles à ſuffocato, & ſanguine abſtinerent; quæ demùm in deſuetudinem abijt, & iam abierat *D. Auguſtini* æuo.

*Act. cap. 15.*

*Lib. 32. contra Fauſtum cap. 3.*

8 A loco, vt aliæ ſint vniuerſales, aliæ particulares; vniuerſales traditiones ſunt, quæ toti Chriſtiano Orbi ſeruandæ iniunguntur, quales Paſchatis, Pentecoſtes, & aliorum huiuſmodi inſignium feſtorũ cultus, quæ feſta non ſcripta, ſed tradita teſtatur *D. Auguſtin.* vt Euchariſtiæ Sacramentum à ieiunis ſumatur; vt fidelium defunctorum fiat commemoratio ad Altare, cuius vtriuſque traditionis meminit idem *D. Auguſtin.* particulares verò traditiones, quas haud impropriè dixeris etiam locales, ſunt quæ non vbique obſeruantur, at in aliqua Eccleſia, & loco particulari; exemplum erit in ieiunio Sabbati; quod non vbique in omnibus Eccleſijs ſeruabatur, quod cum ſcrupulum inijceret in animum S. Monicæ Matris S. Auguſtini, ipſe filius hac de re S. Ambroſium conſuluit, qui reſpondit *Quando hic ſum, non ieiuno Sabbato; quando Romæ ſum, ieiuno Sabbato, & ad quamcumque Eccleſiam veneritis eum morem ſeruate, ſi pati ſcandalum non vultis*,

*Epiſt. 118. ad Ianuar. cap. 1*

*Epiſt. ſeq. 119*

*Epiſt. 86. ad Caſulan. in fine.*

*vultis, aut facere &c.* In Eccleſia Mediolanenſi pòſt baptiſmum lotio pedum cum ingenti Myſterij exiſtimatione peragebatur, vt idem *Diuus Ambroſius* teſtatur. *Non ignoramus, quod Eccleſia Romana hanc conſuetudinem non habeat, cuius typum in omnibus ſequimur, & formam; hanc autem conſuetudinem non habet, vt pedes lauet; vide tamen, ne propter multitudinem declinarit.* Tanquam quid Sacramentale Mediolanenſis Eccleſia hunc ritum exercebat, & tamen eum non improbat *D. Ambroſ.* Conſuetudo fecerat licitum. Zelantes noſtri æui conſuetudinem inductiuam peccati dixiſſent, & S. Ambroſium repræhendiſſent tanquam Eccleſiæ Romanæ deſertorem, ac rubricarum Ritualis Romani tranſgreſſorem, & tamen Ambroſius eſt; & hunc ritum in ſua Mediolanenſi Eccleſia coluit; pax, eharitas, & concordia in Eccleſijs fouenda eſt, & ſui cuique mores probandi, non minori ergò dignæ cultu particulares traditiones, quàm vniuerſales, quibus addere licet aliam traditionum diuiſionem.

Lib. 3. de Sacram. cap. 1.

9 Vt ſcilicet aliæ ſint neceſſariæ, & aliæ liberæ; neceſſarię, quæ dantur in vim præcepti; liberæ, quæ in modum conſilij, neque exemplis eſt immorandum. De traditionibus hæc ſatis, quas non immeritò amplexata eſt ſemper, fouit, ac fouet Eccleſia tanquam fidele depoſitum; ſic enim & eas appellat *D. Paulus*, nec ſemel; at ex oppoſito deteſtantur, & abominantur hæretici, tanquam eas, quæ ipſorum deliria in pluribus conuincunt; ſolo iure ſcripto terminari debere controuerſias profitentur, nec fidendum traditionibus ipſis, quas vtcumque aſſeramus Diuinas, probare tamen non poſſumus; nam quid dixerit Chriſtus, quæ Apoſtoli ſint locuti, ij tantùm ſcire poſſunt, qui interfuerunt, & audierunt poſt ſexdecim ſæcula, quis ex ijs reliquus? vnde fluxo nimis, & labili fundamento niterentur res fidei, ſi ſolo auditu fundarentur, qui pro hominum mutatione mutabilis, facile etiam ab hominum memoria, quidquid ei innititur, poteſt excidere, & ideò cuncta, quæ ſunt neceſſariò credenda, exarata ſunt in ſacris literis, quæ extra eos non item; credere enim non tenemur omnia, quæ nos docuerint Sacerdotes, ſed quæ docuerint ſecundùm legem, non extra legem, aut præter legem, aliàs enim commentitijs nouitatibus patens nimis via aperiatur. Vnde *Hieronym. ſine auctoritate ſcripturarum garrulitas non habet fidem.* Hucque aduocant auctoritates, vt probent, explicationes omnes ex dictatis à Diuino Spiritu eſſe ſumendas, quas tum ex ipſa ſcriptura, tum ex Patrum ſententijs reijcit, ac ſoluit *Bellarmin.* rationes etiam adijciens, quæ traditiones ipſas impugnant, ſed quæ non aliæ, quàm ſupra mox iam tactæ, & quæ facilè refelluntur.

1. Ad Timoth c. 5. 2. ad Timoth. cap. 1.

In Epiſt. ad tit. c. 3.

Tom. 1. controuer. lib. 4. c. 10. & 11. de verb. Dei non ſcript. c. 12.

10 Primò enim, quis credat Apoſtolicas traditiones eadem fide, ac diligentia non poſſe conſeruari in fidelium cordibus, ac in membranis, ſiue in papyro, ſi in eo ſcriberentur; Dei digito in cordibus ſcriptæ non faciliùs delentur, quàm atramento exaratæ expunguntur; Da (id, quod veriſſimum, & certiſſimum) Eccleſiam Dei prouidentia Regi, nec videbitur difficile traditiones perennes ſeruari magis, quàm ſcripturæ auctoritatem; illam tolle, nec magis ſubſiſtet ſcriptura, quàm traditiones.

Diuinę

Diuinæ prouidentiæ attentè cooperata ſemper eſt Apoſtolorum diligentia, & maiorum, & quod Apoſtolus Paulus ſæpius commendauit Timotheo, vt depoſitum ſeruaret, id ipſum, & cæteris iniunxit, ipſique accuratè cuſtodierunt nouitate qualibet exploſa tanquam ſuſpecta, venerabilem vetuſtatem legitimam colentes, & vtcumque ſcripta aliqua interierint, non ſcripta adhuc plura extant, & vigent; ideò non eſt ambigendum, quin Apoſtolica Inſtituta, quæ Dei digito non tabulis, ſed Eccleſiæ viſceribus ſunt impreſſa facilè poſſint immutabilia conſeruari; audierint primi fideles Apoſtolos, non tamen per hoc neceſſe,vt ijdem adeſſe debeant, poſt tot ſæcula, ſed cuſtodita eorum doctrina potuit ſucceſſiuè per manus tradi, & per tot ſæcula ſucceſſiuè tranſmitti; neque quidquid Apoſtolorum nomine fuerit venditatum, ſtatim tanquam traditio Apoſtolica eſt recipiendum; iam traditæ ſunt regulæ, ad quarum amuſſim traditionum veritatem liceat facilè experiri; haſce nouitates extra ſacram ſcripturam damnauit *Hieronym.* & cum eo Patres alij, qui nihilominùs veras, & probatas traditiones ſanctè admiſerunt; agnoſcentes, non omnia fuiſſe ſcripta, quæ ſint credenda; ſed aliqua etiam extra ſcripturam relicta; nouitates à vera fide diſcordes ſemper abhorruere; at traditiones præſertim Apoſtolicæ nulla poſſunt nouitate notari; cum immò vetuſtate maximè venerabiles exiſtant; has igitur, & alias quaſcumque legitimas ſuſpexit ſemper, & ſuſpicit Eccleſia, & de his hactenus egiſſe contenti, cum ijs totam ſcripti, & non ſcripti iuris tractationem claudimus.

## FINIS LIBRI QVARTI.



Digitized by Google

# IVRISPRVDENTIA SACRA

## LIBER QVINTVS
## DE HIERARCHIA, ET DIGNITATIBVS ECCLESIASTICIS.

# TRACTATVS V.

### CAP. I.

### De Hierarchiæ Nomine Diuiſione, & fine.

1 *Nomen Hierarchiæ proponitur, defenditur, & declaratur.*

2 *Diuiditur Hierarchia, tanquam genus in ſpecies.*

HActenus Eccleſiæ politiam per partes ſingulas diſtributam, ſcripto, & non ſcripto iure inſtructam exhibuimus, & partes ipſas, per ſe quamlibet, conſiderauimus. Quia verò cuiuſlibet compoſiti partes per vnitatis conſonantiam ad perfectionem conſpirant, ideò progredientes Eccleſiaſticam eandem politiam ſublimi compræhenſam forma, recto ordine, & iuſta ſerie diuinitùs diſpoſitam expendendam aſſumimus tanquam dignitatum omnium Eccleſiaſticarum fontem, formam ipſam proprio diſignatam nomine, ſuis conſtantem partibus, congruis efficacem actionibus, & ingenitis proprietatibus, additiſque dotibus excultam, quantum pro viribus, & eius ſublimitate licebit, tractaturi.

1 Eccleſiæ regimen vnica compræhenſum forma, ac recta ſerie diſpoſitum proprio exprimitur, ac indigitatur nomine, & græcè dicitur Ἱεραρχία; Hierarchia ſcilicet, Sacer Principatus. Quem terminum, & quem titulum licèt repræhenderint aliqui, tanquam antiquæ Eccleſiæ ignotum, immò contrarium eius intentioni, quæ tota humilis eſt, inuentum ab auctore non omninò noto, ſed hyperbolico, & quem nemo veterum ſit in eadem voce imitatus; attamen eo vſus eſt omnium primus *S. Dionyſius Areopagita* magni nominis, & auctoritatis in Eccleſia Pater, ab Apoſtolo Paulo edoctus, cuius ſcripta, & præſertim hoc titulo *hierarchiæ* inſcripta Romani Pontificis Sanctiſſimi, & antiquiſſimi, &

ſacra

ſacræ Concilia approbarunt, vt notat Card. *Bellarmin.* & præcipuè *Sanct. Maximus Monachus* eius ſcholiaſtes commentarijs ſuis illuſtrauit. Sanctum Dionyſium ſecuti hanc eandem vocem probauere alij magni nominis in Eccleſia Patres, eaque ſunt vſi duobus ſæculis, & vltra ante Concilium Tridentinum *D. Thomas*, & *D. Bonauentura*, & demùm nouiſſimè ipſam confirmauit idem Concilium Tridentinum; Principatum enim eſſe in Eccleſia à ſæculari Principatu omninò diuerſum tanquam de fide credendum ſtatuit, neque pugnare rem ipſam, aut nomen cum Eccleſiaſtica, & Euangelica humilitate, vtcumque ipſius ſtudioſiſſimi, vnquam crediderunt ſanctiſſimi Eccleſiæ Patres *Cyrill. Auguſtinus*, *Gregorius*, *Hieronymus*, *Bernard.* intuiti Dauid ſcribentem, *Principes Iuda Duces eorum*; & non ſemel alibi Principatum Eccleſiæ commemorantem, ac Principes eius rectores, vnde cum re nomen amplexi, ijdem magiſtri etiam ad legitimum eius vſum poſteris extitere.

*De Scriptor. Eccleſ.*

*1. p. q. 108 art. 1. Apologia pauper. Decl. ter. Theol. & alibi. Seſſ. 23. de Sacr. ord. can. 6. Seſſ. 23. cap. 4.*

*Hom. 12. in Io. c. 64 Ep. 162. Lib. 4. ep. 32 ad Mauris. in Pſal. 67. Lib. 2. De conſid. in pr. Pſal. 67.*

2 Admiſſo igitur nomine, Hierarchiam diuidunt aliqui tanquam genus in ſpecies, in Diuinam, quam ex D. Dionyſio ſupercœleſtem appellant, Cœleſtem, & Eccleſiaſticam. Primam illam ſupercœleſtem in Sanctiſſima, & Indiuidua Trinitate aſſignant; ſed audacter nimis; reſpuunt illam Theologi auſpice *S. Thoma*, cuius verbis contenti ad alia, & quæ noſtra ſunt, properabimus; *Vnde manifeſtum eſt, eos errare, & contra intentionem Dionyſij, qui ponunt in Diuinis perſonis hierarchiam, quam vocant ſupercæleſtem; in Diuinis enim perſonis eſt ordo quidam naturæ, ſed non hierarchiæ; nam, vt Dionyſius dicit tertio capite cœleſtis hierarchiæ; ordo hierarchiæ eſt alios quidem purgari, illuminari, & perfici, alios autem purgare, illuminare, & perficere, quod abſit, vt in Diuinis perſonis ponamus*: hactenus *D. Thom.*

*Ludouic. Cellot. de Hierarc. lib. 1. c. 15*

*1. p. q. 108 art. 1. in corp.*

Iam igitur remanet ſola creata, eaque duplex, Cœleſtis ſcilicet, ſiue Angelica, & Eccleſiaſtica, de qua vtraque partitè agit *S. Dionyſius*, & nos Angelica, ſiue Cœleſti Theologis relicta, Eccleſiaſticam aſſumemus tractandam, per quam ad Eccleſiaſticas dignitates, & ſacram Eccleſiæ adminiſtrationem rectiſſimè promouebimur.

---

## CAP. II.

## De Eccleſiaſtica Hierarchia.

1 *Vox hierarchia dupliciter accipitur, latiùs, & ſtrictiùs; latior aſſignatur.*

2 *Hierarchia Eccleſiaſtica definitur, & definitio exponitur.*

3 *Ordo multipliciter ſumitur, & quomodo ad rem.*

4 *Hierarchia chariſmatum excluditur remiſſiuè.*

Principatum eſſe in Eccleſia, ipſumque à ſæculi Principatu diuerſum de fide eſt, quando poſt *S. Dionyſij Areopagitæ*, & innumera Sanctorum Patrum teſtimonia nouiſſimo ſub anathemate decreuit (vt ſupra tegimus) ſacrum Concilium Tridentinum; hierarchia nuncupatur; hæc autem vox ἀρχὴ

*Seſſ. 23. de Sacram. Ord. can. 6.*

duo ſignificat, principium, & principatum, indeque duplex in Eccleſia inducitur huius vocis *hierarchia* acceptio; latior vna, ſtrictior altera; latior aſſignari poteſt; *vt ſit collectio, ſiue comprahenſio ordinationis Diuinæ, & à Deo inſtitutæ omnium ſacrorum, ſiue ſint res ſacræ, vt ſacra ſcriptura, & Diuina Sacramenta, ſiue miniſtri ſacri, vt Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi, vocationis Diuinæ participes, cuius collectionis, ſiue compræhenſionis initium eſt Chriſtus Dominus, & eius vice hierarchia omnis; principalis eius finis, vt vnum cum eo, adeòque Dij efficiamur, ſine vllo tamen ad iuriſdictionem reſpectu.*

Deſcriptio potius hæc eſt, & ſatis diffuſa, cuius ſingulæ partes ex C. 3. *de cæleſt.* & C. 1. & 5. *de Eccleſ. hierarch.* deſumptæ ibidem apertiſſimè confirmantur; quod ſingulare in eadem eſt, hierarchiam ſic latè ſumptam ***nullum reſpectum inuoluere ad iuriſdictionem***; cum enim dicat ipſa ſolam rationem, collectionem, & compræhenſionem omnium ſacrorum, iam nulla habet opus iuriſdictione, quæ in ſubiectas perſonas veniat exercenda, idque notauit S. *Maximus* appoſitè, dum ait, *ἱεραρχία quidem ſit principium ipſius diſpoſitionis ſacrorum, & veluti cura ἱεράρχης, ſacrorum Princeps, curator, & prouiſor, nec tamen Sacerdotum, ſed is, qui ſacra, & ipſorum conſtitutionem, atque Eccleſiæ, & myſteriorum diſponit, non tamen Princeps Sacerdos*; cui (addimus nos) adnexa omninò deberet eſſe iuriſdictio. De hierarchia ſic latè ſumpta haud plura; ſed ad ſecundam, adeòq; noſtram acceptionem accedamus, quæ ordinationem quidem dicit, &

*In ſchol. ad S. Dionyſ. in explic. sic. m princip.*

collectionem omnium ſacrorum, at iuriſdictione addita, & hæc eſt Eccleſiaſtica hierarchia, de qua agere aggredimur.

2 Et vt à definitione ſtatim exordiamur, hierarchia Eccleſiaſtica *eſt hominum ſacrorum ordinata poteſtas debitum in ſubditos retinens principatum*. Huic definitioni inſiſtimus, in quam Theologi fermè omnes conſentiunt tanquam planè adæquatam, & quæ cuicumque Eccleſiaſticæ hierarchiæ aptiſſimè competat; nam pro lege triplici fuere, qui triplicem hierarchiam diſtinxerint, in lege ſcilicèt naturæ inſcripta, ſiue Moſaica, & Euangelica, quidquid ſit de hierarchia illa naturali, ſeù in lege naturæ, de qua *Cellotius* paucis, certum eſt, quod legalem ſub Moſaica lege, & noſtram Euangelicam complectitur; vna eſt enim Eccleſiaſtica hierarchia, quæ in ſtatu naturæ confuſior, & obſcurior, in ſtatu legis Moſaicæ apertior, & ordinatior, in ſtatu gratiæ, & Euangelij perfectior, fęcundior, locupletior; iam igitur partes definitionis percurramus. Dicitur primò, quod ſit *poteſtas*, ſine qua nullus Principatus, ſicut & ſine agendi auctoritate; Rectiſſimè dicitur *poteſtas*, quæ & de ordine ſacro intelligitur, qui poteſtas quædam eſt ad actiones ordinis; cuiuſmodi ſunt ſacrificium, Sacramentorũ celebratio, & alia miniſteria ſacra, & de iuriſdictione, quæ ex ſe dicit poteſtatem ad faciendos actus quoſdam legitimos, & ad agendum in ſubditos; ſubditur *ſacrorum hominum*; eorum ſcilicet, qui ſunt conſecrati ad hoc, vt actus hierarchicos in alios exerceant illuminandi, purgandi, & perficiendi; & ideò non dicitur ſimpliciter, & ſola *poteſtas*,

*De Hierarch. lib. 3. cap. 1.*

ſed

ſed adijcitur *ordinata*, & hic eſt cardo alter, iſque primus Eccleſiaſticæ hierarchiæ.

3 Vt autem hæc vox *ordo* multiplicem admittit acceptionem, ità ordinata poteſtas in hierarchia non vno modo debet intelligi; ordo ſiquidem aliquando pro ſtatu ſumitur, vt in *l. Diuus Marcus ff. de off. Præſid*; nonnunquam pro rectè diſpoſita ſerie ſuperiorum, & inferiorum, vt in *l. 4. ff. de Senator.* Sæpiùs demùm pro ſtatu, & conditione ſublimiori, & principali perſonæ, & pro gradu dignitatis, quo quis alios excellit, ac præeminet alijs, & ab hac acceptione proceſſit, vt Sacramentum illud, quod eſt vnum ex ſeptem Eccleſiæ, quo quis nouitate benedictionis *à communitate vulgi ſeparatur, & populi doctor, & rector conſecratur* (vt loquitur *S. Gregor. Niſſen.*) ſiue quo quis in Diuinorum Miniſtrorum ordinem adlegitur, ſeu (vt inquit *S. Gregor. Nazianz.*) *magnnm hunc gradum aſſequitur, atque in eorum, qui appropinquanti Deo appropinquant numerum adſcribitur, ac ſacri ſtatus, & honore ordinis afficitur*; Sacramentum nempe illud, Ordinis Sacramentum dicatur, quia qui eo inſignitur, ſtatu, ordine, gradu, honore ſublimior, atque ſuperior redditur. De Ordine igitur, & provt dicit ſuperiorum, & inferiorum ſeriem, & pròvt dicit magnum hoc Sacramentum intelligitur pars illa definitionis, qua dictum, quod hierarchia ſit *ordinata poteſtas*; Et hoc vtrumq; opportunè probabimus infrà. Clauditur tandem definitio per verba illa; *debitum in ſubditos retinens Principatum.* Quæ ſanè verba duo ſimul indicant, & confirmant; alterum; hierarchiam ſubditos habere, & ſupponere, in quos exerceatur poteſtas; alterum, debitum inter eos ordinem debere ſubſiſtere; hæc autem mutua agentium, atque patientium connexio, hæc exigentia, vt vnum perficiatur ab alio, & aliud vnum perficiat, hæc imperandi, & parendi neceſſitas, quam Principatus inuoluit, hæc ſunt, quæ pulchritudinem hierarchiæ, quæ vnitatem præcipuè mutuo nexu conciliant; appoſitè *Greg. VII.* Summus Pontifex ſcribens Epiſcopis Rothomagenſi, Turonenſi, & Senonenſi. *Ad hoc enim Diuinæ diſpenſationis prouiſio gradus, & diuerſos conſtituit ordines eſſe diſtinctos, vt dum reuerentiam minores potioribus exhiberent, & potiores minoribus dilectionem impenderent, vna concordia fieret, ex diuerſitate connexio, & rectè officiorum gigneretur adminiſtratio ſingulorum.*

*Orat. de baptiſm.*

*Lib. 6 Ep. 35 tom. III. epiſt. Decret. Sum. Pontific.*

Exacta igitur eſt definitio, quæ hierarchiam aſſignat, & exhibet, quæque ordinem continet, & conſecrationem eorum, quos ſui ambitu compræhendit, necnon iuriſdictionem, quam *poteſtas ordinata, & debitus in ſubditos principatus* connotant; nec excludit chariſmata, quę facultatem tribuunt ad operandos hierarchicos actus, non auctoritatem; adiuuant enim, & ornant iam auctoritatem habentem. Et adæquata adeò eſt definitio, vt per eam excludatur hierarchia cœleſtis, quæ non hominum eſt, ſed Angelorum; excluditur & temporalis principatus, ad quem non conſecratio, nec ordinatio requiritur; excluditur ordinatio dœmonum, quæ & inordinata eſt, quia à Deo non habet initium, nec ſacra eſt, nec ſacrorum, nec debitum exercent Principatum. Et ex definitione ipſa

ipſa deducimus vnicam eſſe Eccleſiaſticam hierarchiam conſtantem ex duabus partibus, ordine ſcilicet, & iuriſdictione, additis inſuper chariſmatibus, ſiue gratuitis donis, quorum eſt longè diuerſa virtus, quàm ſit poteſtas ordinis, & iuriſdictionis.

4 Vnde non carpimus, aut impugnamus (id enim ab alijs actum) illorum opinionem, qui triplicem hierarchiam Eccleſiaſticam fecere, chariſmatum ſcilicet, ſeu gratiarum gratuitarum, ordinis, & iuriſdictionis, haſque tres diſtinctas ſpecies ſtatuère. Abundet quiſque in ſuo ſenſu, nos rem noſtram agimus, & quod verius captui noſtro videtur, amplectimur. Vnam igitur agnoſcimus Eccleſiaſticam hierarchiam ex duabus coaleſcentem dotibus tanquam partibus, ordine ſcilicèt, & iuriſdictione, de qua vtraque partitè, & exactè diſſeremus, & primùm de Ordine.

*Cellot. de Eccleſ. hierarch lib. 3. cap. 16.*

---

## CAP. III.

### De Ordine altera Hierarchiæ parte, ſiue cardine.

1 *Declaratur quibus modis ſit ordinata poteſtas.*

2 *Rationes, propter quas ſacer ordo ad Eccleſiaſticam hierarchiam requiratur, eæque plures dantur.*

STAT iam ex definitione Eccleſiaſticæ hierarchiæ eſſe ipſam *ordinatam poteſtatem*; quam ſanè dotem ità interpretamur; primò, vt dicat poteſtatem recta ſerie diſpoſitam, *quæ enim à Deo ſunt*, *ordinata ſunt*, inquit Apoſtolus; vnde & *Sancto Dionyſio* hierarchia omnis *ἱερὰ τάξις* eſt, ſeu ſacer ordo, iſque conſiſtit primò in auctoritate ſuperiorum circa inferiores; *ordo hierarchiæ hoc poſtulat, vt alij purgentur, alij purgent, alij illuminentur alij illuminent, alij perficiantur, alij perficiant*. Latè proſequitur idipſum S. *Greg. Nazianzen.*

*Ad Rom. cap. 3.*

*Cæleſt. Hierarch. cap. 3.*

*Orat. 26.*

Ordinata & ſecundò, eſt hierarchia, quia tota virtus inferiorum hierarchiarum in ſuperiori continetur, & non è contra; ſic enim idem *S. Dionyſius* vnus in hac re Magiſter. *Aſſerimus igitur ſecundùm omnem ſacram diſpoſitionem, ſuperiores quoque ordines inferiorum quoque agminum illuminationibus, virtutibuſq; pollere, poſtremos verò non item ſuperiorum ſuorum conſortes eſſe*. Hucque reſpexit & *S. Ambroſ.* ſcribens; *nam in Epiſcopo omnes ordines ſunt, quia primus Sacerdos eſt.*

*Cæleſt. cap. 5.*

*In cap. 4. epiſt. ad Epheſ.*

Ordinata & tertiò, quia vnicuiq; ordini ſui ſunt aſſignati limites ità, vt ſupra ſuum ordinem tentare nemini liceat; ſic enim *S. Dionyſius*. *Neque enim fas eſt ſacris profeſſoribus, vel initiatis quidquam prorſus operari, quod ſacri ſui ordinis ſacroſanctis conſtitutionibus repugnet*.

*Cæleſt. cap. 3. & 5.*

Ordinata & quartò, eò, quod omnia membra conſentire inuicem debeant, nec vnum aliud contemnere, vt fusè docent SS. Patres, & præcipuè *S. Leo Magnus*. *Communionem* (inquit) *obtinet decoris connexio charitatis*.

*Serm. 10. de Quadrageſ.*

Ordinata & quintò, vt membrorum hierarchiæ impermiſta, & inconfuſa debeant eſſe offitia, nec vnum alterius opus inuadat. Symmetria corporis id exigit, ac neceſſarius operatio-

rationum concentus, qualem à membrorum mutua compage ad Eccleſiæ vnitatem, & harmoniam transfert *Ambroſius*.

*Lib.3. de off. cap.3.*

Ordinata demùm; quia Diuinæ gratiæ motiones, illuſtrationes, virtuſque omnis operandi Diuina à Deo ad ſupremum Hierarcham, & eo mediante ad ordines ſupremos, & ab his in alios ſucceſſiuè, & gradatim deſcendunt; *lex quidem hæc eſt* (inquit S. Dionyſ.) *ſacroſanctæ, ſummæque Deitatis, vt per prima, quę ſequuntur ad diuiniſſimam eius lucem adducantur*.

*Cap.9.10 13.Cœleſt c.5. §.4. in pr.*

Ordinem quidem hæc omnia indicant, ſecundùm quem, licèt adluſione diuerſa, hierarchia dicitur iuſtè *ordinata poteſtas*; at denominationem *ordinatæ* magis excelſam mutuatur à Sacramento ordinis, ſine quo nec hierarchiam dixeris perfectam, nec quempiam perfectè in ipſa agnoſcas; nec ſine re diximus *perfectè*, quia imperfectè eſſe quem in hierarchia ſine ordine nil prohibet, vt infra indicabimus opportuniùs. *Ordinata ergo poteſtas* eſt hierarchia, quia Sacramento ordinis inſignita ex communi Patrum ſententia, quam canone ſuo complexa eſt Tridentina Synodus ſic ſtatuens. *Si quis dixerit in Eccleſia Catholica non eſſe hierarchiam diuina ordinatione inſtitutam, quæ conſtat ex Epiſcopis, Presbyteris, & Miniſtris, anathema ſit*; Et ſalua fide poſthac ambigere nefas.

*Seſſ.13. Can.6. de Refor.*

2 Iam rationes reddamus potiores, propter quas neceſſarius hic Sacramenti ordinis concurſus ad hierarchiam. Primam dixerimus à priori; Dei ipſius voluntatem, & inſtitutionem; noluit enim aliter patere ad hierarchiam acceſſum, quam per Diuinam conſecrationem, quæ per ordinis Sacramentum confertur; ſic *Diuus Paulus*. *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron, ſic & Chriſtus non ſemetipſum clarificauit, vt Pontifex fieret, ſed qui locutus ad eum, filius meus es tu, ego hodie genui te*.

*Ep. ad Hebr. cap.5.*

Vrget hunc Apoſtoli locum *S. Clemens Roman. nam per Epiſcopi manum datur hæc dignitas; qui verò ad eam promotus non eſt, ſed eam ſibi vſurpat, Oziæ pœnam ſuſtinebit*. Siſtit credentis intellectum Diuinum hoc beneplacitum, nec vltra ſcrutari liceat. Coniectari tamen fas ſit; idq; congruum fini hierarchiæ detegemus; Dionyſius, & cum eo interpretes, ipſã græco nomine ξεεργικλω appellat, vtpote cuius munus ſit, ſibi ſubditos Deos facere, Diuinamque ſimilitudinem, pro modo ſuo ipſis communicare, vnde & aliàs cum *Ambroſio* Sacerdotale offitium Deificam profeſſionem diximus; nemo deificare alios ex munere valet, niſi primò deificetur ipſe, Diuinamque formam ipſe primus recipiat; quam ſubinde alijs tribuat, quamque Deificaturo ſacra ordinatio impertitur; ſine ea igitur hierarchiam Deificandi munus habere quiſpiam, nec exercere poteſt; ac proinde Eccleſiaſticæ hierarchiæ ſacra fuit adnectenda ordinatio.

*Conſtit. Apoſt. lib.3. cap.10.*

*lib. de Dignit Sacerd. c.3.*

Exemplar ad hoc ipſum præbuit legalis hierarchia, quæ in Moſaica lege ſacris præfuit; nemini enim niſi ordinato publica ſacrorum poteſtas tunc fuit credita; Eccleſiaſtica autem in illa legali præfigurata haud minùs ordinationem ſacram exigere debet; immò gentes ipſæ ſolo naturæ lumine ductæ ſemper ijs, quos ſacris præficiebant, conſecrationem aliquam adhibuere, qua ſanctiores,

& au-

& auguſtiores reddi credebant, & planè digni, qui inter Deum, & populum quaſi mediatores conſiſterent; *omnis namque Pontifex* (ſcripſit *Diuus Paul.*) *ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur in ijs, quę ſunt ad Deum, vt offerat dona, & ſacrificia pro peccatis*. Mirùm quantum decoris, & maieſtatis addat homini conſecratio; ſacra à ſacris tractari decet; debuit ergo, & qui Eccleſiaſticam hierarchiam perfectè eſſet ingreſſurus, reddi per conſecrationem auguſtior, inter Deum, & hominem conſtitui condignus mediator, & ad ſacra decentèr tractanda aptus, neque meliùs id fieri potuit, quàm diuino ſacræ ordinationis caractere ipſum ſignando; & in hunc ſenſum debuit eſſe hierarchia ordinata poteſtas, & conſtitui ſacer ordo alter; & primus ipſius cardo, ſine quo ad hoc intentum vix in Eccleſia quem eſſe enunciauit *S. Baſilius*, *qui ſe latronibus aduerſos obijciunt ſi ſint quidem extrà Eccleſiam à boni communione arcentur, ſi ſint autem Clerici à gradu deponuntur*. Mittimus rationes alias leuiores, propter quas ordo Eccleſiaſticæ hierarchiæ cardo ſtatuitur, & ad cardinem alterum, iuriſdictionem ſcilicet, tranſimus.

*Ep. ad Hebr. cap. 5.*

*Can. 55. ad Amphiloch.*

## CAP. IV.

### De Iuriſdictione altero Eccleſiaſticæ Hierarchiæ Cardine, ſiue parte.

1 *Proponitur ſubditorum neceſſitas à vera Principatus ratione.*

2 *Rationes ad idem confirmandum aptæ ſubduntur.*

CVM ordine par eſt in neceſſitate iuriſdictionis concurſus ad Eccleſiaſticam hierarchiam; & de hoc aliquantò exactior, & fuſior inſtituenda eſt nobis diſſertatio, non enim intuendum ſolummodò eſt, quatenus iuriſdictio requiratur, ſed quæ præſertim, & qualis, hæcque ampliorem aliquantò expoſcent indaginem. Fundabimus igitur primò hierarchiam omnem ſubditos ſupponere, & habere, totamque ſubinde iuriſdictionis molem conſequentèr, & aptè ſuperſtruemus.

1 Præcedat ad intentum inſignis D. Thomæ doctrina, eius, & non alijs reddenda verbis. *Dicendum, quod hierarchia eſt ſacer Principatus, vt dictum eſt; in nomine autem Principatus duo intelliguntur, ſcilicet ipſe Princeps, & multitudo ordinata ſub Principe*; verè; nam & Lipſius Principatum definiuit. *Vnius Imperium moribus, aut legibus delatum, ſuſceptum, geſtum-*

*1. p. q. 108 in corp.*

*Ciuil. Doctr. lib. 4. cap. 3.*

*ſtumque parentium bono*; quæ poſtrema verba finem veri Principatus innuunt.

Panegyr. ad Honor.

*Tu ciuem, patremque geras, tu conſule cunctis;*
*Non tibi, nec tua te moueant, ſed publica vota.*

Cecinit ad rem *Claudian.* Principatus, Imperium, nomina ſunt relatiua, & tota ad alterum; vnde *Seneca.* *Scias non Rempublicam tuam eſſe, ſed te Reipublicæ.* & *Tacit. Nam cunctas nationes, & vrbes populus, aut primores, aut ſinguli regunt.* Tolle ſubditos, & demptum intuebeꝛis Principatum, tanquam correlatiuum ad correlatiui interitum, ſubitq; ad rem pulchrè *Philonis Iudęi* conſideratio; Deum ſcilicet ſemper fuiſſe ante quamcumque creaturam; at poſt conditum orbem cœpiſſe eſſe formaliter correlatiuè, & dici Dominum; *Beneficæ enim potentiæ Deus nomen eſt, regiæ verò Dominus.*

De Clem.

lib. 3. annal.

Lib. de Somn.

2 Concipere igitur Principatum ſine ſubditis implicans eſt; hic mutuus Principatus, & ſubditorum reſpectus ſubditos etiam Eccleſiaſticæ hierarchiæ efficaciſſimè adſtruxit; Plaudunt & hierarchiæ ipſæ operationes, quas iam aſſignauimus, purgare, illuminare, & perficere; vix enim eas appræhendere, vel ſola mente poſſumus, quin ſimul purgabile aliquid, illuminabile, ac perfectibile concipiamus; quæ ſanè fuit ratio, propter quam hierarchiam in Diuinis admittere horrent Theologi, inter Diuinas enim perſonas imperantium, & obedientium non eſt aſſignabilis ſeries, nec ſunt, qui ſubditi dici valeant; *cum non ſit ordo principiandi*, inquit *Richard. de Media Villa*, ſed ſumma æqualitas, vt etiam ponderauit *D. Thom.* hierarchia ipſa cœleſtis, quæ eſt Eccleſiaſticæ exemplar, habet gradus prælationis, & ſubiectionis, totaque in reſpectu conſiſtit ſuperiorum, & inferiorum. *S. Dionyſius* aptiſſimè. *Etenim non ſolùm ſuperioribus, inferioribuſque mentibus, verùm etiam æqualibus, ſeù coordinatis, à ſuperſubſtantiali rerum omnium primordiali ordine lex iſta conſtituta eſt, vt per ſingulas hierarchias primi eſſent, ac medij, nouiſſimique ordines, ac virtutes, inferioribuſque diuiniores myſtæ eſſent, ac manuductores ad diuinum acceſſum, & illuſtrationem, atque communionem.* Hunc ipſum ſuperiorum, ac ſubditorum nexum agnouit & *S. Gregorius Magnus* non ſemel, at præſertim in moralibus; *in conſpectu Conditoris* (inquit) *Angelica miniſteria ordinata graduum poſitione diſtincta ſunt, vt eſſet pro communi fœlicitate beatitudinis opificem ſuum ſimul videntes gaudeant, & tamen pro diſpoſitione dignitatis alijs alij ſubminiſtrent*; & demùm *S. Bernardus* ad rem; *nec vilem putes formam hanc, quia in terra eſt, exemplar habet è cęlo*; & loquitur de ſubordinatione graduum in Eccleſia, ac paulò inferiùs. *Ego enim propter ſimilitudinem dictum reor, quod ſicut illic ſeraphim, & cherubim cæteri quique vſque ad Angelos, & Archangelos ordinantur ſub vno capite Deo; ita hic quoque ſub vno Summo Pontifice Primates, vel Patriarchæ.* Iam igitur ſi cœleſtis hierarchia ſubiectos ſupponit, & Eccleſiaſtica, quæ adinſtar eius eſt, ſubditos neceſſariò habebit.

De Caleſt. c. 4 §. 3. in fin.

Hom. 34. in Euang. Lib 28. cap. 2. in fine.

Lib. 3. de Conſid. c. 4. verſ. fin.

Neque obijcias, quod *Gerſon* in cœleſti hierarchia ita diſponat, vt primi hierarchizent, & non hierarchizentur, ſecundi hierarchizent, & hie-

De Eccleſ. poteſt. Conſid. 9. in fine.

hierarchizentur, tertij hierarchizentur, & non hierarchizent, quod nil aliud eſt, niſi poſtremam hierarchiam ſine ſubditis eſſe; quidquid ſenſerit *Gerſon*; aliud eſt conſiderare hierarchiam vltimam in ſe, vt actiuitate carentem, tunc enim impropriè hierarchia eſt; aliud pròvt ad homines refertur, & tunc nullus Angelus, nulluſue Angelicus ordo, cui, licèt infimo, ſacer Principatus, & hierarchia ſaltem in homines non competat, qui ſubditi vtique reſpectiue ſunt.

A cœleſti ad legalem, & Moſaicam hierarchiam ſi deſcendamus, & in ea Principatum ſuos habentem ſubditos ſpectabimus; qualem agnouit & S. *Dionyſius*; *Huius autem legalis hierarchiæ myſterium introductio quædam fuit ad cultum ſpiritualem; duces eius extiterunt ij, qui ſacri illius tabernaculi ritum a Moyſe primo legis Pontificum doctore, ac duce didicerant*; Si Sacerdotes, & Leuitæ legales ſubditos habuere, in quos agerent, & Eccleſiaſtica hierarchia ſuos habere debet ſubiectos, in quos ſacrum Principatum ſuum exerceat; Hoc iacto fundamento iam conſequentèr erumpit vltra ordinem ſacrum in Eccleſiaſtica hierarchia iuriſdictionis concurſus, atque neceſſitas; verùm antequam de ipſa quidquam ſtatuamus, de iuriſdictione ſeorſim agendum eſt; eaq; diſſertatio, & pro re præſenti, & pro aliàs dicendis apprimè inſeruiet.

*De Eccleſ. hierarch. cap. 5. §. 2.*

## De Iuriſdictione cùm in genere, tùm in ſpecie. Excurſus.

1 *Iuriſdictionis origo detegitur.*

2 *Datur iuriſdictio in genere, quæ varias ſpecies ſub ſe continet; eaque definitur, & definitio exponitur, & confirmatur.*

3 *Diuiditur iuriſdictio in ſimplicem, & quæ lege defertur; & vtraque aſſignatur.*

4 *Iterum diuiditur in voluntariam, & contentioſam, ſiue neceſſariam. Voluntaria declaratur, & eius occaſione de legis actionibus latè.*

5 *Demùm in ordinariam, & mandatam, ſeù delegatam:*

Qvamuis hæc de iuriſdictione diſſertatio iudicia maximè reſpiciat, quæ iudiciorum tractatio ad tertiam partem ſacræ Iuriſprudentiæ pertinet, & de iuriſdictione ſit etiam dictum, cum de Eccleſia tractauimus, hic tamen iuriſdictionem conſideramus tanquam propriam ſacri Principatus dotem, quæ iuncta ordini ſacro Principatum ipſum integrat, ac efficacia donat.

1 Homo ad ſocietatem, & communicationem natus inſtituta vita communi, ſtatim eo ſenſit ſibi opus, per quod communis vita regatur, & dirigatur; aliàs enim (vt conſiderat *D. Thom.* vel quicumque alius ſit auctor) conuenientibus hominibus multis ad mutuum conuictum, & vnaquaque natione, quod ſuum eſt procurante, multitudo in diuerſa ſcindetur, niſi ſit, qui peculiari ſtudio commune bonum procuret; edocente

*Opuſc. de reg. Princip. c. 1.*

cente natura, quæ in vnoquoque animalium vim regitiuam inſeruit, quæ ad membrorum commune bonum intenderet; vnde & ſapientiſſimè ſapiens; *vbi non eſt gubernator populus corruet*. Hinc rector in quolibet hominum conuictu neceſſarius; hinc æquè neceſſaria poteſtas, qua cętus in communi viuens regatur, quæ ſanè ad magiſtratum relata, magiſtratuique affixa, non alia, quàm iuriſdictio; eſt enim poteſtas illa, qua qui præeſt, dirigit, imperat, coercet, cogit in commune bonum, & de hac nobis ſermo, ſubinde rei noſtræ opportunè applicaturis.

*Prouerb. c. 11. n. 14*

2 Supponemus igitur dari iuriſdictionem in genere, quæ ſpecies plures, ac varias ſub ſe contineat, quod placuit melioris notæ auctoribus *Duareno*, *Coraſio*, *Ant. Fabro*, *Muſcorno*, & alijs; vt iuriſdictionem ſimplicem, quæ ſcilicet competit iure magiſtratus, iuriſdictionem legalem, vel, vt eam vocat *Goueanus*, aduentitiam, quæ lege, vel ſpeciali aliqua conſtitutione defertur ſpecialiter; vt indicat eleganter *Papin. in l. 1. ff. de off. eius, cui mand. eſt iuriſd.* Imperium merum, imperium mixtum, publici iudicij exercitationem, quæ innuit idem *Papinian.* & quæ ſub iuriſdictione in genere continentur, quæ tanquam à ſpeciebus diſtincta, ac diuerſa, per ſe etiam poteſt definiri; non proferemus varias auctorum definitiones, vt *Cuiacij*, *Goueani*, *Belloni*, & aliorum, at eam proponemus, quam accepimus à Præceptore optimè merito, ſummi nominis, immortaliſque famæ I. C. qui Patauinæ Accademiæ decus, ac ſplendor fulgebit in æuum cum ea, Alexandro ſcilicet Synclitico Cyprio nobili, cuius anima in benedictione ſit. Sic ergo iuriſdictionem in genere definiebat; *quod ſit facultas iuris ſtatuendi publicè data, vel delata*. *Facultas. ex l. nulli C. de ſent. & interlocut. omn. Iud. ex l. 3. C. de ſent. ex peric. vel breuic. recit. iuris ſtatuendi*; quo verbo duplex forma, ſiue modus explicandæ iuriſdictionis comprænhenditur, per edictum, alter, alter verò per decretum, ſtatuendi namque verbum vtrique modo eſt commune; qui enim edicit ſtatuit *l. fin. C. de ſent. ex peric. recit. l. cum Clericis §. ſtatuimus, C. de Epiſcop. & Cleric.* & qui decernit ſtatuit; *l. 3. C. de iuriſd. l. 4. §. ſiquis ff. de re iud. Rub. & tot. tit. quod quiſque iur. in alium ſtat. Publicè data, vel delata*, quæ verba indicant iuriſdictionem omnem à populo venire ſtando in Romani iuris principijs, vt fusè probat *tex. in l. 2. ff. de orig. iur.* vel hodie à legis regiæ poteſtate. *l. 1. ff. de conſtitut. Princip.* vel à Principe ipſo *l. 1. ff. ad l. iul. de ambitu*. facit *l. ſacrilegijs. C. de Diu. reſcrip. l. 1. §. initio ff. de off. Præf. Vrbi*. Loquimur de iuriſdictione in genere, & in abſtracto, nec ad Eccleſiaſticam adhuc deſcendimus, quamuis, quod diximus iuriſdictionem hodie à Principe venire, & Eccleſiaſticæ aptiſſimè poſſit accommodari; ſed de hac præcisè non eſt modò nobis ſermo; indeque emicat ratio ptopter quam priuati iuriſdictionem dare non poſſunt. *l. 3. C. de iuriſd.* quamuis poſſint illam prorogare, ſi ſe alienæ iuriſdictioni ſubijciant. *l. eſt receptum. l. ſi conueuerint ff. de iuriſd. omn. Iud.* iuriſdictio igitur omnis aut lege, aut ſenatuſconſulto, aut conſtitutione datur, vel defertur *l. 2. §. exactis, & paſſim ff. de orig. iuris. l. 1. ff. de off. eius*; nec excludit hæc definitio man-

*In comm. ad tit. de iuriſd. & & lib. 1. diſp. anniu. c. 53. Ad Rub. de off. eius. n. 1. In rational. ad l. 8. ff. de off. Proconſ. de iuriſd. n. 12.*

mandatam iuriſdictionem, quandoquidem eſt ipſa eadem, quæ ordinarij. *l. et ſi Prætor. ff. de off. eius.*

3 Definitioni ſuccedit diuiſio, & diuiditur iuriſdictio in ſimplicem, & illam, quæ lege ſpecialiter defertur; quale erat olim imperium merum. Simplicem iuriſdictionem dicimus, *poteſtatem iuris ſtatuendi proprio iure competentem*, quæ ſanè poſtrema verba continent tàm iuriſdictionem ordinariam, quàm extraordinariam, tàm voluntariam, quàm contentioſam, tàm quæ in edicendo, quàm quæ in decernendo conſiſtit. *proprio iure competens*, hoc eſt illa ipſa lege, qua magiſtratus conſtitutus eſt, & quæ ipſi iuriſdictionem dedit, vt in *l. 1. ff. de off. eius*; ad differentiam iuriſdictionis aduentitiæ, ſeu non propriæ magiſtratus, quæ lege ſpeciali, aut facto hominis, poſt inſtitutum, & erectum magiſtratum obuenit, vt in d. *l. etſi Prætor. 3. ff. de off. eius.*

4 Diuiditur ſecundò in voluntariam, & contentioſam, ſiue neceſſariam; voluntaria iuriſdictio, vt indicat nomen, hoc ipſo dicitur, quod inter volentes exercetur; legis actionem eam appellat *Vlp.* in *l. 3. ff. de off. Proconſ. & leg.* ideò, quia circa legis actiones tanquam circa ſubiectam materiam verſatur, qua inſpecta ratione definiri etiam poteſt, quod ſit *ius, vel poteſtas legis actionum apud ſe expediendarum. Poteſtas* ex *l. 1. C. de emancip. lib. & l. fin. C. de vind. libert. explicandarum.* quia actus proprius, ſeu muneris functio huius poteſtatis propria-ſi deſignatur, quæ in explicandis legis actionibus poſita eſt, & ideò vulgares interpretes voluntariam iuriſdictionem ius præbendæ auctoritatis appellant, quia ſcilicèt per eam magiſtratus fit auctor, vel auctoritatem præbet legis actionem exercere volentibus; & ne quid obſcurum remaneat, quid fuerint apud Romanos, aut quid ſint legis actiones breuiter, & non extra rem indicabimus. *lege agere eſt* legis actum exequi, actum ſcilicet lege compræhenſum, ſeu quem lex præcipit, vnde littores, cum legem exequerentur *lege agere* ipſis præcipiebatur, quia ſcilicet in ea exequenda non Iudicis, ſed legis auctoritate, cui pœnę executio reſeruata eſt, *l. 1. in princ. ff. ad turpil.* vterentur. Valer. Maxim. *iuſſo lictore lege agere* idest, vt gladio, ferro, aut laqueo, prout lege compræhenſum eſſet, vitam adimeret; hinc dictæ legis actiones, quæ nihil aliud ſunt, quàm actus, quos legis auctoritate explicamus, & cum explicamus, lege agere dicimur *l. 3. ff. de off Præt. l. apud Præfect. 21. ff. de manumiſ. vind.* & propria aſſignatione ità videntur poſſe definiri. *Legis actiones ſunt actus ſolemnes ſolemni, ac legitimo iuris ordine apud magiſtratum explicati. l. non nudo C. de emancip. lib. l. adoptio. C. de adopt.* neque enim ſingulæ definitionis partes ſunt nobis explicandæ, & confirmandæ. Legis actiones erant adoptio, emancipatio, manumiſſio; ex qua definitione colligimus eaſdem non eſſe legis actiones cum actibus legitimis, de quibus in *l. actus legitimi. ff. de regijs iuribus* quidquid contrà ſenſerint *Reuard. Otthoman. Briſſon.* eum tamen legis actiones actibus legitimis non adcenſuerit I. C. in *l. actus legitimi. ff. de reg. iur.* fuit quidem actibus legitimis, & legis actionibus illud commune, quod à lege certam, ſolemnemque formam acciperent, at quoad reliqua

*lib. 4. 4.*

*De auct. prud. c. 8. Ad l. nemo alieno l. actus legitimus ff. de reg. iur Reſponſ. c. 30. ſelect. antiquit. c. 20.*

prorſus

prorſus differunt, primùm nomine, alij enim ſunt actus legitimi, & aliæ legis actiones, ſecundo actus legitimi priuatim explicantur d. *l. actus legitimi*, at legis actiones nonniſi in iure explicari poſſunt, *l.* 3. *ff. de off. Proconſ. l.* 1. *C. de adopt. l. fin. C. de vindict. libert. l. pen. C. de emancipat.* cum ſimilib. & lege agi nonniſi apud magiſtratum potuit d. *l. apud Præfect. l. fin. C. qui à non domino*. Non ſunt tamen legis actiones ità propriæ voluntariæ iuriſdictionis, quin & contentioſæ fuerint communes, vnde cum ſolemnia eſſent illa Prætoris verba, quibus iuriſdictionem ſuam expediebat, *do*, *dico*, *addico*, cùmque ex iiſdem verbis, quæ erant iuriſdictionis contentioſæ, diceretur lege agi. Ouidio teſte de diebus canente.

Lib. 1. faſt.

*Ille ne faſtus erit, per quem tria verba ſilentur.*
*Fauſtus erit, per quem lege licebit agi.*

Hinc eſt, quod legis actiones, & de iuriſdictione contentioſa dicebantur, *Pompon.* in *l.* 2. §. *deinde ex his legibus ff. de orig. iur. l. Barbarius. ff. de off. Prætor.* ſed cum eo diſcrimine, quod per iuriſdictionem voluntariam ſolæ legis actiones explicabantur, at per contentioſam & legis actiones; & aliæ quoque cauſæ. Cœterùm quod nomen legis actionum vtrique iuriſdictioni fuit commune, paulatim factum eſt proprium ſolius voluntariæ, & quæ ad iuriſdictionem contentioſam pertinebant ità denominari cœperunt, vt qui legitima actione experiretur non lege, ſed legitimo iudicio agere diceretur, & non legis actiones dicerentur, ſed actiones legitimæ. teſtis *Pompon.* in *l.* 2. §. *deinde ex his legib. ff. de orig. iur.* necnon *Vlp. in fragment. ſub tit. de tutelis. Moribus tutor datur mulieri, pupilloue, qui cum tutore ſuo lege, aut legitimo iudicio agere vult lege* manumittendo. *l.* 1. *ff. de manumiſſ. vind. legitimo iudicio*, ius ſuum perſequendo. Deſierunt autem dici legis actiones in iuriſdictione contentioſa, ex quo contra legis actionum naturam *l. nemo alieno. ff. de reg. iur.* cœperunt vtilitatis cauſa per procuratorem exerceri *l.* 1. *ff. de procurat.* ex eo enim, quaſi legis actionum vim, ac poteſtatem amiſiſſent, nomen etiam depoſuere, & quæ per voluntariam iuriſdictionem explicantur, vt vim, ac poteſtatem, ità & nomen retinuere, quæ autem ad iuriſdictionem contentioſam pertinent diſtinctionis gratia legitimæ actiones dictæ ſunt. Atque hinc intelligitur ratio, propter quam maior magiſtratus minoris, & par paris, iuriſdictioni poſſit ſe ſubijcere quòad iuriſdictionem contentioſam *l. eſt receptum. ff. de iuriſdict. omn. Iud. l.* 4. *ff. de recept. arb. l. ille, à quo. ff. ad trebell.* at non etiam quòad voluntariam. *l. apud eum. ff. de manumiſſ. l. apud filium fam.* §. 1. *ff. de manumiſſ. vind.* quoniam, quæ actiones pertinent ad iuriſdictionem contentioſam poſſunt per procuratorem explicari, at quæ pertinent ad voluntariam, non item; magna autem diminutio maieſtatis magiſtratus fieri videbatur, ſi maior ad minorem, vel par ad parem venire atque ad ipſius ſellam ſiſti cogeretur adoptionis, manumiſſionis, vel emancipationis expediendæ cauſa; quod non erat, vbi agens per procuratorem potuiſſet ſe ſiſtere. Inde emergit tertia differentia inter legis actiones, & actiones legitimas; quod legis actiones procuratorem non admitte-

mitterent; actiones legitimæ, & actus legitimi vtique, quamuis fauore libertatis patri per filium permiſſum ſit manumittere *l. ſi conſentiente. ff. de manumiſſ.* idque fortaſſe propter vinculum patriæ poteſtatis, quo non tàm filius, quàm pater videatur manumittere, & ideò per filios in poteſtate non etiam per emancipatos licuit olim manumittere *l. 1. §. fin. ff. commun. de manumiſſ.* Quarta demum, & poſtrema differentia eſt, quod legitimæ actiones in tribus conſiſtebant; in iure actoris, quo ipſa actionis ſubſtantia continetur, *l. nihil aliud. ff. de oblig. & act.* §. 1. *inſt. tit. de act. inpr.* ſecundò in ſolemnitate formularum, & imperationum, quod nihil ad ſubſtantiam actionum, ſed ad rationem, & modum ipſarum explicandarum, vel exercendarum pertinet, nec enim ſine hiſce formulis poterant exerceri, quas etiam impetrare opportebat *l. 2. C. de formul. & impetrat. act. ſublat.* tertiò in ipſa executione iuris ſui, quę erat ipſius actionis conſummatio, & effectus. At legis actionum ſubſtantia ſola ſolemnitate actus continebatur *l. non nudo C. de emancip.* vbi dictum in emancipatione ſolam actus ſolemnitatem deſiderari; effectus autem earum poſitus erat in conſtituendo iure patriæ poteſtatis per adoptionem, iure libertatis per manumiſſionem, & iure arbitrij per emancipationem. De voluntaria iuriſdictione hactenus, & fortaſsè nimis quòad legis actiones; non tamen inutiliter ad exactam ipſius iuriſdictionis voluntariæ notitiam ex puriore penu Romanæ Iuriſprudentiæ, quæ tamen proportionalitèr loco ſuo poterunt adaptari. Iam nunc pauca de contentioſa.

Si nomen ſpectemus, iuriſdictio contentioſa eſt iuris ſtatuendi poteſtas inter eos, inter quos de re aliqua contentio, ſeù controuerſia eſt; ſeù iudicij contentio vertitur; vnde iuriſdictio contentioſa ad eas cauſas reſtringitur, de quibus ius redditur in inuitum *l. inter ſtipulantem* §. 1. *ff. de verb. oblig.* not. ad *l. 2. ff. de off. Proconſ.* ſicque differt à voluntaria ratione materiæ, quod ſit de re controuerſa, & quod voluntaria inter volentes, contentioſa inter inuitos exerceatur; ſcribentes communiter ad *l. Imperium: ff. de iuriſd. omn. iud.* Rectè quidem, quod contentioſa exerceatur inter inuitos, at non ità, vt excludantur à iuriſdictione contentioſa etiam cauſæ illæ, quæ nullam habent controuerſiam, quod quidem euincit Marciani auctoritas in *l. 2. ff. de off. Proconſ* qui diuidit iuriſdictionem in voluntariam, & contentioſam tanquam ſpecies duas; igitur quæcumque cauſæ non pertinent ad voluntariam, pertinent ad contentioſam, ſed ad voluntariam pertinent ſolæ legis actiones, ergò reliquæ omnes, quæcumque ſint, ad contentioſam pertinebunt; ſicque denominatio contentioſæ iuriſdictionis magis facienda videtur ab eo, quod exerceatur in inuitos, & eos, quibus imperari poſſit, quàm ex eo, quod ſit de cauſa controuerſa; hocque attento vrgere poterit quiſpiam, iuriſdictionem voluntariam non eſſe veram iuriſdictionem, cum nullum habeat imperium, nullamue cogendi vim, quæ ſupponit inuitum, cum ipſa tantùm exerceatur inter volentes. At reſpondemus eum, qui voluntariam iuriſdictionem exercet non eſſe omni deſtitutum imperio, ſed immò imperium exercere, non quidem magiſtratus,

tus,

Digitized by Google

tus; ſed ipſius legis, & non ità, vt priuatos ad legis actiones, putà, manumiſſionem, adoptionem, emancipationem compellat celebrandas, at ne ab eo iure, quod per legis actiones inducitur, poſſint recedere, ſed vt illud, vel inuiti ſeruare teneantur, & cogantur; hocque imperium, quod voluntariæ iuriſdictioni ineſt, non eſt imperium magiſtratus, ſed legis; quæ actus illos ſolemnes conſtituit, eoſque imperio ratos eſſe voluit, etiam inuitis, & refragantibus illis, qui voluntariè, & ſpontè eos celebrarunt; vnde legis actiones inter eos tantùm poſſunt exerceri, qui lege, aut legibus tenentur, quæ eas legis actiones conſtituunt; & ideò potuit quidem Præſes Prouinciæ, vel Proconſul iuriſdictionem voluntariam exercere extrà Prouinciam, at non item extrà ditionem Populi Romani, vel Imperatoris, quia extrà Prouinciam leges Populi Romani auctoritatem habent, at non etiam extrà ditionem; quæ ratio etiam eſt, cur Prætor, aut Præſes poſſint in ſe iuriſdictionem voluntariam exercere, at non poſſint contentioſam, nam qui contentioſam exercet, exercet iure imperij ipſius magiſtratus, ſibi autem nemo imperare poteſt; at voluntariam exercet iure imperij ipſius legis, nec tàm magiſtratus ſibi imperat, quàm lex iure magiſtratus.

5 Succedit demùm tertia, eaque poſtrema iuriſdictionis diuiſio, vt ſcilicèt alia ſit ordinaria, alia mandata, ſiue delegata; huic diuiſioni fundamentum, & auctoritatem præbuit *Iulianus* I.C. in *l. more maiorum* 5. *ff. de iuriſd. omn. iud.* quatenùs dupliciter haberi iuriſdictionem inſinuat; iure ſcilicet ſuo, & beneficio alieno. Illam dicimus ordinariam, propriam, competentem iure magiſtratus; hanc alienam, mandatam, ſiue delegatam, & extraordinariam. Ordinaria iuriſdictio eſt, quæ competit iure magiſtratus, hoc eſt ea ipſa lege, qua magiſtratus primitùs conſtitutus eſt, vnde eſt ei connaturalis, & propria, & non ſolùm, quæ lege, ſed & quæ more maiorum competit, nam quod more maiorum magiſtratus habet, id iure ſuo, & iure magiſtratus habere intelligitur, vt aduertit *Cuiac.* adeò mores, & lex æquiparantur virtute, & effectu, vnde enim vim habet lex, inde habent & mores, vt aliàs obſeruauimus; cum ſit autem ſua ipſius magiſtratus, meritò dicitur & propria, & competens iure magiſtratus, qui termini idem ſignificant, & vnus alium explicat.

*Ad l. more 5. ff. de iuriſd.*

Mandare autem iuriſdictionem eſt ſuæ, ſiue propriæ iuriſdictionis mandatarium conſtituere, vel vices, & partes ſuas in iure dicendo alicui committere *l. ſolet. ff. de iuriſd. l. etſi Prætor. ff. de off. eius.* vnde iuriſdictio ſic communicata, vel iniuncta dicitur mandata, vel etiam delegata, ſiue extraordinaria, ſicut & mandatarius delegatus, ac pro eodem voces iſtæ accipiuntur *C. quoniam contra. de probat. l. 2. C. de dilat.* re vera enim vterque in eo conuenit, vt nihil habeat ſuum, ſed quidquid vterque habet, habeat beneficio alieno, & ideò agitatiſſima eſt quæſtio, an ſit aliquod diſcrimen inter dare, & delegare Iudicem, & mandare iuriſdictionem inter Iudicem datum, & mandatarium iuriſdictionis. Temperabimus ab ea controuerſia, quam diſputat *Io: Ant. Bellon.* & ſolam reſolutionem proferemus. Si itaque reſpiciamus ad ordinaria illa iudicia, quæ apud Romanos exercebantur, & ad

*De mand. iuriſdict. q. 2. ad 6.*

ad ius illud, quod à compilatoribus ex antiquis Iure conſultorum libris in Pandectas iuris ciuilis eſt tranſlatū, diſcrimen quàm maximum eſt inter mandare iuriſdictionem, & dare iudicem, ſiue delegare, inter mandatarium iuriſdictionis, & iudicem datum, ſiue delegatum, ſicut enim eo iure aliud eſt ius dicere, & aliud iudicare *l. voluit 4. §. fin. ff. de interrog. act. l. quidem ff. de reg. iur: Rub. cod. Ne quis in ſua cauſa iudicet, vel ſibi ius dicat*, ius dicens, & iudex *l. 1. ff. de iuriſd. omn. iud.* ius dicentis, & iudicis officium *d. l. 1. l. ſtipulationū in princ. ff. de iuriſd. om. iud.* nam Magiſtratus non iudicat, ſed ius dicit, & iudex iudicat, non ius dicit *l. qui dolo in pr. ff. ad l. Iul. de vi pub.* Eruditè obſeruarunt *Anton. Fab.* & *Duaren.* Nam Magiſtratus ius dicit, qui formulam iudici præſcribit; At iudex non ius dicit, ſed ius dictum aſſignat partibus alligatus formulæ ſibi à Magiſtratu, & ius dicente præſcriptę, à qua vel minimùm recedere non poteſt, de ſolo facto cognoſcens; & ideò aliud quid eſt iuriſdictio, & aliud iudicium, aliud vocari in ius, & aliud vocari ad iudicem *l. 3. §. ſi quis ff. Ne quis eum, qui in ius voc. eſt vi exim.* aliud fieri quid in iure, aliud in iudicio; ità aliud eſt mandare iuriſdictione, aliud dare iudicem, vel delegare, aliud mandatarius iuriſdictionis, aliud Iudex datus, ſiuè delegatus. Veterum iudiciorum formulam exactiſſimè reddidit *Bellon.* Et eandem recta ſerie diſpoſitam intueri fas eſt apud *Briſſon.* & viginti tres differentias recenſuit idem *Bellon.* inter mandatarium iuriſdictionis, & delegatum, à quarum enumeratione nos conſultò abſtinemus.

Coniect. iur. lib. 4. c. 7. Diſput. anniuerſ. c. 53.

Quaeſt. 3. per tot.
I bi ſupra.
De formul. & ſolemn. pp. Rom. verb. lib. 5.
Tota quaeſt. 5.

At verò quia ſublatis formulis, & actionum impetrationibus, quæ iudicia dicebantur, & erant ordinaria, omnia facta ſunt extraordinaria *l. vn. C. de form. & impetrat. act. ſublat. l. Actio 49. ff. de neg. geſt.* vt docuit *Cuiac.* hoc eſt eo modo expedienda, quo olim Magiſtratus extra ordinem, & non dato iudice, vel præſcripta formula procedebat, euanuere etiam differentiæ inter mandare iuriſdictionem, & dare iudicem, ſeu delegare, nam & is, cui mandatur iuriſdictio iudex delegatus eſt, & è contra iudici delegato mandatur iuriſdictio. *C. quęrenti. 26. C. ſuper quæſtionem 27. §. porrò* & *§. ſi verò C. ex literis 29. C. licet 30. de off. & pot. iud. deleg. l. fin. C. vbi; & apud quem*; ſublatis enim formulis non poteſt iudicandi munus, a iuriſdicundi officio ſeparari, nam quoties magiſtratus extrà ordinem cognoſcit, & iudicat, vtiq; & ius dicit. *l. 1. in pr. ff. de var. & extraord. cognit. l. 2. §. poſt. deinde ff. de orig. iur.* cum enim nullam habeat in iudicando formulam præſcriptam d. *l. actio ff. de neg. geſt.* ſed id pronunciet, quod ſibi iuſtum videtur ideò dicitur ſimul ius dicere, & iudicare, nam iudicando ſine formula, & cum arbitrio ius dicit.

Lib. 10. obſeru. c. 20.

Cœterùm quamuis dicantur pares iudex delegatus, & mandatarius, quod vtrique mandatur iuriſdictio, & vterque iudex datur, ſiue cauſarum vniuerſitas; ſiue vna cauſa tantùm delegetur, attamen aliquale ſupereſt adhuc diſcrimen; nam delegatus ad vniuerſitatem cauſarum magis comparatur illi, cui generalis olim iuriſdictio mandabatur, quàm iudici ſpeciali; cum alioqui delegatus ad vnam cauſam ferè in omnibus antiquorum iudicum datorum naturam retinuerit; ideò mandatarius

tarius, vel delegatus generaliter ſententiam ſuam exequitur; delegatus ſingularis non itèm, ille iudicem in vnica cauſa delegare poteſt, hic verò nec vnum cauſæ articulum alteri poteſt committere.

Hæc obitèr prompſiſſe è Romani iuris fontibus non pigebit, eaque excurriſſe non dolebit lector, dicendis enim facem præferent, & eorum pars maxima erunt, opportunè applicando; Monitum volumus adhuc vnum, præter iuriſdictionem latè ſumptam (de qua ſupra in genere) à nobis definitam, poſſe adhuc conſiderari iuriſdictionem latiorem, & ampliorem, nec adeò propriam, quo nomine ſignificatur poteſtas quælibet, ſiue auctoritas, quæ à ſuperiore in inferiores exerceatur, quam græci ἐξουσία appellant, & quæ in ſacris, circa quæ verſamur, locum maximè ſibi vindicare poteſt; his igitur per excurſum ſic præmiſſis ad rem noſtram redeamus.

## Proponitur, & probatur neceſſarius ad Hierarchiam Iuriſdictionis concurſus.

1 *Sine Iuriſdictione ſaltem latè ſumpta nullo modo quis eſſe poteſt in Eccleſiaſtica hierarchia.*

2 *Poteſtas Eccleſiaſtica paterna eſt, œconomica, & publica; & probatur apta ratione, quod ſit publica.*

3 *Publicæ, & oeconomicæ poteſtatis vnio probatur in Eccleſia, & publica non alia, quàm iuriſdictio.*

1 PRobato ex ratione Principatus Eccleſiaſticam hierarchiam expoſcere, & habere ſubditos, conſequentèr fit, eandẽ vltra ordinem, etiã Iuriſdictionem requirere, ſine qua, ſaltem lato modo ſumpta, nemo perfectè nedum, ſed nec imperfectè eſſe poteſt in Eccleſiaſtica hierarchia; huc reſpexit *S. Dionyſius*, dum ipſam *ordinatam poteſtatem* appellauit; vt poteſtas enim eſt, ius agendi in alium probat, vt ordinata, ſubordinationem ſubditi arguit, ac ſubiectionem legitimam; poteſtas ius agendi in alium connotat, ipſumque immutandi ſiue per Sacramenta, ſiue per ſacram Doctrinam, quæ ſanè non alia eſt, quam iuriſdictio latè ſumpta. eamque ad hierarchiam omninò neceſſariam innuit *S. Dionyſius*, dum definit, quod ſit *ordinata poteſtas*; auctoritatis fundamento accedat, & haud minus efficax ratio.

2 Poteſtas Eccleſiaſtica non ſolùm eſt œconomica, & patria, ſiue paterna, ſed & publica; præſidet enim, & paſtores Eccleſiæ patrum, magiſtrorum, & Principum, ſiue magiſtratuum gerunt officia; vnde & Eccleſiæ Patres de hac ipſa poteſtate loquentes, varijs vtuntur titulis, & modò de paterna, modò de magiſtrali, & doctorali, modò de principali, & tanquam de principatu loquuntur, Epiſcopoſque ipſos Principes nominant; vnus pro omnibus prodeat *Chryſoſtom.* perorans enim in Epiſcopi reditum, ait, *lætitia multa hodie celebrare dignatus, & qui caput corpori reddidit, & paſtorem ouibus, præceptorem diſcipulis, militibus ducem, ſacerdotibus Pontificem*, tot enim munera, totidemque reſpectus continet Epiſcopalis gradus,

*Homil. 10. ad Popul. Antiochen.*

*Epiſt. 62.* dus, nec abſimiliter *Magnus Baſilius* ſcribens Eccleſiæ Neoceſarienſi viduatæ Præſule ſuo titulos aggregauit Interpretis, Patris, Principis, Præſidentis; publicam verò hanc ipſam poteſtatem in Eccleſia poſt *Card. Bellarminum* euincimus ratione planè efficaci. *Tom. 1. controu. lib. 4. de Rom. Pont. c. 22.* Tam latè enim patere debet amplitudo ſacræ poteſtatis, quàm pateat ius, quo Religionis offitia continentur, cum enim ipſius ſit Religionis offitia præſcribere, quotuplex eſt ius, quo fideles populi ad Religionis offitia obſtringuntur, & ad diuinum cultum, totidem etiam reſpectus, ſeù denominationes poteſtas ſacra ſubire, & gerere debet; verùm duplici iure ad Religionis offitia obſtringuntur homines, publico ſcilicet, & priuato, ſeù œconomico, cum & ipſa Religionis offitia, & publici, & priuati iuris ſint; publici; quia Reipublicæ intereſt Religionem habere incolumem, & puram, eamque probato ritu exerceri; *Lipſius* ad rem venuſtiſſimè. *Ciuil. doctrin. lib. 4. c. 2.* *Iam verò publicè, qui ſalui ſimus, niſi illa ſalua? Religio, & timor Dei ſolus eſt, qui cuſtodit hominum inter ſe ſocietatem. Tolle hoc vinculum, vita hominum ſtultitia, ſcelere, immanitate complebitur; idemque ſi confundis. O fatui! vnionis auctor illa vna, & à confuſa ea, ſemper turbæ.* *Tractant. de ira cap. 12.* *Idem eod. lib. cap. 8.* *Muſarum ille pater, quantò meliùs, cuius hoc ad Auguſtum monitum extat; Diuinum illud Numen omni modo, omni tempore ipſe cole iuxta leges patrias, & alij, vt colant, efſice.* *Mecenas apud Dionem. Caſſ. lib. 52.* Nil elegantiùs, nil ad Religionem, & Religionis offitia publici iuris aptiùs; priuati etiam iuris ſunt hæc eadem Religionis offitia, quia homo nec conſtare ſibi, nec rectè moraliter viuere poteſt, niſi exordiatur à Dei cultu, *cum pietas, Ambroſio* *In Pſal. 118.* *teſte omnium virtutum fundamentum ſit*; iam igitur Religionis offitia publici, & priuati iuris ſunt; duplex igitur, & in Eccleſia debet eſſe poteſtas; publica magiſtratus, & Principis, eaque non alia, quàm iuriſdictio; priuata, & œconomica, quaſi naturalis patrisfamilias; publica amplior, & latior eſt, vtpote publicum munus explens, efficacior etiam, cum publicam coercitionem habeat adnexam; priuata, & œconomica anguſtior, quæ nec omnibus perſonis conceditur, ſed Diaconiſſis olim, nunc Abatiſſis.

3 Neque commentitia videatur publicæ, & œconomicæ poteſtatis in Eccleſia vnio; quando præceſſiſſe vnam in lege naturæ; cumulatam vtramque in lege Moſaica obſeruare fas eſt, & eſſe conſequentèr vtramque in Euangelica lege, & in vera Eccleſia omninò decet. In lege naturæ totus Dei cultus (donec aliquid ſingulariter à Deo reuelatum) penès patremfamilias viguit, & ordinarij Sacerdotes cum ſacra poteſtate non alij, quàm primogeniti, qui dominatum inter fratres gerebant. *Geneſ.* 27. in quorum vicem aſſumpti poſteà à Deo Leuitæ *Numer. c.* 3. tuncque primogenitus, & œconomico pollebat imperio, & ſacra eminebat poteſtate, quæ tunc nulla erat publica, niſi quæ extraordinaria. In lege Moſaica exordium habuit publica poteſtas ſacra ordinaria, eaque in leuitica tribu; ſacrificia tunc primùm publici iuris, eorumque ritus à Deo præſcripti; nec voluit Deus expungi in totum domeſticum, aut familiare ſacrificium, quod erat in lege naturæ, ſed inſtaurari quotannis in immolatione agni Paſchalis. *Tollat vnuſquiſque agnũ* *Exod. c. 12.*

*per*

*per familias, & domos ſuas, immolabitque eum vniuerſa multitudo filiorum Iſrael*. Nec defuit tunc œconomicum Imperium, quod gerebat Pontifex ſummus in Sacerdotes inferiores, & leuitas; præerat enim tanquam paterfamilias rebus omnibus [*Num. 3. & 4.*] templi, procurabat miniſterium, & [*Eſdr. lib. 2. c. 10*] victum Sacerdotum; curam gerebat pecuniæ ad templi inſtaurationem, [*Num. c. 18.*] decimarum, quæ offerebantur pro Sacerdotum alimonia adeò, vt ob Pontificum proteruiam fame inter- [*Lib. 20. Antiq. c. 6 in fin. & cap. 8.*] ijſſe Sacerdotes narret Ioſephus. Quæ igitur poteſtas œconomica in lege naturæ, & publica, ſed extraordinaria per aliquem Prophetam, quæ publica, & œconomica in lege Moſis, vtraque eadem & in Euangelio, ac in Eccleſia cumulari meritò debuit, nè deterius eſſet figuratum figura, & corpus vmbra imperfectius. Hinc [*Pſ. 45. 86 & 100.*] Eccleſia *Ciuitas dicta*, *Ciuitas Dei*, *Ciuitas Regis magni*, *Ciuitas magna*, [*Ad Hebr. c. 12.*] *Ciuitas ſancta*, in ſacræ publicæ poteſtatis argumentum; eadem appel- [*Apoc. c. 2.*] lata *Domus ædificata ſupra firmam petram*; magna domus, *in qua quę-* [*Pſ. 22. 23 35. 54.*] *dam vaſa ſunt ad honorem, quædam ad contumeliam*. Hinc *Ambroſ.* vel [*Ad Tim. c. 3.*] ſi quis alius ſit auctor; *cum totus* [*Ad Epheſ cap. 2.*] *mundus Dei ſit, tamen domus eius Eccleſia dicitur, cui hodie rector eſt* [*Comm. in cap. 3. ad Timoth.*] *Damaſus*. Hinc fideles, quaſi ge- mino gaudeant iure, vocantur à *Diuo Paulo Ciues Sanctorum, & domeſtici Dei*. Publica hæc poteſtas non alia; quàm iuriſdictio, eaque ſic fundata, iam quæ, qualiſue ſit ad hierarchiam neceſſaria inquiramus, idque præſtabimus capite ſequenti.

---

# CAP. V.

## Qualis Iuriſdictio ad Eccleſiaſticam Hierarchiam neceſſaria.

1 *Iuriſdictio debet eſſe publica, non familiaris, vel œconomica, & probatur ratione.*

2 *Neceſſaria, & non voluntaria, & neceſſaria dicitur multiplici reſpectu, & cauſa; ſicut & voluntaria.*

3 *Voluntaria tamen iuriſdictio in totum à hierarchia non excluditur.*

4 *Demùm ordinaria, & non delegata debet eſſe, & pluribus rationibus firmatur.*

5 *De hierarchia Chariſmatum remiſſiuè.*

6 *Inquiritur Chariſmatum concurſus ad hierarchiam, præmiſſa nominis notitia, & eorum aſſignatione.*

HVC ſunt transferenda opportunè, quæ de iuriſdictione cùm in genere, tùm in ſpecie ſupra tradidimus per excurſum; & ex propoſitis iuriſdictionis ſpeciebus requiſita, quæ expoſcit iuriſdictio, vt ſit pars Eccleſiaſticæ hierarchiæ, aſſignabimus, & ſtatuemus. Quæ ergò ad hierarchiam pertinet iuriſdictio publica debet eſſe, nec familiaris, œconomica, aut domeſtica ſufficit; Neceſſaria, & non voluntaria; ordinaria, & non delegata; confirmemus ſingula.

1 Quæ igitur debet eſſe cardo alter Eccleſiaſticæ hierarchiæ, non quælibet ſufficit, ſed publica debet eſſe, non familiaris, vel œconomica; decet enim ipſum hierarchiæ nomen, quod ſacrum principatum ſonat, poteſtas, quæ Principatui reſpondeat, qua voce paterfamilias propriè non venit; Principes ſiquidem ſacra ſcriptura, aut Reges tantùm intelligit, aut in Regno optimates, & proceres, vt notauit *Gloſſ.* publica igitur Principatui aptari debet poteſtas, non priuata, quæ ſanè impar; Non enim politici Principatus, & Eccleſiaſtici inæqualis eſt ratio, quem vtrumque ſub eodem locarunt genere Pontifices, Imperatores, & Patres; neminem autem in Regno, aut temporali quacunque ditione admiſeris Principem, cui poteſtas non adſit publica. Principem appellatum nonnunquam legas familiæ caput, at non ſimpliciter, ſed Principem familiæ. *l. familię. 196. ff de verb. ſign.* quæ ſanè adiectio improprietatem denotat, nec igitur in Eccleſia dicetur Princeps, qui publicam poteſtatem non habeat; duo ſunt cardines, qui Eccleſiaſticam hierarchiam conſtituunt pari concurſu, par ergo vtriuſque debet eſſe conditio; & qualis eſt poteſtas ordinis, eadem debet eſſe & illa iuriſdictionis; atqui œconomica poteſtas longè alia eſt, & abeſt ab ordine ſacro, competit enim laico homini, & laicæ mulieri, cui neutri ſacra ordinatio competit, igitur non coaleſcet cum ſacri ordinis poteſtate familiaris poteſtas, quæ merè priuata; quam nec venire iuriſdictionis nomine dixeris, ſi cum iam tradita iuriſdictionis definitione conferas; quam diximus eſſe poteſtatem *publicè datam, vel delatam*; Vnde & Apoſtolus œconomicam poteſtatem hierarchicæ tanquam publicæ ſapientiſſimè oppoſuit, & inuicem vtramq; contradiſtinxit. *Oportet autem Epiſcopum irrepræbenſibilem eſſe &c. ſuę domui benè propoſitum, filios habentem ſubditos cum omni caſtitate, ſi quis autem domui ſuæ preęſſe neſcit, quomodo Eccleſiæ Dei diligentiam habebit.* Et ne quem hierarchicum ordinem exciperet; ſubdit inferiùs. *Diaconi ſint vnius vxoris viri, qui filijs ſuis bene præſint & ſuis domibus*; quæ fuſiùs exagerauit *Chryſoſtom.* mentis D. Pauli aſſecutor eximius. En igitur poteſtatem hierarchicam publicam, cui directè oppoſita, ac omninò diuerſa familiaris, & œconomica, merè priuata, adeòque ad conſtituendam Eccleſiaſticam hierarchiam meritò inepta. Demùm ſi conſecratio, per quam iuducitur ſacra ordinatio, publica eſt, cum fiat ſolemniter per Pontifices, qui publicæ ſunt perſonæ, & fiat ad munera publica, iam & publica debet eſſe iuriſdictio; quæ ſecum in Eccleſiaſtica hierarchia concurrit; claudicaret enim, niſi vtraque poteſtas; & ordinis, & iuriſdictionis eſſet publica, quam licèt comitetur, & œconomica; at tanquam comes, non tanquam æquè conſtituens.

*Exodi c. 22.* *Eſther. Exod. 22.* *Pſal. 2.* *Ad Clem. 1 in verbo Regum de baptiſmo.* *1. Ad Timoth. c. 3.* *Hom. 10. in 1. ad Timoth. circa medium.*

2 Publica ergò, & primò debet eſſe hierarchica iuriſdictio, & non œconomica, eadem, & ſecundò, debet eſſe neceſſaria, nec voluntaria ſat eſt; non repetimus, ſed ſupponimus ea, quæ iam ſupra tradita in excurſu; quamuis autem iuriſdictio neceſſaria cum ſacro ordine Eccleſiaſticam hierarchiam conſtituat, non tamen credendum, quod qui hierarchiam eſt ingreſſurus habere omninò debeat vniuerſam latitudinem neceſſariæ iuriſdi-

riſdictionis ità, vt omnem poteſtatem coercendi contumaces, & refractarios habeat, ſed ſat fuerit, ſi pro modo, & ſtatu ſuo gradum aliquem eius poteſtatis habeat. Vt enim in rectè diſpoſita Republica plures debent eſſe magiſtratus, non tamen omnes debent eſſe æquales, ſed maiores alij, & alij minores, & pro magiſtratus ipſius eminentia adaptanda eſt, & applicanda iuriſdictio, maior maiori; minori minor, & cuique par; Sic in Iudaica Republica maiores, & minores cauſæ magiſtratibus diuerſis maioribus, & minoribus commiſſæ. Sic in Romana magiſtratus varij, & non cuique iuriſdictio eadem; idem ergò, & in Eccleſiaſtica hierarchia, in qua, cum gradus ſint varij, & inæquales, & cuique gradui ſua debet reſpondere iuriſdictio; Epiſcopo, tanquam maiori magiſtratui maior, & vniuerſalis in vtroque foro; vniuerſalis ad legem ferendam, quæ omnes ſubiectos obliget, ad creandos paſtores, & alios Eccleſiæ offitiales pro tota Diœceſi; particularis in foro exteriori ad iudicia ordinanda, ſententias ferendas, Eccleſiaſticas pœnas, & cenſuras infligendas; in interiori ad peccata remittenda, & retinenda, & demùm tota illa adeſſe debet neceſſaria iuriſdictio, quæ ſublimem, & maiorem magiſtratum deceat.

*Deuter. c.17. Numer. c.11. Paralip. c.19.*

At in Sacerdote, & Diacono non tanta requiritur iuriſdictio, neque imperfectum eorum gradum dicemus, quamuis totam iuriſdictionis latitudinem, quam habet Epiſcopus, non habeat; neque omnia Religionis offitia poſſit exercere. Præcipuus Sacerdotis, & Diaconi finis eſt Euchariſtiæ conſecratio, & diſtributio; ſic enim *S. Dionyſ.* Euchariſtiam ipſam *principem partem Sacerdotalis muneris* appellat, ad eamque tanquàm ad finem, tendunt omnes ordines inferiores; vnde Diaconus perfectè Diaconus eſt, Sacerdos perfectè Sacerdos, quamuis ad exercendam omnem iuriſdictionem in plebem non admittatur; & ſat fuerit eius ipſos eſſe capaces, dum proportionatam ſuo gradui, & ordini quiſque habeat, & cum ea facultatem ad hierarchica munia obeunda, ſed vlteriùs ex offitio ad id obſtrictus eſſe debet ità, vt ex munere teneatur functiones hierarchicas cum modica aliqua iuriſdictione exercere; ſicque iuriſdictio erit neceſſaria non ſolùm ex parte ſubiectorum, in quos exercetur, ſed & ex parte habentis, qui ex offic io eam exercere teneatur; offitium enim importat neceſſitatem, & quod quis ex offitio debet, neceſſariò debet, & compulſus facit à munere ſuo; quodcunque ſit offitium ſiue pietatis *l. 2. ff. de inoff. teſt.*, ſiue Iudicis, aut magiſtratus *l. 1. ff. de iuriſd. omn. iud. l. veluti ff. de oblig. & act.* ſiue Principis, qui memor eſſe debet non Rempublicam ſuam eſſe, ſed ſe Reipublicæ, vt dicebat *Hadrian.* & ex hoc capite etiam neceſſariam iuriſdictionem arguas; addas & in eo neceſſariam, quod non temporalis, aut mutabilis eſſe debeat, ſed ſtata, firma, ac ſtatui ſacri Principatus reſpondens, quæ enim incerta eſt, ac mutabilis neminem in dignitate conſtituit, ſed in nudo offitio; *C. vno delegatorum. de off. & pot. Iud deleg. C. peruenit 11. q. 1. l. 2. C. de ſportul. l. 2. C. de off. eius. l. defenſores. C. de defenſor. Ciuit.* Quod ſi ex omni capite debet eſſe neceſſaria, iam quæ merè voluntaria eſt ad Eccleſiaſticam

*Eccleſ. Hierarch cap.3.*

hierarchiam non erit ſufficiens; voluntariamque accipimus tot oppoſitis modis, quot diximus neceſſariam; voluntariam, quam quis nullo obſtrictus offitio, nullaue obligatione compulſus merè voluntariè exerceat; voluntariam; quam exequi, & cui non parere impunè inferior poteſt; voluntariam demùm; quæ ad actus porrigitur, qui nulla correctione indigent, nullamue coercitionem admittant, cuiuſmodi ſunt actus benedicendi etiam publico nomine, & offitio, offerendi ſacrificium pro alia perſona etiam ex munere publico, actus conſecrandi res aliquas, ſiue perſonas; iuriſdictio igitur merè voluntaria primo, & ſecundo modo ſumpta non eſt ſufficiens, vt per eam ſolam, quis in ſacro Principatu, & Eccleſiaſtica hierarchia conſtituatur; quæ enim eſt ſic merè voluntaria, nec vera eſt iuriſdictio, nec dos ab ordine contradiſtincta, quæ vna cum ordine ipſo poſſit Eccleſiaſticam hierarchiam conſtituere; Non vera iuriſdictio, quia nullam poteſtatem inuoluit quā in ſubditos exerceat, vnde ſicut ſine ea poteſtate ſæcularis Principatus non conſiſtit, nec conſiſtet Eccleſiaſticus; cum vterque ſubditos exigat, in quos poteſtas exerceatur; non dos ab ordine contradiſtincta, quia ordinem ipſum conſequitur tanquam proprietas quædam ab eo fluens, Et ſi dicas, quod in cœleſti, & Angelica hierarchia datur iuriſdictio ſine aliqua coercitione, aut coercitiua poteſtate, ergo idem eſſe poterit, & in Eccleſiaſtica; Reſpondebimus diſparem eſſe vtriuſque rationem; quia in humana, & Eccleſiaſtica hierarchia coercitio neceſſaria eſt in remedium peccabilitatis, in humanitatem enim cadit contumacia, & pugna, cui reſpondet coercitio; at in Angelica coercitio non eſt neceſſaria, quamuis neceſſitas aliqua non abſit; Inferiores enim Angeli iuſſionibus ſuperiorum parere debent; ſciunt hanc legem eſſe Diuinam, cui reluctari nec poſſunt, nec debent, cum ſint in gratia, & gloria *niſi tu* (inquit *S. Bernardus*) *forte Angelorum quempiam dicentem audiſti nolo ſub Archangelis eſſe, aut ex alio quolibet inferiorum ordinum aliquem non ferentem ſubeſſe cuiquam, niſi Deo*. Beata eſt ea neceſſitas, & à perfectione procedens.

Alia eſt ſubiectio hominis, qui ex voluntate mutabili poteſt ad malum conuerti, à recto deflectere, à præſcripta lege declinare, ac proinde alia eſt etiam parendi neceſſitas, ad quam, tanquam medium, ſtatuta eſt iuriſdictio coactiua ſaltem per modicam coercitionem, ſine qua ad minimum nulla vera, aut eſt, aut dici poteſt iuriſdictio, ex ſententia Pauli I. C. in *l. fin. ff. de off. eius*, & Innocent. III. in *C. paſtoralis. de off. & pot. Iud. deleg.* iunc. *C. ex literis. eod.* & ideò Eccleſiaſtica hierarchia iuriſdictionem ſaltem cum modica coercitione requirit, & ſine ea nemo ſit in eadem hierarchia; quæ modica coercitio in repræhendendis, increpandis, & corrigendis publicis peccatoribus poſita eſt; hancque paſtoribus ex offitio competentem agnoſcit *D. Paulus*; *Argue, obſecra, in-* 2. *Ad Timoth. c.* 2.
*crepa in omni patientia, & doctrina*; & ſcribens ad Titum; *increpa eos* *Epiſt. ad Tit. c.* 1.
*durè, vt ſani ſint in fide*; & alibi; *c.* 2.
*Et argue cum omni imperio*. Vt omittamus *Chryſoſt. Gregor. Auguſtinum*.

Adcenſebimus etiam modicæ coercitioni occultam denegationem abſolutionis Sacramentalis, quæ ligandi verbo intelligitur, dum data

Sacer-

Sacerdotibus ligandi, & ſoluendi poteſtas. Sine hac ergo modica coercitione nemo eſt in Eccleſiaſtica hierarchia, qua cum careat voluntaria hinc eſt, quod per ipſam ſolam in eadem conſtitui nemo poteſt.

3 Non tamen per hoc voluntariam ipſam iuriſdictionem in totum ab Eccleſiaſtica hierarchia excludimus, ſed partem eius aliquam ipſi inſerendam fatemur, illamque præcipuè, quæ in conſecrando, benedicendo, intercedendo, ac dirigendo conſiſtit, ſeu in docendo poſita eſt; poteſtati ſiquidem ordinis, qui ordo eſt cardo alter Eccleſiaſticæ hierarchiæ, adnexa, & adiuncta benedicendi, ſanctificandi, ac intercedendi poteſtas, quæ nullam coercitionem ſupponit, & eſt Sacerdotio connaturalis; iuriſdictio quidem, ſed non ea, quæ limites, ſeu territorium exigat, aut parendi neceſſitatem aliquam inferat, vel coactionem ſupponat, ſed ea, quam Græci vocant ἐξουσίαν, hoc eſt ſuperioris gradus eminentiam, ſeu maieſtatem, & ex maieſtate, aut dignitate quandam imperandi virtutem inducit, qua pollent ſenes in iuniores, viri graues, & in dignitate poſiti in plebeios, quæ ordini ſacro eſt omninò adnexa. Eadem iuriſdictio ſacris ordinibus, & præſertim hierarchicis adhæret reſpectu doctrinæ, vt ſic ordinati tanquam Chriſti, & Eccleſiæ miniſtri quoslibet fideles priuatim docere, quæ ſunt fidei, & diſciplinæ, eoſque peccantes redarguere, & ne peccent, monere ex offitio poſſint; vt autem publicè doceant, moneant, corrigant, alia iuriſdictio neceſſaria eſt, quæ certis eſt deſcripta finibus, & definita territorio, quam exigit *D. Paulus ad Rom.* C. 10. & eleganter expreſſit *S. Leo magnus*. *Illud quoque dilectionem tuam conuenit præcauere, vt præter eos, qui ſunt Domini Sacerdotes. nullus ſibi ius docendi, aut prædicandi audeat vindicare, ſiue ille ſit Monachus, ſiue laicus, qui alicuius ſcientiæ nomine glorietur; quia etſi optandum eſt, vt omnes Eccleſiæ filij, quæ recta, & ſana ſunt ſapiant, non tamen permittendum eſt, vt quiſquam extra Sacerdotalem ordinem conſtitutus gradum ſibi prædicatoris aſſumat, cum in Eccleſia Dei omnia ordinata eſſe conueniat, vt in vno Chriſti corpore, & excellentiora membra ſuum offitium impleant, & inferiora ſuperioribus non reſultent.*

*Epiſt. 62. ad Maximum Antiochenum in fine.*

4 Quæ demùm iuriſdictio Eccleſiaſticam hierarchiam conſtituit, & ad eam requiritur, debet eſſe ordinaria, non delegata, ratione multiplici; prima, quia Principatus dicit dignitatem, & gradum ſtabilem, ac permanentem, cui par, & conſimilis debet eſſe iuriſdictio, qualis ordinaria, & non mandata; ordinaria enim permanens eſt, & radicalis; mandata, ſeu delegata nec ſtabilis eſt, nec immutabilis; & quia vita functo delegante re integra expirat *C. & vndique de off. deleg. C. tum ex literis. de reſtit. in integ.* ac per ſententiam, & eius executionem terminatur. *C. in literis. C. quærenti de off. deleg.* & quia non dicit quid inhærens per modum habitus in delegato, ſed per modum actus, aut influxus à delegante in ipſum delegatum, quod innuit *Papinianus* in *l. 1. §. qui mandatam. ff. de off. eius*; dum ait; *qui mandatam iuriſdictionem ſuſcepit, proprium nihil habet, ſed & eius, qui mandauit iuriſdictione vtitur.* Sicque vſum potius, & exercitium

alienæ

alienæ iuriſdictionis habet, quam quid proprium, & permanens per modum habitus; vnde nec poteſt eſſe pars ſacri Principatus, qui ſtabilis eſſe debet, & eſt. Indeque fit (& ſit ratio ſecunda) quod iuriſdictio delegata non attollit ſupra priuatam ſortem delegatum, aut in ſublimiori gradu ipſum conſtituit, quod docuit *D. Thom.* de Religioſis mendicantibus loquens, qui Dei verbum prædicant, & Sacramenta miniſtrant. *Dicendum, quod ille, qui operatur ex virtute alterius agit per modum inſtrumenti; miniſter autem eſt ſicut inſtrumentum animatum, vt Philoſophus dicit in* 1. *politic. vnde quod aliquis auctoritate Prælatorum prędicet, vel alia huiuſmodi faciat non ſupergreditur diſcipulatus, vel ſubiectionis gradum, qui competit religioſis.* Vulgata eſt illa inſtrumenti partitio, & differentia, vt aliud ſit coniunctum, & aliud ſeparatum; coniunctum recipit denominationem ab actione, quam producit, vt oculus dicitur videre, auris audire, lingua loqui, & quidquid prærogatiuæ habet homo ſic operans, id ipſum habet oculus, auris, lingua cooperans. At in inſtrumento ſeparato nec actio ipſi tribuitur, ſed principali agenti, & quidquiid dignitatis inde conſequitur, agentis principalis eſt, nec in inſtrumentum redundat; vt calamus in ſcribente, pennicillus in pictore, quæ ſunt inſtrumenta ſeparata, vnde nec ille dicitur ſcribere, nec iſte pingere & quidquid excellentiæ ex opere obuenit, ſcribenti, & pingenti tribuitur, non calamo, aut pennicillo; Delegati religioſi ſunt veluti inſtrumenta ſeparata; Vicarius Epiſcopi; Archidiaconus ſunt inſtrumenta coniuncta; Vicarius enim dicit vnum, & idem tribunal cum Epiſcopo, Archidiaconus eſt oculus Epiſcopi; ideòq; gradum, ipſumque ſublimem habent, qualem in ſimplici delegato non intuemur.

2. 2. qu. 188. Art. 4.

cap. 3.

Immò cum hierarchia dicat ordinatam ſeriem ſuperiorum, & inferiorum iam hanc ipſam ingredi non poterit delegatus per iuriſdictionem ſibi commiſſam, cum per eam in gradu aliquo ſuperiori non conſtituatur; neque enim attendimus, quod per delegationem conſtituatur illo ſuperior, cuius cauſam diſceptandam, ac decidendam aſſumit, C. *inferior.* C. *denique* 21. *diſt.* C. *ſanè quia de off. & pot. Iud. deleg.* hoc ſiquidem per accidens eſt, & ſecundum quid, non abſolutè, neque enim implicat, vt ſubditus Iudex conſtituatur per delegationem in cauſa ſuperioris ſui, vt Abbas in cauſa Epiſcopi, dum partium altera non opponat, aut repugnet, *Gloſſ. ad* C. *fin. in verbo temporali de off. deleg. in* 6. idque indicat, delegatum per delegatam iuriſdictionem in gradu ſuperiori abſolutè non conſtitui. Demùm iuriſdictio hierarchica dicit reſpectum ad ordinem hierarchicum, & ſine eo nulla eſt, nec poteſt alicui competere ſine deſtinatione, aut aſſignatione proxima ad ſacrum ordinem, quod fit per primam tonſuram clericalem; iuriſdictio autem delegata non dicit reſpectum, aut nexum adeò neceſſarium cnm ordine ſacro; aut cum aſſignatione, & deſtinatione ad ipſum ordinem ſacrum; nam cuilibet clerico poteſt delegari Eccleſiaſtica iuriſdictio, cum tamen hierarchica ſolis Epiſcopis, Presbyteris, & Diaconis poſſit competere, & quamuis negotiorum Eccleſiaſticorum diſcuſſiio, & cenſurarum ferendarum poteſtas non

niſi

niſi clericis debeat committi, attamen Eccleſiaſticam iuriſdictionem, vel diffiniendi poteſtatem non ſolùm laicis, ſed etiam mulieribus commiſſam legimus, ſic enim purgationem diffamati Epiſcopi Bruneluldi Reginæ commiſit *S. Gregor. Magnus* & in C. *per tuas. de arbitr.* diffinitio cauſæ facta à clerico cum duobus laicis ex compromiſſo rata habetur à Summo Pontifice ijs verbis. *Quod autem à duobus laicis, & vno clerico dicitur eſſe probatum, nequaquam obuiare videtur cum auctoritate dicti Archiepiſcopi factum ſit, cui cauſa, de qua dicitur compromiſſum, fuerat delegata.* Vid. *collect. ad C. pręter 32. diſt. & ad C. 2. de iudic.* poteſt ergo delegata iuriſdictio laicis etiam (licèt non adeò de facili) committi, & competere; ſed poſſit tamen, iam tanti non erit, vt quem in ſacro principatu, & Eccleſiaſtica hierarchia valeat conſtituere; eam itaque concludimus eſſe debere iuriſdictionem, quæ Eccleſiaſticam hierarchiam ingrediatur; publicam, & non priuatam; neceſſariam, & non voluntariam; ordinariam, & non delegatam, & de illa hæc ſatis.

*Lib. 11. ep. 8. cap. mennam. 2. q. 5.*

5 Præter hierarchiam hucuſque exhibitam ex ordine, & iuriſdictione conſtantem non inquirimus, an chariſmata ad ipſam etiam concurrant, & præſertim an hierarchiam per ſe à quacunque alia diſtinctàm conſtituant. Eruditiſſimus enim auctor cenſuit eſſe in Eccleſia hierarchiam chariſmatum, eamque alia quacunq; ſublimiorem, & excellentiorem, cuius eminentiam indicant tituli, quibus eam denominat; appellat enim cum Apoſtolo hierarchiam chariſmatum, & gratiarum, hierarchiam diuinæ, ſeu ſpecialis vocationis, hierarchiam ſanctitatis, ſeu perfectionis, dignitatis, & excellentiæ, & demùm hierarchiam Diuinæ ſcientiæ, & ſtatus. Doctè, & appoſitè ad Ideam, quam concipit; diſſerat luculentèr, vt lubet, probet, oſtendat, euincat, ſuſpicimus ingenium, & doctrinam, diſceptationem relinquimus in medio & chariſmatum concurſum ad hierarchiam ſcrutamur, & expendimus.

*Ludouic. Cellot. l. 8 de hierarch. hierarch. c. 1.*

6 Chariſmatum nomen adhibuit *D. Paulus* ad Corinthios ſcribens, & vt quaſi per ſynonima variè verterit interpres in illius capitis ſerie clauſit eadem voce vtens *æmulamini igitur chariſmata meliora*; Eccleſiæ Patres non ſemper eadem voce ſunt vſi. *Tertullianus* chariſmati donationem ſubſtituit *meliorum donationum* (inquit) *ſectatores ſimus*. *Hilarius* promiſcuè eſt vſus, & frequentius dono, quàm chariſmate; *Hieronymus* chariſma retinuit; *Auguſtinus* donationem magis adhibuit; ſit promiſcuus vocis vſus; at hoc certum, quod quamuis chariſma adhibeatur ad ſignificandam gratiam gratum facientem, quæ & donum eſt, & gratis datur, attamen magis propria acceptio eius eſt, vt ſignificet gratiam, quæ opponitur gratiæ gratum facienti, & à ſcholaſticis dicitur gratia gratis data, quæ & gratis datur, ſed ità datur, vt ſit in aliorum vtilitatem; *ordinatur enim ad hoc* (ait *D. Thom.*) *quod homo alteri cooperetur, vt reducatur ad Deum, & excedit facultatem naturæ*. Diuiditur hæc ipſa gratia in plures ſingulares, pluraque peculiaria dona, & hæc dicuntur chariſmata. Hæc itaque chariſmata ad hierarchiam ex ordine, & iuriſdictione iam conſtitutam, abſolutè loquendo, & præſcindendo à circumſtantijs quibuslibet, aut ad valorem

*Ep. 1. cap. 12.*

*Lib. 1. ad Vxor. cap. 3.*

*Lib. 8. de Trinit. epiſt. ad Eldu. q. 9. in princ.*

*Epiſt. 57. ad Dardan.*

*Suarez. tom. 1 De gratia pro leg. 3. c. 4. n. 5.*

*1. 2. q. 111. art. 4. in corp: & ad 1.*

rem functionum, & operationum non ſunt neceſſaria, ſed ad vſum licitum, & legitimum poteſtatis ad decorem, & dignitatem ordinis, & ad congruam diſpoſitionem, cum pro accipiendis ordinibus, tùm pro poteſtate obtinenda, ſicque merè extrinſeca ſunt ad cultum, & ornatum, non ſecùs, ac in ſæculari Principatu religio, iuſtitia, clementia, & virtutes reliquæ perficiunt quidem ipſum, at non conſtituunt Principatum aliquem ſublimiorem, qui dicatur, & ſit Principatus virtutum, ità chariſmata perficiunt quidem, & ornant hierarchiam, aut neutiquam hierarchiam diſtinctam, quæ dicatur chariſmatum, efformant; intueamur, & luſtremus chariſmata, & ipſa per ſe loquentur, quem reſpectum habeant ad hierarchiam. Non ex alijs, quàm *D. Pauli* ſunt reddenda verbis, ità ex ordine enumerantis. *Vnicuique autem datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem*; verba, quæ aſſignatam iam gratiam gratis datam confirmant. Mox proſequitur recenſens. *Alij quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ, alij autem ſermo ſcientiæ ſecundùm eundem ſpiritum; alteri fides in eodem ſpiritu, alij gratia ſanitatum in vno ſpiritu, alij operatio virtutum, alij prophetia, alij diſcretio ſpirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio ſermonum. Hæc autem operatur vnus, atque idem ſpiritus diuidens ſingulis provt vult*. Hæc ſunt chariſmata, & dona diuina diuini ſpiritus, quæ expendit accuratè *Sanct. Thom.* & cum alijs *P. Suarez*.

*1. ad Corinth. cap. 12. 8.*

*2. 2. q. 177. Vbi ſup. c. 5. per tot.*

Hæc dona certiſſima ſunt in Eccleſia, at reſpectu ſingularium perſonarum omninò incerta, cum ex mera largientis liberalitate, abſolutoque beneplacito obueniant, vixque concipi poteſt, quod ipſa ingrediantur, & conſtituant neceſſariò ſtatum, & gradum certum, ac ſtabilem; Da enim infantem de facto ſacris ordinibus initiatum. *C. vel non eſt. 14. de temp. ord.* ordinis caracterem hic vtique habebit, at gratias gratis datas nullas. Da impium hominem Sacramento ordinis initiatum, vtcumque ſit extra Eccleſiam, Sacerdos ſit, & iuriſdictionem habeat; habebit, & retinebit, vtcumque non habeat chariſmata, & dona, quæ ex ordinaria lege ipſi non debentur. Mulier certè Eccleſiaſticam hierarchiam non ingreditur, cum ſacri ordinis non ſit capax, & tamen chariſmata habere, & exercere poteſt; vt de Dei Matre, Eliſabeth, Anna, & Philippi filiabus memorat *S. Clemens Romanus*; non igitur neceſſaria ad hierarchicum ſtatum chariſmata, quæ adſunt, & abſunt provt diſponit ſpiritus, *diuidens ſingulis prout vult*. Vnde & ordo, & iuriſdictio, & actio poſſunt eſſe ſine chariſmate, quæ omnia Eccleſiaſticam hierarchiam conſtituunt, at ordo inutilis, non recta actio, *actionem repræhenſibilem*, *ordinem inutilem* dixit *Hugo de S. Victore*, at non hierarchiam omninò nullam, qualis foret, ſi eſſent chariſmata ipſi omninò neceſſaria. Abſoluta neceſſitate excluſa, neceſſitas nihilominus aliqua concedenda eſt, quę chariſmata hierarchiæ optimè iungat.

*Lib. 8. cōſtit. Apoſt c. 1. in fine.*

*Annot. Elucid. in lib. de cęl. hierarch. lib. 4.*

Neceſſaria igitur erunt tanquam diſpoſitiones congruæ, & ad ordinem digniùs exercendum, & ad iuriſdictionem explicandam fœliciùs, aptiores enim erunt ad vtrumque munus donis huiuſmodi ornati, quàm eorundem expertes. *S. Leo Magnus eos Rectores Eccleſiæ accipit, quos*

*Ser. 2. in anniu. aſſump. ſuæ in primo.*

Spiritus

*Spiritus Sanctus preparauit, vt in populo adoptionis Dei, cuius vniuerſitas Secerdotalis, atque regalis eſt, non prærogatiua terrenæ originis obtineat vnitionem, ſed dignatio cœleſtis gratiæ gignat Antiſtitem.*

Neceſſaria iterum, quatenùs ordinem, & iuriſdictionem comitando iuuant, excitant, promouent efficaciùs ad vſum, & influunt in ſacrum miniſterium, quo reſpiciens *S. Dionyſ. Areopagita* hierarchiam Eccleſiaſticam dixit eſſe non ſolùm ordinem, & operationem, ſed & ſcientiam; ſcientiam, quæ ſit propriè chariſma, ſcientiam diuina fide innixam, ſacram, & diuinam, non acquiſitam; hæc enim, & chariſmata alia exercitium, non tradunt ſimpliciter, ſed fructuoſum, & vtile. Sic Apoſtolus Cap.4.1. *Petrus. Vnuſquiſque ſicut accepit gratiam in alterutrum adminiſtrantes*; innuens ordinem ſic à Deo inſtitutum aptiſſimum, vt primò gratia à Deo accipiatur, & ſubinde alij communicetur, ac ex diuinorum vbertate chariſmatum mutuati diuini luminis radij in alios tranſmittantur. Non conſtituunt itaque chariſmata hierarchiam Eccleſiaſticam, ſed iam conſtitutam, partibuſque conſtantem ſuis ornant; muniunt, promouent, efficaciam ei præbent, nec abſolutè ad ipſam ſunt neceſſaria, ſed ſecundum quid, & ad perfectionem ipſius maiorem; hæcque de chariſmatibus ſatis.

# CAP. VI.

## De gradibus, & perſonis, quæ Eccleſiaſticam Hierarchiam ingrediuntur, & ſacrum Principatum participant.

1 *Tres tantùm ordines eſſe hierarchicos. Probatur ex Tridentino, & alijs auctoritatibus; quique ij ſint, & quæ ratio.*

2 *Rationes aliæ ternarij numeri adnectuntur.*

3 *Ratio à praxi Eccleſiæ in purpuratorum Cardinalium Collegio, & in generalibus Eccleſiæ comitijs.*

4 *Ordines inferiores, quare non hierarchici.*

1 VTCVMQVE Ordinis Sacramentum, quod tanquam cardo alter Eccleſiaſticam hierarchiam conſtituit, plures gradus contineat, non tamen omnes æquè hierarchiam ipſam ingrediuntur, ſed tres tantùm, quos, miſſis S. Dionyſij, & aliorum Sanctorum Patrum auctoritatibus, nouiſſimè aſſignauit Concil. Trid. canonem condens: *Siquis dixerit in Eccleſia Catholica non eſſe hierarchiam diuina ordinatione inſtitutam, quæ conſtat ex Epiſcopis, Presbyteris, & miniſtris anathema ſit.* Miniſtrorum voce, & non præcisè Diaconorum, vſum *Eccleſiaſtica Hierarch.c.5. & 6.* *Seſſ. 23. de Sacr. Ordin. can. 6.*

eſt Concilium temperans à dirimenda ea quæſtione, an alij inferiores ordines ſint hierarchici, propter varium loquendi morem, quem auctores catholici nonnulli ſibi vindicant eoſdem inferiores ordines hierarchicos appellandi; longè anteà tres hoſce ordines præcipuos agnouerant Apoſtolorum canones, & præſertim *Canon* 37. & 40. quo dictum: *Presbyteri, & Diaconi præter Epiſcopum nihil agere pertentent*. Addere poſſumus *Can.* 44. 45. alioſque conſimiles paſſim, in quibus trium horum tantùm ordinum, quòad regimen, habetur mentio; Accedant vetuſtiſſimi Patres Apoſtolorum æuo ſuppares *Clemens Romanus* Canonum Apoſtolicorum collector, cùm in conſtitutionibus, tùm in epiſtolis tres hoſce ordines enumerans tanquam iuriſdictionem, & auctoritatem habentes. *Ignatius Martyr* S. Ioannis Apoſtoli diſcipulus, & Apoſtolorum coæuus obedientiam tribus hiſce gradibus præſtandam iniungit; inculcat id ipſum Tarſenſibus, Antiochenìſque ſuis, pulchrè rationem adnectens; Principatus enim ritè, & ſapientèr ordinatus tribus præcipuè conſtare debet, auctoritate ad imperandum, prudentia ad iudicandum, ac deliberandum, virtute, ac diligentia ad exequendum; & triplex ergò hic ordo principans à Chriſto in Eccleſia debuit conſtitui, Epiſcoporum, penès quos auctoritas, ac poteſtas quacumque alia ſuperior; Presbyterorum, qui tanquam conſiliarij prudentia Epiſcopo aſſident; Diaconorum, qui induſtria, conſtantia, ac celeritate ſtatuta ab Epiſcopo, deliberata à Presbyteris perficiant, ac exequantur. Tribus hiſce gradibus obedientiam vrget & *Policarpus* Apoſtolorum coæuus; & quid amplius ab ijs optemus, qui Apoſtolos audierunt, & habuere Magiſtros? Hos imitati, & qui ſæculis ſubſequentibus floruere *Clemens Alexandrinus*, *Origenes*, *Tertullianus*, *Cyprianus*, *Optat. Mileuitanus*, *Hieronymus*, *Auguſtinus*, apud quos, memoratis tribus hiſce gradibus, de reliquis altum omninò ſilentium.

*Lib. 7. c. 31. lib. 8. cap. 45*

*Epiſt. 1. poſt princ. ep. 3.*

*Ep. ad Trallian. in princ.*

*Epiſt. ad Tarſenſ. epiſt. ad Antioch.*

*Epiſt. ad Philippẽſ circa medium.*

*Lib. 6. ſtrom. de fuga in perſec. c. 11. ep. 4. 5 6. 8. 10. 13 14. 15.*

*Lib. 1. & 2. cont. Parmenian.*

*Ex lib. 3. comm. in Michea. cap. 5.*

2 Auctoritati ſubdamus rationes huius numeri, eaſque potiores. Prima decet tot præfici ordines, quot ſunt operationes, ad quas ipſi deſtinantur; atqui conſecrantur homines ad tres tantùm functiones, ad purgationem immundorum, & hi Diaconi ad illuminationem plebis fidelis, & hi Presbyteri, ad perfectionem demùm, & hi Epiſcopi; non ergò plures ſtatuendi ordines; quod ſi contendas, & ordines inferiores Diaconis purgare; dicemus, non auctoritatiuè eos id facere, ſed miniſterialiter (vt loquuntur) neque enim poſſunt ijs, quos purgant, aliquid imperare, aut eos punire, vel ordinare, niſi quod à Diacono fuerit præceptum, aut ordinatum; miniſtri enim ſunt Diaconorum, vt inquit *Apoſtolica Conſtitutio*; attingunt quidem aliquos hierarchicos actus, ſed non hierarchicè, & ideò nec ipſi dici poſſunt ordines hierarchici; neque enim hierarchia legalis, quæ fuit figura, & exemplar Eccleſiaſticæ, alios ordines, quàm tres continuit, Summum ſcilicèt Pontificem, Sacerdotes minores, & Leuitas, vt ſcribit *Sanctus Hieronym.* Vnde & in Eccleſiaſtica tanquam in figurato tres ordines reſpondere debent Epiſcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum. Plaudit maximè trino huic hierarchico ordini

*Ep. 146. ad Valer.*

*Lib. 8. c. 28.*

*Epiſt. 85. ad Euagrium.*

ordini ratio planè Theologica, eaque poſtrema, nam poteſtas ſupra corpus Chriſti myſticum, quæ non alia, quàm hierarchica, innititur, ac fundatur ſuper poteſtate in Corpus Chriſti verum ità, vt nemo dici poſſit aptus ad ſacrum populi Chriſtiani regimen, qui non ſit conſecratus ad ſacrificij Chriſtiani adminiſtrationem; ſemper enim vel ſolo naturæ lumine edocti homines in ijs, quæ ad ſacra, & Diuina pertinent, non niſi ſacris; & deuotis Deo hominibus ſe debere eſſe ſubiectos cenſuerunt, nec alijs parendum crediderunt, quàm ijs, qui ad ſacrificium Deo offerendum eſſent deſtinati; neſcio quo naturæ inſtinctu ſuaſum habentes, Deum familiariùs ſe inſinuare ijs, qui ipſi eſſent addicti, & ab ijs diuina reſponſa ad nos referri debere, à quibus Numini munera noſtra offerrentur; quod Ethnici crediderunt, idipſum à Deo traditum & Iudæi tenuerunt religionis duces habentes Summos Pontifices, ſecundi ordinis Sacerdotes, & Leuitas, qui, etſi non ſacrificarent, operam tamen circa ſacrificium, & ea, quæ ad ſacrificium, impendebant; Pari ergo iure, & in Euangelica lege Imperium, & Principatus circa ſacra, & circa religionis obſeruantiam, non debuit alijs committi, quàm Sacerdotibus, & miniſtris ad ſacrificia; voluit enim (& meritò) Chriſtus, vt nemini in populum, quem paſſione ſua, & ſacrificio Crucis cruento proprium fecit, ac redemit, poteſtas competeret, cui non ipſe corporis, & ſanguinis ſui in Miſſæ ſacrificio incruento poteſtatem contuliſſet; Tota ſiquidem Eccleſiaſtica diſciplina nullo potentiori regitur neruo, quàm priuatione à ſacris, & excluſione à Sacramenti Dominici participatione, quam excommunicationem appellamus; eius rei tenaciſſimus ipſe Eccleſiaſticæ diſciplinę teſtis eſt *Tertullianus*; de ſacris fidelium conuentibus loquens. *Ibidem etiam exhortationes, caſtigationes, & cenſura diuina, nam & iudicatur magno cum pondere, & apud certos de Dei conſpectu; ſummumque futuri iudicij præiudicium eſt, ſiquis ità deliquerit, vt à communicatione orationis, & conuentus, & omnis ſancti commercij relegetur*. (*Apolog. c. 39.*) Aequiſſimum autem eſt, vt poteſtas excommunicandi alij ordinaria non ſit, quàm cui ſit poteſtas communionis largiendæ, ac Sacramentum corporis, & ſanguinis Domini diſtribuendi, cuius participatio eſt conſummatio Eccleſiaſticæ communionis; nemini igitur conuenit poteſtas in corpus Chriſti myſticum, ſeù in fidelem populum, qui excommunicationis pœna terretur, ac corrigitur, niſi cui data eſt poteſtas diſpenſandi Sacramenti corporis, & ſanguinis Chriſti; & ex hoc iacto fundamento ſubſumere licet; atqui in corpus Chriſti verum tres tantùm ordines poteſtatem habent; Epiſcopalis ſcilicèt, qui ſummus, & cui ex Chriſti inſtitutione Sacramentorum adminiſtratio principalitèr eſt commiſſa; Epiſcopus enim ſimpliciter, & abſolutè dictus, ſummus Sacerdos, atque Hierarcha à D. Dionyſio Areopagita; Presbyteralis, qui ſacrificandi poteſtatem habet, ſed ab Epiſcopo dependentem, & in collatione, (*De Eccleſiaſtic. hierarch. cap. 1.*) & in exercitio, vel vſu; Diaconalis demùm, qui circa corpus Chriſti limitatam poteſtatem habet, ad illud ſcilicèt mandato Presbyteri diſtribuendum, non ad conſecrandum, ad inſeruiendum Sacerdoti offerenti,

non ad offerendum, qui ideò in corpus Chriſti myſticum inferiorem habet poteſtatem executricem decretorum, & imperiorum à ſuperioribus ordinibus ptouenientium, quod nulli inferiorum ordinum poſt Diaconatum datur.

3 Dictis demùm hactenùs ſubſcribit praxis Romanæ Eccleſiæ, quæ omnium Eccleſiarum caput, magiſtra, & exemplar. Cardinales enim, qui ex quolibet hierarchico ordine aſſumuntur ad totius Chriſtiani orbis, & Eccleſiæ regimen ex tribus illis tantùm ordinibus ſeliguntur, ac in tres diuiduntur ordines Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos tanquam ſolos hierarchicos, nec in alios prætereà; Tandem in generalibus Eccleſiæ comitijs, ſiue concilijs, quæ per varia ſæcula ſucceſſiuè ſunt habita, ex omni ordine hierarchico aliqui interfuere ad diſceptationem cauſæ, quamuis Epiſcoporum tantùm propria eſſet deciſio; Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, vt in vetuſtiſſimis comitijs fas eſt intueri, quæ ſingula non cenſemus commemoranda; proſtant enim plurimæ Conciliorum generalium ſubſcriptiones, ex quibus eorum, qui interfuerint gradus apertiſſimè apparent.

4 Gradus ordinum inferiorum miniſterialiter, diſpoſitiuè, & finaliter operantur ad hierarchiam, & non hierarchicè; ſunt veluti inſtrumenta ſeparata, quæ mota mouent, nec vitam, aut denominationem participant, medij inter hierarchicos, & laicorum ſtatum, ac velut participantes de vtroque extremo, modò ad hierarchicos ordines reuocantur, ſub ordine tamen Diaconali, modò ad ordines initiandorum rediguntur, & quandocumque ſint initiantes, ſunt merè miniſterialiter, & non hierarchicè; ad quam ſanè diſtinctionem reſpexit *Synodus Laodicena Can.* 24. dum ſuperiores ordines vſque ad Diaconatum *hieraticos* appellat grecè, ſubdiaconum verò, & alios inferiores Eccleſiaſticos.

## De Monachis quòad Hierarchiam.

## APPENDIX.

Scriptorum conditio varia, & innata illa affectio, qua quiſq; in ſua eſt propenſus, nec non principiorum in doctrina diuerſitas diſſidium ingens in hac re pepererunt; nam *Ludouicus Cellotius*, qui tot hierarchias diſtinxit, quot partes hierarchiæ agnouit, Clerum etiam non vno modo accepit, & facilè ſuaſum habuit Monachos in hierarchia ordinis conſtituendos, in Clerum inferendos, à laicis omninò ſegregandos, hæc omnia, quæ veriſſima credit, confirmat. Aſſertiones eius ſingulas non proponimus, fundamenta non ingerimus, at id, quod verius cenſemus, proponimus; Supponimus denuò hierarchiam ex ordine, & iuriſdictione conſtantem, chariſmatibus inſtructam, ac ditatam, graduſque ordinum, qui ipſam ingrediuntur, & dicimus conſequenter Monachos, ſimpliciter, & abſolutè loquendo, non eſſe in Eccleſiaſtica hierarchia. Abſolutè diximus; fatemur enim poſſe Monachos non vna facie ſpectari, aut vno reſpectu; primùm, vt ſimplices Monachos nullo initiatos ordine; ſecundò, vt ordinatos Sacerdotij, aut Presbyterij gradu, nulla tamen addita iuriſdictione,

*De hierarch. lib. 7. cap. 1.*

ctione, ſiue ordinaria, ſiue delegata; græcè ἱερομοναχοι dicuntur; tertiò, vt ordinatos, ſed inſuper, vt iuriſdictionem habentes delegatam, ſiue mandatam, & non ordinariam; quartò, vt ordinatos, & habentes poteſtatem dimittendi peccata in ſuo Monaſterio; & quintò demùm, vt ordinatos in Presbyteros, vel Epiſcopos, ſimulque habentes iuriſdictionem ordinariam in aliqua Eccleſia, cui ſint Præfecti. Iuxta multiplicem hunc aſpectum, & varium ſolui poteſt difficultas, & illuſtrari, ac haberi veritas, idque breuitèr exequemur.

Diximus ergò, & dicimus iterùm, Monachos abſolutè ſumptos, & iuxtà primordialem eorum originem, non eſſe in Eccleſiaſtica hierarchia, ſiue latiùs, ſiue preſſiùs ſumpta; pendet aſſertionis veritas ex iam præmiſſis circa hierarchiam; ad illam enim neceſſarium adeò euicimus ordinis Sacramentum, vt ſine eo non ſit hierarchia, ſine eius gradu nullus ad hierarchiam acceſſus, nullus ingreſſus, ex nouiſſima Concilij Tridentini auctoritate; Monachi autem, vt Monachi, nullum habent ſacrum ordinem, ſed in puro ſtatu ſuo ſunt meri laici (quidquid velit fermè excandeſcens Cellotius) inter laicos enim eos recenſuit *Epiphanius*, & in

*Lib. de hæreſibus in fin.*

templo locum extrà Clericos, & inter laicos habuiſſe firmat *Leo Allatius* ex

*De Græcor. templ. p. 112.*

typico, cuius verba regerit, idemq; probat fundatè, non fuiſſe eos locatos medios inter Clerum, & populum,

*De Antiq. Miſſæ ritib. lib. 2. cap. 38.*

vt voluit *Ioſephus Vicecomes*, ſed cum ipſo populo fideli non contaminato ità, vt eſſent inferiores miniſtrantibus altari, ſed populo fideli ſuperiores, at extra ſacrarium in Narthece; quæ ſanè loci differentia in Eccleſia diuerſitatem etiam ſtatus, & conditionis arguit inter Clerum, & Monachos, eoſque acceſſiſſe potius laicis, quàm Clero; à quo immò fuiſſe ipſos omninò disiunctos probat *Caſſiani*, qui & ipſe fuit Monachus, auctoritas; is enim ſpiritum cœnodoxiæ examinans inter cœteros eius effectus, illum præcipuè aſſignat, qui ſæpius Monachos tunc afficiebat, & ait. *Nonnunquam verò Clericatus gradum, & deſiderium Presbyterij, vel Diaconatus immittit*. Monachum ſupponit, & extra Clerum, & ad hierarchicos gradus ambiendos tentatum, quaſi eſſet extra Clerum, & extra Eccleſiaſticam hierarchiam; conſtat adhuc à quo tempore fuerint Monachi in Clerum adlecti, & fœliciter inſertus Monachiſmus Clericatui; notauit id *Baron.* & à quibus

*Tom. 3 Annal. Ann. 328.*

factum. *C. Monachos 16. q. 1.* quæ ſanè ſuperueniens coniunctio ſeparationem ſupponit, nec Monachos antea fuiſſe Clericos, ſed laicos, quales non ſemel probat Galæus eruditus

*Ad d. c. 14. & alibi.*

Caſſiani commentator. Hinc ritus ille, vt Monachi poſt vniuerſum Clerum ad communionem accede-

*Conſtit. Apoſt. lib. 8. c. 1. & 3.*

rent; Hinc, quod Clerici delinquentes deponerentur, & degradarentur, Monachi verò non ſecùs ac laici excommunicarentur, & ſegregarentur *Can. 82. Syn. Conſtantinop. in trullo. Can. 9. & 13. Synodi ſeptimæ generalis*, quæ fuit *Nicæna ſecunda*. Verùm de Monachis agemus alibi ex profeſſo; hoc ratum, quod non ſunt ipſi in Eccleſiaſtica hierarchia, cum eorum offitium, & inſtitutum longe longius diſtet à fine, & intentione hierarchiæ; *Monachorum enim omnium* (inquit *Nicephor.*) *commune conſilium eſt, vt quam-*

*Lib. 11. Hiſt. Eccleſ. c. 41.*

*maximè animæ ſuæ tantùm curam gerant*,

*gerant, eamque à rebus, & ſtudijs huius vitæ per deſuetudinem alienent*. At hierarcha de aliena ſalute ſollicitus animam ſuam ponit pro ouibus ſuis, ex quo munere ſcribebat *Apoſtolus*; *Optabam enim ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis*; Et ideò Monachus nulli Eccleſiæ præpoſitus procul à Principatu eſt, adeòque procul à hierarchia, quæ ſacer Principatus.

Ep. ad Rom. cap. 9. 3.

Quod ſi Monachum ſpectemus ſacris ordinibus initiatum, at nulla iuriſdictione pollentem, admittemus quidem eſſe ipſum in hierarchia latiùs ſumpta, quę dicit collectionem, & compræhenſionem ordinationis Diuinæ omnium ſacrorum; at non in hierarchia magis propriè, ſumpta, quæ ſolo ordine non contenta, cardinem alium nempe iuriſdictionem expoſcit, & ſine hac nemo in hierarchia niſi imperfectè. At ſi Monachos intueamur, vt miſſos operarios in Diuinam meſſem, & ex Lateranenſis primùm Concilij decreto per *Innocentium III*. in *Cap. Inter cętera*. 15. *de off. ord.* ſubinde & *ex Trident.* ad iuuandos Epiſcopos directos in animarum cura per Diuini verbi prędicationem, & Sacramenti pœnitentiæ adminiſtrationem, ſiue commiſſum à Summo Pontifice exercitium, ſiue mandatam iuriſdictionem dicamus eos habere, adhuc in Eccleſiaſtica hierarchia eos eſſe non aſſeremus, mandata enim, ſeu delegata eſt hæc ipſorum iuriſdictio, non iure ſuo competens, ſed beneficio alieno, nec ea proinde, quæ in Eccleſiaſtica hierarchia poſſit eos ſtatuere; Vnde rectiſſimè *D. Thom. Quod auctoritate prælatorum aliquis prædicet, vel alia huiuſmodi faciat non ſupergreditur diſcipulatus, vel ſubiectionis gradum*. Quod ipſum latiùs expreſſit & *Io: Gerſon*. Nec magis in hierarchia gradum acquirent, ſi ordinati Presbyteri confeſſiones audiant in monaſterio ſuo, quo caſu monaſterium non eſt parochia, ſed in parochia, & circumſcripto Pontificiæ exemptionis priuilegio deberent Monachi; & monaſterium eſſe ſub Parocho, & ſub Epiſcopo, & ideò non in hierarchia; non enim habent Monachi Eccleſias, ſed Capellas, & ſacella *C. cum ad monaſterium, de ſtatu Monachor. Rub. de Capellis Monachor.* Nec Eccleſiæ nomen accepit Summ. Pontifex in *C. 1. de Capellis Monachor.* dum inquit *in Eccleſijs vbi Monachi habitant*, niſi impropriè; ſubdit enim immediatè; *populus per Monachum non regatur, ſed Capellanus, qui populum regat*.

Matth. cap. 9. 37.
Seſſ. 5. cap. 2.
2. 2. quæſt. 188. Art. 4. ad 1.
De poteſt. Eccleſ. conſid. 12.

Si demùm Monachi ſint ordinati, & alicui præficiantur Eccleſiæ, in qua tanquam Præfecti curam animarum gerant, ratione huius præfecturę iunctæ ordini hierarchiam propriè ſumptam ingrediuntur; ſic enim *Diu. Thom. non licet religioſis prædicare, docere, aliaque iuuandi populum offitia exercere, niſi vel ſint ordinati, & hoc exercendi à ſuperiore iuriſdictionem acceperint*. & nouiſſimè *Concil. Trid. C. 1. 16. q. 1.* Et praxis illuſtrat, qua cernimus Monachos Epiſcopos fieri, Archiepiſcopos, & vſque Pontifices Summos, quos nemo negauit eſſe in Eccleſiaſtica hierarchia, verùm non quatenùs Monachos, ſed quatenùs ordine, & ſacra Præfectura decoratos; iam ergò ſunt hæc potiora, quæ de ſacro Principatu viſa ſunt pro inſtituto proponenda, licèt non certè pro materiæ amplitudine. Sacer hic Principatus conſpirat fœliciter cum ſæculari, & poli-

2. 2. q. 187 Art. 1. in concluſ.
Seſſ. 23. de refor.

Digitized by Google

politico, & inter vtrumque ſua vigent diſcrimina, quamuis vterque ſit omninò neceſſarius; ſacer, & Eccleſiaſticus animæ imperat, politicus corpora regit, eaque animatâ; & ex hac differentia ſubiecti, circa quod vtrumque verſatur, prodeunt & aliæ ſubinde; Eccleſiaſticus enim ſacra adminiſtrat, politicus profana procurat; Eccleſiaſticus ad æternam fœlicitatem dirigit, & adſpirat, politicus pacem, & tranquillitatem temporalem intendit. Eccleſiaſticus hominem reſpicit, & in ſe, & vt in ſocietate viuentem, ſed quatenùs ęternam beatitudinem conſequi, & prædeſtinatorum cętui valeat aggregari; politicus hominem regit non ſibi, aut ſolitariè viuentem, ſed in ſocietate ciuili, vt in eo conuictu concentus, & proportio ſeruetur; vnde ſublimiora ſunt, ac magis neceſſaria illius, quàm huius munia, cum ille diuinas leges, hic verò ſectetur humanas; haſque differentias, quas agnoſcunt omnes Patres Eccleſiæ quaſi apice impoſito concluſit *Caſſiodor. Præfectus prætorio*, ac *Senator* ſcribens Ioanni Romano Pontifici ſacrum, & Eccleſiaſticum ampliorem politico faſſus, dum vtrumq; confert. Ait enim; *quapropter nos* Lib. 11. var. ep. 2. *decet cuſtodire aliqua, ſed vos omnia; paſcitis quidem ſpiritualiter commiſſum vobis gregem; tamen nec iſta poteſtis negligere, quæ corporis videntur ſubſtantiam continere. Nam ſicut homo conſtat ex dualitate, ità boni patris eſt vtraque reſoluere. Vos enim ſpeculatores Chriſtiano populo præſidetis, vos patris nomine vniuerſa diligitis. Securitas ergo plebis ad veſtram reſpicit famam, cui diuinitùs eſt commiſſa cuſtodia, quapropter nos decet cuſtodire aliqua, vos omnia*; hæc, & alia plura *Caſſiodor.* Nobis hæc ſatis de Eccleſiaſtica hierarchia, pro qua explicanda, modicum non eſt, contraxiſſe, quod iuſta volumina implet.

## CAP. VII.

### De Dignitatibus Eccleſiaſticis in genere.

1 *A hierarchia prima dignitatum origo oſtenditur, & indicatur à hierarchica ſubordinatione.*

2 *Traditur Eccleſiaſticæ dignitatis definitio, & explicatur.*

3 *Quando primò turbari cœpta recta dignitatum ſeries, & quomodo, primùm in Romana Eccleſia.*

4 *Quomodo & in alijs Eccleſijs, & adhibitum à Nicęna Synodo prima remedium.*

5 *Conſuetudo, & vſus Archidiaconorum auctoritatem confirmauit.*

A Gradibus, ſeù veriùs, ordinibus, quos ingredi Eccleſiaſticam hierarchiam hucvſque euicimus promouemur aptiſſimè ad dignitatum inſtitutionem, & originem, quam ex præmiſſis detegemus, & exhibebimus ſpectandam.

1 Quæ vnitas tanti ſemper facta in Eccleſia ab vno regendam ipſam edocuit, hæc ipſa & dignitates Eccleſiaſticas inſtituendas dictauit; cum itaque Eccleſiaſtica hierarchia ex triplici conſtaret ordine Epiſcoporum, Presby-

Presbyterorum, & Diaconorum, & ordo quilibet ex pluribus numero, ad vnitatis tutelam neceſſarium omninò viſum, in quolibet ordine vnum omnibus præfici, qui in præeminentiæ argumentum præmiſſa nota Principatus græca ( quæ eſt ἀρχὴ ) deſignaretur; qui præeſſet Epiſcoporum ordini diceretur Archiepiſcopus, qui Presbyterorum Archipresbyter, qui tandem Diaconorum Archidiaconus; ideòque veriſſimè notatum ab *Innocentio Ciron.* cum primùm inſtitutæ fuere Eccleſiaſticæ dignitates æſtimari eas conſueuiſſe ratione ordinis, at non cuiuslibet, ſed triplicis tantùm, Epiſcopalis, Presbyteralis, & Diaconalis, ex quo tres ordines iſti Eccleſiaſticam hierarchiam ingrediuntur propriè, alij verò non item.

*In paratit. Iur. Canal tit. de preb. & dignit. p. 2.*

Verùm parùm fuiſſet præeſſe cæteris ordinis excellentia, niſi poteſtas, & iuriſdictio adeſſet, qua, qui maior eſt, ſubiectos cogere, coercereque poſſet, & inde cęptæ dignitates cenſeri non à ſola ordinis ſacri præſtantia, ſed à poteſtate, & iuriſdictione, edocente ſubordinatione illa, illaque ſerie, in qua ſacer Principatus conſiſtit, eaque ſanctè adeò ſeruata, vt poſtremus Epiſcopalis ordinis, Presbyterorum nobiliſſimis quibuſque præferretur, & horum vltimus omnibus Diaconis tanquam inferioribus, atque ſubiectis anteiret, nec Diaconorum vllus gradu nedum, ſed poteſtate, & iuriſdictione ſuperiori alicui æquaretur; ad exemplar hierarchiæ legalis, qua Pontifex prçlatus ſemper omnibus Sacerdotibus, Sacerdotes Leuitis, & cuique ordini ſua aſſignata munia, quæ turbare, aut ſupra gradum ſe erigere eſſet omninò piaculum, idque ipſum transferri, & in hierarchiam Euangelicam æquè decuit; quam ſanè ſubordinationem, & ſeriem in Eccleſia vetuſtiſſimi ſuſpexere Patres eiuſdem Eccleſiæ *Clemens Roman. Ignat. Martyr*, *Clemens Alex.* ſed præ omnibus *S. Dionyſ. Areopag. à ſupereſſentiali* (inquit) *omnibus eminente ordinato Principatu*.

*Conſt. Ap. l. 2. c. 2. 1. ep. ad Tar ſenſ. & ad Ephes. l. 6 ſtrom. c. 4 & 5. cæleſt. hierarch.*

2 Duo autem inde colligimus; alterum ſuperiores ordines inferioribus imperare; Monachis Diaconos, Diaconis Presbyteros, Presbyteris Epiſcopos, & ſic deinceps aſcendendo; alterum, in quolibet ordine, qui ipſi præeſt, inferiores in munere ſuo peccantes corrigere, & plectere poſſe accepta à ſuperioribus ordinibus poteſtate; & ex hoc fundamento inductæ Eccleſiaſticæ dignitates Archipresbyteri, & Archidiaconi, eorumque attento gradu meritò poteſt definiri dignitas, prout eam definiuere ſcribentes; quod ſcilicèt *dignitas ſit præeminentia in Eccleſia, cum rerum adminiſtratione, & iuriſdictione*. Dicitur *præeminentia*, quia qui in dignitate eſt, ſicut alijs eſt ſuperior, ità præeminet, ac præcedit; additur *cum rerum adminiſtratione*, quia dignitas adnexum habet offitium, quod in adminiſtratione conſiſtit; ſubditur *cum iuriſdictione*, ſine qua dignitatem non dixeris, cum enim dignitas ſit participatio ſacri Principatus, iam eſſe non poteſt ſine publica poteſtate, & iuriſdictione.

3 Dignitatibus Eccleſiaſticis ſic erectis, iiſque ratione ordinis ſic per ſeriem diſpoſitis, vt Archidiaconus Diaconis præeſſet, cæteriſque miniſtris, Archipresbyter Presbyteris, non tamen recta hæc ordinis ſeries durauit, aut intra ſuos limites ſe continuit, ſed inſoleſcentes Diaconi conſti-

conſtitutam ſeriem conuellere cœperunt, ac ſupra Presbyteros ſe ſuperbè attollere; pullulauit hoc malum à Diaconis Romanæ Eccleſię, de quorum erecto faſtu nimio conqueritur S. *Hieronym.* cauſaſque tanti tumoris enumerat *Baron.* non modica ſanè fuit ipſius vrbis præſtantia, & ſplendor, ac in eius vrbis Eccleſia miniſtrorum numerus. At illa potior, quam innuit vbi ſupra *Hieronym.* quod ſcilicèt Presbyteri ad teſtimonium Diaconi ordinarentur; *ſed dicis* (inquit *Hieronym.*) *quomodo Romæ ad teſtimonium Diaconi Presbyter ordinatur? Quid mihi profers vnius vrbis conſuetudinem? Quid paucitatem, de qua ortum eſt ſupercilium, in leges Eccleſiæ vindicas?* Niſi addere velis, muneris Diaconorum Romanæ Eccleſiæ illud etiam fuiſſe, vt cauſas priuatorum referrent Summo Pontifici, & accepta ab ipſo reſponſa redderent; quæ ſanè omnes, aut ſingulæ adeò Diaconos Romanæ Eccleſiæ affecerunt, vt in tumentem nimis faſtum ſe extulerint.

*Ep.85.ad Euagr.ſ. 5. Annal. ann. 402.*

4 Et quamuis Romani tumoris ſui peculiares haſce habuerint cauſas, ab hac tamen Diaconorum labe reliquæ Eccleſiæ non abiere immunes; cum enim in omni Eccleſia rerum adminiſtratio penès Diaconos eſſet, inde frequentiùs in ipſos promanauit obſequium, ex quo demùm cœperunt ipſi ſupra Presbyteros ſe attollere, & in alios abuſus irrumpere, quibus remedium adhibendum cenſuit Nicœna Synodus prima *Can.* 18. ſic ſtatuens. *Hæc ergò omnia auferantur, & Diaconi intra ſuas menſuras permaneant ſcientes, quod ſunt quidem Epiſcopi miniſtri, Presbyteris verò minores. Accipiant autem ſuo ordine Euchariſtiam poſt Presbyteros eis præbente Epiſcopo, vel Presbytero.* Et eò vſque intumuerat Diaconorum typhus, vt addendum cenſuerit eadem Synodus. *Sed nec in medio quidem Presbyterorum liceat Diaconis ſedere, id enim fit præter canonem, & ordinem; ſi quis autem non vult obedire, etiam poſt has conſtitutiones, à Diaconatu deſiſtat.* Repreſſa quidem per hæc fuit Diaconorum arrogantia, ſed non adeò extincta, quin aliquando, & in dies erumperet, vnde occurrendum nouit Synodus quiniſexta Conſtantinopolitana in Trullo. *Can.* 7. concedens, vt ſedeant Diaconi ante Presbyterum tunc demùm tantùm, cum in aliqua Ciuitate Patriarchæ, aut Metropolitani vicem gerant; nec tamen ſatis id fuit, vt indicat *Balſam.* ad *d. Can.* 18. *Nicęn.* nam ſerpens hic faſtus Africanam tetigit Eccleſiam, ideòque Patres illi in Concilio 6. *Carthaginenſi Can.* 18. Canonem Nicęnum inſeruere; In Galliam migrauit, & ipſi fuit conſultum Concilio Arelatenſi primo *Can.* 18. & Concilio eod. 2. *Can.* 15. & vtcumque vſque ad ſæculum quintum frænum aliquod admitteret, demùm eò elatus eſt, vt ibidem, & in alijs Prouincijs Archidiaconorum gradus creuerit adeò ſupra Presbyteros, vt eos, ni iudicarent, ſaltem in ipſos inquirerent, eorum crimina deferrent, Epiſcopalibus iudicijs ſiſterent, ſententiam latam executioni mandari curarent, & alia etiam ad officium Eccleſiaſticum pertinentia imperarent.

5 Vſus, & conſuetudo tantùm auctoritatis ſubinde ſenſim inuexit, vt ſucceſſiuè Concilijs Gallicanis confirmata remanſerit; & præſertim Antiſiodorenſi, Metenſi, Matiſconenſi primo, Cabilonenſi ſecundo,

quorum Canones tranſlati leguntur in Capitularibus Caroli Magni *lib.* 5. *C.* 9. *&* *C.* 121. *& addit.* 4. *Ludouici C.* 95. *Vt prouideant Epiſcopi, ne cupiditas Archidiaconorum culpas nutriat Sacerdotum, quia multis modis mentitur iniquitas ſibi*; ſicque gradatim in Gallia creuit Archidiaconorum auctoritas. Nec minùs in Hiſpania in fauorem Archidiaconorum hæc ipſa germinauit conſuetudo, cui robur præbuere Concilia, Toletanum primum C. 20. in fine, quo Archidiaconum Canonum vindicem, aut ſupponit, aut conſtituit; Toletanum 4. *Can.* 3. Archidiacono tribuens actoris Concilij, & ſyndici munus, à quo ad Iudicis delegati, & mox ordinarij officium tranſire haud difficile fuit, ſicut ex viſitandi munere iniuncto ab Epiſcopo per eiuſdem Concilij decretum notabiliter fuit ampliata auctoritas. Auctę huiuſce auctoritatis argumentum eſt epiſtola *Iſidori Hiſpalenſis* tranſlata à Gratiano in Can. *Perlectis*. 25. *diſt.* quamuis nutet eius fides in ea parte, quam vbique deeſſe notant Romani correctores, & ab ea epiſtola fundamentum ſibi ſumpſere Archidiaconi ad propriam auctoritatem ampliandam, cui momentum dedit maius Toletanum Concilium, vt videre eſt inter antiquas Decretales apud *Anton. Auguſtinum*, quo Archipresbyterum ſubeſſe Archidiacono expreſsè fuit decretum, eòque per gradus eius peruenit auctoritas in Eccleſijs hiſce. In Italia, quæ fuerit Archidiaconi auctoritas, & quò eius conſcenderit incrementum indicat *caput ſecundum* ex antiquo ordine deſumptum apud *Ant. Auguſtinum*, & *caput* 1. apud *Gregor. IX. ſub tit. de off. Archidiac.* vtrobique enim legimus. *Vt Archidiaconus poſt Epiſcopum ſciat ſe eſſe Vicarium eius in omnibus, & omnem curam in Clero tàm in Vrbe poſitorum, quàm eorum, qui per parochias habitare noſcuntur ad ſe pertinere, ſiue de eorum conuerſatione, ſiue de honore, & reſtauratione Eccleſiarum, ſiue de doctrina Eccleſiaſticorum, vel cęterarum rerum ſtudio, & delinquentium rationem coram Deo redditurus eſt*. Percurrantur integri tituli de officio Archidiaconi, de officio Archipresbyteri, & ſparſi Canones, & inde apparebit præferri Archidiaconum Archipresbytero. In Eccleſia demùm Orientali præeminentiæ Archidiaconi ſupra Presbyteros paſſim fas eſt intueri veſtigia. *Iſidor.* enim *Peluſiota* Archidiaconos monet; *ne forenſem Præfecturam, ſed tranquillum Imperium munus ſuum cogitent*. Et in Concilio Chalcedonenſi Maram Diaconum excommunicatum legimus à ſuo Archidiacono, quia iniuria affecerat Presbyterum; claudat tandem *Petri Bleſenſis* teſtimonium, qui cum eſſet Archidiaconus Bathonienſis, velletque Richardus Epiſcopus Londonenſis eum promouere ad Presbyteratus gradum, ipſi ſcribit, & poſt plura allata de eminentia Sacerdotalis ordinis, vt ab eodem ex humilitate ſe ſubtrahat, omnem lapidem mouet, ac demùm addit; *Porrò dignitatis turbato ordine Archidiaconi hodie Sacerdotibus præeminent, & in eos vim, & poteſtatem ſuæ iuriſdictionis exercent; ea propter Archidiaconum in Presbyterum promoueri non eſt honorem eius augeri, ſed minui*; & inferiùs, *Hic verò quædam honoris amiſſio eſtnam ſi diligentiùs attendatur Archidiaconorum præeminentia, & depreſſio*

*Collect. 1. lib. 1. tit. 15. cap. 3. & tit. 16. cap. 1.*

*D. tit. 15. c. 2.*

*Lib. 1. ep. 157.*

*preſſio ſimplicium Sacerdotum, quædam degradatio eſt in Archidiaconis iſta promotio*; ſic igitur Eccleſiaſticæ dignitates, quæ primitùs ratione ordinis cenſebantur, à iuriſdictione æſtimari cęperant, quàm cum faciliùs ampliaſſent Archidiaconi, tanquam proximè hærentes Epiſcopo, inſeruientes, iniunctaque munia exequentes, longo vſu demùm obtinuerunt, vt poſthabita ordinis prærogatiua non ſolùm Diaconis, quorum eſſent Principes, ſed etiam Presbyteris, quorum ordo, & gradus eſt in hierarchia ſuperior, principarentur; tantum poteſt conſuetudo, vt hierarchicum ordinem turbet, & tamen malunt Pontifices Summi eam ſeruare, quam pacem conuellere, & reſtituendo, ordinem eundem iam diſpoſitum ſubuertere. Vtinam diſcant regentes ſummo inferiores.

## CAP. VIII.

## De Dignitatibus Eccleſiaſticis in ſpecie, & earum munere.

1 *De Diaconorum ortu breuiter agitur, & inde ad Archidiaconum, de cuius auctoritatis origine, & progreſſu.*

2 *Archidiaconi iuriſdictio præcipuè à conſuetudine metienda, & de intellectu* tex. in C. Romana §. 1. de appell. in 6.

DIgnitatum retecta origine, ac eſſentia reuelata ad earundem officia accedendum eſt; trium dignitatum officia nobis ſunt exhibenda Archidiaconi, Archipresbyteri, Primicerij, Priores duæ, quòad originem iam notæ ſunt, de tertia diſſeremus opportunè.

1 Archidiaconus igitur idem eſt, ac Diaconorum Princeps, ordine Archipresbytero minor, iuriſdictione maior; græcum Diaconi nomen, idem ſonat, ac miniſter, ac proinde ex vi, & proprietate ſua, & laicis, & Eccleſiaſticis commune, inualuit tamen, vt de ſolis Eccleſiaſticis accipiatur. Vix nata, & in cunabulis adhuc erat Eccleſia, ac ſtatim inſtituti Diaconi ex ipſis Apoſtolorum actis, *Cap. 6. num. 5.* primuſque extitit S. Stephanus, cuius fuit officium aſſiſtere S. Iacobo Apoſtolo, ſicut Thimothei Lino, & Cleto, Anacleti, & Clementis Petro, Laurentij Xiſto, quem ideò dictum, Archidiaconum ait *Anaſtaſ. Bibliothecarius*; vnde *Cyprianus*. *In vita Xiſti. epiſt. 64.* *Diaconos poſt aſcenſum Domini Apoſtoli ſibi conſtituerunt, ſui, & Eccleſię miniſtros*. Septem Romæ elegit Euariſtus, qui Presbyteris per ſeptem titulos, vel Eccleſias miniſtrarent; eoſdem per ſeptem regiones diuiſit Fabianus, qui numerus, & in alijs Eccleſijs ſeruatus, & Canone ſancitus in Concil. Neoceſar. *Can. 15.* munus ipſorum fuit pauperes alere per illas regiones, quæ Diaconiæ ſunt appellatæ apud Gregor. Magnum, *Lib. 9. ep. 24.* ipſique regionarij, ac ſubinde Cardinales, quod cardini, & cuſtodiæ vnius tituli eſſent addicti; neque hæc vna fuit ipſorum cura, ſed & legendi Euangelium, miniſtrandi Altari, nec non prædicandi eodem Magno Gregorio teſte; *Lib. 4. Ind. 13 epiſt. 44. in pr* ſicque demùm omnibus negotijs fuere præpoſiti; verùm cum ſeptenarius numerus tanto muneri, & oneri non poſſet ſuppetere, duplicatus fuit, &

quatuordecim conſtituti, ac diuiſa inter eos officia, vt alij prædicantem Epiſcopum cuſtodirent, ijque teſtimoniales dicti; Alij in Baſilica Lateranenſi, & Palatio Pontifici celebranti aſſiſterent, ijque Palatini, & Baſilicarij appellati; alij ſtationibus, litanijs, & publicis precibus intereſſent, ijque ſtationarii nuncupati; alii demùm pupillorum, & viduarum neceſſitatibus occurrebant, & totius Cleri victum procurabant ex fidelium oblationibus, & Eccleſiæ reditibus, qui à ſubdiaconis colligebantur, vt ex Vaticano codice refert *Baron.* & eorundem diſtinctionem exhibet Synodus Conſtantinopolitana in Trullo. Inter hos Diaconos antiquior (vt dicebamus) fuit eorum Princeps, & adiecta Principatus nota dictus eſt Archidiaconus; ſub eius poteſtate omnes Diaconi erant, ipſe eis præcipiebat, & eorum lites, & controuerſias, ſi quæ emergerent, componebat; nec minùs inferiores alij ordines ipſi ſubijciebantur; nam cum Presbyteri ad altare eſſent maximè intenti, Archidiaconus vniuerſum orationis officium diſponebat; indeque factum, vt Archidiaconi omnium rerum, & cauſarum Eccleſiæ perſcrutatores, & examinatores eſſent, quaſi quidam circumcurſatores, quos περιοδευτὰς appellat *Synodus Laodicena Can.* 57. Omnium denique negotiorũ promotores erant, vel à primis Eccleſiæ temporibus, vt indicat *Iſidor. in Can. perlectis.* 25. *diſt.* qui Canon dici poteſt officiorum omnium Eccleſiaſticarum dignitatum norma; ex quo ſubinde factum, vt dicti ſint Archidiaconi alæ, & oculus Epiſcopi in ordine Romano, omnis honor poſt Epiſcopum ipſis ſit datus, veluti vſus Dalmaticæ, quæ maximè propria erat Epiſcopi, ipſis communicatus, & demùm Archidiaconi officium in ſummam dignitatem fuerit conuerſum, & ex mandata iuriſdictione tributa fuerit ordinaria, quæ cum in dies aucta eſſet faſtum Archidiaconorum adeò extulit, vt non ſolùm Presbyteris, ſed etiam Epiſcopo auſi ſint velle nonnunquam præferri, nec ipſi obedire vellent. *C. Diaconos* 93. *diſt.*

*Tom. 11. Annál. ann. 1075*

*Can. 16.*

Auctam eòvſque auctoritatem Epiſcopi frænare, & compeſcere non potuerunt; verùm de ea conſultus Innocent. III. in *C. ad hæc. de off. Archid.* tanquam de incerta, & obſcura reſcribit, nec aliunde ad eam fundandam argumentum ſumit, quàm ab ordine Romano, & à D. Iſidoro in *d. Can. perlectis.* 25. *diſt.* quo vtroque fretus fundamento Archidiaconum oculum, & Vicarium Epiſcopi appellat, cui omnis ſollicitudo Eccleſiarum incumbat, Clericos in Eccleſijs inſtituat, viſitet, ſuſpendat, excommunicet, iudicet, abſoluat, & ſolo ſit minor Epiſcopo, vt innuit *Sydon. Apollin.* dum componens cum Epiſcopo Archidiaconum, cui epicedium canit, inquit *ille inſignia ſumpſit, hic laborem.*

Non ergò ex primæua inſtitutione ſua habet Archidiaconus, vt dicatur Vicarius, & oculus Epiſcopi, ſed quatenus ab Epiſcopo ei fuit permiſſum vſu demùm obtinuit, à primordio enim nihil potuit, niſi vt eius miniſter. *Cap.* 4. *&* 5. *de off. Archid.* & dependenter ab Epiſcopi conſenſu; at temporis proceſſu, quatenùs ſit conſuetudine, & vſu quæſitum adeò, vt in decretalibus tota regula, & menſura auctoritatis Archidiaconi ſit conſue-

conſuetudo *C. cum ſatis. de off. Archid.* & præſertim præſcripta; & ad hanc ſpectandam, vbi de eius poteſtate contingat dubitatio extra ea, quæ ſub *tit. de off. Archidiac.* traduntur; nec non ad Eccleſiarum particularium ſtatuta. Viſitatio enim, excommunicatio, ſuſpenſio, abſolutio ipſi non competit niſi ex conſuetudine *C. 1. de eo, qui furtiuè ord. ſuſcepit*, vel quatenùs curam habeat animarum. *C. cum in cunctis*. §. *inferiora. de elect.* ſicut accipitur & tex. in *C. 3. de off. ordin.*

2 Qua poſita conſuetudinis obſeruantia contingere poteſt, vt Archidiaconus, aut ab ipſa, aut à priuilegio habeat iuriſdictionem omninò diſtinctam à iuriſdictione Epiſcopi, habeat officialem proprium, propriumque tribunal, & tunc ſi à ſententia Archidiaconi appellandum ſit, appellabitur ad Epiſcopum tanquam ad immediatum ſuperiorem, non autem ad Metropolitanum, quod quidem in Concilio Lugdunenſi ſtatuit *Innocent. IV. in C. Romana*. §. 1. *de appell. in 6.* & quod acriter carpſit *Cuiac.* imperitiæ iuris inſimulans Innocent. IV. cum Innocentius III. & non IV. inquit *Cuiac.* fuerit iuris peritiſſimus, qui appellandum dixerit ab Archidiacono ad Epiſcopum; Archidiaconus enim Vicarius eſt Epiſcopi, vnde appellare ab Archidiacono ad Epiſcopum eſt appellare à Vicario ad Epiſcopum, adeòq; ab eodem ad eundem. Verùm non aduertit *Cuiac.* id compertiſſimum fuiſſe Innoc.IV. conſultiſſimo viro in eod. *Cap. Romana in princ.* appellationem ſtatuit ab officiali ad Metropolitanum, non ad Epiſcopum (*ne ab eiſdem à ſe ipſis interponi appellatio videatur*) ait ibi tex. at in §. 1. ſupponit Archidiaconum, aut conſuetudine, aut priuilegio iuriſdictionem omninò diuerſam ab Epiſcopo habentem, eundemque Epiſcopum medium inter Archidiaconum, ac Metropolitanum, & proinde ad ipſum appellandum, ſi enim conſideraſſet Archidiaconum ipſum, vt Vicarium Epiſcopi (quod ſi non conſtitutione ſua primæua, at certè conſuetudine habet) nunquam dixiſſet appellandum ad ipſum, & non ad Metropolitanum.

*Ad cap. referente de Præbend.*

Sunt hæc fundamenta totius Archidiaconalis auctoritatis, ideòque mutabilia pro conſuetudinis, & ſtatutorum Eccleſiæ varietate. Eſto enim, quod iure communi inſpecto Archidiaconus præcedat Archipresbyterum, at hoc pro ſtatuto vario immutatur, nam in Eccleſia noſtra Paduana Archipresbyter maior eſt Archidiacono, eſt enim prima dignitas, & ordinarius Capituli Præſes. Quæ igitur poſſit, vel non poſſit Archidiaconus, ſi dubitetur, ſpectetur vſus Eccleſiarum, earumque attendantur ſtatuta, & ſi quid certi deſideretur iure communi inſpecto, non aliunde erit petendum, quàm ex *Can. perlectis 25. diſt. & ex tit. decretal. Greg. IX. de off. Archid.* ad quem (cum breuis, & facilis ſit) lectorem remittimus.

CAP. IX.

## CAP. IX.

### De Officio Archipresbyteri, & Primicerij.

1 *Archipresbyter quis, & cur etiam Decanus dictus, & eius inſtitutio.*
2 *Excurſus de Corepiſcopis, & primò de ipſorum origine, nomine, & nominis ratione.*
3 *Dubitatum præcipuè, an verè fuerint Epiſcopi, & dubitandi ratio.*
4 *Non fuiſſe verè Epiſcopos probatur, & differentiæ inter vtrumque recenſentur, & quis propriè fuerit Corepiſcopi gradus.*
5 *Quo ſenſu aliquando Corepiſcopi veri eſſent Epiſcopi.*
6 *De ſubdiaconatu quatenùs ordo ſacer.*
7 *Corepiſcopi extincti ſucceſſiuè per varia tempora.*
8 *Eiſdem ſubrogati in ſollicitudine Archipresbyteri.*
9 *De Primicerio, & eius officio.*

EX quo cœptum (vt iam diximus) dignitates æſtimare non ab ordine, ſed à iuriſdictione, quamuis earum inſtitutio, & origo à ſolo ordine extiterit, poſt Archidiaconum ſubſequitur conſiderandus Archipresbyter, qui debuiſſet aliòqui præferri tanquam Presbyterorum Princeps, & poſt Epiſcopum primus; quod in iis, quæ Diuinum officium tangunt vices Epiſcopi gerat. *C.* 3. *hot. tit.* qua ratione, & Archidiacono eum præfert *S. Hieronymus*; Decanus etiam dicitur in *Can.* 2. 60. *diſt.* & in *C. ad hæc. de off. Archid.* quia præeſſe ſaltem decem Presbyteris debuerat adinſtar militaris Decani apud *Veget.* vel eius Decani, qui inter Monachos decem ex ipſis præſidebat, vt ex *Caſſiano* paſſim obſeruare licet, qui & ipſe debuit eſſe Presbyter, ſicut & Archidiaconus Diaconus; *C.* 1. & *ſeqq.* 60. *diſt.* Non multi numero Presbyteri initio Eccleſiæ fuere, viginti enim quinque fuiſſe inſtitutos à D. Petro in Vrbe Roma traditur; at propagata Eccleſia, & proſeminata fide paſſim non in Vrbibus tantùm, ſed & in Pagis, & Villis viſi ſunt conſtituendi ex Damaſo, & Anaſtaſio. Iis ergo multiplicatis, ne Epiſcopi nimijs occupationibus premerentur, inter eos vnus Presbyter inſtitutus eſt, qui cæteris præeſſet, iſque Corepiſcopus dictus primùm, ſiue περιοδευτὰ, hoc eſt diſcurſor, ſiue viſitator, qui circumcurſat, & animarum delicta obſeruat, ac fideles perficit, inquit *Theod. Balſam.* ſunt enim ad rem perappoſitè Canonis verba. *Quod non oportet in vicis, & pagis Epiſcopos conſtitui, ſed περιοδευτὰς* periodeutas, hoc eſt circumcurſatores.

*Ep. 4. ad Ruſtic.*

*Lib. 2. de re milit. c. 13.*

*De inſtit. renunc. lib. 4. c. 7. c. 10. c. 17*

*Ad Can. 57. Concil. Laodic.*

### De Corepiſcopis Excurſus.

DE Corepiſcopis nihil à nobis dictum, cum Eccleſiaſticam politiam exhiberemus, tanquam de munere, & gradu in Eccleſia iam ſuppreſſo, & extincto; iuuat nihilominus occaſione Archipresbyteri potiora de ipſis proferre in veneranda

randæ antiquitatis obſequium, iiſq; traditis ad rem noſtram redibimus.

2 Muneris Epiſcopalis amplitudo, nec minor Diœceſum ambitus Epiſcopos ipſos edocuit, vt nedum in vrbe adminiſtros, & adiutores Presbyteros ſibi adlegerent, & ordinarent, verùm & extra vrbem in vicis præſertim, in quibus Eccleſiæ tantùm erigebantur, in villis autem, & poſſeſſionibus Oratoria priuata de conſenſu Epiſcopi, non ad Liturgiam, ſed ad preces tantùm habendas.

Habuere ergo inter adminiſtros præter Archidiaconum, & Archipresbyterum, & Corepiſcopos, quod nomen dicit miniſterium iunctum ordini, ſiue gradui ab Epiſcopo delatum ad vicanas Eccleſias, quæ creditæ eſſent Presbyteris, dirigendas, ac diſponendas, vt loquitur *Can.* 10. *Concilij Antioch.* Corepiſcopi dicti, quod ἐν τῇ χώρᾳ, hoc eſt in pago Ciuitati adnexo adminiſtrationem Epiſcopalem exercerent, & vicariam operam Epiſcopis præſtarent; vnde

*In Breuiar. can. Can. 79.* & *Ferrandus Diaconus* vicarios Epiſcopi eos appellat ratione muneris, quod gerebant circa vicanas Eccleſias, & ruſticanas paræcias, non attenta nominis origine, ſed ſpectata ſolicitudine, quam in ſubiectas Eccleſias impendebant; Canones Arabici ex verſione Alphonſi Piſani. *Co-*

*Can. 58.* *repiſcopus eſt loco Epiſcopi ſuper villas, monaſteria, & Sacerdotes villarum, quæ ſub poteſtate eius ſunt*; & inferiùs. *Corepiſcopus, & Archi-*

*Can. 64.* *diaconus ſunt tanquam duę manus, & duæ alæ, quibus Epiſcopus volat.*

3 Conſtat quidem de gradu olim in Eccleſia, at dubitatur de auctoritate, & præſertim an Epiſcopalem habuerint, ac verè fuerint Epiſcopi? Ne dubitetur ſine cauſa, ſed rationabiliter, facit citatus *Canon* 10. *Antiochenæ Synodi*; cuius ea verba. *Tom. 1. Concil.*

*Corepiſcopi, qui manus impoſitionem ab Epiſcopis ſuſceperunt, & vt Epiſcopi ſunt conſecrati, tamen placuit Sanctæ Synodo eos modum proprium retinere, & gubernare adiacentes ſibi Ciuitates, & eſſe contentos propria ſolicitudine, & gubernatione, quam ſuſceperunt.* Partes autem, quas exercere potuerint, euidentiùs ipſorum Epiſcopalem gradum confirmant; proſequitur enim Canon; *conſtituere autem his permittitur lectores, & ſubdiaconos, atque exorciſtas, quibus ſufficiat iſtorum tantùm graduum licentiam accepiſſe.* Neque maiorum ordinum conferendorum facultate ipſi carebant, quamuis eſſet iiſdem ligata, & impedita. Subdit enim idem Canon; *Non autem Presbyterum, non Diaconum audeant ordinare præter conſcientiam Epiſcopi Ciuitatis, vel Eccleſiæ, cui adiacens inuenitur &c.*

Indulta autem ab Epiſcopo facultate vtrumque præſtare iure ſuo poterat; immò ſi de facto, & non permittente Epiſcopo ordinaſſet, ſuſtinebatur ordinatio, quamuis ordinans Corepiſcopus deponeretur; claudit enim Canon. *Quod ſi quis præuaricari auſus fuerit conſtituta, deponi eum, & dignitate, qua præditus eſt, debere priuari. Corepiſcopus autem ab Epiſcopo Ciuitatis, cui idem adiacet, ordinatus eſt.* Ordinat igitur Corepiſcopus Presbyteros, & Diaconos, quo nil magis Epiſcopale.

4 At probari hæc nullo modo ei poſſunt, qui ſciat Epiſcopale culmen Corepiſcoporum gradum longiùs

giùs ſupergredi, & ea, quæ eminentioris ſunt omninò propria, longè inferiori non poſſe competere; differentiæ plures, eæque graues vigent inter vtrumque gradum; ordinatio enim Corepiſcopi ſoli, & vni Epiſcopo tribuitur, cum tamen Epiſcopalis debeat fieri à tribus, vel ad minimum à duobus ex *Can.* 1. *Apoſt.* Epiſcopi in Vrbe tantùm poſſunt conſtitui, Corepiſcopi in villis, & pagis; *Can.* 57. *Concil. Laodicen.* indeque meritò diſparem auctoritatem licet arguere.

Negari non poteſt, quin fuerit Corepiſcopalis hic gradus approbatus vniuerſaliter in Eccleſia, & frequentiſſimus præſertim in Orientali, cum Corepiſcopos ex varijs prouincijs ſubſcripſiſſe Nicęnæ magnæ Synodo apertè legamus; erant ipſi medij inter Epiſcopos tanquam maiores, & Presbyteros tanquam inferiores non ſolùm ruris, ſed & Ciuitatis, non tamen habebant gradum Epiſcopalem ex *Can.* 10. *Antiocheno*; vnde præclarè S. Leo Magnus poſt enumerata Corepiſcopi ſingularia munia, ſubdit; *Quoniam quamquam conſecrationem habeant, Pontificatus tamen apicem non habent.* Concilium Regienſe in Gallia Narbonenſi *Cap.* 2. ordinationem armentarij factam à duobus Epiſcopis nullam declarat, & tamen *Cap.* 3. Corepiſcopum hunc ipſum fieri indulget, ſicque illum, qui nunquam fuerat Epiſcopus.

*Epiſt.* 88.

At verò in *Can.* 10. *Antiocheni Concilij* iam ſupra adducto; legimus; *Quamuis manus impoſitionem Epiſcoporum perceperint, & vt Epiſcopi conſecrati ſint*; quæ ſanè verba Corepiſcopum Epiſcopum ſupponunt; ita quidem; ſed Concilij verba facilè, ea interpretando, expediuntur; primò enim, quamuis tunc is fuerit vſus, vt plures Epiſcopi Corepiſcopos ordinarent, nihilominus Damaſus Summus Pontifex omni conatu oſtendere nititur ipſos non fuiſſe ordinatos in Epiſcopos, neque eos inde Epiſcopos arguit; ſecundò verba Concilij ità poſſumus accipere, vt Corepiſcopi non à pluribus Epiſcopis, ſed ab vno debuerint ordinari, cum enim non loquatur Concilium de ordinatione cuiuſlibet ſingularis Corepiſcopi, ſed de ordinatione Corepiſcoporum in genere, rectè potuit ità loqui, & plurali numero vti, vt tamen ſingulos à ſingulis Epiſcopis, & non à pluribus intenderet ordinari ſicut planè; ſi diceremus Presbyteros ordinari ab Epiſcopis, non hoc tamen vellemus ſingulos Presbyteros à pluribus Epiſcopis ordinari, licèt enim vnicus Epiſcopus poſſet plures ſucceſſiuè in eodem die ordinare, contingit tamen, vt inter plures non vnus omnes, ſed alij alios ordinent; tertiò demùm notabile eſt, non dixiſſe Concilium Corepiſcopos per *manuum* impoſitionem ab Epiſcopis ordinari, ſed per *manus* impoſitionem, quod tanquam notabile ponderauit *Vaſquez*; Epiſcopi enim, & Presbyteri per manuum, Diaconi per manus impoſitionem ordinantur; itaque ſi Corepiſcopi per manus impoſitionem ordinantur, iam Epiſcopi eſſe non poſſunt, cum ſecundùm Epiſcoporum ritum non ſint conſecrati; nec magis vrgent Concilij verba, & *vt Epiſcopi conſecrati ſint*. Nam immò retorquentur facilè, cum particula illa *vt* ſimilitudinem dicat, non veritatem; minuit enim valdè de ipſa rei veritate, & indicat potius

*Epiſt.* 5. *tom.* 1. *ep. Decret.*

*In* 3. *p. D. Thom. diſp.* 238. *num.* 7.

eos

eos non eſſe verè Epiſcopos, vtcumq; videantur ordinati, vt Epiſcopi; ſic enim argumentatus eſt & S. Damaſus Papa; addens & hunc ipſum Corepiſcoporum gradum in ſacris literis nullum habere fundamentum, nullamue auctoritatem, ac proinde concludit eos veros Epiſcopos dici non poſſe, ſed Villanos Epiſcopos, & ideò ſubdit; *nam manifeſtè patet, quoniam Epiſcopi non ſunt; & ſi Epiſcopi non ſunt, & Presbyteri eſſe deſpiciunt, quid erunt?* minimi adeò facit, ad intentum, ordinationem à pluribus Epiſcopis factam, & manuum impoſitionem, cum re vera quælibet manuum impoſitio non concludat Epiſcopalem ordinationem, iuxta enim variam intentionem manum imponentis effectum etiam varium ipſa manus impoſitio inducere poteſt.

*Epiſt. 3.*

5 Verùm notandum illud eſt; Corepiſcopatus gradum ab Epiſcopo regulariter ſolis Presbyteris conferri conſueuiſſe, ſed & nonnunquam ordinato iam Epiſcopo fuiſſe collatum, idque factum, vt Epiſcopum ordinarium; & Diœceſanum in onere, & munere commodiùs leuaret, Epiſcopo ſcilicèt vacanti, qui iam Epiſcopalem conſecrationem accepiſſet, tuncque is, cui Corepiſcopatus miniſterium conferebatur, verus Epiſcopus erat; praxim adijciet, ac exemplar *Nicæn. Can.* 8. quo cautum, vt Nouatiani Epiſcopi ad Eccleſiam redeuntes; recipiantur, & ſint Epiſcopi; & ſi Epiſcopo, vbi commorantur viſum fuerit, gradus Corepiſcopatus ipſis conferatur, quo caſu hic idem, & Epiſcopus, & Corepiſcopus erat; & tunc non per ſe Corepiſcopus Epiſcopus erat, ſed per accidens, quod quidem confirmat, & *Zonar. ad d. Can.* 10. *Concil. Antiocheni*; ſic ſcribens. *A Diaconis, Sacerdotibusque creandis abſque Vrbani Epiſcopi facultate, etiamſi Epiſcopali ordine aliquando inſigniti fuiſſent, prorſus Corepiſcopi abſtineant.* Indeque explicationem recipiunt, & verba illa, quæ in eodem Canone habentur, dum dicitur, *nec Presbyterum, nec Diaconum ordinare audeant, abſque Vrbis Epiſcopo*; quaſi ſcilicet eo conſentiente, aut mandante hoc ipſis liceat, tanquam Epiſcopis; nam primò dici poſſet accipi Canonem de ijs, qui Corepiſcopi quidem ſunt, ſed ſimul per acceptam manuum impoſitionem veri Epiſcopi, non autem ſimplices Corepiſcopi. Sed, etſi loquatur Canon præciſè de his, omnem ſcrupulum tollit expoſitio, quam ijſdem verbis tradit *Theod. Balſam. Illud autem ſine Epiſcopo (inquit) qui eſt in Vrbe, non accipitur pro eo, quod eſt ſine eius mandato, ſed pro eo, quod eſt ſine illius ordinatione, ſiue conſecratione. Et ſi enim fuerit Corepiſcopo mandatum, vt Presbyterum ordinet, & hoc fecerit, irrita erit ordinatio*; per quæ ſanè verba ſoluitur quidquid afferri poteſt pro Corepiſcoporum auctoritate, & diluitur facilè, quod de ſubdiaconatu à Corepiſcopis conferendo eodem Canone ſtatuitur, nam ſi Corepiſcopi poterant conferre ſubdiaconatum, alterum neceſſariò dicendum eſt, aut ſcilicèt ſubdiaconatum non eſſe Sacramentum, ſed Sacramentale, aut ſi hoc non concedatur, Corepiſcopos ipſos fuiſſe Epiſcopos.

6 At pro varia auctorum opinione, varia etiam poteſt adaptari huic fundamento reſponſio; Primò enim dici poſſet ſubdiaconatum non eſſe

eſſe ordinem ſacrum, immò nec Sacramentum, ſed Sacramentale, ac proinde à Corepiſcopis meritò potuiſſe conferri; fuit hæc opinio Durandi, Caietani, & aliorum. Secundò dici poſſet, nunc eſſe quidem ſubdiaconatum ordinem ſacrum; at olim non item fuiſſe, & tunc potuiſſe à Corepiſcopis conferri, at ex quo factus eſt ordo maior, & ſacer deſijt Corepiſcopis facultas eum conferendi; non fuiſſe olim ſubdiaconatum ordinem ſacrum probat *C. nullus in Epiſcopum* 4. 60. *diſt. ſacros autem ordines dicimus* (ait ibi Canon) *Diaconatum, & Presbyteratum*. Vrbani Papæ, à quo mutuatus eſt *Gratian.* hunc canonem, mentem aperuit Innocentij III. in *C. A multis de æt. qualit. & ord. præficiendi*, qui ità loquitur apertè, vt ſubdiaconatum olim ordinem non ſacrum, demùm ſacrum fuiſſe factum oſtendat; probabilis eſſet, ac plauſibilis reſponſio, niſi conſtaret, quod poſtquam ſacer factus eſt ſubdiaconatus, adhuc Corepiſcopi ordinem illum contulerint, Tertiò demùm reſponderi poteſt ſegregando miniſtrum ordinarium ſacræ ordinationis ab extraordinario, & ex commiſſione; ordinarius miniſter ordinationis, & per ſe, eſt Epiſcopus; extraordinarius, aut ex commiſſione Presbyter etiam inferior; nedum ipſe Corepiſcopus, committente ſiquidem Papa Corepiſcopus, & inferior Presbyter ſubdiaconatum conferre potuit; ſicut & Abbas; quod quidem diſcrimen probaſſe videtur (& eruitur ex eius verbis) *Eugenius IV. Summ. Pontifex in Decreto fidei poſt vltimam ſeſſionem Concilij Florentini*; ſed inſtabitur; quomodo potuit ordo ſubdiaconatus, qui non erat ſacer, fieri ſacer, & qui non erat olim Sacramentum fieri poſteà Sacramentum? cum auctor Sacramenti alius non poſſit eſſe; niſi Chriſtus Dominus, & Deus; numquid Eccleſia potuit Sacramentum inſtituere, & de non Sacramento facere Sacramentum? Reſp. tamen ſubdiaconatum ſemper fuiſſe ſacrum, ſimul & Sacramentum, ſed non ſemper id conſtituiſſe, ſed ſupra memoratorum Pontificum æuo id declaratum fuiſſe; potuereque Corepiſcopi ordinem illum validè conferre, qualiſcumque enim eſſet, aut ab Eccleſia, aut à Summo Pontifice potuit committi, vt conferatur. Quæ autem è contra non liceant Corepiſcopis enumerat *S. Leo Magnus*, nec nos eius verba tranſcribenda ducimus. *d. Ep. 11.*

7 Erant igitur Corepiſcopi inter Epiſcopum, & Presbyteros medij, quæ mediæ conditiones ſunt planè difficiles, vix enim eſt, quin ad extrema vergant, ſeque ſimul, & alios turbent; id ſanè impletum in Corepiſcopis, quorum audaciæ fines auctoritatis propriæ tranſilienti obſiſtendum cenſuit *Synodus Antiochena d. Can.* 10. *viſum eſt* (ait Synodus) *vt ſuum modum ſciant; & ſibi ſubiectas Eccleſias adminiſtrent, earumque cura, & ſolicitudine gerenda contenti ſint.*

Sed tandem cum frænum non admitteret, aut ſentiret eorum procacitas; non compeſcendus, ſed amputandus hic gradus viſus eſt, qui moderationis remedium non reciperet; ideò Damaſus Papa eos iam ab Epiſcopis prohibitos ſupponens, iterum diſtrictè prohibuit, & expunxit epiſtola ſua, ex qua deſumptus *Can. Corepiſcopi*. 68. *diſt.* Verùm hac Damaſi interdictione, aut in totum

non interierunt Corepiſcopi, aut extincti iterum reuixerunt, & præſertim in Gallia, ac Germania, ideoque poſt Damaſum, qui præfuit Eccleſiæ ab anno 367. ad 384. S. Leo Magnus, qui præſedit Pontifex ab anno 440. ad 461. epiſtolam ſuam ad Epiſcopos Galliæ, & Germaniæ conſcripſit, quæ vigentem adhuc in illis Prouincijs apertè teſtatur Corepiſcoporum vſum, immò & ſub Pontificatu Ioannis III. qui ſedit ab anno 560. ad 572. extitiſſe eos adhuc indicat eius epiſtola ad eoſdem Epiſcopos Galliæ, & Germaniæ circa Corepiſcopos, quamuis illam, vt ſuppoſititiam reijciat *Baron.* *Tom. 7. Annal. an. 572. in princ.*

Neque mirum, quod contra interdicta Summorum Pontificum, aut perſeuerarent, aut reſurgerent Corepiſcopi; interdicta enim illa nullum habebant adnexum decretum irritans, hoc eſt non decernebant inane, quidquid fieret in oppoſitum; & quod verius, affectantes Epiſcopi proprium leuamen, & commodum eoſdem tanquam adiutores ſuos, aut ſuſtentabant, aut excitabant. Apertiſſimè Capitularia Caroli Magni. *Lib. 6. cap. 119.* *Placuit, ne Corepiſcopi à quibuſdam deinceps fiant, quoniam hactenus à neſcientibus Sanctorum Patrum, & maximè Apoſtolicorum decretis, ſuiſque quietibus, ac delectationibus inhærentes facti ſunt*; & ideò parùm ad eos reprimendos, aut extinguendos profuerunt Summorum Pontificum reſponſa, & Conciliorum decreta. Donec & Pipini nondum Regis æuo conſultus Zacharias, & Caroli Magni Leo III. Romani Pontifices reſcripſerunt ſeruanda eſſe iam decreta, & ſtatuta toties circa Corepiſcopos; vnde Carolus Magnus in Capitularibus ſuis poſt multa diffuſa ſatis, de Leone III. conſulto loquens ait. *Lib. 7. c. 1171* *Prædictos autem Corepiſcopos omnes præcepit damnare, & in exilio detrudi*; irritum decernens quidquid geſtum eſſet ab ipſis. Iſque tandem fuit Corepiſcoporum exitus in Eccleſia, quibus ſucceſſere tanquam ſubrogati Archipresbyteri, ad quos iam redimus.

## Reditur ad Archipresbyteros.

8 Electi ergò, & inſtituti Archipresbyteri, qui præeſſent, & curam gererent aliorum Presbyterorum, ſeu Plebanorum, eorumque negotia deferrent ad Epiſcopum, vel Archidiaconum *C. fin. de off. Archipresbyt. C. ad hæc de off. Archid.* qui etiam Decani rurales dicti ad differentiam Ciuitatenſium, nam in Vrbibus, & earum Cathedralibus adeſt Decanus, ſiue Archipresbyter, qui vices gerit Epiſcopi in his, quæ ſpectant ad Miſſæ ſacrificium, & alia, de quibus omnibus, & ſingulari Archipresbyteri officio *tex. in C. 3. & paſſim tot. tit. de off. Archipresb.* ad quem meritò remittimus.

9 Accedimus poſtremò ad Primicerium, quem non accipimus hìc generaliter, pro eo, qui primus cuiuſque ordinis eſt, & deſcriptus in matricula, vel cera omnibus anteit; qualem dicere poſſumus, & Archidiaconum; ſed Primicerium in proprio, & arctiori ſignificato ſumimus, pro eo, qui primus in choro, & in cantu abſente Archipresbytero, quique Archidiacono ſubeſt; in aliquibus Eccleſiis nomen eſt dignitatis. *C. cum acceſſiſſent. de conſtitut.* ha-

bet ſiquidem iuriſdictionem adnexam, & facultatem animaduertendi in Clericos delinquentes. *C. perlectis*. §. *Primicerium* 25. *diſt.* eamq; non modò in Sacerdotes inferiores exercet, ſed & in ipſos dignitate ſpectabiles; vnde qui in Eccleſia pręficitur Diaconis, & alijs Clericis, aut cantoribus inſtruendis ad cantum in choro deſtinatis, is dicitur Primicerius.

Duæ enim in Eccleſia fuere ſcholę, altera cantorum, puerorum, & minimorum Clericorum, qui Diuinis addicti, modum pſallendi, cantum, & minores literas diſcebant; in capitularibus; *ſed etiam ingenuorum filios aggregent, & vt ſcholæ legentium puerorum fiant, pſalmos, notas, cantus, computum, grammaticam per ſingula monaſteria, vel Epiſcopia diſcant*. Altera verò ſtudentium Theologiæ, & ſacris rebus, cui præeſt is, quem poſt Concil. Trident. Theologum dicimus, & potiori titulo dicitur Primicerius, ac diſtinguitur à cantore in *C. conſtitutis. de appellat.* Primicerij nomine venire & Cancellarium notat *Cuiac.* Primicerium autem ſcholaſticum, vel cantorem meram habuiſſe dignitatem non aſſerimus, ſed potiùs perſonatum, vel officium, idque totum ex conſuetudine varia Eccleſiarum metiendum, ac dijudicandum eſt; *C. cum olim*; *de conſuet.* pròvt habetur in antiqua decretali apud *Antonium Auguſtin.* vbi latior eſt, ac diffuſior; certè in auguſtiſſima Ducali Eccleſia Venetiarum prima dignitas nomine Primicerij donatur; qui eam gerit Patritius Venetus ex lege eſſe debet, veſtitu, auctoritate, prouentu emicans diſtinctè, & ſic pro cuiuſlibet Eccleſiæ more varios gradus obtinet; & variè de Primicerij titulo in praxi cenſendum.

*Lib. 1. c. 72.*

*Ad Cap. Ap. de his, quæ fiunt à Prælatis.*

# CAP. X.

## De inſigni ſacrorum Procerum Pallio, & eius vſu.

1 *Ratio pallij inducendi, & eius definitio, ſeù veriùs deſcriptio, & ſubinde forma.*
2 *Origo pallij proponitur, eaque antiquiſſima, & redditur opinio, quod à Conſtantino Imperatore proceſſerit.*
3 *Eiuſdem opinionis comprobatio.*
4 *Opinio ipſa expenditur cum eius fundamentis, innuiturq; verior ſententia.*
5 *Soluuntur fundamenta oppoſitæ opinionis.*
6 *Cuius ſit pallium conferre, examinatur opinio negans Romani Pontificis id eſſe, eiuſq; relata fundamenta ſoluuntur.*

QVIA Magiſtratuum in Republica, vt non idem eſt gradus, ità inæqualis eſt iuriſdictio, decuit, gradus ipſius eminentiam, poteſtatiſque amplitudinem, & indicari, & diſtingui ornatu aliquo, aut ſigno, in quo ſuſpiciant inferiores non tàm geſtantis, quàm largientis maieſtatem, eique cultum non minùs, quàm obedientiam exhibeant. Ad hoc intentum dirigitur in Eccleſia inſigne, quod dicitur palliùm, & de eo breuitèr inſpicienda

ſpicienda hæc, & inquirenda nobis ſunt. Quid ſit hoc pallium; quæ, & vnde eius origo; quæ ratio, quiſue finis, & forma, & qualis eius vſus.

1 Diſpoſita ad vnitatis tutelam, ac diſtributa Eccleſiaſtica politia (vt aliàs oſtendimus) per Prouincias, vnus debuit cuique prouinciæ præfici, qui cæteris comprouincialibus Epiſcopis, & gradu, & auctoritate præſideret, ſummumque omnium hierarcham, ac ſupremum Eccleſiæ caput velut radius, & imago repræſentaret. Is Archiepiſcopus eſt, ſeu Metropolitanus, cuius auctoritas, & gradus nedum re, ſed & ſpectabili indice debuit deſignari; index autem is non alius, quàm pallium, quod deſcribitur; vt ſit *inſigne ornamentum Metropolitanorum de corpore Beati Petri ſumptum paſtoralis officij plenitudinem deſignans*. Cur dicatur *ornamentum*, conſtabit, cum ipſius pallij formam exhibebimus; *Metropolitanorum* dicitur, & non *Epiſcoporum*, quia illorum eſt maximè proprium, & ſi quando Epiſcopus habeat, vt in *C. cum in iuuentute. de præſumpt.* id habet non ordinario, ſed ſingulari iure, ſeu priuilegio. Subditur *de corpore B. Petri ſumptum*, hoc eſt de Altari, ſub quo corpus S. Petri conditur; Altaria enim à primis Eccleſiæ temporibus ſuper tumulis Martyrum erigi conſueuerunt, vt eriguntur adhuc, offeruntur enim in die S. Martyris Agnetis Romæ in eius Eccleſia, quæ eſt in via Nomentana, agni aliquot candidi ad Miſſam ſolemnem, qui cuſtoditi tondentur poſtea, & ex eorum lana texuntur pallia, quæ ſubinde deferuntur in Baſilicam Vaticanam, & ponuntur ſuper corpora SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli in vigilia Natalis eorum, ibique relinquuntur tota nocte, & die ſubſequenti deputatis cuſtodienda traduntur; indeque meritò dicitur pallium de corpore B. Petri ſumptum; adijcitur demùm *plenitudinem paſtoralis officij deſignans*. Ad hoc enim dirigitur pallium tanquam index, & ſignum. *C. niſi. C. ad honorem. de auct. & vſu pall.* Definitioni deſcriptionem adnectimus, vt de re, quam tractamus euidenter conſtet.

Eſt igitur pallium torques, ſiue collare, quod geſtantis circumambit collum, ſed ſuper humeros, ex lana pura contextum, crucibus exornatum, à circulo enim, ſiue collare faſcia vna conſimilis pendet ante pectus, alia poſt tergum æqualis anteriori, & aliæ duæ, ex quibus quælibet ſuper humeros, & in qualibet ex hiſce faſcijs cruces ſunt infixæ, ſiue inſutæ purpureæ; quam deſcriptionem exhibet Innocentius III. & paſſim ſpectare licet, tum ex vtentibus Archiepiſcopis hanc pallij formam, tùm ex imaginibus, hæcque apud Græcos eſt aliqualiter diuerſa, ſed merè accidentali differentia longioris faſciæ. Hinc ad originem pallii ſcrutandam accedimus, qua in re variè ſanè fuit opinatum non tam veritatis, quam affectionis, nec adeò rectę, ſtudio.

2 Antiquiſſima eſt pallii origo; eaque magis tribuenda moribus, & vſui, quàm ſcripto, aut conſtituto iuri, & magis traditionis, quàm canonum auctoritati; & ideò extitit, qui ingenuè aſſeruerit, nullam ſe inuenire potuiſſe pallii originem; verùm quia altè pungit, quidquid in Romanæ ſedis dignitatem, & auctoritatem redundat, ideò pallii inuentum externo potiùs beneficio, quàm

Romani

Romani Pontificis auctoritati tribuitur reſpiciendo ad donationem Conſtantini, & eius edictum; quod quidem ſi admitteretur tanquam legitimum, facilè etiam pallii inſtitutio donatori Conſtantino poſſet tribui. Legitur in ipſa; *Nos autem ſplendidiſſimum phrygium lorum, quod ſanctam Reſurrectionem ſignificat eius ſancto capiti proprijs manibus impoſuimus*; mox inferiùs; *Decernentes, vt omnes eius ſucceſſores phrygio vtantur loro in proceſſionibus ad imitationem imperij*; & in *cap. Conſtantinus* 90. *diſt.* nonnulla habentur, quæ pallium ab Imperatore indicent; *contradimus deinde diadema, videlicet coronam capitis noſtri, ſimulque phrygium, nec non ſuperhumerale, videlicet lorum, quod Imperiale circumdare aſſolet collum*; quibus redditis verbis addit tandem ſic ſentiens, & notabimus eius verba; *quę ſanè eſt plena fermè pallij Archiepiſcopalis deſcriptio ſub phrygij, ſeu lori nomine, & quamuis Decretum illud quoàd multa ſit fabuloſum, quod tamen ſpectat ad quædam donaria, & ornamenta non videtur omninò contemnendum*. Rectè omnia; & fabula vertatur in hiſtoriam, dum ad minuendam Pontificiam auctoritatem inſeruiat, & vt pallium mendicatum ab alia, quàm à Pontificia manu, euincatur; ac ipſa pallij auctoritas extenuetur. Sic enim habet. *Cum verò poteſtas* Vbi ſup. n. 1. *ipſa Epiſcopalis à Deo ſit vniuerſa, & non ab homine, niſi miniſterialiter, quatenùs ab homine ſit electio*, & *deputatio perſonarum, planum eſt iſta pallia nihil poteſtatis tribuere Metropolitanis, qui in ſua legitima ordinatione etiam ſine pallio totam, quam habent conſequuntur à Deo poteſtatem. Si quid ergo operatur pallium, id ſignum tantùm erit legitimę ordinationis, & ritè factæ deputationis, ac miſſionis, ſolaque humana inuentione peculiare hoc pallij indumentum eſt Metropolitanis attributum, ſoloque iure humano Eccleſiaſtico pallium, ſi quid dat, dat potiùs exercitium legitimum poteſtatis, quam poteſtatem, eodemque ſolo iure Eccleſiaſtico impediri videtur Metropolitanis, & vetari exercitium ſuorum propriorum munerum Metropoliticorum, ſaltem aliquorum, niſi prius pallium ſint conſecuti*. Nec alia certè de cauſa attenuatur pallij auctoritas, niſi quia eius traditio à manu Romani Pontificis eſt; quidquid ſit de intentione ſcribentis, eius opinio circa pallij originem non diſplicuit meritiſſimo alicui alteri, doctiſſimo recenti auctori, quamuis non ſatis probatam afferat, & vtcumque eam admittat, intentione tamen omninò diuerſa pro ſua in Romanam ſedem fide, & cultu. Quod igitur probando non præſtitit qui ſupra exequitur hic auctor, cuius ſcriptionis ſummam exhibebimus, lectori, nec ſine fructu.

3 Duo ergo proponit, vtrumq; eruditè pro more ſuo probaturus. Alterum, aliam fuiſſe olim pallij formam, ab ea, quam modò ſpectamus; Alterum; fuiſſe pallium primitùs genus Imperatorij indumenti, cuius vſu ab Imperatoribus permiſſo Patriarchis, hi ſubinde eundem communicarunt Metropolitanis; vtrumq; aſſertum confirmat; & primò primum; aitque fuiſſe pallium antiquitùs indumentum præclariſſimum, & fulgens vſque ad terram protenſum, & hoc dictum fuiſſe *pallium* latinis; Græcis verò ωμοφόριον, quod

idem

idem eſt, ac ſuperhumerale, vel etiam græcè φενόλιον ὠμοφόριον duo ſignificat; & veſtem laneam, quam humeris ſuis imponebant Epiſcopi extra ſacrificij tempora, & qua vtuntur adhuc æuo noſtro, eamque vocant *Mozzetta*, ſiue cappam breuem. De qua *Iſidor. Peluſiota*; & indumentum Patriarcharum, quod latini pallium appellant; Hoc itaque indumentum, ipſumq; pallium fuiſſe ad terram protenſum, & diuerſa forma ab hodierno pallio probat; primò auctoritate à *Zonara* mutuata, qui ait Anaſtaſium inſiſtentem veſtigijs Germani Patriarchæ *omophorium eius calcaſſe, vt eum admoneret, ne feſtinaret*; quod aliter fieri non poterat, niſi indumentum fuiſſet vſque ad talos demiſſum adeò, vt à ſubſequenti poſſet calcari; ſecundò ex epiſtola *Pelagij Primi, & Gregorij Magni* Summorum Pontificum; Ille enim ad Sapaudum Arelatenſem Epiſcopum; *pallium dirigentes, vt in tanti loci faſtigio conſtitutus, præclaro quoque habitu decoreris*. Gregorius verò ad Siagrium Epiſcopum Auguſtodunenſem. *Quia dignum profectò eſſe credimus, vt cum mentis grauitate, habitus quoque exterioris clarior in te cultus accreſceret*; mox inferiùs; *cuiuſne indumenti munificentiam nudam videamur quodammodo contuliſſe*; & demùm adhuc infra; *ſed quoniam cum honoris augmento cura quoque ſolicitudinis debet accreſcere, vt cultui veſtium actionis quoque ornamenta conueniant*.

*Lib.1.ep. 136.* — *In vita Conſtant. Copronymi.* — *Lib.7.ep. 112.*

*Lib.4.ep. 54.* Idem Pontifex Martiniano Epiſcopo Rauennati de vſu pallij ipſi conceſſo. *Sic enim alterno eris inuicem decore conſpicuus, ſi ad huiuſmodi corporis habitum mentis quoque tuæ bona concordent*. Quæ ſanè auctoritates pallium, non faſciam, qualem intuemur hodie, ſed indumentum exhibent; quod erat primùm præmiſſum, & probandum; eſſe verò indumentum Imperatorium oſtendi aliunde meliùs non poteſt, quàm ex Conſtantinianæ donationis edicto; quod probatum videtur ab Eccleſia Romana, ex quo admiſit inſertum Gratiani decreto; & licèt non recipiatur ab auctore ſupradicto; vt verum, antiquiſſimum tamen agnoſcit, & exiſtens Hadriani Primi Summi Pontificis, & Caroli Magni æuo, & ideò quidquid probationis ex eo promitur inuincibile ab eo habetur. Verba ſunt edicti, quæ ſupra recenſuimus ex *C. Conſtantinus 96. diſt. Deinde diadema coronam videlicèt capitis noſtri, ſimulque phrygium, nec non ſuperhumerale, videlicet lorum, quod Imperiale circumdare aſſolet collum, verùm etiam & clamydem purpuream, atque tunicam coccineam*. Fallitur ſummus Vir *Baron.* dum prhygium pro pallio accipit; cum ipſe verborum ex donatione contextus phrygium tegumentum, & ornamentum capitis denotet apertè nimis, & ideò *Baronij* epitomator *Spondanus* phrygium pro Mitra, ſeu Thiara expoſuit; & conſimiliter *Balſamo* phrygium, & lorum pro eodem accepit; *Regio loro* (inquit) *caput eius tegitur*. Sed expoſitioni huic refragatur apertè nimis edictum ipſum Conſtantini, quod *ſuperhumerale* exponit *videlicet lorum*; & vt ſuperhumerale reſpicit ex vi verbi humeros, ità cum capite nihil habet; vnde nec *lorum* reſpectum aliquem dicit ad caput; ex edicto igitur Summo Pontifici duo fuere ab Imperatore, ad rem, donata; *lorum*,

*Tom.5.Annal Ann.430.* — *Ad Nomocan. tit. 8.*

hoc

hoc eſt *faſciæ*, quibus indumentum eius ornabatur, & chlamys, ideſt, pallium Imperiale; Quibus attentis pallium videtur duo continuiſſe, nempe indumentum, quod eſſet propriè pallium, & faſcias, quibus ornaretur; alludit *Balſamonis* teſtimonium, ac reſponſa, quibus veſtes deſcribuntur Conſtantinopolitani Patriarchæ, & præſertim ſaccus patriarchalis, quem delineat idem *Balſam.* & referre, ait, pallium latinorum; ſaccus autem fuit integra veſtis, non collare. Indeque concludit pallium fuiſſe veſtem ad humum vſque demiſſam, qualem exhibere videntur Pelagius, & Gregorius, cuius vtriuſque iam deſcripſimus auctoritates, adeòque Imperialem, & ex ſola Imperiali munificentia adeptam, ſicut teſtatur, & factum Anthimi Conſtantinopolitani Patriarchæ, qui à ſede ſua depulſus, vt ſcribit *Baron.* pallium Iuſtiniano Imperatori reſtituit; ſic enim de eo *Liberatur Diaconus*. *Anthimus videns ſe ſede pulſum pallium, quod habuit, Imperatoribus reddidit*. Iuſtiniano ſcilicet, & Theodoræ Auguſtæ; reddere ſupponit recepiſſe ab eo, cui redditur; & *S. Gregorius Magnus* ſcribens Sebaſtiano Epiſcopo Riſinienſi de Anaſtaſio Patriarcha reuerſo ait; *Præterea indico ſuggeſtionem me ad pijſſimos Dominos ſummis precibus plenam feciſſe, vt virum beatiſſimum Dominum Anaſtaſium Patriarcham conceſſo vſu pallij* (en pallium ab Imperatore) *ad B. Petri Apoſtolorum Principis limina mecum celebraturum ſolemnia miſſarum tranſmittere debuiſſent, quatenus, ſi ei ad ſedem ſuam minimè reuerti liceret ſaltem mecum in honore ſuo viueret*.

*Lib. 7. Iur. Græc. in meditat. Patriarchar.*

*Et ibid. reſponſ. 37. ad interrog. Marci Patriarchæ Alexandrini Vbi de ſacco patriarchali.*

*Tom. 7. Annal. Ann. 536.*

*In Breuiar. cap. 21.*

*Lib. 1. ep. 27.*

4 Placuit hæc ſententia (vt iam diximus) Auctori ſupra dicto, quæ vel à nomine ſui auctoris diſplicere poterat; momentum ingens hęc approbatio ei tribuit; diſceptare ſtylus noſter non patitur; percurremus nihilominus opinionem, & quid veritas in aduerſum ſuggerat promemus.

Iam faſſus eſt improbatus ille auctor ſe originem pallij iuuenire non potuiſſe, licèt eius vſum ſemper in Eccleſia obſeruet; vtcumque ab Euangelio, à Canonibus, à iure ſcripto non habeatur pallij origo, ſupererat adhuc examinanda obſeruatio, & conſuetudo, quæ demùm ſine euidentia originis inolita in tutiſſimum principium debuit reſolui, in Apoſtolorum ſcilicèt auctoritatem, & Eccleſiaſticam, ac Apoſtolicam traditionem, nec aſſeri ſine origine potuit, quod immò certiſſimam habet. Tertullianus. *Habes obſeruationem inueteratam, quæ præueniendo ſtatum fecit. Hanc ſi nulla ſcriptura determinauit, certè conſuetudo corroborauit, quæ ſine dubio de traditione manauit*; plura ſubdit inferiùs, ſed hæc ad rem ſatis.

*De Corona c. 3.*

*C. 4.*

Præſtabat igitur inde originem pallij agnoſcere, quàm fallaci coniectura aliunde deducere; & præſertim ab Imperiali poteſtate, cum qua nil commune habere poteſt pallium, & pallij auctoritas, eſt ſiquidem ſignum plenitudinis Pontificalis officij, ac eius poteſtatis, quam Metropolitanus in vniuerſam Prouinciam, & comprouinciales Epiſcopos gerit, idque ſacrorum Conciliorum Canones ſanctorum Patrum dicta paſſim teſtantur, *Concil. Lateranenſe* 4. *ſub Innoc. III. C.* 5. *Generale* 8. *cap.* 23. *S. Gregor. Magn. Alcuinus*, *Amalar.* à quo igitur eſt poteſtas ab eodem debet eſſe, & ſignum; poteſtas autem

*Lib. 4. ep. 14.*

*Lib. 10. ep. 55.*

*De diuin. offic. c. 38*

*De Eccl. off. lib. 2. c. 23.*

autem Archiepiſcopi non eſt ab Imperarore, ſed ab Eccleſia, & à Summo Pontifice eius capite, non ergò ab Imperatore poteſt eſſe pallium; cum enim ad vnitatem ſeruandam in Eccleſia, quando iam cœpit ipſa diffundi, & ampliari, & Epiſcopi ſeparatim quilibet Eccleſiam ſuam regere cœpiſſent, debuere ſub vno immediatè colligi, qui eis præſideret, hæcque præeminentia Metropolitano obuenit non ex Vrbis pręſtantia, ſed ab Apoſtolorum traditione, & Eccleſiaſticæ legis auctoritate *Can.* 35. *Apoſtol. Can.* 6. *Concil. Nicœn.* 1. *Antiochen. C.* 9. alijſque ſucceſſiuè concilijs, quæ poteſtatem Archiepiſcopi in ſuffraganeos conſtituunt; noſque ſupra de Metropolitanis agentes ſatis indicauimus; decuit igitur & ſignum aliquod conſtitui, quo, tanquam teſſera connexionis cum ſupremo capite, ijdem coniungerentur, & à legitimo, ac vero fonte recepta auctoritas ab omnibus conſpiceretur, hocque ſanè excogitare, & inſtituere potuit Eccleſiaſtica poteſtas, ſimulq; conferre ſine vllo Imperialis concurſu. Factam olim apud Romanos maieſtatis communicationem per pallium, & purpuram literæ teſtantur *Comodi* ad Albinum ità poſt alia ſcribentis. *Sanè vt tibi inſigne aliquod Imperialis maieſtatis accedat, habebis facultatem vtendi Coccinei pallij me præſente, & ad me, habiturus & purpuram ſine auro*. Torquem diximus pallium, quo Apoſtolici Imperij communicetur maieſtas, & ſupremæ poteſtatis indicetur participatio; non ab alio impertiendum, quàm ab eo, penès quem rota Imperij reſidet ſumma; materiam huius torquis conſidera, totamque eius ſtructuram; lanam puram ex innocentibus agnis, nihil gemmarum, auri nihil, cruces pro gemmis, ſimplex candor ſine vllo purpuræ fuco, qualem demùm Eccleſiaſticam humilitatem deceat. Et quis credat Imperatorem ad ditandam, & exaltandam Eccleſiam intentum pauperem, & humilem huiuſmodi torquem largitum?

*Apud Iul. Capitol. in princ.*

Lino Petri ſucceſſori, & aſſeſſori pallij inſtitutionem aliqui tribuunt, qui Ephod Præſulibus in auctoritatis argumentum tribuerit; Ephod autem duplex fuit; alterum pro linea tunica ſimplex, & ipſum lineum; alterum ſuperhumerale Summorum Pontificum ex hiacinto, purpura, cocco, byſſoque contextum, vt apud *Anaſtaſium Synaitam*, & *Arnoldum Abbatem Bonævallis*; & huic torqui ſubrogatum pallium, immò à D. Petro communicatum; legimus enim apud *Rupertum*, maternum à B. Petro miſſum ad Treuirenſem Eccleſiam pallium ſuis ſucceſſoribus reliquiſſe, quod ipſe à Principe ſuo acceperat; ipſemet auctor memorat ex libro de Romanis Pontificibus in Marco primo Pontificalis pallij mentionem habitam, in ea verba. *Hic conſtituit, vt Epiſcopus Oſtienſis, qui conſecrat Epiſcopos Vrbis, tunc pallio vteretur, & ab eodem Vrbis Epiſcopo conſecraretur*. Tot ergò cum ſuppetant ipſius pallij, & eius originis teſtimonia, non eſt cur Imperatori tribuamus acceptum, quod Eccleſia per ſe potuit inducere.

*Tract. de verbo Domini in Bibliotheca SS. Patrum. Lib. 1. de Diuin. off. c. 27. Lib. 3. c. 11. num. 3.*

5 Dederit Conſtantinus ſuperhumerale (quod ſupra opponebatur) dederit lora, & clamydem loris, ſiue faſcijs ornatam, at hanc eſſe pallium vix poſſumus imaginari; donauerat Conſtantinus Romam cum tot

adiacentibus Summo Pontifici, & nil mirum, ſi clamydem, & exornantia lora tribuerit in Imperialis maieſtatis ſplendorem; & ornamentum; at quid hæc cum pallij humilitate, quod temporale nihil, ſed merè ſpirituale, & Eccleſiaſticum ſignificat? fuerint intexta; vel adſuta clamydi lora, ſiue faſciæ ad ornatum, ſeparauit ſcindens fortaſſe Syluester, & in pallium efformauit? & quis dicat ab Imperatore datum, quod Syluester ingenio, & placito ſuo exſuens in pallium conuertit? miramur creditum ſummis viris ſaccum Patriarchalem, qui eſt indumentum ad terram, & vſque ad talos protenſum apud Græcos, eſſe pallium latinorum non alio argumento niſi, quod Græcus Patriarcha ſacco diebus ſolemnibus vtatur; ſi enim tempus ad vſum præfixum rem conſtituit, iam quidquid ſolemnibus diebus adhibetur poterit eſſe pallium. Vel oculus hæc diſcernit; aliud enim eſt collare, & aliud veſtis talaris; etſi Græci Patriarchæ cruces addiderunt ſacco, vt rem facerent Eccleſiaſticam; iam ergo non Conſtantinus dedit pallium; ſed Patriarchæ de clamyde ſpeciem mutantes fecere pallium. Vix percipi poteſt ſaccum Patriarchalem, qui ad latinorum pallium refertur, ab Imperatore profectum; cum *Theodor. Balſamo* ſingula ornamenta, & indumenta Patriarchæ myſticè interpretans, ſaccum exponat *pallium illud contumeliæ, & opprobrij*; & quis credat myſticum hoc indumentum ab Imperatore profectum? notabile eſt tandem *Balſamonem* enumerare inter Patriarchalia ornamenta *collaria*, & exponere lorum illud, *quod vitam ad mortem traxit*; hoc collare, hoc lorum alludere aptiùs

*Lib. 7. Iuris Græcorum in meditat. meditat.*

videtur, ac referri ad latinorum pallium, quàm ſaccus; fallaces nimis, & incertæ ſunt hæ coniecturæ, nec inferunt iuſtè, quod Archiepiſcopale pallium ab Imperatore ſit.

Factum ſupereſt ex auctoritate Anthimi Patriarchæ pallium Imperatori reddentis tanquam ab ipſo acceptum, & tanquam Imperatorium munus; at nil mirum; quod Imperatoribus, & præſertim Theodoræ reddiderit Anthimus, cuius opera ipſe Epiſcopus Trapezuntius in Conſtantinopolitanam ſedem fuerat intruſus; Catholicæ fidei fictus aſſertor, ſed re ipſa Eutichianæ hæreſis ſectator, eoque nomine malè audiens apud Agapitum Romanum Pontificem, qui (vt ſcribit *Baron.*) legatione aſſumpta Conſtantinopolim, licèt adnitentibus Principibus, negauit tamen ſe vnquam Anthimum ad ſalutationem recepturum, niſi libello ſe probaret Orthodoxum, & ad Sedem ſuam Trapezuntium rediret; cumque Theodora nec minis, nec precibus Agapitum à ſententia poſſet dimouere Anthimi deponendi, ipſe ſede ſua ſe pulſum videns pallium, quod habuit, Imperatoribus reddidit, & præſertim Theodoræ, cuius impia opera illud obtinuerat; numquid reddidiſſet Agapito? à quo fuerat depoſitus, & qui nunquam eum agnoſcere voluerat? abſit, vt factum impij hominis pallium Principibus reſtituentis, arguat pallium ab Imperatoribus profectum; ſat fuerit damnatum Anthimum in Concilio Conſtantinopolitano ſub Mena, pulſum in exilium à Iuſtiniano, & eiuſdem iuſſu ipſius ſcripta combuſta, ne tanti ſit eius factum, vt traditi ab Imperatore pallij præbeat argumentum. Haud abſimiliter accipienda & verba

*Tom. 7. Annal. Ann. 536*

verba S. Gregorij de Anaſtaſio Synaita ſcribentis, ſimulque intercedentis apud Imperatorem, vt pallio vti ipſi liceat; Quàm ſubmiſsè cum Principibus egerit ſemper S. Gregorius Magnus, proque humilitate ſua, ſed & conſtanter, notum eſt ex eius epiſtolis; Anaſtaſius hic erat Synaita Antiochenus Epiſcopus pulſus in exilium à Iuſtino Imperatore, penès quem ſe ſcribit interceſſiſſe, vt colligitur ex *Baron.* agere meritò ità debuit interueniens pro exule, & extorre, & auctoritate Imperiali à ſede ſua pulſo, ſubmiſſiùs exorans pro eo impetrando, quod aliàs iuſtè competeret; at nil minus inferri inde poteſt, quàm pallium ab Imperatore eſſe, nam etiamſi aliunde habeat, vti poſſe tamen cum gratia Imperatoris, & extorrem in honore haberi deprecandum fuit, vt liceret, & ſubmiſsè impetrandum. Ad hæc reponenda excitauit appræhenſa veritas, quando ſi ſola eſſet damnati auctoris opinio præiudicata iam foret ex hominis conditione, at quia momentum ingens addit docti viri approbatio, licèt intentione omninò diuerſa, examinanda fuit, ſed ſemper cum æſtimatione, & cultu tanto nomini, tantæque doctrinæ debito.

*Tom. 7. Annal. An. 572.*

6 Connexa origini pallij, & ſanè conſequens eſt illa inquiſitio, quam ſtatim excitamus, cuius ſcilicèt ſit in Eccleſia pallium largiri? non enim alterius poteſt eſſe id muneris, quam Summi Romani Pontificis; Quod ſiquidem confertur tanquam inſigne plenitudinis poteſtatis non ab alio concedi debet, quàm à ſupremo totius Eccleſiæ capite, & totius plenitudinis primario fonte. Damaſi, Vigilii, Pelagij Primi, ſed Magni Gregorij plures id confirmant epiſtolæ; ſed egregium eſt teſtimonium relatio illa celebris Luitprandi hiſtorici à legatione ſua Conſtantinopolitana redeuntis, quam per extenſum regerit *Baron.* ex qua ad rem pauca hæc ſat erunt verba. *Sed quid hoc memorem cum ipſa Conſtantinopolitana Eccleſia noſtræ Sanctæ Catholicæ, atque Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ merito ſit ſubiecta? ſcimus, immò videmus Conſtantinopolitanum Epiſcopum pallio non vti, niſi Sancti Patris noſtri permiſſu.*

*Ep. 7. c. 5. ep. 6. 7. 10 ep. 6. 7. lib. 4. ep. 8. 50. 54.*

*Lib. 5. epiſt. 7. lib. 7. epiſt. 5. lib. 11. ep. 44. lib. 12. ep. 15.*

*Tom. 10. Annal. ann. 968.*

Nemo deinceps renuat id ipſum profiteri, quod ſeruatum in Conſtantinopolitano Patriarcha intuetur; ſed omitti non debet Bizantinum ab initio ſimplicem Epiſcopatum fuiſſe ſub Heracleenſi Metropolitano, & quamuis Conſtantinopolitano primo, & ſubinde Chalcedonenſi Concilio ſit euectus in Patriarchatum, hoc tamen ſine vlla diminutione iurium Apoſtolicæ ſedis debet intelligi; ideò quidquid ſit de Conſtantinopolitano inſiſtit auctor ſupradictus, & negat Patriarchas reliquos accipere pallium à Romano Pontifice, noſſe fundamenta aſſertionis non pigebit lectorem, ideò potiora promemus breuiter; odit infelix quidquid maieſtatem Romanæ ſedis arguit, & ideò ipſam pallii dationem non patitur; vrget igitur; Summus Pontifex à nemine accepit pallium, ſed ipſe ſumit; infertque ſubinde hoc ipſum à reliquis etiam Patriarchis præſtandum, & de facto præſtitum; vt id confirmet percurrit ſingulos; de Alexandrino teſtis *Liberatus* ſic ſcribens. *Solitum olim recens creatum Patriarcham Alexandrinum ductis ad ſepulchrum nuper defuncti excubijs pallium B. Marci de collo demortui ſuis manibus detrahere, ac ſuis hu-*

*In Breuiar. cap. 22.*

*Pars II.* Bb 2 *meris*

*meris imponere*. Ritus, qui intentum irrefragabiliter comprobat. Pro Antiocheno facto innititur ſingulari, Rodulphus enim Mamiſtanus poſt vindicatum à Saracenorum oppreſſione Orientale Imperium auſpiciis, & Conſilio Romanorum Pontificum ſecundus Antiochenus Patriarcha ex latinis ſtatim ac dignitatem eſt adeptus pallium de Altari S. Petri ſibi ſumpſit in Antiochena Eccleſia, aſſerens Antiochenam, & Romanam æquè Petri Cathedram eſſe, ſed Antiochenam potiorem, quia primogenitam; & hic ſi moderatiores habuiſſet ſpiritus, & ( vt ſcribit *Vuillelmus Tyrius* ) *ſi Canonicorum Eccleſiæ pacem amplexus fuiſſet, nec eorum turbare poſſeſſiones ſpiritu ſuperbiæ ductus præſumpſiſſet, potuiſſet tranquillo ſtatu vitam ibi tranſegiſſe*. Hoc certum, quod nihil huic Rodulpho imputatum, quia pallium ſibi ſumpſerit, tanquam fuerit id legitimè factum. Quod verò ad Hieroſolymitanum Patriarcham ex eodem *Villelmo* legitur. *Vuillelmum Hieroſolymorum Patriarcham infenſum Fulchero Tyrienſi Archiepiſcopo pro eo, quod poſt receptam à Hieroſolymitano Conſecrationem pallium petere voluiſſet à Romano Pontifice*. Sed hæc ſunt deliria hominis metam ſtatuentis Eccleſiaſticæ hierarchiæ in Patriarchis, nec apicem præ liuore agnoſcere volentis, aut valentis; eaque tam facilè concidunt, quàm perturbatè afferuntur.

*Lib.14.c.10.*

*Baron.t.m.12 Anno. 1136.*

Sumit enim ſibi Summus Pontifex pallium, quia nemo ſuperior, qui ei tradat; non ſunt Patriarchæ in regione ſua Summi, ſed apicem ſupra ſe in Romano ſuſpiciunt, qui Patriarcha quidem, ſed & ſupra Patriarchas; ideòque nemo ipſi, ſed ipſe aliis pallium largitur, neque id habendum in exemplum. Nefas aſſerere, quod pallium tradens Summus Pontifex violet fines à Nicęno VI. Canone præſcriptos, non enim id agit, vt Patriarcha, quibus limites Canon ille præſcribit, ſed vt vnicus, & ſupremus Eccleſiæ Rector, cui ius datum in omnes Eccleſiæ Præſules, & quem compræhendere Canone ſuo noluere Niceni Patres, vt aliàs in excurſu oſtendimus; eòque lectorem remittimus; & ſi datum Patriarchis pallium tribuere Metropolitanis ſibi ſubiectis, non ante id ijs conceſſum, quam & ipſi pallium à Summo Pontifice eſſent adepti, & cum eo alijs largiendi poteſtatem. Sumit ergò Pontifex ſibi ipſi pallium, at alij Patriarchæ non itèm. Quod etenim memorabatur de Alexandrino Patriarcha ſibi ſumente pallium, de collo prædeceſſoris poſt actas ad eius monumentum excubias; non eſt credibile, fuiſſe illud pallium ſummæ dignitatis, vel plenitudinis poteſtatis inſigne, ſed ordinarium potiùs Epiſcopi Alexandrini amiculum, quod memoriam adhuc S. Marci referret; cum ſit perenne inſtitutum in Eccleſia, vt pallium ſit perſonale, & cum ipſo geſtante ſepelliatur, nec tranſeat in ſucceſſorem, vt tanquam notum ſupponit Cęleſtin. III. in *C. ad hoc, de auctoritate, & vſu pall.*

*Tom. 1. lib. 2. c. 2. in excurſu.*

Quod ſubdebatur exemplum de Rodulfo non poteſt in argumentum induci; fuit enim ipſe in eam Sedem Antiochenam intruſus, vnde temerè ſibi pallium ſumpſit. Quinam ſubinde fuerint hominis progreſſus, quomodo temerè ſumptum pallium Romæ reſignauerit, aliudque de corpore B. Petri ſumptum acceperit, & demùm quas accuſationes, quaſque

ſit

ſit paſſus ærumnas, & quàm miſerabilem exitum habuerit ex *Vuillelmo Tyrio* narrat *Baron.* vt inde conſtet quale ſit argumentum à facto ſceleſti hominis, ipſoque vnico deſumptum. Quod verò ad Hieroſolymitanum non alium volumus veritatis teſtem, quàm eundem *Vuillelmum Tyrium*, qui electionem, & ſucceſſionem deſcribens in Tyrio Archiepiſcopatu hominis non quidem apprimè docti, ſed conſtantis, & amatoris diſciplinæ (vt ipſe loquitur) addit; *eum poſtquam conſecrationis munus ab Vuillelmo Patriarcha Hieroſolymitano recepiſſet, cum vellet ad Eccleſiam Romanam exemplo præceſſoris ſui pergere pro obtinendo pallio, ab eodem Patriarcha, & eius complicibus paſſum fuiſſe inſidias, & violentiam, ità vt vix, & cum multa difficultate manus eorum poſſet effugere, & ad Eccleſiam Romanam pro cauſa prædicta peruenire*, inquit *Tyrius*, qui & regerit Innocentij III. epiſtolam ad Vuillelmum Hycroſolymorum Patriarcham ipſum acriter obiurgantis eo nomine, & imperantis cultum, & honorem in Romanam Eccleſiam, ſatisfactionemque pro admiſſis, & pœnam inſuper comminantis. Quàm probent ſingulares hi caſus Patriarchas à Romano Pontifice non accipere pallium, ſed à ſe ipſis debere ſumere, retortæ iam auctoritates euincunt. Dant quidem Patriarchę Metropolitanis ſibi ſubiectis pallium, ſed tunc demùm cum ipſi à Summo Pontifice fuerint adepti, idque non Innocentius III. tantùm aſſeruit, ſed mille, ducenti, & quindecim Patres, qui Lugdunenſi Concilio interfuere, quidquid latrent, qui vni Innocentio id tribuunt, neque ei in cauſa propria credendum aſſerunt, quamuis ſupremo Eccleſiæ Capiti id ipſum, & alia ſtatuendi ſua non deeſſet poteſtas.

*Lib. 15. c. 13. & 10. 12. an. 1036. in fine.*

*Lib. 14. c. 11.*

Dandi igitur pallij penès Summum Pontificem reſidet poteſtas, neque ità limitata, vt non alijs, quàm Metropolitanis valeat largiri, licèt eorum ſit maximè proprium, ſed etiam Epiſcopis alijs in ſingulare priuilegium poteſt concedere, nec deſunt exempla omni fermè Eccleſiæ æuo; S. enim Gregorius Magnus pallium conceſſit Siagrio Auguſtodunenſi Epiſcopo interuentu Brumechildis Reginæ, expoſcentibus eiuſdem Siagrij in Romanam Sedem meritis, vt indicant Sanctiſſimi Pontificis epiſtolę, vnde ſumpti *Can.* 2. 5. 9. *diſt.* 100. & *Can. Epiſcopus*. 17. *diſt.* quod priuilegium in decus Auguſtodunenſis Eccleſiæ redundans cum vita Siagrij non fuit extinctum, vt ſcribit idem *Gregor.* Fulgent eodem pallij priuilegio & aliæ Eccleſiæ Epiſcopales, qualis Anicienſis in Gallia *Durando* teſte, Papienſis, ſiue Ticinenſis in Lombardia, Meſſanenſis in Sicilia, ex veteri ſuarum Eccleſiarum conſuetudine, inquit *Hoſtienſ.* Lucenſis in Tuſcia, Bambergenſis in Germania, & demùm Quinqueccleſienſis in Hungaria ex *C. cum in iuuentute. de præſumption.*

*Lib. 3. Ep. 111 112. 113.*

*Epiſt. 112.*

*Ration. diuin. offi. lib. 3.*

*In Summa h. t. §. cui conceden.*

Apud Gręcos Epiſcopi omnes pallio decorantur, extorto planè abuſu, de quo *Luitprandus Cremonenſis* in relatione legationis ſuæ. *Cumque eum* (inquit) *Alberici cupiditas non lateret, miſſis eò muneribus ſatis magnis, efficit, vt ex Papæ nomine Theophilato Patriarchę literæ mitterentur, quarum auctoritate tùm ipſe, tùm ſucceſſores abſque Paparum permiſſu pallijs vterentur*;

*Apud Baron. tom. 10. Anno 934.*

ex

*ex quo turpi commercio, vituperandus mos inoleuit, vt non ſolùm Patriarchæ, ſed etiam Epiſcopi totius Graciæ pallijs vtantur; quod quàm abſurdum ſit cenſere opus non eſt.* Hactenùs Luitprandus.

*Apud Baron. vbi ſupra.*

Quid autem conferat pallium Archiepiſcopo definitio ipſa docet, quæ plenitudinem poteſtatis collatam aſſignat, vt ſcilicet, quæ eſſentialis eſt in Pontifice Summo, participata per pallium in Archiepiſcopo conſpiciatur, eamque plenitudinem non confert pallium, vt cauſa, ſed teſtatur, vt ſignum, vel vt inſigne ex recepto Eccleſiæ vſu; & ideò lapſus eſt, vt in pluribus, qui aſſeruit pallium eſſe legitimæ ordinationis ſignum, nullamque conferre poteſtatem, vtpote, quam à Deo Archiepiſcopus immediatè recipiat; ſed fallitur; quia alia eſt poteſtas, quæ per pallium confertur, & cuius pallium eſt index, & alia illa, quam per ordinationem Archiepiſcopus acquirit; Hæc enim tota à Deo eſt; illa à Summo Pontifice tanquam à ſupremo Capite, in vnitatis præſidium, & ſubiectionis debitæ argumentum; vnde ſicut differt ab eſſentiali participata poteſtas, ità ingens viget diſcrimen inter Summum Pontificem, & inferiores in pallii vſu, ideò quæ tractantur ſub titulo de auctoritate, & vſu pallii breuitèr colligemus, Rubricæ inſcriptionem, & partitionem ſectantes, vt primò conſideremus vſum, & auctoritatem ſubinde.

Non ſine re adhibitus credendus eſt hic terminus *vſus*, qui non ius aliquod indefinitum, & amplum, ſed certum, ac valde limitatum ſignificat, quam eandem vocem *vſus* formalem tradendi pallii adhibuiſſe legimus *C.* 1. 2. 4. *&* 5. *b. t.* Vſus igitur pallii, qualis & ipſa ſolemni conceſſionis formula præſcribitur, temerari pro arbitrio non poteſt, nec conceſſionis limites fas cuipiam eſt excedere, niſi quatenus Summus Pontifex, largitionis arbiter, indulgere voluerit. Vſus igitur ea eſt lex. Vt non vbique vtatur Archiepiſcopus, ſed intra Cathedralem ſuam, & quamlibet aliam Eccleſiam Prouinciæ ſuæ, in qua iuriſdictionem habeat, at extra Eccleſiam, aut Prouinciam non item *C.* 1. 4. *&* 5. *b. t.* & intra hos fines accipiendum eſt verbum *vbicumque*, quod legitur in *C. cum ſis. b. t. vbicumque*, in qualibet Eccleſia tuæ Prouinciæ; quod, ſi Summus Pontifex conceſſerit, vtendi etiam extra Prouinciam ius erit, petita tamen, & obtenta ab eo Epiſcopo licentia, in cuius ditione Eccleſia ſita eſt, *C. ex tuarum* 5. *b. t.* Nec tantùm localis ambitus limites patitur pallij vſus, ſed & certos temporis fines, neque enim quotidie eo vti fas eſt, ſed certis ſolummodò, & ſolemnibus diebus, qui enumerantur à *Gloſſ. ad C. ad honorem. b. t.* & qui nominatim in pallij conceſſione exprimuntur.

Vltra tempus, & locum certi etiam conſtituti ſunt actus, qui cum pallio poſſunt exerceri; vt Miſſarum celebratio, ſuffraganeorum conſecratio, ordinatio Clericorum, intra propriam Eccleſiam, non extra. *d. C.* 1. 4. *&* 5. iuxta Canonum antiqua decreta. *C. pallium. C. contra morem* 100. *diſt.* Pallium ſiquidem ità perſonale eſt, vt tamen dicat reſpectum ad Eccleſiam Metropolitanam, cuius intuitu principalitèr datur, ea planè adheſione, qua actiones perſonales in iure denominamus, ſed in rem ſcriptas. Hucuſque de

*vſu*,

*vſu*, qui & adeò proprius eſt, vt pallium ſuum non poſſit Archiepiſcopus alteri commodare *C. ad hoc. h. t.* quod ad auctoritatem attinet; poſt electi, poſtulati, & tranſlati, confirmationem in Archiepiſcopum, immò & poſt conſecrationem, ne quid ad executionem Pontificalis officij deſit, pallium conceditur, & confertur; quia ante impetratum pallium nomen Archiepiſcopi aſſumere non licet, non conuocare Concilium ſuffraganeorum Prouinciæ ſuæ, non Clericos ordinare, non chriſma conficere, non demùm dedicare Baſilicas. *C. 21. de elect. in prima compilat.* (Apud Ant. Auguſt.) *C. quod ſicut. §. ſuper eo, de elect.* Hoſce limites potuit Summus Pontifex præfigere, aut vſus ipſe, & Eccleſiæ conſuetudo longæua, idque ad vnitatem in Eccleſia conſeruandam, quod fieri meliùs non poterat, quàm ſi principalia hæc membra Prouincijs præſidentia ſtatutos ſibi limites communicato pallij inſigni, & agnoſcerent, & cuſtodirent, ac à ſupremo capite ſingulari huius torquis nexu vincti penderent; & ideò Paſchalis II. Romanus Pontifex in traditione pallij iuramentum fidelitatis præſtandum Summo Romano Pontifici præſcripſit, quo iurans magis ſe vinctum agnoſceret Apoſtolicæ Sedi, *C. 4. de elect. & in antiqua*; (Apud Ant. Auguſt. collect. 1. tit. de elect.) nec mirum videri illud debet, Metropolitanum ante pallii impetrationem Epiſcopos conſecrare non poſſe, & poſſe tamen mandare ſuffraganeis, vt conſecrent, quod notabilitèr reſcripſit *Alex. III. in C. ſuffraganeis 11. de elect.* nam huiuſmodi mandatum iuriſdictionis eſt, quam Metropolitanus ſtatim poſt confirmationem electionis conſequitur; at conſecratio Epiſcopi eſt Metropolitani, & Archiepiſcopi propria, cui non niſi poſt pallii impetrationem poteſt competere, etiamſi ſit ipſe conſecratus; nam conſecratio ius quidem, & poteſtatem confert Metropoliticæ dignitatis, habitu fas ſit dicere, at exercitium, executio, & actus non ante competit, quàm ſit impetratum pallium; quod ipſum factum etiam aliàs obſeruauimus in legato Proconſulis, qui à Senatu, vel Imperatore poteſtatem habebat, & iuriſdictionem, non tamen exercere actu eam poterat, niſi à Proconſule mandata eſſet; *l. obſeruare 4. in fin. ff. de off. Proconſul, & leg.* & notauit appoſitè *Cuiac.* (Lib. 7. obſeru. cap. 21.) Dubitatum olim, an in defunctorum Miſſa liceat vti pallio? negauit *Honor. III. in cap. fin. h. t.* neque enim inter dies ſolemnes, aut ſolemnia munia hoc officium recenſetur, quibus vti pallio licet; ad *C. ad honorem h. t.* luctum namque hæc Miſſa ſignificat, non ſolemnitatem; & hæc in ſumma ſunt, quæ ſub *tit. de auct. & vſu pallij* continentur.

Illud addemus ad coronidem, quod quamuis hòc pallij inſigne omnibus Metropolitanis debitum videatur, non tamen niſi præſentibus, & enixè poſtulantibus dari conſueuit, vt indicat *Iuo Carnotenſ.* & perſpicuè *S. Gregor. Magn.* (Epiſt. 250. & 254. lib. 7. ep. 5.) *Extra hoc autem, quia nec is, qui eo vti deſiderat, directa ad nos hoc ſibi largiri ſpeciali petitione popoſcerat, & tantam cauſam nullo modo præbere ſine eius poſtulatione debuimus, maximè quia & priſca conſuetudo obtinuit, vt honor pallij niſi exigentibus cauſarum meritis, & fortiter poſtulanti dari non debeat.* Quod tamen non rigidè adeò obſeruatum, ſed pro arbitrio Pontificum ſæpius immuta-

tum

tum intueri fas eſt; frequenter enim licuit Nuntios mittere, atque procuratores C. *quoniam* 106. *diſt.* idque fieri cum Archiepiſcopo Anglo ſupplicatur, vbi ſupra *Iuo Carnot.* & *Epiſt. 150.* indulget Gregorius epiſtola ſua. *Primum ſiquidem* ( ait ) *quia is, qui pallium venerat accepturus Schiſmaticorum tenetur honore implicatus.* Quamuis Vrbanus II. ſcribens ad Archiepiſcopum Mediolanenſem ſe *Apud Platin.* non niſi præſentibus conceſſiſſe profiteatur, *quod quidem dignitatis genus nulli ante te, niſi præſenti conceſſum eſt*; qua auctoritate retunditur calumnia, quod ab Hildebrandico typho Gregorij VII. hæc perſonalis Romam profectio pro pallio impetrando, ac recipiendo proceſſerit. In re enim, quæ tota à Romano Pontifice eſt, leges figere, aut refigere integrum eſt, pròvt Eccleſiæ commodum, ac rationabile viſum fuerit. Quæ de pallio, & eius vſu, ac auctoritate ſatis.

# TRACTATVS VI.

## De Eccleſijs particularibus, earum Collegijs, & Clero.

### CAP. I.

1 *Connexio dicendorum ad dicta, & Eccleſiarum particularium prima inſtitutio, cum earum Collegijs.*

2 *Clericorum Collegij, & eorum vitæ inſtitutum, & Capituli Cathedralium origo.*

3 *Canonicatuum ſingularium, & vitæ ſingularis inter Canonicos inſtitutio, & quænam eorum partes, quarum adhuc in Capitulis ſpectantur veſtigia.*

4 *Singularia quamplura recenſentur, & præſertim deficiente Epiſcopo ad Capitulum deuolutio.*

5 *Sede etiam plena in pluribus requiſitus Capituli conſenſus, eaque potiora enumerantur.*

6 *Ex nexu Capituli cum Epiſcopo, quæ obuenerint Capitulis per ſeparationem.*

7 *Et quæ Sede vacante pariter competant, ac de eius Vicario.*

HVCVSQVE ſacram Rempublicam, & Eccleſiam in ſe conſiſtentem, ſuaq; politia inſtructam conſiderauimus, & exhibuimus, qua generaliter veniat adminiſtranda; iam nunc opportunè eandem aggredimur expendendam, ac delineandam, pròvt quaſi à ſe exiens cœpit per orbem fœlicitèr diffundi, ac in germina ſua latè propagari vnitate ſalua, à qua, vt pendet cuiuſlibet Reipublicæ ſalus, ità ſacræ præſertim incolumitas, cuius eò facilius diuiſionis diſcrimen, quò diffuſior per orbem ambitus, niſi vno illibatæ

batæ fidei, ac ſupremi capitis nexu iungatur, charitatiſque ſpiritus, quantumuis diſſitis membris, animantem quendam conſenſum præbeat.

1 Vbi igitur completo redemptionis opere ad Patrem Chriſtus aſcendit, qui iam miſſi fuerant Apoſtoli ad proſeminandum Euangelium, terrarum orbem ſortitò diuiſerunt, quam partem ſors ipſa addixiſſet tanquam titulum non quæſitum, ſed quærendum agnoſcentes. Expeditionem igitur laborioſiſſimam aggredientes in regionibus, & gentibus, quas Chriſto quæſiuiſſent, Eccleſias erigebant, tùm materiales ad Dei cultum, tùm formales diximus, Epiſcopum ſtatuentes vnicuiq; Ciuitati, *cui propria cura, & ſolicitudo* (inquit *Chryſoſtom.*) *indiceretur, ſiquidem doctor non multarum Eccleſiarum regimine diſtraheretur, ſed vni tantùm regendæ vacaret, eamque componere moribus, & ornare ſtuderet*; ſic enim *D. Paul. ad Titum*. *Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt conſtitueres per Ciuitates Presbyteros. Epiſcopos; hic intelligi vult*, ſubdit ibidem *Chryſoſt.* Solitarius non debuit eſſe Epiſcopus, ſed adeſſe ipſi debuerunt Presbyteri, & Clerici, qui & conſilio, & opera iuuarent, quique corpus vnum conſtituentes Epiſcopum ipſum tanquam caput agnoſcerent, eique ſubeſſent. Præeſſet Eccleſiæ Epiſcopus; Presbyteri in regendarum animarum munere, docendo, prædicando, Sacramenta miniſtrando conlaborarent, ſed & ab Epiſcopi nutu omninò penderent, vnde Apoſtolorum Canon 38. *Presbyteri, & Diaconi prętèr Epiſcopum nihil agere pertentent, nam Domini populus ipſi commiſſus eſt, & pro animabus eorum hic rediturus eſt rationem*. Corpus hoc Collegium conſtituebat, & erat Senatus ille Eccleſiæ, quem agnouit ſub eo nomine *S. Hieronymus* ſcribens, *initio communi Presbyterorum conſilio Eccleſias fuiſſe rectas*; mutuo nexu ità vinciebatur hoc corpus, vt nihil poſſent Presbyteri ſine Epiſcopi auctoritate, & licentia, ſic enim *Canone* 57. *Laodiceni Concilij* decretum. *Presbyteri ſine præcepto, & conſilio Epiſcopi nihil agant*. ſic *Carthaginienſi* 2. *C.* 9. *Toletano* 1. *C.* 20. *Agathenſi C.* 44. vt mittamus *Clement. Romanum*, & *Ignatium* hanc Presbyterorum Epiſcopo aſſidentium ab ipſo dependentiam confirmantes, ſed & vice verſa Epiſcopos nihil deceret agere, & Eccleſias ſuas præſertim gubernare in grauioribus negocijs ſine Presbyteris ſuis, ità, vt communicato labore, & conſilio in Eccleſiæ regimen incumberent; ſtatueret Epiſcopus, iuberet, dirigeret, ac ordinaret ſolus, ſed cum ſuorum tamen Sacerdotum conſilio, in quibus Senatoriam auctoritatem nouit *Martyr Ignatius*, ſed & *Hieronymus* (vt ſupra innuimus) Senatus nomine donauit, innuens nihil ex grauioribus Eccleſiæ negocijs debere Epiſcopum agere ſine Cleri ſui conſultatione. *Carthaginenſe Concil.* 4. *Can.* 22. & *eſt in Can. Epiſcopus* 6. 24. *diſt. Epiſcopus ſine conſilio Clericorum ſuorum Clericos non ordinet*, & *Can.* 23. vnde *Gratian. canon. nullius cauſam*. 15. *q.* 7. *Vt Epiſcopus nullius cauſam audiat abſque præſentia Clericorum ſuorum, aliòqui irrita erit ſententia Epiſcopi, niſi Clericorum præſentia confirmetur*, & demùm *S. Gregor. Magnus* ſcribens ad Ioannem Epiſcopum Panormi-

*Homil. 1. ep. ad Tit.*

*Epiſt. ad Titũ cap. 1.*

*Epiſt. 3.*
*Epiſt. ad Smirn.*

*Ep. ad Smirn.*

*In Iſai. cap. 3*

*Lib. 11. ep. 49.*

normitanum. *Nec ad vindictam te res accendat incognita, ſed præſentibus ſenioribus Eccleſiæ tuæ diligenter eſt veritas perſcrutanda*. Erant igitur hæc Presbyterorum collegia, quibus præerant Epiſcopi, à quibus tota collegij pendebat auctoritas, ijſque erant à conſilijs, & in varijs muneribus operam ſuam impendebant; Presbyteria hæc ipſa vocabantur, eò quod ex Presbyteris conſtarent, eoſque in rebus maioris momenti, ſed præſertim, quæ diſciplinam reſpicerent, aduocare ſolebant Epiſcopi; hinc *Cornelius Pontifex Romanus* ad Cyprianum ſcribens in reconciliatione quorundam Schiſmaticorum ait, *ſe totum Presbyterium contraxiſſe*. Sedebant cum Epiſcopo, vt teſtatur *Cyprianus*. *Admonitos nos ſciatis* (inquit) *vt Numidicus Presbyter adſcribatur Presbyterorum Carthaginenſium numero, & nobiſcum ſedeat in Clero*. Indeque & collegæ dicti Epiſcoporum, non quòd pares poteſtate cum ipſo eſſent, ſed quod ad idem collegium pertinerent; apertiſſimè *Concilium Carthaginenſe IV. Vt Epiſcopus in Eccleſia, & in conſeſſu Presbyterorum ſublimior ſedeat; intra domum verò collegam Presbyterorum ſe eſſe cognoſcat*. Vt ſic demùm Monarchicum regimen, ſed Ariſtocratia aliqualitèr temperatum etiam particulares referrent Eccleſiæ. Hoc autem Collegium non ità conſtituebatur ex Presbyteris, vt ſoli in hoc gradu ordinati in ipſo computarentur, ſed & ex Diaconis, & Subdiaconis, vnde ſicut Presbyteri Canonici dicebantur, ità dicerentur & Diaconi, & Subdiaconi Canonici, qui ſcilicet in ordinario Eccleſiæ miniſterio, quilibet in gradu ſuo, verſarentur; Nec ab re erit credere Clericos etiam gradus inferioris eadem Canonici nomenclatura compræhenſos, quando in Concilio Moguntino ſub Carolo Magno celebrato Clericos Canonicos legimus, eoſque ſub Magiſtro; quod de Presbyteris, aut alijs maioribus cum proprietate exaudiri vix queat; Ordinarii igitur erant illius Eccleſiæ, cui eſſent adſcripti, & ijdem affixi, vtpote in eadem intitulati; quo nomine factum, vt Vrbanus II. in Concilio Placentino ſtatuerit, vnde *Gratianus Canonem. Sanctor. 70. diſt. quod in qua Eccleſia quilibet titulatus eſt, in eadem perpetuò perſeueret. Omninò autem in duabus aliquem titulari non liceat, ſed vnuſquiſque, in qua titulatus eſt, in eadem Canonicus habeatur*. Hoc eſt ordinarius, & adſcriptus. Proſequitur Canon; *licet enim Epiſcopi diſpoſitione quis duabus præeſſe poſſit Eccleſijs, Canonicus tamen prębendarius niſi vnius Eccleſię, in qua conſcriptus eſt, eſſe non debet*. *Præbendarius*, non quia ſeparatim ſibi aſſignatam haberet præbendam, nondum enim præbendarum erat facta diuiſio, & aſſignatio, ſed alia ratione mox reddenda.

*Lib. 3. ep. 11. int. ep. Cypr.*

*Lib. 4. ep. 10.*

*Can. 35.*

2 Clerici ſiquidem hoc Collegium Eccleſiæ conſtituentes vitam communem in ſumma perfectione cum Epiſcopo ſuo ducebant, cuius vitæ communis ſummam Apoſtoli eiuſdem auctores in tribus præcipuè conſtiruerunt, vt tradit *Petr. Bleſenſ. In communi ſubſtantia, in communi obedientia, in communi dilectione ſuperna*. Canonici omnes dicti, tùm à regula, quæ græcè dicitur κανών, quam ſibi ſeruandam aſſumebant; vnde *Iuo Carnotenſ. Canonici appellati eſtis, quod Canonicas regu-*

*Serm. 10. de S. Auguſtin.*

*Epiſt. 63 in fin.*

las

*las vos velle ſeruare cæteris arctiùs deuouiſtis*; tùm à Canone, hoc eſt à portione, quam quotidie pro victu recipiebant; alebantur ſiquidem ab Epiſcopo, & primis illis Eccleſiæ temporibus, non ex alijs prouentibus, quàm ex fidelium oblationibus, quæ vberes adeò, & copioſæ erant, vt ad alendum Clerum appoſitè ſufficerent, quòvſque immobilia cœpit acquirere, & retinere Eccleſia ex eorundem fidelium oblatione, & præſertim poſt Conſtantini Magni conſtitutionem in *l.* 4. C. *Theod. de Ep. & Cler. & in l.* 1. *Cod. Iuſtin. de ſacroſ. Eccleſ.* qua vnicuique data libertas hæredem faciendi quamlibet Eccleſiam particularis cuiuſlibet loci, vt nouiſſimè exponit *Iacob. Gotbofred.* ex tunc enim cœperunt computari inter ordinarios Eccleſiæ prouentus fructus, quos ex immobilibus ſibi relictis Eccleſia perciperet.

*Ad l. 4. c. Theod. de ep. & Cler in verbo, Concilio.*

Huic Collegio ſuus præeſſe debuit Pręſes, quocunque nomine vocetur iuxtà variam Eccleſiarum conſuetudinem, qui morum, & diſciplinæ cuſtodiam gereret, & cum omnibus ipſius Collegij Epiſcopo tanquam capiti ſubeſſet, ac proinde ſibi ſubiecti Cleri opera idem Epiſcopus, pròvt viſum ei eſſet, in regendis Eccleſiis Diœceſis ſuæ vtebatur; & quia vniuerſus Ciuitatis, vel totius Diœceſis populus in vna, & ab vna Eccleſia Sacramenta percipere nequibat, verbum Dei audire, Chriſtianiſque exercitationibus adeſſe, plures ideò fuere cùm in Ciuitate, tùm in Pagis, & Villis Diœceſis erigendę Eccleſiæ, iiſque ſui præficiendi Presbyteri, & aſſignandi Miniſtri; inde exortæ Parochiæ, inde inſtituti Parochi, & Curati, quibus ſingulis ſuæ aſſignatæ plebes, tanquam greges intra certos limites paſcendi, non immutato tamen Canonici nomine, ſed immò potiùs confirmato, non tàm à portione victus, quàm à Canone, hoc eſt, à portione laboris, & operæ aſſignata; hoc quidem in primis erumpentis, & augeſcentis Eccleſiæ temporibus fuit inſtitutum; ſed tamen cum ab Apoſtolis erectas Eccleſias primitùs videmus, non continuò, & ſimul Cathedrales erectas credere debemus, quandoquidem Eccleſia quidem erat Epiſcopo, & Clero conſtans, at nondum vera Cathedralis ratio ſtatim conſtiterat, non eadem Epiſcopatus, & Cathedralis origo. Epiſcopatus enim à Chriſto Domino in Apoſtolis fuit erectus, at Cathedrales tunc cœptæ cum ortum ſchiſma inter fideles, ex quo vnuſquiſque baptiſmi ſui pręſtantiam à baptizante iactabat, cum dici cœptum, *ego quidem ſum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephæ, ego autem Chriſti*; quod eueniſſe anno Chriſti quinquageſimo ſeptimo tradit *Baron.* & ad quod tollendum ſchiſma, ſiue diuiſionem, quæ facilè eueniebat; cęperunt Epiſcopi iam à Chriſto Domino inſtituti diſtinctè præſidere, & Presbyteros apertiùs habere ſubiectos, qua de re, & de Hieronymi ſententia *in epiſt.* 85. *ad Euagrium*, ex qua deduxit *Gratian. tex. in C. legimus* 24. 93. *diſt.* & qua dictum, *Quod autem vnus poſteà electus eſt, qui cæteris præponeretur, in ſchiſmatis remedium factum eſt, ne vnuſquiſque ad ſe trahens Chriſti Eccleſiam rumperet.* latè *Baron.* hancque originem Cathedralium Eccleſiarum clariſſimè demonſtrauit *Franceſ.* ſatis accuratè, & probabilitèr.

*1. ad Corinth. cap. 1. 12.*

*Tom. 1 Annal. Ann. 57. in princ.*

*Tom. 1 Annal. ann. 58. in princ.*

*De Cathed. Eccleſ. cap. 2. à num. 73. & ſeqq. lat.*

Verùm vt hæc Clericorum vita com-

communis perfecta valdè, & excellens erat, ità non admodum diuturna fuit eius duratio, ſed demùm inter Clericos ipſos inducta diuiſio, factaq; inter eos ſeparatio; nonnulli enim in vita communi permanſerunt, & cum Epiſcopo conuiuentes victum, veſtitum, cæteraque neceſſaria de communi prouentu recipiebant, & ad menſam communem conuenientes in matricula, ſeu cathalogo deſcripti quotidie portiones ſuas recipiebant, quæ portiones Canonicales dictæ ab *Iuone Carnotenſi*, & ex eo, quod in *Epiſt. 219.* pictacio, ſiue breuiculo eſſent deſcriptæ adluſione neſcio qua, pictancias fuiſſe appellatas voluit *Innocent.* *Lib. 2. obſeruat. Jus Can. c. 13* *Ciron.* Præbendæ etiam ſunt dictæ, ex eo, quod pro modo, & menſura præberentur, indeque Canonici præbendarii, & Eccleſiæ, vbi eſſet huiuſmodi Collegium, appellatæ præ- *Epiſt. 78.* bendales à *Petro Bleſenſi* ad differentiam aliarum, quas nuncupat Clericales; qui verò Clerici ſe ab aliis vita ſegregarunt, & ipſi ſuas portiones pro victu recipiebant in menſes ſingulos, quæ ſportulæ dictæ ſunt *Lib. 4. ep. 5.* à *D. Cypriano*, & Clerici ipſi fratres ſportulantes appellati, vt ex eodem *Tom. 1 Annal. Ann. 57.* Cypriano notat *Baron.* Cum autem Clerici, qui communem degebant vitam per aliquot ſæcula (vt aduertit *Ioannes Molanus*) ſpeciale nomen *Lib. 1. de Canon. c. 6.* non habuiſſent, quo à reliquis Clericis diſtingueretur, demum ſiue vſurpatiuè, ſiue per excellentiam Canonicorum nomen apud illos tantùm remanſit, qui cum Epiſcopo ſimul conuiuentes eodem vterentur refectorio, & dormitorio; Indeque exorta Cathedralium Capitula preſsè magis ſumpta. continuatuſque in ipſis ille Eccleſiæ Senatus, quem ſupra *In Iſaiam. c. 3* notauimus cum *Hieronymo*; & quo communi ratione Eccleſia quælibet regebatur.

3 At verò, vt fluxa in deterius eſt humana conditio, communis hæc, & Apoſtolica vita à Canonicis euanuit, affluentibus opibus, pietate, & concordia decreſcentibus; tæduit enim eos vitæ huius tanquam Monaſticę, tæduit Apoſtolicæ paupertatis, & tandem ad ſingularem vitam adſpirare cœperunt. Quandonam id primùm acciderit generaliter ſtatui non poteſt; innuit aliquid *Abas Trithemius* ſingulares enumerans Eccleſias, in quibus primùm hic receſſus, *In chron. Hirſaugenſi ad ann. 975.* & vitæ Canonicæ excidium obtinuit in Germania peæſertim; enumeratis enim nominatim pluribus Eccleſiis, ait, *quarum exemplo malo Canonici complurium aliarum Eccleſiarum diuerſis quidem temporibus, ſed vno ſpiritu regularis vitæ communitatem abiecerunt.*

At quandocumque contigerit, certè ad ſua ipſis abeuntibus honoris titulus, & ordo ſacer eſt adiectus *C. propoſuit de conceſſ. præb.* vt vnum adhuc corpus nihilominus conſtituentes membra Epiſcopi, fratres, & conſiliarii eſſent. *C. nouit de his, quæ fiunt à Prælat.* ſicque adhuc Canonici dicti, Canonicatus conſtituti, præbendæ aſſignatæ, & diſtinctæ, vnde & Canonicalia beneficia inducta, de quibus & nos in propria ſede, cum de beneficijs Eccleſiaſticis agemus.

Ex hac igitur origine, & prolata ſerie Collegij Canonicorum in Eccleſijs manuducimur ad pleraque percipienda, quæ in Cathedralium Capitulis intuemur, & tamen eorum cauſam, & rationem abſque huiuſmodi principijs aſſequi non poſſumus, quibus ſpectatis eadem euidentèr

Digitized by Google

tèr intelligimus; cum enim Collegia Presbyterorum vnà cum Epiſcopo tanquam capite vnum corpus conſtituerint, & in iudicijs, ordinationibus, quibus adnexa fuit ſemper beneficiorum collatio, ex quo beneficia ipſa Eccleſiaſtica ſunt erecta, ex *Can. 6. Concil. Chalcedon.* totoque Eccleſiæ regimine partem cum Epiſcopo ipſo habuerint, iam inde rationabiliter factum, vt in Cathedralium Capitulis priſci iuris maneant adhuc, & ſpectentur veſtigia, tùm in iuriſdictione exercenda, tùm in conſenſu adhibendo tanquam neceſſario, tùm etiam in pluribus per legitimum temporis ſpatium acquirendis, quorum vel à primæua ſui origine capax eſt, licèt nunc ſint ei valde imminuta.

4 Et vt potiora, ac inſigniora percurramus; tanta fuit in regenda Eccleſia Collegij Presbyterorum participatio, vt deficiente Epiſcopo regimen ipſum in ijs, quæ iuriſdictionem reſpicerent, ad Collegium Presbyterorum deuolueretur. Ecce enim Ignatius Antiochenus Epiſcopus, Apoſtolis proximus, & eodem, quo ipſi æuo, cum vinctus Romam duceretur ad Martyrium; nullum ſibi ſubſtituit Vicarium, ſed ſuo Presbyterorum Collegio Antiochenam Eccleſiam commendauit; ſic enim ipſis ſcribit. *Presbyteri paſcite gregem, qui vobis commiſſus eſt, donec oſtendat Deus, eum, qui vobis futurus eſt rector. Ego autem nunc feſtino, vt Chriſtum lucrifaciam.* Et ad rem in fine eiuſdem epiſt. *Saluto eum, qui pro me futurus eſt Princeps veſter, quem & acquiſiui in Chriſto.* Nec minùs *S. Cyprian.* cum paululùm ſeceſſiſſet, Clero ſuo, & Presbyteris ſuam commendat Eccleſiam; ſic enim ad Presbyteros, & Diaconos ſcribit; *fretus ergo dilectione, & religione veſtra, quam ſatis noui, his literis & hortor, & mando, vt vos, quorum minimè illic inuidioſa, & non adeò periculoſa præſentia eſt, vice mea fungamini circa gerenda ea, quæ adminiſtratio religioſa depoſcit.* Addi poſſet alia conſimilis in Romano Clero obſeruatio; vacante enim Romana Sede poſt Martyrium Fabiani Romanus Clerus ad ſe deuolutam gregis cuſtodiam profitetur, vnde Carthaginienſi Clero abſente Cypriano ſcribit, *Qui videmur prepoſiti eſſe, & vice paſtores.* Niſi obſeruaſſet *Baron.* id proprium vnius Romani Cleri ſublato viſibili capite toti Eccleſiæ conſulere vbique locorum; at hoc ratum, quod deficiente Pontifice ad Clerum deuoluitur adminiſtratio, & cura; quod ipſum firmat & *Martinus* I. ſcribens ad Clerum, quando à Calliopa abductus eſt Conſtantinopolim; ait enim, quia *in abſentia Pontificis Archidiaconus, Archipresbyter, & Primicerius locum præſentant Pontificis.* Et hæc deuolutio inter coniunctos quaſi quodam accreſcendi iure ſubinde recentiorum etiam Canonum decretis fuit ſtatuta. C. 2. *nè Prelat. vic. ſua.* C. *cum olim. de maiorit. & obed.* C. *vn. eod. in 6.* C. *cum nullus. de tempor. ord. in 6.* C. 1. *de inſtit. in 6.* ſanxit nouiſſimè *Concil. Trident. ſeſſ.* 24. C. 16. & hodierna praxis obſeruat.

5 Nec ſolùm vacante Sede veluti deuoluta ea eſt Capituli poteſtas, ſed & Sede plena, pleraque Epiſcopus ſine Capitulo exercere non poteſt; neque enim credendum eſt (vt rectiſſimè obſeruat *Ciron.*) Capitulum, & Canonicos eſſe aſſeſſoribus ſimi-

*Ep. 9. ad Antiochen.*

*Lib. 3. epiſt. 10. in princ.*

*Apud Cypr. epiſt. 3. edit. Pamellian.*

*Ann. 253. tom. ſecundo.*

*Tom. 2. epiſt. Decretal. ep. 15. pag. 607.*

*In paratit. ad tit. de his quæ fiunt à prælat.*

ſimiles, quorum non eſt, niſi conſilium, vnde participes tantùm appellantur in *l. 1. C. ſi rector prou. & in l. 2. C. de aſſeſſor.* & conſiliantes apud *Plin. in epiſtolis*; ſed habent Magiſtratum, imperium cum Epiſcopo coniunctum adinſtar Senatorum, qui à Patritijs, & Conſulibus deſcendebant, & ſoli ſententiam dicere poterant, *l. fin. ff. de Senator.* vnde & Canonici fratres vulgò ab Epiſcopis appellantur, C. 2. *de his, quæ fiunt à Præl.* eadem ratione, qua fratres appellantur Epiſcopi à Summo Pontifice. *C. fin. eod.* ex hoc ergo fundamento inductum; vt conſenſus Capituli in adminiſtratione rerum Eccleſiæ, bonorum, ac redituum exigatur, ſi enim hæc omnia ſunt communia inter Prælatum, & Capitulum ad eos etiam communiter ſpectare debet adminiſtratio *C. nouit.* C. *quanto*. C. *ea noſc. de his quæ fiunt, à Præl.* Neceſſarius eſt ſecundò hic idem conſenſus in rerum Eccleſiaſticarum alienatione, quæ ad Cathedralem Eccleſiam pertinent. *C. ſine except.* 12. *q.* 2. *C.* 1. *de his, quę fiunt à Præl. C. vt ſuper*. §. *fin. de re Eccl. non alien.* Requiritur tertiò in vnione vnius Eccleſiæ cum altera Eccleſia, vel cum dignitate, & præbenda per Epiſcopum facienda; nam ſi vnio fieret Capitulo, vel in eius vtilitatem, & commodum, tunc Capitulum authorizare non poſſet in facto proprio, ſed ad Summum Pontificem eſſet confugiendum. *Gloſſ. ad Clem. ſi vna. de reb. Eccleſ. non alien.* Quintò neceſſarius eſt conſenſus Capituli in omni negotio, quod tangat præiudicium Eccleſiæ Cathedralis, vel intereſſe ipſius Capituli, vel in ijs, quæ ſunt communia inter Epiſcopum, & Capitulum, & ad vtrumque ſimul ſpectant, aut quia promiſcuæ ſunt iuriſdictionis, aut quia ſuper re aliqua ſpecialitèr ad inuicem conuenerunt, vel à Sede Apoſtolica ità ſpecialiter in aliquo caſu eſt mandatum; vbi autem Capitulum habet menſam ſeparatam à ſuo Epiſcopo poteſt per ſe omnia gerere, quę poſſunt reliqui titulares, & beneficiarij. Demùm conſenſus Capituli eſt neceſſarius, vbi viget conſuetudo, ne quid ſine conſenſu Capituli geratur, in eo ſiquidem actu, in quo obtinet conſuetudo, quidquid aliter geſtum fuerit irritum erit; *Archid. ad cap. fin. de elect. in 6.* an autem, & quatenus Capitulum poſſit ſtatuere diximus ſatis *in Tract. de Conſtitut.*

6 Maxima ſanè fuit Capitulorum, ſiue Collegiorum cum ſuo Epiſcopo connexio, & ex ea factum, vt Capitulum ipſum ſit capax Eccleſiaſticæ iuriſdictionis, beneficiorum collationis, & aliorum quamplurium, quibus gaudere ſeparatim Capitula videmus. Proceſſu enim temporis, ſicut receſſerunt Canonici à vita communi, & Capitulum, quamuis dicat corpus, cuius caput ſit Epiſcopus, attamen inducta demùm inter Capitulum, & Epiſcopum ſeparatione, tuncque Capitulo ſua bona aſſignata contradiſtincta a menſa Epiſcopi, & à Capitulo ipſo iure proprio adminiſtranda aſſignata aliqua beneficia, quorum collatio ſit Capituli propria priuatiuè quòad Epiſcopum. *C.* 2. *de conceſſ. præbendę*; iuriſdictio in inferiores relicta ſeparatim ab Epiſcopo iuxta conſuetudinem, per quam quæſita conſeruatur, & de nouo poteſt acquiri, idque intueri licet in Cathedralibus illis Eccleſiæ antiquiſſimis, in quibus Capitulum à primordio, & ſucceſſiuè

ceſſiuè per plures regiminis gradus fieri potuit tranſitus à communione ad omnimodam ſeparationem, & in ſeparationis actu facta aſſignatio; per quam Capitulum regimen per ſe ſeparatum conſtituat, ſuperadditæ ſubinde Summ. Pontificum exemptiones, quibus magis, ac magis ſtabilita ſeparatio; inter ea Capitula ſine vlla affectatæ iactantiæ nota connumerari poteſt Capitulum noſtrum Eccleſiæ Paduanæ, de cuius antiquitate à tempore S. Proſdocimi primi eius Epiſcopi, qui fuit Apoſtolorum Principi Petro Coæuus, & ab eo miſſus, coniectari licet; ſed & plura proſtant vetuſtatis monumenta, ſicut & ſeparationis à communione cum Epiſcopo mèmoria; quale immediatum Eccleſiæ regimen cum iuriſdictione; beneficiorum omnium diſpoſitio intra Eccleſiam; plurium parochialium collatio in Ciuitate, & extra, earumque viſitatio, quod etiam in pleriſque obſeruatur alijs Cathedralibus antiquiſſimis, quibus omnibus patrocinatur præſumptus hic titulus factæ aſſignationis in ſeparatione, ſed ſuper omnibus immemorabilis illa conſuetudo, quæ ne dum quæſita tueri, ſed & ipſa acquirere poteſt; qua de re, & nos ſatis ſupra, cum de conſuetudine ageremus.

7 Iam conſideremus idem Capitulum vacante Sede Epiſcopali, cum ad ipſum fit deuolutio, quòad omnia, quæ iuriſdictionis ſunt Epiſcopalis allatis ſup. iuribus. Capitulum igitur Cathedralis Eccleſiæ Epiſcopali Sede vacante in ius Epiſcopale ſubintrat, & omnia facere poteſt, quæ ſunt Epiſcopalis iuriſdictionis, niſi impedita, & expreſsè prohibita reperiantur; ſcribentes communitèr ad *Cap. his, quæ; & ad C. cum olim. de maior. & obed. C. illa. ne Sede vac.*

Vnde ex Decreto *ſacroſ. Concil. Trident.* quod quidem in viridi obſeruantia eſt, infra octo dies ab obitu Epiſcopi Vicarium tenetur conſtituere, vel exiſtentem omninò confirmare, & interim dum labuntur iſti octo dies tota Epiſcopalis iuriſdictio penès totum Capitulum reſidet, & non penès eius Præſidem, vel primam dignitatem, & intra illos octo dies non compellitur Capitulum ad conſtituendum Vicarium, ſed interim poteſt ipſe adminiſtrare, ſiue vacet Eccleſia per obitum Epiſcopi, ſiue per eius tranſlationem ad aliam Eccleſiam, ſtatim ac à Summo Pontifice in Conſiſtorio liberatus eſt à vinculo, & matrimonio cum priori Eccleſia; vnicus debebit eſſe hic Vicarius, niſi immemorabilis vigeret conſuetudo, vt plures, quàm vnus eligerentur, & in eius electione, ſiue conſtitutione poteſt Capitulum tempus aliquod præfigere, intra quod duret eius adminiſtratio, ſi verò nullum fuerit præfinitum tempus, ſed ſimpliciter ſit electus, durabit per totum ſpatium, quòvſque impleatur Sedes, & nouus Epiſcopus eligatur; nec poteſt Capitulum pro libito eum reuocare niſi ex cauſa bene viſa S. Congregationi negocijs Epiſcoporum, & Regularium præpoſitæ, vt ab eadem S. Congregatione refert deciſum *Barboſa*; ſed & præter Vicarium vnum duos œconomos eligere debet, iuxta conſuetudinem, fideles, & accuratos, qui rerum Eccleſiaſticarum, atque prouentuum curam gerant, & eorum rationem ei, ad quem pertinebit, ſint reddituri. *C. huius 12. q. 2. C. quoniam in fine. 75. diſt.* & nouiſſimè *Concil. Trid.* per hunc

*Seſſ. 24. c. 16. Iur. Eccleſ. lib. 1. cap. 23. num. 47.*

*Seſſ. 24. c. 16. in pr.*

hunc ergo Vicarium omnia illa præſtare poterit Capitulum, quæ Epiſcopus vigore iuriſdictionis ſuæ ordinariæ, ſi viueret, præſtare poſſet; non itèm delegatæ: ex *C. Paſtoralis. de off. ordin.* niſi fortaſſe delegatio eſſet perpetua, & facta Epiſcopali muneri, tunc enim cenſetur ordinaria iuriſdictio, vnde quidquid vigore huius perpetuæ delegationis præſtandum eſſet ab Epiſcopo, id omne poterit & à Capitulo ſuccedente præſtari; & ideò ſi competeret Epiſcopo aliqua iuriſdictio iure aliquo ſpeciali, ſiue accidentali neutiquam in ipſa ſuccederet Capitulum, nec eam poſſet exercere Vicarius ab ipſo electus. Quę autem poſſit, vel non poſſit ſingularitèr expedire, aut facere Capitulum, ſigillatim recenſere, ac tradere noſtri non eſt inſtituti; videri poterunt auctores hęc ſingula ſedulò enumerantes. *Pauin. de off. & poteſt. Capituli Sede vacante per tot.* Vol. 13. tract. p. 2. *Auguſt. Barboſ. iur. Eccleſ. vniu. lib. 1. c. 32. per tot. & Quaranta in ſumma Bullar. verbo Capitulum Sede vacante.* Plures pro caſuum diuerſitate tractantes habeas apud *Barboſ.* vbi ſup.

Cum igitur Capitulum, & Eccleſiarum Cathedralium Collegium iuriſdictionem ſiue ſuperſtite, ſiue vita functo Epiſcopo participet, iam eius capax omninò cenſendum eſt, & conſuetudine legitima, quod aliàs non haberet, acquirere poterit, cum ex parte ſubiecti nihil repugnet, & iuriſdictio ipſa ex ſe ſit communicabilis, quam in Clerum inferiorem poterit exercere, ſicut vacante Sede ipſam exercet tanquam ordinario iure ſibi competentem; de quo Clero, & ipſius propagatione in ſequenti dicemus. Eius enim propagatio ab Epiſcopo fuit ſemper, & eſt, adlecto enim ſibi Collegio Presbyterorum, & ijs, qui Eccleſię inſeruiant, cum ampliata Diœceſi, vt ſupra dicebamus, non poſſent omnes ſubiecti fideles ad maiorem, & Cathedralem Eccleſiam confluere, vt inde Sacramenta, & verbum Dei percipiant, iam fuere eligendi, & præficiendi Clerici, & Sacerdotes, qui intra certos limites gregem ſibi creditum paſcerent, & verbo, & Sacramentis, & animarum ſibi creditarum curam gererent; quæ ſanè partitio, ac titulorum erectio facta primùm ab Euaristo in Vrbe, à Dionyſio per Chriſtianum Orbem, & ſubinde per omnes Dięceſes ſucceſſiuè, ſicque neceſſariò multiplicandi fuere Paſtores, & ſacri miniſtri, ijque Diuino ad id caractere, congruaque poteſtate conſignandi; & quia ad id inſtituta ſacra ordinatio, & à Chriſto Domino, ac Deo ordinis Sacramentum, ideò opportunè ad propagationem ipſam Cleri per ſacram ordinationem faciendam accedemus; omnia ad ipſam ſpectantia, & ſólemnem eius præficiendæ ritum tractaturi.

TRA-

# TRACTATVS VII.

## De Propagatione Cleri per Sacram Ordinationem, & ſolemni eius Ritu.

### CAP. I.

1 *Cleri ęthimologia, & vocis* ſors *applicatio multiplex.*

2 *Cleri à reliquo populo ſeparatio altiùs repetita, & ſucceſſiuè exhibita.*

3 *Modus ſegregationis faciendæ Cleri à laicis proponitur, & à militia ducitur.*

4 *Cur non delatum per ſanguinis ſucceſſionem Sacerdotiũ nouæ legis, rationes plures.*

5 *Ordinatio ſubijcitur, & de eius nomine latè cùm Græco, tùm Latino.*

6 *Ordinationis excellentia, & quod ea ſit Sacramentum per conditiones ſingulas ad Sacramentum neceſſarias, ac rationes.*

IN Eccleſijs particularibus præter Presbyterorum Collegia, de quibus hactenùs, ſunt etiam inferiorum graduum miniſtri, qui omnes generali Cleri nomine veniunt, & à qua generali nomenclatura nec Presbyteri ipſi excluduntur, ideò de Clero generalitèr agendum ſuccedit, quatenùs præſertim adlegendo in Eccleſiam inducatur, & Eccleſiam ipſam preſſiùs ſumptam conſtituat; nomen præmittemus, ac ſubinde totius adlectionis partes pro inſtituto per varia capita iuſta ſerie percurremus.

1 κλῆρος Græcè, Latinè *ſortem* ſignificare docuit S. *Hieronymus* relatus à *Gratiano* in Can. *duo ſunt* 12. *q.* 1. vt autem huius vocis *ſors* multiplex eſt acceptio, ità adluſione varia ſacrorum miniſtrorum nuncupationi appoſitè congruit. Si enim ſortem accipias, pròvt euentum quendam ſecundum, ac fœlicem inducat, & Clerum rectè dictos ſacros miniſtros argues, cum quibus fœliciſſimè actum, quod in Diuinum miniſterium ex pluribus ſint vocati; ipſique *de ſorte Domini ſint, & Dominus ſors pars Clericorum*, vt inquit S. *Hieronym. in C. Clericus* 12. *q.* 1. Si ſortem pro patrimonio, & hæreditate intelligas, Cleri nomen rectiſſimè applicatum Eccleſię miniſtris conſpicies, quando Clerus ſpecialis Chriſti hæreditas, de qua vaticinium illud; *poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam*, qui ſa- *Pſalm. 2. 8.*
cris miniſterijs non per carnem, aut ſanguinem, ſed per Diuinam ordinationem addicitur. Si demùm κλῆρες pro portione qualibet ſumas, Clericos optimè dictos comperies miniſtros, quibus portio Dominici gregis paſcenda, & regenda committitur. Clerici ergò meritiſſimè dicti, qui ſoli Eccleſiaſticis officijs ex ſuo ſtatu miniſtrant, ſoli Eccleſijs deſeruiunt, ſoli religionis cultum ex proprio munere procurant; optimam ſortem

adepti, portionem egregiam, hæreditatem vberrimam.

2 Hæcque eadem nominis ratio peculiaris, Clerum, à reliquo populo, vt diuerſum, ità & omninò diſtinctum indicat, idque vel ipſum naturale lumen iam, & ab initio Mundi dictauit, dum ſemper ſeparati à reliqua plebe, qui Sacerdotij munera obirent, in lege naturæ ante Moſaicam primogeniti, vt teſtatur *Hieronym.* Inter Ethnicos ſemper aliqui extitere, qui ſegregati à populo ſacrificijs vacarent, ac proinde ſacrificos inter partes Reipublicæ ſeparatas connumerat *Ariſtoteles*, vt reliquis ad propria occupatis ipſi vni Dei miniſterio vacarent; vbi verò aucta religionis ſedulitas, à Deo in lege Moyſi ſegregata demùm leuitica Tribus, Diuino cultui ſpecialitèr addicta, quæ ſtatis ſacrificijs aſſiduè inſeruiret, totiuſque Diuini cultus curam gereret; quæ ſanè ſacrorum hominum à reliquo populo diſtinctio nedum non fuit per Euangelicam legem abrogata, aut cum reliquo Chriſtianorum ſtatu permixta, ſed immò in excellentiores Sacerdotes tranſlata, qui non carnis propagine, ſed perfecta electione conſtituerentur, qui Sacerdotalia munia ſegregati à populo exequerentur, & eò ſublimioris conditionis, quo excellentiorum Nuntij, & auguſtioris Sacrificij operatores noſcerentur, & quò excelſius Sacerdotium, eò Clerici magis à laicis fuere diſcernendi. Neq; enim inanis, & ſine re eſt phraſis, & loquendi forma, qua vtentem ſacram ſcripturam intuemur; dum *ſegregandi*, & *ſegregationis* vocem adhibet, cum de ſacri miniſtri deſtinatione loquitur; Diuus enim Paulus ſe Apoſtolum aſſerens *ſegregatum* ſe dicit *in Euangelium Dei*. Certè ſegregatum non ab alijs, niſi à laicis, tanquam ab ordine planè diuerſo. Deus ipſe Sauli, & Barnabæ ordinationem indicens per Spiritum Sanctum eadem vſus eſt voce; *ſegregate mihi Saulum, & Barnabam in opus, ad quod aſſumpſi eos; tuncque ieiunantes, & orantes, imponenteſque eis manus dimiſerunt eos*, vt inde colligere liceat ordinatos in Diuinum miniſterium, iam à populi laica multitudine exemptos ſupra plebis ordinem eſſe conſtitutos.

*In quæſt. hebraic. In Geneſ. c. 27 tom. 1.*

*Lib. 7. Politic. cap. 8.*

*Epiſt. ad Roman. cap. 1.*

*Act. Apoſt. cap. 13.*

Nec diſſona à loquendi forma fuit vnquam praxis, & obſeruatio Eccleſiæ, quæ Clericos à laicis ordine ſemper diſtinxit, ipſamque Clericorum ordinationem Patres vetuſtiſſimi memorarunt, tanquam actum quendam, vt contradiſtinctum, ità conſtantem, ac ſtabilem, qualem nunquam inter ſe agnoſcere potuerunt Hæretici; quorum quidem ordinationem graphicè deſcripſit, ſpectandamque exhibuit *Tertullian.* tanquam Catholicæ ordinationi omninò contrariam, ait enim; *Ordinationes eorum temerariæ, leues, inconſtantes; nunc Neophitos conlocant, nunc ſæculo obſtrictos, nunc Apoſtatas noſtros, vt gloria eos obligent, quia veritate non poſſunt; nuſquam faciliùs proficitur, quàm in Caſtris rebellium, vbi ipſum eſſe illhìc promereri eſt; itaque alius hodie Epiſcopus, cras alius; hodie Diaconus, qui cras lector, hodie Presbyter, qui cras laicus*. Nil aptiùs ad exhibendum ob oculos Hæreticorum qui noſtri conditionem, & Eccleſiæ ipſiſſimum ſtatum penès ipſos. *Bellarmino* enim teſte miniſtrorum vocatio, & electio ab ipſis populo tribuitur; & ſummarum poteſtatum id muneris proprium agno-

*De præſcrip. hæret. c. 41.*

*To. 1. contro. lib. 1 de cleric. cap. 2.*

*De imperio summ. potest. ad Sac. c. 10. de elect. Pastor.* agnouit *Hugo Grot.* auſpice *Marſilio de Padua* adeò, vt promotio tanta ex hominum inſtitutione, & arbitrio pendeat, & plebeij, ac infimi homines iubente populo in Sacerdotes euadant, poteſtatemque aſſumant prędicandi verbum Diuinum, & miniſtrandi Sacramenta, immò fideles omnes vnius, & eiuſdem conditionis faciunt; abutentes Pauli Apoſtoli auctoritate ſcribentis; *Ad Galat cap. 3.* *quicumque enim in Chriſto baptizati eſtis Chriſtum induiſtis; non eſt Iudæus, neque Græcus, non eſt ſeruus, neque liber, non eſt maſculus, neque fęmina, omnes enim vos vnum eſtis in Chriſto Ieſu*. Indeque omnia in fidelibus omnibus arguunt pariter, eandemque aſſerunt omnium conditionem, & ſtatum, nec minùs blandiuntur ſibi ex verbis Apoſtoli Petri, *1. Petri cap. 2.* quibus fideles omnes, *genus electum, regale Sacerdotium* (quid apertiùs?) *gentem ſanctam, populum acquiſitionis* appellauit. Vt quid ergo Chriſtiani ſinguli Sacerdotalem dignitatem ſibi non vindicent? nulla attenta ſegregatione; nec minùs apertè Ioannes *Apocalyp cap. 1.* Apoſtolus; *qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo, & fecit nos regnum, & Sacerdotes Deo*; *Cap. 5. Ibid.* *& feciſti nos Deo noſtro regnum, & Sacerdotes*. Mirum? niſi & eiuſdem Tertulliani aduocent auctoritatem, adducantque teſtimonium. *De exhor castit. c. 7.* *Nonne & laici Sacerdotes ſumus? Differentiam inter ordinem, & plebem conſtituit Eccleſiæ auctoritas*.

At hæc abutentium deliria nemo non nouit; Apoſtolus enim Paulus in allegatis verbis, parem omnium conditionem agnoſcit in obtinendis Dei muneribus ad ſalutem, & in ijs exhibendis, quæ ad eandem ſunt neceſſaria; Deus enim communis omnium Pater, ad nullam reſpiciens perſonarum acceptionem omnibus idem eſt, nec patriæ, ſexus, libertatis vllam attendit prærogatiuam, non enim ipſe perſonarum acceptor; at verò inconſequens planè eſt; omnes Reges eſſe, omnes Sacerdotes, omnes Apoſtolos, omnes Euangelij miniſtros; ſunt enim hæc diſparata nimis, nimiſque diſiuncta; Nec magis plaudere poſſumus Petri Apoſtolorum Principis citatæ auctoritati; *Gens ſancta, Regale Sacerdotium*. Si enim Sacerdotes omnes inde ſumunt, cur non arguant pari illatione, & Reges? Sint fideles omnes, vt Sacerdotes, ità & Reges, & ſubuerſam omnem politiam intueberis, inductamque miſerrimam anarchiam præ nimia Regum copia.

Verba hæc eadem perappoſitè exponit S. *Leo Magnus*; *omnes enim* *Ser. 3. assump. sua ad Pontif.* *regeneratos* (inquit) *in Chriſto Crucis ſignum efficit Reges, Sancti verò Spiritus vnctio conſecrat Sacerdotes, vt præter iſtam ſpecialem noſtri miniſterij ſeruitutem vniuerſi ſpiritales, & rationales Chriſtiani agnoſcant ſe Regij generis, & Sacerdotalis officij eſſe conſortes*; quæ ſanè verba propriè dictum Sacerdotium à communi, & improprio diſtinguunt, myſticèque acceptum, & Sacerdotium, & regnum indicat ibidem diſertiſſimus Pontifex, dum ſcribit. *Quid enim tàm regium, quàm ſubditum Deo animum corporis ſui eſſe rectorem? & quid tam Sacerdotale, quàm vouere Domino conſcientiam puram, & immaculatas pietatis hoſtias de Altari cordis offerre*? Non inde ergo verum Sacerdotium, vt nec verum regnum, in fidelibus licet arguere, ſed quale regnum in ſapiente ſuo ad-

ſtruebant Stoici, tale & Sacerdotium; improprium ſcilicèt, latiſſimum, & à vero omninò diuerſum.

Nec magis vrgent Tertulliani verba iam ſupra regeſta, non enim omnia, quæ à tanto viro, eiuſdem ſunt auctoritatis, & fidei; Plura ſcripſit cum iam in Montani, & Catharorum hæreſim infœlicitèr lapſus eſſet, qui ſubuerſa omni hierarchica ſerie eundem Clericorum, & laicorum ſtatum eſſe aſſerebant, vnde ſicut in pluribus iuxta illius Sectæ deliramenta errauit, ità & erraſſe in confundendo vtroque ſtatu mirum non eſt; at ſi verba obſeruemus, quæ immediatè poſt ſupra recitata, & obiecta adiecit, concidet quidquid virium contra veritatem habere videntur; vbi enim ſcripſit, *Differentiam inter ordinem, & plebem Eccleſiæ conſtituit auctoritas* mox ſubdit; *& bonor per ordinis conſeſſum ſanctificatus à Deo*. Quæ verba inſtitutum à Deo Clericalem gradum indicant; ſed nondum expedita omnia Tertulliani verba, paulò enim inferiùs mox ſubdit; *ſed & vbi tres Eccleſia eſt, licèt laici*; mox inferiùs. *Igitur ſi babes ius Sacerdotis in temetipſo; babeas oportet etiam diſciplinam Sacerdotis, vbi neceſſe eſt, babere; Digamus tinguis, Digamus offers*. Sed non ea certè Tertulliani intentio, vt laicos, & Clericos paritèr Sacerdotes aſſerat; ſed Monogamiam impenſiùs ſuadere intendens, arguit pro zelo qualiquali ſuo; laicos Monogamos eſſe debere, ſicut & Sacerdotes; quia Sacerdotij ſunt quodammodò participes quatenùs in neceſſitate baptizant, & ſine Sacerdote in communi orant, myſticamque Deo offerunt oblationem, ac Symbolicam, & proinde eos, qui de Sacerdotij munere participant, eadem cum ipſis diſciplinā debere teneri; non enim debent eſſe Sacerdotio inepti, cum ex laicis Sacerdotes eligantur, & ideò laicos Monogamos eſſe debere, ſicut & Sacerdotes; Nimius ſanè *Tertullian.* vt ſemper, in aſſerenda opinione ſua, Monogamiaque ingerenda; ſed ſubdit verba, quæ aucupatam eius intentionem hactenùs firment, eaque ſunt. *Dicam; omnes nos ità Deus voluit diſpoſitos eſſe, vt vbique ſanctionis eius obeundæ ſit diſciplina; vſque adeò niſi laici ea obſeruent, per quæ Presbyteri adlegantur, quomodo erunt Presbyteri, qui de laicis adleguntur &c.* En igitur, qualis ſit *Tertulliani* intentio, quamque rectè pro adſtruenda laicorum, & Clericorum eadem vitę inſtitutione afferatur, aliud enim certè agnoſcit Sacerdotium in Sacerdotibus ipſis, aliud in laicis, qui impropriè, & lato modo Sacerdotes dicuntur, & Sacerdotium habere. Latet nihilominùs quid veneni ex hæreſi, à quo cauendum attentè; Et ſi quæ alia eius verba ſenſum, & interpretationem ſupradictam non recipiant inter ſuſpecta releganda ſunt; cum præſertim libri *de Monogamia*, & *de exhortatione caſtitatis* ex illis ſint, quos *Tertullianus* factus Montaniſta contra Eccleſiam ſcripſit, vt poſt *D. Hieronymum* de ſcriptoribus Eccleſiaſticis notauit *Bellarminus*. *In Tertul.* Diſcreti igitur inuicem ſunt Clerici, & laici; diuerſus omninò Clerus à populo, & ſeparatus ordo.

3 Iam igitur nunc ad modum ſegregationis huiuſmodi faciendæ, accedamus; Analogiam approbauit, ſi non induxit *Iuſtinianus* inter Clericos, & milites, & eadem vtriſque iuſta proportione indulſit priuilegia, quoad ſupremæ voluntatis diſpoſitionem

nem *Auth. Preſbyteros. C. de Epiſc. & Cler.* Vnde noſtri validum, & concludens argumentum hauſere à milite armatæ militiæ ad militem militiæ cœleſtis, & clericalis; non iniuria igitur in ſegregando Clero à laicali cætu, & adlegendo in Eccleſiam, militarem ritum in delectu habendo ſectabimur, & exemplo planè conſimili vtemur; vt itaque in militum conſtitutione per gradus apud Romanos incedebatur, vt ſcilicèt primò delectus, ſiue dilectus, cum *Lipſio*, à Conſulibus, tanquam in Republica à populo maioribus, haberetur, & à paganorum ſtatu ſegregaretur miles; cingulum ſubinde traderetur cum Sacramenti præſtatione, & tertiò legioni miles adſcriberetur; ità à pari in Clero conſtituendo; præmittitur primò delectus inquiſitione, & examine præuio per Epiſcopum tanquam maiorem; ſubinde ordinatio, qua veluti ſignum imprimitur, ſicut olim militibus ſtigma; & demùm addictio Eccleſiæ, quæ & incardinatio dicta, ſine qua olim nunquam rata ordinatio ex *Chalcedonenſi Decreto*; delectus autem, & conquiſitio diligens præſtantius quidpiam indicat, quàm in antiquæ, ſeu Moſaicæ legis miniſtris ſpectaretur; hi enim per propaginem aſſumpti, ac ex ſola Leuitica Tribu, & veluti ſucceſſorio quodam iure ad ſacrum miniſterium aduocabantur, immò & Pontificatus ipſe vtcumque Summus, per ſanguinis traducem committebatur.

*De milit. Rom. Dial. 1. & 3.*

*Idem Lipſ. dial. 9.*

*Can. 6.*

4 Dedecere hoc Euangelicam libertatem, & ſpiritum nouæ legis omninò viſum, carnalibus enim, quales tunc Iudæi, carnalia arridebant; ſpiritualibus verò, quæ ſpiritum decent, vbi enim ſpiritus, ibi libertas, quæ non tanta, vbi caro, ſanguis, & carnalis ſucceſſio ſpectanda eſſet; transferendum erat, ac mutandum Sacerdotium, & quod erat tunc ſecundùm Aaronem futurum ſecundùm ordinem Melchiſedech, qui ſine Patre, ſine Matre, & ſine genealogia; ac proinde conſiderauit egregiè *S. Thom.* Chriſtum Dominum non de Tribu Leuitica, ſed de ſtirpe Regia naſci voluiſſe, ne videretur per carnalem originem carnale Sacerdotium in Eccleſiam ſuam inuehere, quæ cum futura eſſet toto orbe diffuſa, & Sacerdotium eius vni non fuit addicendum generi, ſed vndequàque cum libertate petendum, vt perfectiores, & aptiores liceret ſeligere, quales perfectiſſimum Sacerdotium exigit; & tandem ne omnes congruas rationes congerâmus, neceſſarium, & omninò conſequens fuit, vt cum cælibatus in Euangelico Sacerdotio maximè eſſet, & ſanctè colendus, quælibet ab ipſo carnalis propagatio excluderetur, quæ directè cælibatui contraria ipſum extinguit; liberrimus igitur fuit habendus delectus; nec vlli alligandus, aut ordini, aut gradui, dum tamen honeſto.

*3. p. qu. 22. art. 1. ad 1.*

5 Ordinatio ſuccedit; quod nomen latiùs aliquando acceptum aduertimus adeò, vt ordinationem ipſam, & electionem, & addictionem alicui Eccleſiæ ſignificando inuolueret, neque id mirum; cum enim ordinatio nihil aliud ſit, quàm ad Eccleſiaſticum ordinem, & officium promotio, quæ non ſola Epiſcopi benedictione, aut manuum impoſitione peragitur, ſed etiam electione, cumque nulla olim poſſet fieri ordinatio, quin ordinatus Eccleſiaſticum titulum conſequeretur *Can. 6. Concil. Chalced. C. neminem. 70. diſt.* ideò meritò ordinatio, per quam

quis

Digitized by Google

quis promouetur, & electionem, & adſcriptionem continet; pari ratione, & apud Græcos hoc nomen χειροτονίας, quo ſignificant ſacram ordrnationem anceps eſt, ac æquiuocum; aliquando enim electionem, ſiue ſuffragium ſignificat, nonnunquam verò conſecrationem, quę fit ab Epiſcopo. Significationem primam teſtantur *Conſtantin. Harmenopulus*. *Io. Zonar.* & *Theodor. Balſam.* rationemque præſertim reddidit *Zonar.* ibid. ſcribens; *Nam cum turbæ liceret in Vrbibus eligere ſacrorum Præfectos, conueniebat ipſa turba, & alij quidem hunc, alij verò deligebant illum; quatenùs autem plurium ſuffragium vinceret, eligentes ferunt ſolitos extendere manus, & per manus ità porrectas numerabantur, qui vel hunc, vel illum delegiſſent; plurium verò calculis electum Summo Sacerdotio præfecere; Chirotoniæ nomen hinc deſumptum, quo ſic etiam Synodorum Patres inueniuntur vſi, ſuffragium nominantes chirotoniam*. Hactenùs Zonaras. Quod autem vox eadem *chirotonia* ſignificet inaugurationem, ſiue conſecrationem per manum Epiſcopalem firmant ijdem *Harmenopul.* & *Balſam.* quam & ordinationem dicimus, quamuis Græci Patres in græcis Conciliorum canonibus χειροτονία & χειροθεσία vtantur, illa pro electione, & ſuffragio, hac verò pro ordinatione, cum tamen ſegregandę vtriuſque huius vocis vix ratio appareat. Iam igitur hic de ordinatione agimus; pròvt conſecratio quædam eſt, quæ manus impoſitione Epiſcopi peragitur, & qua tanquam aptiſſimo medio Clerus ipſe propagatur.

*Schol. ad Can. 1. Apoſtol. Ad eundem Canon. primũ Apoſtol. Ad Can. 5. Laodicen. vbi, & Zonar.*

*Ad Can. 1. Apoſt.*

6 Huius ordinationis ſublimitas, ac præſtantia, vel ex eo maximè emicat, quod ipſa Sacramentum ſit, ac inter nouæ legis Sacramenta iuſtiſſimè connumeratur; quidquid latrauerint in contrarium Sectarij cum Anteſignanis ſuis; vel fatentibus enim ipſis tria ad Sacramentum propriè dictum conſtituendum requiruntur; ſymbolum externum, ſiue ſenſibile ſignum, & ritus externus; promiſſio gratiæ, & mandatum, ſiue inſtitutio Diuina, quæ totidem in ordinatione ſpectantur; ritus, ſiue externum ſymbolum eſt ipſa Epiſcopalis manus impoſitio, quem ritum ſæpius in ſacris monumentis memoratum legimus, eumque in hunc ſenſum expoſuit *S. Leo Magn.* ſcribens; *quod cum Apoſtoli Paulum, & Barnabam ex præcepto Spiritus Sancti ad Euangelium gentibus mitterent prædicandum, ieiunantes, & orantes impoſuerunt eis manus, vt intelligamus quanta & dantium, & accipientium deuotione curandum ſit, ne tantæ benedictionis Sacramentum negligentèr videatur impletum*. Vnde & *D. Paul. Cum impoſitione manuum Presbyterij*. *Nemini citò manum impoſueris*; &; *Per impoſitionem manuum mearum*; quæ ſanè loca accipiunt omnes de ordinatione, eaque ideò dicta à Græcis χειροτονία. Promiſſio gratiæ adeſt; nam *D. Paul. Noli negligere gratiam, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per prophetiam, cum impoſitione manuum Presbyterij*; & *Admoneo te, vt reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum*. Verba, quæ vtramque partem ſimul iterum confirmant ritum ſcilicèt, ſiue externum ſymbolum impoſitionis manuum, & effectum immediatum collatæ gratiæ; nec omittere decet *Gregorij Nyſſeni* apertiſſima, & ele-

*Act. c. 6 & 13. ep. 81. ad Dioſcar. Alexan.*

*Ep. 1. ad Timoth. c. 4. & c. 5 2. Ad Timoth. c. 1.*

*1. ad Timoth. c. 4.*

*2. ad Timoth. c. 1.*

& elegantiſſima verba de vi conſecrationis differentis; *Eadem item verbi vis etiam Sacerdotem auguſtum, & honorandum facit nouitate benedictionis à communitate vulgi ſegregatum*. Inſtitutio autem, ſiue mandatum Diuinum, quod eſt tertium Sacramenti requiſitum, probant verba illa Diuina; *ſegregate mihi Saulum, & Barnabam*; nec non & illa *D. Pauli*; *In quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos*; & demùm eiuſdem *ad Epheſ. Ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, alios Prophetas, alios Paſtores, alios Doctores*. Sed & apertiſſimè firmat perennis Apoſtolorum obſeruatio; neq; enim credibile eſt vſurpaſſe ipſos citra Diuinum mandatum, & inſtitutionem cæremoniam, ſeu ritum, per quem gratia conferatur legitimè accedentibus, cum eius inſtituendi per ſe nullam poteſtatem haberent; neque eſt cur congeramus hìc veterum Patrum agmen Sacramentum ordinis agnoſcentium; vnus omnium inſtar antiquiſſimus *Tertullian.* hiſtrionatum Diaboli in imitandis veris Sacramentis deſcribens, & de Sacramento ordinis ſentiens *Pamellio teſte*; ait enim; *A Diabolo ſcilicet, cuius ſunt partes interuertendi veritatem, qui ipſas quoque res Sacramentorum Diuinorum in Idolorum myſterijs æmulatur; tinguit & ipſe quoſdam, vtique credentes, & fideles ſuos, expiationem delictorum de lauacro repromittit, & ſic adhuc initiat mitbræ; ſignat illhic in frontibus milites, celebrat & panis oblationem, & imaginem reſurrectionis inducit, & ſub gladio redimit coronam. Quid? quod & Summum Pontificem in vnis nuptijs ſtatuit.* Reſpiciens & in poſtremis hiſce verbis ad ordinis Sacramentum, cuius apex, & culmen eſt Pontificatus, ſeu Epiſcopatus, cui præſcribit Apoſtolus, *vt ſit vnius vxoris vir*.

*Orat. de S. Bapt. Chriſti.*

*Act. c. 13*

*Act. c. 20. c. 4.*

*De præſcript. hæret. c. 40.*

*1. Ad Timot. c. 3.*

Confirmant Sancti Patres *Hieronym. Auguſt. Leo Magnus, Gregor.* à quorum regerendis auctoritatibus temperamus; & congruam tantùm rationem adnectimus; Deus enim, qui dat ad aliquid poteſtatem, & ea omnia largitur, quæ ad congruum, & legitimum vſum ſunt neceſſaria; idque factum in naturalibus, & fieri in ſupernaturalibus credendum eſt, quæ homo ſolis viribus ſuis nequit attingere; atqui per ſacram ordinationem datur homini poteſtas ad conficienda, & miniſtranda Sacramenta; dat igitur Deus gratiam ſanctificantem, & perficientem animam, vt dignè tantum miniſterium præſtari valeat; quod nil aliud eſt, quàm ordinationem ipſam facere Sacramentum; ſi enim in Baptiſmo, qui ianua eſt, per quam fideles Eccleſiam latiùs ſumptam ingrediuntur, confertur gratia, qua homines ipſi fideles capaces Diuinorum redduntur, & ad Diuina ſuſcipienda, ac etiam agenda habiles; haud minùs per ordinem hæc ipſa gratia confertur, cum per eum Eccleſiam preſſiùs ſumptam ingrediantur, & ad Diuina tractanda, ac miniſtranda diſponantur.

*Dial. contra Luciferian. lib. 2. contr. Epiſc. Parmen. c. 13. lib. 1. contr. Donatiſt. cap. 1. De Bono Coniug. cp. 81. 87. cap. 1. Ad lib. 1. Reg. cap. 10.*

Hac autem vera Sacramenti ratione in ordine ſtabilita ridenda ſunt Nouatorum deliria negantium ordinem eſſe Sacramentum, ſed veriùs meram ad miniſterium deputationem, ſine vllo caractere; ſicut & aſſerentium materiam, & formam eius non eſſe de facili aſſignabilem; de qua tot ſint in Eccleſia controuerſiæ, cum tamen (ſi eſſet vtraque à Deo aſſignata) nullę ſupereſſent; Deliria

hæc

hæc ſunt; cum certa immò ſit in Sacramento ordinis materia, certa forma Decreto Eugenij IV. in Concilio Florentino ſtatuta, vbi & generalis Sacramenti ordinis, & propria cuiuſlibet gradus præſcribitur, vnde circa hæc immorari inſtituti noſtri non cenſemus; at ad ſingulos gradus enumerandos, & aſſignandos deſcendimus.

---

## CAP. II.

### De Gradibus Sacræ Ordinationis.

1 *Numerus graduum proponitur; an includatur Epiſcopatus remiſſiuè; Tonſura excluditur.*
2 *De Tonſuræ origine, progreſſu, & ratione.*
3 *Pontificio Decreto roborata, & praxi aſſidua comprobata per omnia ſæcula ſucceſſiuè.*
4 *Rationes peculiares Clericalis Tonſuræ redduntur.*
5 *Forma Clericalis Tonſuræ, & eius ratio.*
6 *Primi ordinum gradus proponuntur, & an ij Sacramenta.*
7 *Ad maiores fit tranſitus, & primò ad Subdiaconatum, de quo dubitatur, an ſit Sacramentum.*
8 *Succedit de Diaconatu examen, & inquiſitio, an ſit Sacramentum per controuerſiam.*
9 *De Sacerdotij gradu.*
10 *De Epiſcopali gradu inquiritur, an ſit Sacramentum, & aſſeritur, ac per rationes oſtenditur.*
11 *Obiecta nonnulla opponuntur.*
12 *Eadem ſoluuntur.*

1 GRADVS plures, eoſque varios, & computamus, & aſſignamus ſacræ ordinationis, qui ſinguli ſunt Sacramenta, nec tamen definit eſſe vnum ordinis Sacramentum; gradus ſunt multi, ſpectatur in ſingulis vera Sacramenti ratio, & tamen Sacramentum eſt vnum; vnus eſt finis, ad quem tendunt gradus ſinguli, vnitatemque finis nacti, formam vniuerſalem Sacramenti nec diuidunt, nec multiplicant, ſed ipſa indiuidua, tota vna omnibus, tota in ſingulis mirabili planè modo conſiſtit; ſeptem ergo ſunt gradus, per quos ad totale ordinis Sacramentum inceditur, & ex quibus ipſum totale integratur; Oſtiarius, Lector, Exorciſta, Acolytus, Subdiaconus, Diaconus, Presbyter, perſtrinxit *Concil. Florentin.* ſed exactè recenſuit nouiſſimè *Tridentinum*, ipſi Eccleſiæ coæuos conteſtans, & coæuum eorundem vſum. Verùm imminutum hunc numerum ſeptenarij gradus ſi arguas ex eo, quod Tonſura deficiat, nec numeretur Epiſcopatus, quem eſſe ordinis gradum, ipſumque ſummum negare nefas, ſicut & nefas ordinem negare tonſuram, quam ordinem aperte appellauit Innocent. III. in *C. cum contingat. de ęt. qualit. & ord. præficiend.* Verùm non excludi Epiſcopatum indicabimus opportunè; at non includi tonſuram meritò factum aſſerimus; cum non tam ſit ipſa ordo, quàm ianua, & diſpoſitio ad ordines merè paſſiua, etſi Innocentius in d. *C. cum contingat. de æt. qualit. & ord. præfic.* ordinem appellauit, ordinem latiùs ſumpſit, quàm vt noſtrum ferat inſtitutum,

*In Decr. Vnion.*

*Seſſ. 23. cap. 2.*

quo

Digitized by Google

quo de ordine preſsè, & propriè ſumpto agimus. Voluerint Pontificij iuris interpretes tonſuram eſſe & Sacramentum, & ordinem, non moramur, at cum veritate Sacramentale quid tonſuram agnoſcimus, & ad reliquos gradus, & ordines proximum præparatorium; & de ipſa potiora, & eruditiora (Deo fauente) promemus, ab origine, ac inſtitutione primæua auſpicantes.

2 Vetuſtum ſanè Clericalis tonſuræ ſignaculum fatentur ſectarij; at non neceſſarium, ſed otioſum, immò & ſuperſtitioſum arguunt, & damnant; ſacræ ſcripturæ nedum ignotum, ſed & aduerſum, & à purioris Eccleſiæ obſeruatione penitùs alienum; anteceſſiſſe Eccleſiam ipſam Clericalem tonſuram faſſus eſt aliquis, at non, vt commendet, ſed vt damnet; innixam enim fatetur Diuinæ ſcripturæ, & antiquæ Moſaicæ legis auctoritati, vt inde quaſi Iudaizantes Catholicos carpat, qui inutili, & abſoleto vtanrur ritu, nec magis in Eccleſia neceſſario, quàm ſit circumciſio, & alia iam antiquata legalia.

At notiſſima iam peruerſa Nouatorum intentio, vt ſi quando quid in Eccleſiaſticis ritibus probare videantur, ità foueant, vt præfocent, ac elidant.

At quidquid latrent, antiquiſſimum agnoſcit Catholica Eccleſia tonſuræ Clericalis ritum, & fidentèr in Apoſtolicam auctoritatem, & traditionem reſoluit.

*De diuino off. lib 2. c. 4.* Iam igitur *Iſidor.* de tonſura agens eius originem detegit, ſic ſcribens. *Tonſuræ Eccleſiaſticæ vſus à Nazaræis (niſi fallor) exorſus eſt, qui priùs crine ſeruato, denuò poſt vitæ magnæ continentiam deuotione completa, caput radebant, & capillos in ignem ſacrificij ponere iubebantur. Huius ergo exempli vſus ab Apoſtolis introductus eſt, vt hi, qui in Diuinis cultibus mancipati Domino conſecrarentur, quaſi Nazaræi, ideſt Sancti-Dei, crine præciſo innouentur.* Id feciſſe Paulum Apoſtolum, ſubinde commemorat, imitatum Aquilam in actibus Apoſtolorum, nec tamen Iudaizaſſe eum ſuſpicatur, cum figuræ, & exemplaris rationem in Nazaræis optimè agnoſcat; conſonat & *Petrus Bleſenſ.* ponderans enim verba illa, *& tonſo capite mox corruens in terram*; ait; *non eſt nouum, quod tondentur Clerici, quod in capite coronantur. Exemplum tonſuræ habemus in Iob; exemplum coronæ habemus in Chriſto qui ſpineam coronam in ſignum humilitatis geſtauit in capite ſuo; quidam etiam gentiles Petro Apoſtolo caput raſiſſe dicuntur in Chriſti opprobrium, & contemptum, quod tamen ipſe non immemor ſpineæ coronæ Chriſti patientèr, & prompta voluntate ſuſtinuit.* Idque longè anteà tradiderat *S. Germanus Conſtantinopolitanus Epiſcopus*, ipſumque à maiorum traditione id mutuatum coniectatur *Baron.* nec mirum id eſſe conſiderans, vt quæ Apoſtolorum Principi illata eſſet infamiæ nota totius Eccleſiæ decori ceſſerit, cum & pœnarum inſtrumenta pietas Chriſtiana in ampliſſimam gloriam immutare conſueuerit; nec ſanè ex alio fonte, quàm Apoſtolicæ inſtitutionis videtur poſſe tonſura Clericalis fluxiſſe, cum nulla vſquam Prouincia Chriſti nomen acceperit, quę non æquè eiuſdem tonſuræ obſeruationem admiſerit; at certè nullo alio, quàm Apoſtolorum præconio, præ-

*C. 18.*

*In lib. Iob. cap. 1.*

*In Theoria rer. Eccl. non procul. à princ. tom. 2. Bibliot. SS. Patrum.*

*Tom. 1. Annal. Ann. 58.*



Digitized by Google

ſertim cum legis veteris ritus quoad Sacerdotes contrarium ſeruaret, vetitum enim ipſis erat radere caput, & barbam.

*Leuit. c. 21.*

Ab hiſce ergo auctoribus, & principijs inuecta in Eccleſiam Clericalis tonſura, vt à communi hominum vita recederent, & excultius viuendi genus aſſumerent Diuino cultui ſe mancipantes, eo ſymbolo auerſionem ſuam à ſæculi illecebris conteſtarentur, vnde quaſi definiens Clericalem tonſuram deſignauit *B. Iſidor. vt ſit in Clericis ſignum quodam, quod in corpore figuratur, ſed in animo agitur, ſcilicet; vt hoc ſigno in religone vitia recenſentur, & criminibus carnis noſtræ, quaſi crinibus exuamur, atque inde innouatis ſenſibus, vt comis rudibus eniteſcamus expoliantes nos iuxta Apoſtolum veterem hominem, cum actibus ſuis, & induentes nouum, qui in agnitionem Dei renouatur.*

*d. lib. 2. de diuin. off. c. 4.*

3 Ab hiſce primordijs inducta tonſura, & cum Eccleſia propagata fœliciter, ſecundo eiuſdem Eccleſiæ ſæculo *Aniceti Papæ, & Martyris* decreto meruit roborari; ſcribens enim ad Galliæ Epiſcopos epiſtolam ſuam hoc ipſo decreto claudit. *Prohibete Fratres per vniuerſas regionum veſtrarum Eccleſias, vt Clerici, qui laicis, & ſimplicibus virtutis, honeſtatis, pudicitię, & grauitatis exemplar eſſe debent, ac ſe ipſos tanquam ſignum purioris vitæ rudioribus ad imitationem prudenter exhibere, iuxta Apoſtolum comam non nutriant, ſed deſuper caput in modum ſpheræ radant.* Vnde mutuatus *Gratian. Can. prohibete. 21. diſt. 23.* Non moramur, quæ in hanc epiſtolam cumulentur obiecta ad eius fidem eleuandam, hæc enim & cæteris Pontificijs antiquis illis epiſtolis communia, nec eas propugnare noſtri modò eſt inſtituti; Quod præſcripſit Aniceti epiſtola praxis ipſa Eccleſiæ ſemper commendauit, & confirmauit; nam poſt D. Petrum ſubſequentes Pontifices, Epiſcopi, Presbyteri, & Clerici tonſuram deferre non timuerunt, nec inter ſæuientium perſecutionum diſcrimina territi fuere, quominùs hoc Clericalis ſtatus caractere ornati apparerent, charitatis ardore, & conſtantia impellente, vt quam fidem verbis parati eſſent aſſerere, viſibili etiam hoc Clericali ſigno in omnium conſpectu profiterentur; non commemoramus acta Sanctorum Martyrum, qui in ipſa Clericali corona Martyrium ſubiere, vt inde colligere fas ſit perſecutionum ſæuitiam ab ipſo Clericalis tonſuræ vſu non terruiſſe, quod conſiderarunt nonulli, aſſerentes ea de cauſa non eſſe credibile, prodijſſe à *S. Aniceto* illud Clericalis tonſuræ Decretum.

*Tom. 1. epiſt. Decret. Sum. Pont p. 82.*

Data Eccleſiæ pace, & Martyrum ſanguine extinctis perſecutionum incendijs tonſuræ Clericalis inſtitutum impenſiùs iniunctum, & accuratiùs fuit obſeruatum adeò, vt à S. Syluestro I. vſque ad S. Leonem Magnum, ab hoc ad S. Gregorium æquè Magnum, ab hoc ad Nicolaum I. & ſucceſſiuè vſque ad Sixtum V. proſtent Conciliorum Decreta, & Pontificum conſtitutiones tonſuram Clericalem, eiuſque delationem diſtrictè iniungentes; vnde adtexere hìc licet celebrem regulam illam S. Auguſtini; *quod vniuerſa tenet Eccleſia, nec Concilijs inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſimè creditur;* eaque concludere fas eſt, Clericalem tonſuram ab Apoſtolica auctoritate profe-

*Sixt. V. Bulla, cū ſacroſanct Dei Eccl. in Bullar. Cherub. conſt.*

*Lib. 4. de baptiſm. cont. Donatiſt. c. 24.*

profectam tanquam Apoſtolicam traditionem in Eccleſia ſemper fuiſſe cuſtodiram, & obſeruatam inceſſanti vſu; & huiuſce rirus præter rationes, quas ſupra cum *S. Germano*, *Petro Bleſenſi*, *Iſidoro*, *&* *Baronio* circa originem tetigimus lubet hic potiores nonnullas adtexere, quæ eundem ritum magis, ac magis commendent.

*De Eccl. Hier. cap. 6. theor. 3 §. 3.* 4 Primam exhibet *S. Dionyſ. Areopagita*; & quamuis loquatur de Monaſtica tonſura, attamen & Clericali apriſſimè congruit. *Tonſura porrò capillorum vitam omninò indicat nullatenùs fucatam, neque figuris fictis, adſcitiſque, quibus mentis deformitas tegatur, calamiſtratam, ſed per ſe ipſam non humanis ornamentis, ſed ſingularibus, ac vnificis virtutibus ad Diuinam penitùs conformitatem euectam*. Quæ ſanè verba vtpotè myſticam Theologiam redolentia obſcuriora videntur, attamen adaptando moralibus eorum intentionem eruimus; tonderi ſcilicet ſiue Clericos, ſiue Monachos; vt vita eorum ſincera, aperta, ingenua, ſine fuco, ſine dolo, aut ſimulatione indicetur, ſoli Deo placens per intentionis puriratem, eumque Iudicem, & Inſpectorem habere intendens.

Secundam rationem eruemus congruè à ritu illo, quem teſtantur ſolemnem *Paul. Diaconus*, *&* *Aimoinus*; vt cum quis ſcilicet in adoptionem reciperetur perfici adoptionis actus per tonſionem capillorum conſueuerit, ſicut & in ſeruitutis ſignum aliquando ex *Aemilio*, *&* *Tritbemio* tonderi capillos; hocque ipſum rectiſſimè factum, cum quis Clericali ſtatui initiatur fatebimur, vel hac eadem ratione, Clericalem enim ſtatum aſſumens in potiorem Dei familiam tranſit quaſi adoptiuus, & veri Domini ſe mancipat obſequijs quaſi ſeruus, & vtrumque tondendo capillos humilitèr conteſtatur.

*De Geſt. Longob. lib. 6. c. 53*
*De Geſt. Francor. lib. 4. c. 5.*
*In Clodo. Carlo Magno.*
*Breuiar. biſtor. in Clodou.*

Addere & tertiò liceat, radi nonnunquam ſolitos in ignominiam, & abiectionem; & quidni tondeantur vitam Clericalem aſſumentes? vt in ipſo limine humilitatis cultum eo actu profiteantur, parati ignominiam, & pro nomine Ieſu contumeliam pati; nec ſine re hæc ipſa tonſio in modum crucis peragitur, vt ſe addicenti Clericali vitæ humilitatis demiſſione, & obedientiæ documentum præbeatur.

Demùm; cæcus ille, quem Chriſtus illuminauit, videre primùm ſe dixit *homines, veluti arbores ambulantes*. Vnde hominem arborem quidem, ſed inuerſam, radices ſuperiùs porrigentem, quæ ſunt capilli, haud immeritò dixeris; tondeantur igitur, dum ſuſcipitur vita Clericalis, vt non iam rami, & frondes, ſed radices humanarum paſſionum ad perfectionis ſtatum recidi videantur; ſolemnis huiuſce ritus haſce coniectaſſe rationes licuerit, iamque ad formam tonſuræ ipſius Clericalis accedamus, quæ vna ſupereſt. *Marci c. 8. 24*

5 Tonſuram Clericalem differre à Monaſtica notius eſt, quàm vt probatione indigeat, non ſolùm quòad virtutem, quia Monaſtica, vt Clericum non facit, ità neque ad Clericales functiones habilitat, at Clericalis vtique, vt notauit *Theod. Balſam.* ſed & quòad modum, & formam; Monachis enim non tàm tonſura, quàm raſura competit, & radi debent, nec tantùm in vertice, ſed in toto capitis circuitu, relicto tantùm tenui capillorum, ſeu pilorum circulo in inferiori parte ità, vt raſi ad cutem ince- *Ad Can. 33. Syn. 6. in Trul.*

*Lib. 8. de prouid.* incedant, *Saluian. Intra Carthaginis muros palliatum, & pallidum, & reciſis comarum fluentium iubis ad cutem tonſum videre, tàm infœlix ille populus, quàm infidelis ſine conuicio, atque execratione vix poterat.*

Clericis verò ab antiquiſſimis canonibus præceptum legimus, vt comam non alant, ſed ad breues capillos eam conſtringant; in *Can. prohibete* 23. *diſt.* deſumpto ex S. Aniceti epiſtola; raſura quidem iniungitur, ſed à Monachali omninò differens, nam Clerici in vertice tantùm radi debent, & ità accipienda raſura in d. *Can. prohibete*, vt poſteriores canonicæ ſanctiones indicant, & praxis Eccleſiæ vbique recepta, & etiam nunc vigens, quæ quidem, vt forma diſtat à Monachali ità, vt effectu, nam ſi Monachus Clericali tonſura tondeatur Clericus efficitur, & functiones Clericales exequi poteſt; vt *vbi ſupra.* notat *Balſam.* qua doctrina nihil ad confirmandum diſcrimen euidentius. Hæc tonſura, corona dicta, reſpondens regali Sacerdotio, & coronæ quòad figuram alludit, vnde vel ab Apoſtolorum æuo perpetua traditione in Eccleſia ſeruatum eſt, vt circularis ſemper fuerit, & ſit, non quadra, non triangularis, non ſemicircularis; Rationes congruentis huius figuræ vtcumque plures poſſint afferri, at ea cæteris potior, quæ à præſtantia circularis figuræ deſumitur, quæ omnibus nobilior, perfectior, & excellentior, ac proinde ad ſtatum, & gradum perfectiorem, & excellentiorem indicandum aptior, & qualis planè coronam deceat, quæ Dei regno debita, quod in Deo habent Clerici, *& hoc deſignat corona in capite*, ait *D. Hieronym.* in *C. duo ſunt* 7. 12. *q.* 1. qua ipſa ratione factum, vt Græcis dicta ſit παπαλήφεα ἀ παππας, ideſt *pater*, quæ vox non ſolùm ſacrorum ordinum, ſiue maiorum propria, ſed etiam minorum, vt indicat *Nouella Iuſtiniani* 131. & λὴτρα, quæ circulum, ſiue cinctorium apud nonnullos ſignificat, ſiue λιτρα, quæ minimum numiſma, & obulum apud *Pollucem*; & ſemper *Lib. 4. c. 24.* ad circularem figuram reſpiciendo; Corona igitur Regni quidem, ſed in ſe ipſum, in paſſiones, in affectus; corona, non ſuperbiæ, vel faſtus, ſed humilitatis, & patientiæ, quæ ad promiſſa humilibus præmia diſponat; cum & in humilitatis circulo exaltemur, vt inquit *Petrus Cellenſ.* *Lib. 2. myſtica expoſ. tabernac.* Quanta autem ea debeat eſſe? non eadem omnibus, ſed pro graduum diuerſitate maior, aut minor, at eadem omnibus, cum ſit circularis; Non aliud producemus teſtimonium, quàm ex actis Mediolanenſis Eccleſiæ; Concilio enim V. Prouinciali *Sub tit. de ratio. exam. minus præficiendor.* ſtatuit S. Carolus Archiepiſcopus *repulſam paſſuros ab examine, qui acceſſerint ſine congrua, pro ſui ſtatus ratione, tonſura.* Hæc fuſiùs de Clericali tonſura, ſed breuiùs quàm ferat rei amplitudo; iam reliquos gradus ingrediamur.

6 Septem iam diximus eſſe gradus, qui vnitate tùm generis, tùm finis vnum nihilominùs conſtituunt ordinis Sacramentum; tres dicuntur ſacri, & maiores, quatuor verò minores. De quatuor minoribus non eſt adeò certum certitudine fidei, quod ſint Sacramentum, & ideò, qui maiores omni Sacramenri ratione ſpoliarunt, multò faciliùs minores ipſos à Sacramenti ratione, ac denominatione excludunt; dicunt enim eſſe mera officia manualia ſacris ordinibus longè inferiora, ad quæ obeunda

eunda nullo ſupernaturalis gratiæ auxilio opus videatur, immò olim etiam Cathecumenis, & non baptizatis committebantur, vt teſtatur *Socrates*, quod de ordinis Sacramento nefas dicere; at verò rectiſſimè *Bellarmin.* probabiliùs longè exiſtimat minores hoſce quatuor gradus eſſe Sacramenta, quamuis ab alijs probabile exiſtimetur eſſe eos iuris Eccleſiaſtici, & Sacramentalia quidem, at non Sacramenta, quod tradidit *Domin. à Soto*. At verò de illis tanquam Sacramentis proſtant vetuſtiſſima teſtimonia; *Cornelius enim Papa ad Fabium Antiochenum* enumerans eos Eccleſiæ gradus, qui ordinatione perficiuntur, aſſerit in Eccleſia Romana, *in qua tamen non ignorabat Presbyteros eſſe quadraginta ſex, fuiſſe Exorciſtas, & Lectores, vnà cum Oſtiarijs quinquaginta duos &c.* Acolythorum verò meminit *Concilium* vetuſtiſſimum *Carthaginienſe* 4. *Can.* 6. ſic ſanciens. *Acolytus, cum ordinatur, ab Epiſcopo quidem doceatur qualiter in officio ſuo agere debeat; ſed ab Archidiacono accipiat Ceroferarium cum cereo, vt ſciat ſe ad accendenda Eccleſiæ luminaria mancipari; accipiat & vrceolum vacuum ad ſuggerendum vinum in Euchariſtiam ſanguinis Chriſti.*

*Hiſt. lib. 5 c. 21.*

*Tom. 2. de Sacr. ord. lib. 1. c. 8.*

*De iuſt. & iur. lib. 9. q. 7. art. 1.*

*Apud Euſeb. lib. 6. Hiſt. c. 35*

Accedat & *Concilium Florentinum*, quod materiam Sacramenti ordinis aſſignans dat exemplum de ordine Sacerdotis, Diaconi, & Subdiaconi, & addit *idem de alijs ordinibus intelligendum*; & demùm nouiſſimè *Tridentinum ſeſſ.* 23. *C.* 2. quod ſeptem ordines enumerat, & tamen ordinem eſſe Sacramentum ſtatuit; & denique, quod minores ordines non iterentur, arguit eos imprimere caracterem, quod vnius Sacramenti eſt. Poſſunt quidem hæc munera etiam à non ordinatis exerceri, at non ex officio, & ordinario iure, ſed extra ordinem, quod tamen non facit, quo minùs, cum exercerentur ex múnere, & ordinatè, præcedenti ordinatione inniti debeant; tuncque ſpecialem, & propriam virtutem habeant, ac veram Sacramenti rationem; ſicut nec officit, quod à non Epiſcopis etiam conferantur, vt ab Abatibus, id enim ex priuilegio, & ſingulari conceſſione fit, qua quæ ſunt Epiſcopalis muneris non Epiſcopis etiam poſſunt communicari.

7 Minores ordines aſcendendo ſtatim conſequitur Subdiaconatus, de quo, quia ſcripſit *Bellarmin. Non eſt tanta certitudo, quanta de Diaconatu; nam nec in ſcripturis de eo fit mentio, nec eius ordinatio habet manus impoſitionem ex Concilio IV. Carthag. Can.* 5. *nec Subdiaconi miniſtrant Euchariſtiam, aut alia facere poſſunt, quæ Diaconi, & denique non pertinent propriè ad hierarchiam, niſi vt miniſtri Hierarcharum*. Inde videtur rectè inferri non eſſe Sacramentum. Additur, quod Subdiaconi à Corepiſcopis poterant ordinari, qui ſimplices Presbyteri erant, nec poterant Sacramentum ordinationis miniſtrare; immò *Magiſter ſentent.* & cum eo *Gratian.* in fine princ. ſcripſit, *Subdiaconos, & Acholytos procedente tempore Eccleſia ſibi conſtituit*; ſicque olim in Eccleſia inter ſacros ordines non computabatur. *C. à multis. de æt. qual. & ord. præficiend. C. miramur; de ſeru. non ord.* rectiſſimè ſcripſit *Bellarminus* probabile eſſe ſubdiaconatum eſſe Sacramentum, nec eſſe adeò certum, vt eſt de Diaconatu; probabile igitur ſit; ſed cum communi Eccleſiæ obſerua-

*d. lib. 1. c. 7.*

*Lib. 4. diſt. 24.*

ſeruatione Sacramentum eſſe, præſtat aſſerere; caracterem enim videtur imprimere, cum non ſit iterabilis, & adnexum habet continentiæ votum, quod inditium ingens facit.

Soluuntur autem facilè, quæ ſupra in contrarium. Quod etenim primò Corepiſcopi, qui erant ſimplices Presbyteri, potuerint Subdiaconos ordinare, cum tamen non poſſent Sacramentum ordinis miniſtrare, iam notauimus de Corepiſcopis agentes, eos fuiſſe in duplici differentia, aliqui enim fuere merè Corepiſcopi, alij verò veri Epiſcopi, licèt ſine Diœceſi, quales hodie ſuffraganei, & titulares, qui quidem, & Subdiaconatum, & alios maiores ordines tanquàm Epiſcopi conferre poterant; Corepiſcopi verò ſimplices non item, niſi extraordinario iure, & ſingulari conceſſione, non autem veræ, & propriæ ordinationis auctoritate; *Magiſt.* autem *ſentent.* & *Gratian.* non tanti ſunt, quin eorum eleuari poſſit auctoritas; *Gratianum* ibidem carpit *Gloſſa*, & nos cum ea arguere non verebimur.

Quod autem Subdiaconatus non fuerit ordo ſacer; fatemur vltrò, quia ſacri ordines (propriè, & preſsè loquendo) dicti ideo demùm, quia ipſis fuerit adnexum continentiæ votum, quod non ſemper Subdiaconatui inhæſit, ſed poſteà fuit additum; at non inferas per hoc rectè, non eſſe Sacramentum, nam & ordines minores non dicuntur ſacri, & tamen ſunt Sacramenta; Subdiaconis olim non licebat vaſa ſacra tangere ex *Concil. Laodic. Can.* 2. & ex *C. nullus. diſt.* 24. qua ratione etiam fiebat, vt non diceretur ordo ſacer, & quod ex *Concilio Tolet.* 8. benedictio olim in Subdiaconatu non adhiberetur, non infert rectè non fuiſſe Sacramentum, cum & ordines minores ſine huiuſmodi benedictione dentur, nec tamen deſinunt eſſe Sacramenta.

8 Quod de Subdiaconatu aſſeritur probabile, de Diaconatu eſt longè certiùs, communique voto receptum, paucis exceptis; *Durando* ſcilicèt, & *Caietano*, eſſe nempe Sacramentum, & ordinis gradum ſecundum; communis autem hic conſenſus in re, quæ à traditione pendet non exigui momenti eſt; verùm, qui ordinis nullum agnoſcunt Sacramentum, multò faciliùs contra Diaconatum inſurgunt, eumque à Sacramenti ratione excludunt, merum miniſterium, & officium aſſerentes. *In 4. diſt. 24. In opuſc. 10. 1. tractat. 2.*

Hùc non transferemus rationes, quas ſcholaſtico ſtylo exarauit præſertim *Durandus* ijs contenti, quas poſitiuo deſcripſerunt alij alia intentione, & alia fide.

Primò igitur vrgent ipſam Diaconorum originem, & inſtitutionem ex Apoſtolorum actis. *Creſcente verò numero Diſcipulorum factum eſt murmur Græcorum aduerſus Hebræos eò, quod deſpicerentur in miniſterio quotidiano Viduæ eorum. Conuocantes autem duodecim multitudinem Diſcipulorum dixerunt; non eſt æquum nos derelinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis.* Siſtunt hìc gradum, & occaſionem conſiderant Diaconatus inducendi; captum enim inde conſilium; *Conſtituamus ſuper hoc opus ſeptem viros, nos verò orationi, & miniſterio verbi inſtantes erimus, & elegerunt Stephanum, alioſque ſex; Hos ſtatuerunt ante conſpectum Apoſtolorum, & omnes impoſuerunt eis manus.* En igitur qua occaſione, qua auctoritate, à quibus Diaconi ſint *Cap. 6.*

inſti-

inſtituti; murmur occaſio, Apoſtolica auctoritas, Inſtitutores Apoſtoli ipſi, penès quos nulla inſtituendi Sacramenti poteſtas; Et quod magis eſt, non ad regimen ſpirituale Eccleſię inſtituti; hoc enim erat penès Apoſtolos, ſed ad curanda temporalia, meri ęconomi, quæ ex fidelium oblationibus obueniebant; ad hæc autem quid opus Sacramentali gratia, aut ſupernaturali auctoritate? & ideò non defuere antiqui Patres, qui Diaconos ab Apoſtolis inſtitutos aperté affirmarint; *Anacletus* enim, *amplius, quàm iſti duo* (inquit) *ordines Sacerdotum, nec nobis à Deo collati ſunt, nec Apoſtoli docuerunt*. Duos igitur ordines agnoſcit à Deo Epiſcopatum, & Sacerdotium, Diaconatum nullum; clariùs *S. Cyprianus*. *Meminiſſe autem Diaconi debent, quoniam Apoſtolos, ideſt Epiſcopos, & Præpoſitos Dominus elegit: Diaconos autem poſt Aſcenſum Domini in Cœlos Apoſtoli ſibi conſtituerunt Epiſcopatus ſui, & Eccleſię miniſtros.*

*Epiſt. 3.*

*Epiſt. ad Rogatianum lib. 3. ep. 9.*

Demùm notabilis eſt caſus, qui in Epiſtola Vigilij legitur; Vigilius enim Sebaſtianum quendam Diaconum omni Diaconatus honore priuauit, qui primùm Diaconus fuerat creatus in aliorum abſentia, & eorum defectum, cum miniſterio hoc, & officio abuſus ipſe eſſet. Vnde ſi creantur Diaconi ad tempus, & ob crimen repelluntur à dignitate, nihil minùs videtur dici poſſe, quàm Diaconatum eſſe Sacramentum, cum immò nil aliud niſi mera deputatio eſſe videatur, quod de toto ordinis Sacramento iam ſupra tactum, licèt reiectum; vt autem de Subdiaconatu iam ſtatuimus eſſe Sacramentum; idem & multò magis aſſerimus, & de Diaconatu; cui quidem aſſertioni inominatum affert commune Theologorum votum duobus exceptis, quos iam memorauimus; ſed ſi conferamus conditiones ad Sacramentum neceſſarias cum Diaconatu, nihil deeſſe comperiemus, quod ad Sacramentum ſit neceſſarium; adeſt enim primò in Diaconi ordinatione ſenſibile ſignum, manuum ſcilicet impoſitio, & libri Euangeliorum porrectio; quodnam autem ex duobus ſit eſſentiale, non inquirimus. Secundò gratia confertur, ne inania, & ſine effectu ſint verba illa, *accipe Spiritum Sanctum*; vnde *Concil. Chalcedonenſe* Epiſcopum per pecuniam Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi ordinationem facientem vendere dixit gratiam pretio inæſtimabilem, quod non diceret, niſi in huiuſmodi ordinatione gratiam conferri crederet; immò cum arduum ſit Diaconi munus, & poſt Epiſcopi, ac Presbyteri officium difficillimum; credendum eſt Deum prouidentia ſua non deficere, ſed gratiam neceſſariam eidem adiunxiſſe; nec abeſt à Diaconi ordinatione caracter, nam ordinem Diaconatus amitti nunquam, aut iterari intuemur, quod aliunde prouenire non poteſt, quàm ab ipſo caractere, de quo loco ſuo. Nec deeſt demùm Diuina inſtitutio, quam quidem teſtatur *Martyr Ignatius*, dum Diaconos honorandos hortatur, *vt ex Dei præcepto miniſtrantes*; idque facere non poſſent, ſi non à Deo eſſet eorum inſtitutio. Idem *ad Epheſ.* fideles hortatur, vt obediant Epiſcopo, Presbyteris, Diaconis, *qui enim his obedit, obedit Chriſto, qui hos conſtituit*. Si enim Leuitæ in antiqua lege ſunt inſtituti, qui Sacerdoti deſeruirent; & Diaconos à Chriſto inſtitutos

*Vigil. ep. 5. Ruſtico & Sebaſt. 5. Syn. col lat. 7. t. 2. concil.*

*Can. 6.*

*Ep. ad Smirnenſ. 11.*

*Epiſt. 14.*

tos

tos in noua lege credendum eſt, qui Leuitis illis, tanquam figurati figuræ ſuccederent, qui Sacerdotibus noſtris inſeruirent, & ex officio miniſtrarent; officia quoque ſacra ijſdem ſunt iniuncta, baptizandi ſcilicèt, ſacris Altaribus miniſtrandi, & ſi quæ alia, quæ tùm ex Apoſtolorum actis, tùm ex Sanctis Patribus *Tertulliano*, *Hieron. Cyprian. Gregor.* & alijs poſſunt deſumi, vt doctè proſequitur *Bellarmin.* igitur meritò concludendum Diaconatum propriè eſſe Sacramentum. Idque inſinuat apertè tùm *Florentinum*, tùm *Tridentinum Concilium*; hoc enim ordines plures enumerat tanquam ad Sacerdotium directos, & ſingulos ordinis nomine donat, ac demùm generalitèr definit ordinem eſſe Sacramentum; cumque Diaconatum expreſsè etiam recenſeat; iam Sacramentum eſſe non eſt ambigendum. Quæ autem in oppoſitum ſunt allata haud difficultèr ſoluuntur.

*In decreto Vnion. Seſſ. 23. c. 2. & 3.*

Inſtitutum igitur à Chriſto Domino, & Deo Diaconatum iam huc vſque tradita probant, quæ verè Sacramentum oſtendunt; vnde quæ afferuntur hiſtorica ex Apoſtolorum actis exhibent quidem ex occaſione ordinatos Diaconos, at non ab Apoſtolis inſtitutos, poterat hæc ipſa ordinatio in vlterius tempus differri, at ſubortum murmur Græcorum aduerſùs Hebræos occaſionem præbuit, & tanquam procatarctica cauſa excitauit, vt qui gradus à Chriſto Domino fuerat iam inſtitutus promeretur in lucem, neque enim omnia, quæ Chriſtus pro Eccleſia ſua inſtituit prodire ſtatim debuerant, ſed iuxtà varios eiuſdem Eccleſiæ inceſſus, prò vt occaſio exigeret, erumpere, idque factum nedum in Diaconis, ſed & in pleriſque alijs obſeruare fas eſt; fuerit igitur hæc occaſio, nil tamen Sacramenti dignitati detrahet, neque enim inde inferre licet occaſionalitèr inſtitutum, ſed conſultò à Chriſto ſancitum. Idque ipſum euincit omninò falſum, quod addebatur, & ex prolata Diaconorum inſtitutione inferebatur, profanum fuiſſe ipſorum munus, & ad merè temporalia adminiſtranda inſtitutos, dum menſis miniſtrare ipſi deberent; quaſi menſæ huiuſmodi fuerint puræ profanæ. Rectiſſimè enim ſentit, ac probat *Baron.* menſas illas, quibus inſeruiebant Diaconi ſacras æquè fuiſſe, atq; communes; *ſicut enim* (ſcribit *Baron.*) *Dominus*, *ac* Redemptor *noſter in vltima illa memorabili cœna*, *vt vidimus*, *vtramque menſam vnà coniunxit*, *communem*, *& ſacram*, *in quarum priori agnum ex more comederent*, *in altera verò mox conſecrata Sacratiſſimum ſuum Corpus*, *& Sanguinem propinauit*, *ſic etiam temporibus Apoſtolorum eadem in Eccleſia conſuetudo noſcitur conſeruata*, *vt ſimul vtramque menſam coniungerent*. Sic vtriuſque ijdem eſſent miniſtri; coniecturam ſuam firmat *Baron.* D. Pauli auctoritate in Epiſtola prima ad Corinthios, vbi vtramque menſam profanam, & ſacram exhibet; de prima enim ait; *& vnus quidem eſurit*, *alius autem ebrius eſt*; de ſecunda verò; *quotieſcunque manducabitis panem hunc*, *& calicem bibetis*, *mortem Domini annuntiabitis donec veniat*. nec minùs colligitur ex ipſis Apoſtolorum actis *Cap.* 2. quo comedendi ritus fidelium tunc conuiuentium ſpectatur; ad quid enim (ſi meræ profanæ fuiſſent menſæ illæ) tantum adhibuiſſe ſtudium in Diaconorum delectu? ſat fuiſ-

*Tom. 1. Annal. ann. 34.*

*Cap. 11.*

fuiſſet, viros probos, fidos, aſſiduos eligere; & tamen inquirunt Apoſtoli, vt ſint boni teſtimonij, & (quod magis eſt) pleni Spiritu Sancto, & ſapientia, immò (ſi *D. Epiphanio* credimus) ex numero ſeptuaginta duorum Diſcipulorum; nimis hoc fuiſſet pro ſolius menſæ communis miniſterio; pręterea ad quid tot ſolemnia? ad quid tot ritus? præuia communis omnium præmittitur oratio; additur ſolemnis manuum impoſitio, quæ tanti momenti ſemper habita, vt per eam Paulus, & Barnabas promoti fuerint ad Apoſtolatum; certè aliquod munus ſublimius inde arguere licet ipſis iniunctum; nec ad ſolum menſæ communis miniſterium eos vocatos.

*Lib. 1. c. 21.*

Anacleti auctoritas ſe ipſam explicat, duos enim ordines tantùm non ſimpliciter dicit, ſed duos ordines Sacerdotum à Deo inſtitutos, & ab Apoſtolis traditos; quod nulli dubium; at non ſequitur, ergo Diaconatus nullus; neque enim id ſenſiſſe, aut voluiſſe Anacletum credere poſſumus contra ſacram ſcripturam Diaconorum ordinationem narrantem ab Apoſtolis factam, contra D. Paulum Diaconorum mentionem ſæpe facientem, ab Apoſtolis non obſeruatum Diaconatum. S. Cyprianus autem id voluiſſe videtur verbis ſuis; Chriſtum ſcilicet non ordinaſſe Diaconos, ſicut ordinauit Epiſcopos, & Presbyteros, at non item, non inſtituiſſe ordinem Diaconatus, quem Apoſtoli poſteà eſſent executuri, & ad praxim per electionem, & ordinationem redacturi; quæ quidem expoſitio placuit *Bellarmino*, qui nec ab ea eſt alienus, vt putet, fortaſſe Cyprianum in ea fuiſſe ſententia, vt crederet, Diaconatum à Chriſto Domino non fuiſſe inſtitutum; at potior ipſi eſt prima expoſitio.

*Epiſt. ad Tit. c. 1.*

Factum autem Vigilij Papæ ex eius epiſtola deſumptum; quo probari videbatur Diaconatum eſſe merum officium, ipſumque amouibile adæquatè ſoluitur, ſi tollatur, & elucidetur æquiuocatio, quam accuratè detegit *Baron.* qui quaſi proſpiceret obiectum ex hoc Vigilij facto deſumendum regerens per extenſum ſententiam in Ruſticum, & Sebaſtianum Diaconum latam, cum ad verba illa perueniſſet. *Abſentibus filijs noſtris Diaconis Anatolio, atque Stephano à nobis poſtulanti, vt ad tempus pro implendo officio abſentium loco Diaconum te interim faceremus*; ſiſtit gradum, & prudenter admonet; *hęc cum Vigilius ingerat in Sebaſtianum ad tempus creatum Diaconum, non accipias quòad ordinem, ſed potiùs quòad miniſterium, vt qui Diaconus iam eſſet, miniſtrare loco Diaconi Cardinalis permitteretur.* Hæc *Baron.* Quæ ſanè omnem ſcrupulum amouent, & obiectionem ſoluunt, quæ ordinem cum officio confundens ab officio amouibili, & impendibili mutabilitatem ordinis fallaciter arguit; non ergò opus pluribus, ſed ſatis iam firmatum, Diaconatum eſſe Sacramentum per manus impoſitionem collatum, non quidem præcatoriam, ſed conſecratoriam, immutabilem caracterem imprimentem.

*Tom. 7. Annal. ad ann. 550.*

9 Iam igitur aſcendendo peruenimus ad ordinationis metam, ad Presbyteratus ſcilicèt, ſiue Sacerdotij gradum, de quo dubitari nullo modo poteſt, an ſit Sacramentum, quæ enim iam ſunt ſuperiùs allata ad confirmandum ſacram ordinationem eſſe Sacramentum, ad Sacerdotium ipſum terminantur, ad quod dirigun-

tur, & tendunt omnes alij gradus, & ipſum verſatur immediatè circa Corpus Chriſti verum, ad quod Sacramentaliter conficiendum eſt inſtitutum; opus adeò excelſum, vt ſicuti omnem humanum captum, humanamque, ac naturalem virtutem excellit, ità ſupernaturalem vim, Diuinamque gratiam expoſcit, quæ cum detur per Sacerdotium, ſeù Presbyteratum; hinc eſt, quod meritò, ac neceſſariò Sacramentum ſtatuitur, propter ipſum enim reliqui gradus ſunt Sacramenta, & multò magis ipſum; quod quidem ſanciuere ſacra
In Decreto enſem. generalia Concilia duo, *Florentinum*, quod in Sacramento ordinis expreſsè meminit tantùm Sacerdotum, Diaconorum, & Subdiacono-
Seſſ.23.c.1.& 2. rum; & *Tridentinum*, quod Sacramentum ordinis conſiderans Sacerdotium memorat, ſed præſertim hæc
Cap. 4. habet verba. *Quoniam verò in Sacramento ordinis, ſicut & in baptiſmo, & confirmatione caracter imprimitur, qui nec deleri, nec auferri poteſt, meritò S. Synodus damnat eorum ſententiam, qui aſſerunt noui teſtamenti Sacerdotes, temporariam tantummodò poteſtatem habere*. Quę doctrina de caractere, quamuis de quolibet ordinationis gradu verificetur, attamen ad Sacerdotium ſe reſtringit Concilium, in quo maximè omnia, quæ de ordinatione dicuntur, impleantur, quod quidem nil aliud eſt, quàm Presbyteratum, ſiue Sacerdotium maximè Sacramentum ſupponere, idque à Sacroſancto Concilio decretum extra omne dubium conſtituitur.

Supereſt igitur Epiſcopalis ſummus ordo, de quo diſceptatur præſertim inter ſcholaſticos num ſit Sacramentum; vigent hinc inde opiniones, & auctores grauiſſimi; quidquid altercantes dicant, vix ſine grauiſſimi erroris nota negari poteſt Epiſcopatum eſſe Sacramentum; aſſerimus igitur cum omnium Canoniſtarum, & Theologorum recentiorum voto; & confirmamus. Primò enim elicitur euidenter ex doctrina Sacroſancti *Concilij Tridentini*, quod ſta- Seſſ.23.c. 2.& 3.
tuit ſacram ordinationem eſſe propriè, & verè Sacramentum; atqui Epiſcopalis eſt ſacra ordinatio, ergo eſt Sacramentum, nam idem Concilium docet expreſsè eam ex inſtitutione Diuina ſpectare hierarchiam Eccleſiaſticam, immò ad ordinem hierarchicum, vnde neceſſariò ſentit eſſe ſacram ordinationem, adeòque Sacramentum.

Apertiùs, & ſecundò confirmat D. Pauli auctoritas ad Timotheum ſcribentis; *Noli negligere gratiam*, 1.ad Timoth.c.4
*quæ data eſt tibi per prophetiam, per impoſitionem manuum Presbyterij*. Quæ ſanè auctoritas eſt de conſecratione Timothei in Epiſcopum; & hanc ipſam conferre gratiam, ait D. Paulus, ergo eſt Sacramentum, cuius maximè proprium gratiam conferre; & ideò pleraque ex fundamentis, quæ ad probandum afferebantur ſacram ordinationem eſſe Sacramentum de Epiſcopatu loquuntur. Nec *D. Chryſoſtom. D. Ambroſ.* qui libros ſuos de Sacerdotio inſcripſerunt, de alio gradu, quàm Epiſcopali agere intendunt tanquam de Sacramento.

10 Nec omittemus rationes; ptima eſt, quia Epiſcopi iure Diuino ſunt ſuperiores Presbyteris non ſola iuriſdictione, ſed ordinis etiam poteſtate, idque aſſerere non liceret, ſi eorum ordinatio non eſſet ex inſtitutione Diuina, & non eſſet conſe-

quenter

quenter Sacramentum, immò id totum, quo Epiſcopi ſuperiores ſunt Presbyteris penderet omninò ab auctoritate Eccleſiæ, ideòque poſſet in alium transferri, & alio medio, quàm ordinationis, & nil remaneret, quo Epiſcopi ſuperiores eſſent Presbyteris, quæ omnia abſurda ceſſant, ſi ſentiamus (vt veriſſimum eſt) Epiſcopatum eſſe Sacramentum. Secunda ratio; Epiſcopalis ordinatio confert gratiam, ergò eſt Sacramentum; an autem imprimat nouum caracterem vltra Sacerdotalem, inquiremus infra. Interim hic gratiæ collatæ effectus irrefragabiliter Sacramentum arguit; qua ratione & Sacramentum appellauit *S. Leo Magnus* Epiſcopalem ordinationem; *cum huius Diuini Sacerdotij Sacramentum etiam ad humanas peruenit functiones*; ait ibi *S. Leo*; hancque gratiæ collationem confirmamus. Nam Chriſtus Dominus ſacræ ordinationi gratiam adnexuit, vt ordinatus ordinis ſui munera poſſit exercere congruis viribus, & occurrentes in regimine Eccleſiæ difficultates poſſet ſuperare; atqui Epiſcopus inter munera ordinis ſui Sacramenta duo conferre tenetur, ordinationem ſcilicèt, & confirmationem, & innumera aduerſantia in regimine Eccleſiæ ſuæ (dicant experti) ſuperare tenetur, cum ergo Deus in neceſſarijs non deficiat, & in Epiſcopali ordinatione gratiam conferre debet, ac confert, & conſequenter illa eſt Sacramentum.

*Serm. 1. in Anniuerſ. Aſſumpt. ſuæ.*

11 Verùm aſſertio, vtcumque ſic fundata obiectiones patitur. Prima eſt, quia ſi admittamus Epiſcopatum eſſe Sacramentum, & eſſe ordinem, non ſeptem, ſed octo erunt ordinum gradus, quod repugnat iam dictis. Secunda, quia ſi hic Epiſcopalis ordo eſſet Sacramentum, ergò & imprimeret caracterem, hoc autem eſt falſum, quia hic caracter, qui imprimitur per ordinem Epiſcopalem, aut eſt ſuperior Sacerdotali, aut inferior; non ſuperior, quia nil maius, nil auguſtius, quàm poteſtas conſecrandi Corporis Chriſti; non inferior, quia Sacramentum nobilius, qualis eſt Epiſcopatus, nobiliorem deberet habere effectum; & cum nullum caracterem imprimere poſſit, negandum eſt eſſe verè Sacramentum. Tertiò; quia Sacramentum ordinis ad ſacram Euchariſtiam referri debet, ad quam referri non poteſt Epiſcopatus; nam ſi referretur, vel maiorem præberet Presbyteris auctoritatem ad eam conficiendam, vel adminiſtrandum in ea dirigeretur, non primum, quia omnes Presbyteri ad conficiendum Corpus, & Sanguinem Chriſti habent æqualem auctoritatem à quouis homine independentem; non ſecundum; quia Epiſcopus non conſtituitur ad miniſterium, ſed ad Sacerdotium, ſicque ad ſacram Euchariſtiam non refertur, nec eſt ordinis Sacramentum. Demùm quartò, & vltimò; quia ordines Sabbatis quatuor temporum conferuntur; Epiſcopatus verò Dominicis diebus, & in diebus Apoſtolorum Epiſcopi conſecrantur.

12 Inſiſtimus aſſertioni, hæcq; facilè, & adæquatè ſoluimus; quòad primam igitur obiectionem à numero ordinum; non defuere, qui Epiſcopatum Sacramentum, & ordinem à Sacerdotio diſtinctum aſſerentes octo, non verò ſeptem fecerint ordines, immò cum Iuriſperitis primam tonſuram eſſe ordinem admittentes, nouem eſſe voluerint; ſingulas haſce opiniones, & earum auctores non

regerimus; at dicimus iterum Epiſcopatum, & ordinem, & Sacramentum eſſe, nec diſtinctum à Sacerdotio, non tamen ità, vt Epiſcopatus, & Sacerdotium ſint vnum, & idem, ſed in eum ſenſum, vt Epiſcopus ſit Sacerdos magis perfectus; & ideò quamuis Epiſcopatus ſit ordo, & Sacramentum, non tamen auget ſeptenarium ordinum numerum; confirmat, ac declarat appoſito ſatis exemplo *Gabriel Vazquez*; nam in Sacerdote, & eius conſecratione datur poteſtas conſecrandi Corpus Chriſti, & poteſtas dimittendi peccata; & vtraque confertur diuerſa materia, & diuerſa forma, immò & diuerſo tempore licet vno, & eodem ordinationis actu; & quia hæc poteſtas ſecunda ſupponit primam, inde eſt, quod vnum perficiunt ſimul ordinem, nec ordines ideò multiplicantur; ſic ergò & Epiſcopatus nonniſi præuio Sacerdotio conferri poteſt, & alitèr collatus nullus omninò eſſet; confertur ſeparatim à Sacerdotio, & alium ordinem, aliud Sacramentum non conſtituit, ſed Sacerdotium perfectum, cui eſt addita maior poteſtas, qua alios Sacerdotes generare, & ordinare poteſt; & ſe habet ſicut Vir, & Iuuenis; Vir enim filios generare poteſt, Impubes non item; & ideò quamuis Epiſcopatus dicat ordinem, & Sacramentum, non tamen numerum ſeptenarium ordinum auget.

*In 3. p. diſp. 240. c. 5. n. 50.*

Quod verò ad ſecundam obiectionem; vtcumque varient Theologi, nonnulli enim voluere nouum imprimi caracterem à Sacerdotio diuerſum, ac diſtinctum, alij verò Sacerdotij caracterem tantùm extendi; inſiſtemus doctrinæ in præcedenti ſolutione traditæ ex *Vazquez*, ac dicemus, nec diuerſum imprimi caracterem, nec præcedentem extendi, ſed permanente eodem caractere nouam conferri poteſtatem diſtinctam, vt diximus fieri in poteſtate abſoluendi à peccatis collata Sacerdoti poſt traditam poteſtatem conſecrandi Corpus, & Sanguinem Chriſti; ſicut enim illa confertur ſine noui caracteris impreſſione, ſuppoſito tantùm caractere impreſſo per ordinationem ad conficiendum Corpus Chriſti, ità & in Epiſcopatu reſpectu caracteris impreſſi per Sacerdotium; vt ſcilicet nouus caracter non imprimatur, ſed tantùm impreſſus per Sacerdotium ſupponatur. Et ſi inſtes, caracter, qui ſupponitur in ordinatione Sacerdotis ad conficiendum Corpus Chriſti (eſto, quod non imprimatur alius per poteſtatem abſoluendi à peccatis) extenditurne per impoſitionem manuum, & formam illam; *accipe Spiritum Sanctum &c.* Reſp. cum *Vazquez*, quod iuxta variam ſententiam circa caracterem variè eſt reſpondendum; ſi enim caracter ſtatuatur in ſpecie naturalis potentiæ, vt cenſet *Dominic. à Soto*, & alij, vtique dicendum neceſſariò caracterem impreſſum anteà ad conſecrandum extendi ad abſoluendum à peccatis, & non produci diſtinctum, idque ideò, quia poteſtas abſoluendi exigit eſſentialitèr, tanquam priorem, & tanquam fundamentum poteſtatem conſecrandi; at verò quia ſuſtinet *Vazquez* caracterem non poſſe eſſe in ſpecie naturalis potentiæ, neque vt principium operandi, ſed debere eſſe in ſpecie habitus, & diſpoſitionis, non ad aliud, hoc eſt, ad operationem, ſed ad ſe, hoc eſt, qua ſubiectum benè ſe habeat, ideò vult non eſſe neceſſarium, vt aut nouus caracter

*Diſp. 239. in 3. p. c. 6.*

*Vbi ſupr. num. 56.*

*Tom. 3. diſp. 134 cap. 3.*

ćter imptimatur per illa verba *accipe Spiritum Sanctum*, in ordinatione Sacerdotis, aut impreſſus extendatur, ſed ſatis eſſe habenti caracterem, & vnam poteſtatem adnexam nempe conſecrandi, conferri aliam ad abſoluendum ſcilicèt, quæ vtraque poteſtas ſupra caracterem nil aliud addat, niſi relationem deſtinationis Diuinæ ad hoc, aut illud miniſterium, quæ eſt extrinſeca denominatio dicens in re denominata relationem rationis ex fundamento reali tanquam à forma extrinſeca prouenientem; quæ elegantiſſima doctrina aptiſſimè ad Epiſcopatum ſuperadditum Sacerdotio transfetri applicando poteſt; idque præſtandum facilè lectori relinquimus. Quæ ſanè reſponſio longè tutior eſt illa, quæ aſſerit vtrumque dici poſſe in ordinatione Epiſcopatus, & nouum caracterem imprimi, & priorem extendi; nouum imprimi, quia eſt ſignum nouæ poteſtatis collatæ; extendi, quia Sacerdotalem caracterem ſupponit, afficit, & eleuat. Nam ſupponit caractetem eſſe in genere ſigni, quod non eſt adeò certum; & pro eodem accipit ſupponere, afficere, & eleuare, ac extendere, quæ tamen voces, vt ſunt diuerſæ,ità & diuerſa ſignificant. Hac igitur doctrina corruit quidquid in obiectione ſecunda afferebatur de caractere Epiſcopali, an ſit ſuperior, an inferior ordine Sacerdotali, & caractere, nec circa ipſam fuſiùs immorandum.

Ad tertiam, qua dicebatur Sacramentum ordinis referri ad ſacram Euchariſtiam, quod dici non poteſt de Epiſcopatu. Reſp. vtique & Epiſcopatum ipſum dirigi ad Euchariſtiam, cum enim Epiſcopatus eſſentialitèr, & verè ſit Sacerdotium, licèt perfectius, & ſublimius, non minùs, quam Sacerdotium ad Euchariſtiam ipſam ordinatur, & quamuis quilibet Sacerdos, quòad validitatem, & efficaciam conſecrationis æqualem habeat poteſtatem, non tamen habet ſummam, quam habet Epiſcopatus, qui ad plura alia habet, quàm habeat ſimplex Sacerdos; hic enim Sacerdotalem ſuam poteſtatem alijs communicare non poteſt, Epiſcopus vtique per ordinationem, & ideò Epiſcopi poteſtas dici poteſt fœcunda, Presbyteri ſterilis; illa Epiſcopi eſt ſibi ipſi ſufficiens, & omnia inſtrumenta muneri ſuo neceſſaria præparare, & conſtituere poteſt, vt vaſa ſacra, ſicut & ritum ipſius ſacrificij præſcribere. Presbyter verò hæc omnia petere, & recipere ab Epiſcopo debet; poteſtas Presbyteri à poteſtate Epiſcopi dependet non ſolùm quòad collationem, ſed etiam quòad vſum ità, vt poſſit ex iuſta cauſa impediri, & ſuſpendi, at vice verſa Epiſcopalis non item, vnde poſita eſſentiali æqualitate, ſtat nihilominus inæqualitas tanta, quanta ſufficiat ad poteſtatem Sacerdotalem Epiſcopi excelſiorem, & ſublimiorem reddendam. Nec ab re erit aſſerere poteſtatem ipſam Epiſcopalem proprio, & ſingulati modo ad Euchariſtiam dirigi, pròvt ordinandi facultatem inuoluit, ſine qua Euchariſtię conſecratio fieri non poteſt, & ſicut ordines inferiores dicuntur ad Euchariſtiam dirigi, quatenus ordinati ad miniſtrandum in Euchariſtiæ conſecratione deſtinantur; multò magis idem dici poteſt de Epiſcopatu, qui per ordinationem ità ad Euchariſtiam conſecrandam, & conficiendam proximè, ac neceſſariò diſponit, vt ſine ea confici nullo modo valeat.

Quarta

Quartá verò obiectio à diuerſitate temporis deducta, quo Sacerdotium, & Epiſcopatus conferuntur leuiſſima eſt; non enim ſatis eſt, vt inde duo ordines diuerſi arguantur, & multiplicentur gradus; neque eſt, quod obijciatur, poteſtatem conſecrandi, & poteſtatem abſoluendi ijdem homini eadem die conferri, licèt momento, ſeu hora diuerſa conferatur, Epiſcopatus verò tempore omninò diſtanti, vnde vnitas inferri non poſſit, quia reſpondemus vtramque illam poteſtatem tùm conſecrandi, tùm abſoluendi ſimul eſſe in quocumque Sacerdote maximè conuenire, nec vnquam eſſe ſeparatam, cum deceat, vt qui habet poteſtatem ſuper Corpus Chriſti verum, habeat & ſuper myſticum, vt à peccatis abſoluat. At Epiſcopatum ſimul eſſe in quocumque Sacerdote non ſic decet; neque enim conueniens eſt, quemlibet Sacerdotem ità eſſe perfectum, vt alios Sacerdotes generare, & ordinare valeat; neque diſtantia temporis moralem vnitatem impedit, aut excludit; nam Chriſtus Dominus Apoſtolos ſuos conſecrauit Sacerdotes in vltima cœna. *Hoc facite in meam commemorationem*; (*Lucæ c.22.15*) at iiſdem poteſtatem abſoluendi à peccatis contulit poſt Reſurrectionem ſuam; *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis*. (*Ioan. c.20.22*) Voluit autem Eccleſia, vt in digniori Dominica die ordinetur Epiſcopus, Sacerdotes verò in die Sabbathi eò, quod Epiſcopus in ſublimiori Eccleſiæ gradu veniat conſtituendus. Et hæc de ſacræ ordinationis gradibus dicta ſint ſatis.

## CAP. III.

### Quæ neceſſaria, vt validè Sacra Ordinatio peragatur.

1 *Differunt ritè, & validè aliquid fieri.*

2 *Sacramenta nouæ legis dicunt quid vnum, & quomodo; & cur ex verbis, & rebus conſtent.*

3 *Materia ſacræ ordinationis in genere aſſignatur, & forma pariter.*

4 *In ſingulis gradibus eadem fit aſſignatio.*

5 *Cur variæ traditiones rerum in ordinatione ſacra, & vnde? & cur, & vnde variæ verborum formæ? & de Eccleſiæ Occidentalis, & Orientalis multiplici diſcrimine tàm in materia, quàm in forma.*

6 *Quomodo in tanta varietate ſalua ſit veritas vtrobique, & vnitas, ac de ſingulis diſſeritur.*

NON ſolùm validè, ſed etiam ritè ſacra ſunt peragenda, & adminiſtranda, neq; enim ritè, & validè pro eodem accipimus.

1 Vt validè ſacra fiant ad eſſentialia reſpicimus, vt ritè ad ſolemnia. Vtraque examinabimus habito reſpectu ad ſacram ordinationem poſt firmatos, ac enumeratos eius gradus; & differemus primò, quomodo validè,

lidè,

lidè, & ſubinde quomodo ritè fiat.

2 Sacramenta nouæ legis dicunt quid vnum ex multis conſtans, adeòque quid compoſitum, vt poſt alios tradit doctiſſimus P. *Anton. Coton.* Vir probitate, & doctrina æquè ſpectabilis, olim, & ſemper Patauinæ Academiæ decus, & ſplendor. Sacramentalis huius compoſiti partes ſunt ità diſpoſitæ, vt rationem perficientis, & perfectibilis habeant, materiæ, & formæ determinantis, & determinabilis, eæque non aliæ, quàm res, & verba; Res, ſed ſenſibiles, vt per eas manuducatur homo ad intelligibilia humano modo, ac ſenſuum miniſterio; determinatæ debent eſſe res iſtæ ex Diuina inſtitutione, non ex humana, cum dirigantur ad hominis ſanctificationem, quę cum à ſolo Deo ſanctificante ſit, iam non ab alio, quàm à Deo debent determinari. Verba adeſſe debent, quia cum ipſa inter homines Principatum obtineant ſignificandi, vt inquit *Diuus Auguſtinus*, ad perfectionem ſignificationis Sacramentalis adhibenda fuere; vt ſignificatio, ſeù manis, adhæſio ſenſibilium per aliqua verba determinaretur; ſublimior adhuc reſpectus viſus eſt verba in Sacramentis expoſcere, vt ſcilicet ſicut in Incarnationis myſterio carni ſenſibili Verbum Dei eſt vnitum, ità rei ſenſibili accedat verbum, quo tanquam inſtrumento vtatur cauſa ipſa ſanctificans; & deniùm, vt aptè etiam reſpondeat ſanctificato homini hæc rei cum verbo coniunctio, cum enim homo ex anima, & corpore conſtet, & medicina ei debet eſſe congrua, quæ per rem ſenſibilem corpus tangat, & per verbum peruadens animam ipſam ſanet; pulchrè *D. Auguſtin.* ſuper. verbis illis apud *Ioan. C.* 15. *Iam vos mundi eſtis propter ſermonem. Vnde iſta tanta virtus aquę, vt corpus tangat, & cor abluat? niſi faciente verbo, non quia dicitur, ſed quia creditur.* Hæc ex *S. Thoma*, vt generalitèr in Sacramentis obtinent, ità in ſacra ordinatione ſunt expendenda, generalitèr ea aſſignando primùm, ſubindè & in gradibus ſingulis recenſendo.

*Controu. celeb. lib. 2. cõtrou. 1. de Sacram. c. 1 num. 15.*

*Tom. 3. cõm. lib. 2. cap. 3. circ. med.*

*Tom. 9. tract. 80. in Ioan.*

3 Sacræ igitur ordinationis (quę propriè Sacramentum eſt, cum ordo ſit potiùs Sacramenti effectus) tanquam Sacramenti, materia eſt traditio rei materialis, & ſenſibilis; forma verò, verba, quæ à legitimo ordinationis miniſtro tradente ſimul proferuntur.

4 In ſingulis ordinum gradibus partem hanc vtramque aſſignabimus rapido ſtylo, cum hæc omnia apud Summiſtas, & tractantes vberrimè habeantur. Tonſuram omittimus, quam non ordinem, ſed ordinum ianuam cum communi Theologorum agnoſcimus. Pro Oſtiariatu igitur materia ſunt traditæ claues, & cimbalum; Pro Lectoratu liber Prophetiarum; Pro Exorciſtatu Exorciſmorum libri; Pro Acolytatu candelabrum cum cereo, & vrceoli vacui. Hæcque omnia ſunt materia proxima, & propria, quatenùs traduntur, nam in ſe ſunt materia remota, Pro Subdiaconatu materia eſt traditio calicis vacui cum ſuperpoſita patena iuncto Epiſtolarum libro; Pro Diaconatu traditio libri Euangeliorum, & impoſitio manuum; Pro Sacerdotio, & Presbyteratu traditio calicis cum vino, & patenæ ſuperpoſitæ cum hoſtia, & impoſitio manuum. Pro Epiſcopatu verò, quem diximus eſſe Sacramentum, quamuis non ordo eſſentialiter diuerſus,

aut

aut ſeparatus à Presbyteratu, quidquid variatum ab alijs alitèr opinantibus fuerit, materiam in manus impoſitione agnoſcimus; formam autem in verbis illis, *accipe Spiritum Sanctum &c.* quæ à tribus Epiſcopis manum imponentibus proferuntur; quam aſſertionem confirmat *Vazquez* ea ratione iuxta ſententiam, quam ſuſtinet, & de cuius veritate non inquirimus modò, cum de hoc numero Canon determinatè non loquatur; nam ad ordinationem Epiſcopi concurrunt tres alij Epiſcopi ex Diuina inſtitutione tanquam neceſſarij miniſtri, vt ſtatutum legimus *Can. Apoſtolorum* 1. qui proinde omnes materia ordinationis vti debent, cum vnus ſolus miniſter eſſe nequeat; atqui tres ſimul manuum impoſitione vtuntur, nec alia grauior ceremonia adhibetur, quæ ſit communior; igitur hęc ipſa manuum impoſitio debet eſſe, & eſt materia; neque enim Apoſtolus alius, quam manuum impoſitionis meminit; ait enim. *Noli negligere gratiam, quæ data eſt tibi per Prophetiam cum impoſitione manuum Presbyterij*. Cum igitur ſenſibilis manuum hæc impoſitio ad gratiam conferendam proficiat iam non poteſt eſſe niſi materia, verba verò concomitantia, ac veluti ſpecificantia, & animantia forma; & quamuis hæc verba; *accipe Spiritum Sanctum* videantur nimis generalia, & in alijs etiam ordinationibus adhibeantur, ſicque videantur ex ſe apta ad aliam ordinationem ſignificandam, attamen verba ipſa vtcumque communia ſpecificantur, ac determinantur ex eo, quod ad manuum impoſitionem adhibeantur à tribus ſimul factam, qui manum imponentes, & verba ſimul proferentes indicant, ſe ordinatum accipere in conſortium, Spiritum Sanctum ei tribuere, & ſecum in eodem ordine Epiſcopali eum conſtituere; ſunt communia illa verba formæ Presbyteris, & Diaconis, & eorum ordinationi, ſed ideò ſunt etiam ordinationi Epiſcopi præſcripta, vt indicaretur maiorem plenitudinem gratiæ, & Spiritus Sancti in Epiſcopo requiri, qui ordinatur ad generandos Sacerdotes, & miniſtros Dei, eoſque cum Eccleſia regendos; coniungit hæc aſſertio vno contextu, materiam cum forma, ideòque ipſi meritò acquieſcimus, cum neque Apoſtolorum æuo in ſacra ordinatione adhibitam aliam ſpectemus materiam, quàm manuum impoſitionem, vel ex ipſis eorundem Apoſtolorum actis.

Diſp. 240. c. 5. in 3. p. n. 53.

1. ad Corinth. cap. 4.

5 Hiſce admiſſis tanquam veriſſimis; quæri poteſt, vnde nam ergò inuectæ in ſacram ordinationem tot variæ rerum traditiones in ordinibus ſingulis pro materia, vnde variæ adeò verborum conceptiones pro forma in rei cuiuſlibet traditione, ſi hæc non à Chriſto inſtituta, non ab Apoſtolis tradita? & quod difficultatem auget, eſt varietas, & differentia vigens inter Græcam Eccleſiam, & Latinam præcipuè quòad ordines hierarchicos; antiquitùs enim apud vtramque Eccleſiam adhibita fuit ſemper manus impoſitio, ac proceſſu temporis inducta variatio; nam in minoribus ordinibus Latina Eccleſia nullam adhibet manus impoſitionem, ſed certa quædam tantùm inſtrumenta præbet; Orientalis in quibus minoribus ordinationem exercet manus impoſitionem adhibet, nullis inſtrumentis exhibitis. Occidentalis in tribus hierarchicis ordinibus Epiſcopatus, Presbyteratus, & Diaconatus C. 6. c. 13.

natus manus quidem impoſitione vtitur, & inſuper inſtrumenta ſenſibilia addit ſi non tanquam neceſſaria, ſaltem non accidentaria; E contra Orientalis, ſi quæ præbeat inſtrumenta, non tradit, vt neceſſaria, nec in ipſis ex parte quidem ordinationem agnoſcit; quòad formam verò, mirum! quanta ſit inter vtramque Eccleſiam varietas; nam Orientalis forma indicatiua vtitur, vt indicet fidelibus, quos tanquam ſibi conſtitutos Principes teneantur colere, ipſiſque parère; ſunt enim hæc ordinationis verba pro forma. *Diuina gratia, quæ ſemper infirma ſanat, & imperfecta perficit, promouet N. Deo amabiliſſimum Presbyterum in Epiſcopum*. Sic de Diacono in Presbyterum, de Subdiacono in Diaconum. In minoribus verò vtitur forma deprecatoria, cum ipſi ordinati ad miniſterium, & officium, non ad Principatum promoueantur. At Occidentalis, & Latina duplici vtitur forma; vna, quæ reſpondet manuum impoſitioni, & ſit; *Accipe Spiritum Sanctum*; altera, quæ adaptatur traditioni materialium, & inſtrumentorum, quæ in vnoquoque ordine præbentur; vt in Epiſcopatu. *Accipe Euangelium, vade, & prædica populo tibi commiſſo*. In Presbyteratu. *Accipe Spiritum Sanctum &c.* & ad porrectionem patenę cum calice, pane, & vino; *Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium Deo &c.* & ſic de ſingulis etiam in minoribus ordinibus. Quæ ſanè varietas, aut materias, & formas Sacramentorum, & præcipuè ordinationis à Chriſto non inſtitutas, aut determinatas arguit, aut ambigendi de veritate alterutriùs, ſeu materiæ, ſeu formæ anſam præbet.

*Ex Euchol. De ord. Presbyteror. Diaconorũ, Subdiaconor.*

*In Pontific. Roman.*

6 Vt res, quæ primo vultu obſcura ſatis videtur, facilè illuſtretur; notabimus Sacramentorum aliquorum materiam eſſe merè naturalem, vt aquam in baptiſmo, panem, & vinum in Euchariſtia, & hæc alia adhiberi non poteſt, quàm præſcripta à Chriſto Domino auctore, nec circa eam aliquid poteſt Eccleſia; aliorum verò quaſi moralem; ſic & differendum de forma, quam enim Chriſtus præfixit, ea vti neceſſe omninò eſt; vt in conſecratione panis, & vini in Euchariſtia; in Sacramento baptiſmi aqua. At verò in materia, quæ non ſit naturalis, in forma, quę conceptis verbis non ſit præcepta, dubitant auctores, quomodo Chriſtus Dominus materiam, & formam Sacramentorum præſcripſerit, & modus geminus aſſignatur. Primus; Chriſtum Dominum materiam, & formam huiuſmodi Sacramentorum in genere tantùm determinaſſe; exempli gratia; vt adſit res aliqua, adhibeatur aliqua actio, & aliqua verborum ſeries apta ad indicandum, & ſignificandum congruè effectum Sacramenti, quod miniſtretur; data Eccleſiæ poteſtate ſeligendi ex multis, ac determinandi, quæ adhiberi poſſint, quæue materia, & quæ forma videretur aptior; alter verò modus eſt; Chriſtum non ſolùm in genere, ſed etiam in ſpecie materiam, & formam Sacramentorum determinaſſe, non tamen vnam, ſed multiplicem, & cum libertate hanc, vel illam amplectendi; vnde omnis illa intelligitur, quæ nunc adhibetur in Eccleſia, aut quæ olim adhibita fuit. Valdè autem intereſt, an alterutrum dicendi modum amplectamur; ſi enim dicamus materiam, & formam Sacramentorum determinatam à

Chriſto in genere tantùm; tunc ſpecificandi tota poteſtas eſt penès Eccleſiam, quæ pro prudenti arbitrio poteſt veteres immutare, & nouas aſſignare, aptas ad ſignificandum iuxta Sacramenti intentum. Poteſt aſſignare materiam, & formam Sacramenti pro vna regione, quæ non ſit idonea pro alia, nec per eam in regione diuerſa fiat Sacramentum; quod non procederet, ſi ſupponeretur facta determinatio in ſpecie, ſed ità, vt in illa, vel illa ſpecie poſſit Sacramentum confici, et perpetua traditio, ac perpetuus vſus in Eccleſia alterutro modo factam determinationem teſtatur; modus quilibet ex dictis duobus ſuos habet auctores, & primum prætulit *Bellarmin.* Quemcumque amplectamur dicendi modum, ſalua eſt in varietate vnitas, nec ſcindit Orientalem ab Occidentali Eccleſia diuerſitas. Sic enim in Sacramento Euchariſtiæ Orientalis vtitur fermentato, Occidentalis, & Latina Azymo; ſic in Sacramento ordinis, de quo nobis ſermo, ſine vllo veritatis detrimento alia materia, & alia forma vtuntur Græci, vtuntur Latini; ſicut alio ritu peracta eſt ordinatio primis illis Eccleſiæ temporibus, alio poſteriori æuo; ſed tamen eadem ſemper eſt, ac dici poteſt materia, quæ demum in ſui ratione alia eſſe non debet, quàm ſenſibile ſignum traditæ poteſtatis, quamuis diuerſa ſit, pròvt diuerſæ res ad eandem poteſtatem ſignificandam ſunt aſſumptę; ſed quæcumque res à legitima auctoritate ſtatuantur vera materia vtique ſunt; ſuppoſito, quod Chriſtus aut in genere præſcripſerit relicta Eccleſiæ ſpecificandi facultate, ſiue in ſpecie, ſed alternatiuè ità, vt alterutram accipere ſit liberum æquè vtile, nec minùs efficax. Idem dicendum reſpectiuè de forma, quæ quidem licèt attento quaſi materiali verborum ſono videatur diuerſa, attamen inſpecta ratione formali eſt eadem, cum vtroque modo idem ſenſus, & eadem poteſtas explicetur, ac ſignificetur, ſiue apud Græcos, ſiue apud Latinos, ſiue deprecatiuè exprimatur, vt apud illos, ſiue imperatiuè, vt apud iſtos, vtroque enim modo, & gratia collata indicatur, & ſignificatur poteſtas tradita, & eadem vtrobique intentio, idque ſatis, vt eadem vtrobique poſſit denominari materia, & forma, cum merè accidentalitèr differant.

*Lib. 1. De Sacramento Ordin. C. 9.*

Hinc conſequenter fit, quod quamuis Apoſtolorum æuo, & primis Eccleſiæ ſæculis non aliam legamus adhibitam materiam in ordinum hierarchicorum collatione, quàm manuum impoſitionem, potuit tamen Eccleſia ex generali ſibi à Chriſto impertita poteſtate inſtrumentorum traditionem adijcere, per quam ſenſibilitèr, & ad oculum, ſimulque ad contactum poteſtas per ſingulos ordines tradita ſignificaretur, ac per vaſorum traditionem poteſtas ad conficiendum, ac miniſtrandum Corpus Chriſti verum, per manus impoſitionem ſuper Corpus Chriſti myſticum remittendo peccata indicaretur, ſimulque conferretur. Quandonam autem in Eccleſia præſertim Occidentali vltrà impoſitionem manuum, materiæ iſtæ partiales plures, quàm apud Græcos in ordinibus hierarchicis conferendis fuerint introductæ non conſtat, quamuis de ipſarum immutabili vſu certò conſtet. Cum autem plures, ijque varij ſint ritus ſacræ ordinationis peragendæ, an omnes tanquam eſſentiales neceſſariò ſint adhibendi,

bendi, ſi quæratur, facile eſt ex hactenùs dictis inferre.

In Epiſcopatu enim duę ſunt partiales materiæ, impoſitio ſcilicet manuum, & impoſitio libri Euangeliorum ſuper caput, & ſcapulas, ad quam vtramque reſpexit Apoſtolus ſcribens; *noli negligere gratiam, quæ data eſt tibi per prophetiam, cum impoſitione manuum Presbyterij*, Epiſcoporum ſcilicèt; per prophetiam autem liber ipſe Euangeliorum indicari videtur, cuius imponendi ritum *Can. ſecund. Concilij Carthaginen.* 4. confirmat nec non *S. Dionyſ. Areopagita*, peculiare enim, & proprium prædicandi Euangelij munus, ac poteſtas debuit materiali, ac ſenſibili codicis Euangelici impoſitione ſignificari, ſicut & per manus impoſitionem alia, atque diſtincta poteſtas æque Epiſcopo competens, ipſique neceſſaria indicatur; ſic & in Presbyteratu, ſeu Sacerdotio duplex partialis, & vtraque eſſentialis materia ſtatuitur, traditio ſcilicet patenæ, & calicis cum pane, & vino ad Corpus Chriſti verum, & manuum impoſitio ad poteſtatem ſuper Corpus Chriſti myſticum ſignificandam, & per manus impoſitionem non illam intelligimus, quæ fit ab Epiſcopo, & Presbyteris omnibus adſtantibus, ſed quæ fit à ſolo Epiſcopo prolata ſimul forma, *Accipe Spiritum Sanctum*, *&c.* quæ ſanè licèt ſit diuerſa ab illa prima materia, & ſeparatim ab ipſa applicetur, eſt tamen ipſi eſſentialitèr ſubordinata, nec ſine ea eſſe poteſt, quamuis prima poſſit eſſe ſine ſecunda.

*1. ad Timotheum C. 4.*

*De Eccleſ. Hierarchia C. 5.*

In Diaconatu tam manus impoſitio, quàm inſtrumentorum porrectio materia eſſentialis eſt, licèt de manus impoſitione ſint, qui diſſentiant; verùm cum partialem materiam in ordinibus hierarchicis eam ſtatuerimus, & ſit obſeruatum ipſam vnam adhibitam ab Apoſtolis in prima Diaconorum electione, ac per eam iunctis formæ verbis *Accipe Spiritum Sanctum* Spiritus Sanctus in ordinatione conferatur, certum redditur manus impoſitionem etiam in Diaconatu materiam eſſe partialem, quod ipſum ſenſit & Gregor. IX. in *C. Presbyter. de Sacram. non iter.* In Subdiaconatu verò, & alijs inferioribus ordinibus nulla fuit vnquam adhibita manus impoſitio, ſed tota eorum materia conſtitit in inſtrumentorum traditione, vt apertiſſimè indicat *Concil. Carthag.* 4. *C.* 5. *cum ſeq.* vbi ritus ordinationis omnium horum graduum deſcribitur excluſa primùm à Subdiaconatu expreſsè manuum impoſitione, nec ea memorata ampliùs in reliquis gradibus; huncque ritum per vniuerſam Occidentalem Eccleſiam diffuſum, ſed præcipuè in Romana ſeruatum teſtatur vetus ordo Romanus antiquiſſimus, in quo eadem in Subdiaconatu, ac in reliquis minoribus ordinibus ſtatuitur materia, quæ & in memorato *Concilio Carthag.* 4. traditur, eadem porriguntur inſtrumenta, & cum iiſdem verbis poſthabita manuum impoſitione, quam Concilium ipſum excluſerat; quid Græci ſeruent circa materiam, & formam Subdiaconatus, & inferiorum ordinum curioſiùs non inquirimus, at eſſentialibus hiſce partibus ſacræ ordinationis, & Sacramenti, quo Clerus in ſacra Republica propagatur, iam nunc ad miniſtrum ſacræ ordinationis accedimus; de quo in Capite ſequenti.

*Tit. qualit. ſacri ord. fiant in Eccl. Rom.*

## CAP. IV.

## Quis Sacræ Ordinationis Miniſter.

1 *Proponitur quinam ſit ſacræ ordinationis Miniſter ordinarius.*
2 *Argumentum primum ad confirmationem ab exemplo legis veteris.*
3 *Secundum ſubijcitur ex nouo teſtamento.*
4 *Succeſſiuè idem confirmatur per ſubſequentia tempora.*
5 *Additur, & ratio demonſtrans.*
6 *Inquiſitio proponitur de miniſtro extraordinario, & ex commiſſione, & primùm de Cardinalibus.*
7 *Mox & de Abbatibus; ac Canone* 14. *Synodi Nicœnæ* 2.
8 *Quæ conditiones, vt hoc ius Abbatibus competat, & ab ipſis exerceatur, & præſertim circa benedictionem obtinendam.*
9 *An Abbates ordines maiores aliquando conferre potuerint.*
10 *An Abbates poſſint regulares, ſibi non ſubditos, vel etiam ſæculares ordinare? & quid nouiſſimo Concilij Trid. Decreto.*
11 *Quid de ſimplici Presbytero, an ex commiſſione poſſit ſacram ordinationem peragere? & de omnibus gradibus inquiritur ſingillatim.*

SI ordinationis Sacramentum ex materia, & forma componitur, iam aſſignandum eſt agens, quod indita ſibi virtute formam materiæ ingens compoſitum Sacramentale conſtituat. Non ingeremus hæreticorum deliria, qui ſacram ordinationem negantes eſſe Sacramentum, alium neque agnoſcunt ipſius miniſtrum, quàm Magiſtratum.

1 Hæc latiùs ſupra tractauimus, & ne eadem repetamus, ſtatim Catholicam veritatem proponemus, quę eſt; Ordinarium ſacræ ordinationis miniſtrum eſſe Epiſcopum conſecratum ex iure Diuino, nec non & Eccleſiaſtico. Quod dicendum notauit *Vazquez* eorum intuitu, qui minores ordines ab Eccleſia, & Eccleſiaſtico iure volunt, eorumque miniſtrum aſſerunt Epiſcopum non Diuino, ſed eodem Eccleſiaſtico iure. *In 3. p. diſp.143. c. 4. n. 1.*

2 Nulli ſunt fontes, ex quibus ad Catholicæ alicuius veritatis confirmationem argumenta promuntur, qui & huius ipſius vberrimam probationem non miniſtrent. In ipſa Iudæorum Republica, quæ vmbra quidem fuit, & figura, & à Deo propoſita in futurorum, & perfectiorum exemplar. Moyſes Pontifex extra ordinem à Deo conſtitutus, vt *Philo Iudæus* teſtatur, idemque Sacerdos Aaronem Pontificem ordinarium creauit, ac ſolemni ritu ſacrauit, nec non ex eodem Dei iuſſu filios eius. Leuitæ etiam ad miniſtrandum Deo aſſumpti, non ab alio, quàm à Moyſe, Aarone, aut filijs eius conſecrati, & quamuis legamus, *cumq; Leuitę fuerint coram Domino, ponent filij Iſrael manus ſuper eos*; non tamen credenda conſecratoria ea manus impoſitio, ſed inditium aſſentientis populi in eorum electionem, quaſi ſanctificarentur Domino vice ipſius populi, vt pro eodem in ſacrificijs Deo offerendis miniſtrarent; in reliquis enim Moyſi iniunctum aſſumptio- *Numer. c. 8. 10.*

*Ibid.c.6.* ſumptionis opus, *Tolle Leuitas ex medio filiorum Iſrael, & purificabis eos*. Aaroni Pontifici eorundem oblatio; *Et offert Aaron Leuitas munus in conſpectu Domini à filijs Iſrael, vt ſeruiant in miniſterio eius*. Aaron demùm ipſe, & filij eius totum conſecrationis opus complent. *Ibid.21.* *Eleuauitque eos Aaron in conſpectu Domini, & orauit pro eis, vt purificati ingrederentur ad officia ſua in tabernaculum fœderis coram Aaron, & filijs eius*. Notanda planè ſeries; conſecrandos Leuitas offert populus; at prius ſegregat eos extraordinarius Pontifex Moyſes, ſubinde orat, purificat, conſecrat ordinarius Pontifex Aaron; omnia ex Dei præſcripto.

3 Ab vmbra ad corpus, à figura ad rem; Chriſtus Dominus Pontifex, & Sacerdos electos à ſe Apoſtolos ordinat Sacerdotes in ſuprema Cœna; *Luca.22.* *Hoc facite in meam commemorationem*, poteſtatemque remittendi peccata inſufflando ipſe tribuit, & quicumque ſubinde ad Sacerdotij munus vocati, non ab alijs ſublimem hunc gradum accepere, quam ab Apoſtolis ipſis. Percurramus actuum Apoſtolorum hiſtoriam, ipſaque augeſcentis Eccleſiæ primordia, Diaconos ſelegiſſe fidelium multitudinem intuebimur, & obtuliſſe ordinandos. At manus impoſitionem à ſolis Apoſtolis factam, peractamque ab iiſdem *Act.c.13.* ordinationem. *Hos ſtatuerunt ante conſpectum Apoſtolorum, & orantes impoſuerunt eis manus*. Apoſtoli ſcilicèt, quibus ordinandi exhibiti; Apoſtolico exemplo conſonant ſucceſſiuè Apoſtolorum Canones primus, & ſecundus; illo enim ſic ſtatuitur. *Epiſcopus à duobus, aut tribus Epiſcopis ordinetur*. Hoc verò; *Presbyter ab vno Epiſcopo ordinetur, & Diaconus, ac reliqui Clerici*.

4 Subſequuntur Apoſtolicæ conſtitutiones, quæ ordinationes, & earum ritum deſcribentes ſoliùs etiam *Lib.3. C. 16. lib.8. per plura capp.* Epiſcopi tanquam vnius ordinantis meminère. Hanc Apoſtolicam traditionem, & hoc Apoſtolorum exemplar imitata ſemper eſt Eccleſia per ſęcula, quæ ſunt ſecuta, vt Sancti Patres teſtantur, qui varijs ſæculis immediatè poſt Apoſtolos, & ſucceſſiuè floruere *Anacletus*, *Ignatius*, *Ep. 2. ep.13. ad Heron.Diacon.* *Dionyſius* præſertim Areopagita, & plures alij ęuo poſteriores, quorum aggerare auctoritates nimium eſſet.

5 Quam ergo agnouere omnes Epiſcopalis muneris partem, ordinationem ſcilicèt, ratio ipſa adhuc confirmat ab analogia ſæcularis Reipublicæ, in qua qui ſupremi, ſiue Reges, ſiue alij quicumque reſpectiuè officia diſtribuunt, & Magiſtratus creant, decet igitur & in Eccleſiaſtica Epiſcopos tanquam Eccleſiæ Principes publica munera diſtribuere, nec iuris quidquam imperitæ plebi tribuere, & eò iuſtiùs id eis tributum, quo pro triplici hierarchica operatione purgandi, illuminandi, & perficiendi tres hierarchici ordines ſunt inſtituti, Diaconus enim purgat, Presbyter illuminat, Epiſcopus perficit; ordinatio eſt omnium maximè perfectiua, ac proinde vni Epiſcopo tributa, cuius etiam vnius eſt perficere; idque potiſſimùm, vt omnium ordinum gradus plures ab vno penderent, & ab vno in alios omnes diffundantur ad vnitatem illam fouendam, quæ per Eccleſiaſticam hierarchiam, & politiam maximè intenditur, ſic enim futurum certum eſt, vt Presbyteri, & cæteri inferiores ſe faciliùs Epiſcopis ſubmittant, à quibus ſacræ ordinationis decorem, ſublimemque

memque huiuſmodi gradum accepiſſent.

6 Hæc quidem, vt certiſſima ſunt de miniſtro ordinario, ità dubitari de pleriſque poteſt, an & quatenùs extra ordinem, & ex commiſſione poſſint ſacram ordinationem peragere; per gradus incedemus, & ſingulos pro inſtituto proferemus.

Statim ergo ſeſe exhibent in limine S. R. E. Cardinales, quos licèt non Epiſcopos, ſed Presbyteros poſſe conferre primam tonſuram, & ordines minores in proprijs titulis ſubditis, ac familiaribus ſuis conſentiunt ſcribentes, quos latè cumulat *Auguſtin. Barboſ.* ſed quamuis excelſus adeò dignitatis gradus in Eccleſia nihil exequi præſumendus ſit, quod non ſit legitimum, attamen quo iure id præſtent, inquirentibus non occurrit ſpeciale aliquod priuilegium, ſed conſuetudine potiùs generali id quæſitum Eminentiſſimo ordini tribuitur à *Soto*, *Henriquez*, *Valentia*, & alijs. Neque huic conſuetudini obloquitur reſcriptum Innoc. III. in *C. quanto. de conſuetud.* qui reſcribens Vicario ſuo in Conſtantinopolitana Vrbe tantam non agnoſcit in conſuetudine vim, vt ad ea tribuat auctoritatem, quę propria ſunt Epiſcopalis poteſtatis, ſicut nec *Gregorij IX.* conſtitutio in *C. Aqua. de conſecr. Eccleſ. vel Altar.* damnans Bracharenſis Diœceſis conſuetudinem, qua ſimplices Presbyteri, & Sacerdotes Eccleſiarum reconciliationem ſibi adrogabant, ea ſubiecta ratione, *Quia licèt Epiſcopus committere valeat, quæ iuriſdictionis exiſtunt, quæ ordinis tamen Epiſcopalis ſunt, non poteſt inferioris gradus Clericis demandare.*

*Iur. Eccleſ. vniu. lib. 1. C. 4. n. 40.*

*In 4. diſt. 25. q. 1. Art. 1. §. Abbatibus.*

*Lib. 10. de Sacram. ord. q. 3. punct. 10.*

Itaque ſiqua vigeat conſuetudo, quæ ſolius Epiſcopi ſilentio, & conniuentia nitatur, hæc inferiori acquirere non poterit, quæ ſunt ordinis Epiſcopalis; vt quid enim patientia largiatur, quod expreſſa voluntas non poſſet tribuere? Quod ſi cònſuetudo inoleſcat vidente, nec repugnante Summo Pontifice, qui minorum ordinum collationem etiam non Epiſcopo concedere poteſt; exercita à non Epiſcopo hæc poteſtas ſciente, nec impediente Summo Pontifice largitionis vim, ac priuilegij obtinet, quale Cardinalibus indultum ſub oculos Summi Pontificis non eſt ambigendum; & quamuis huius priuilegij Cardinalium non meminerit Concilium Tridentinum, ſicut meminit illius Abbatum, hoc adeò fuit, quia priuilegium Cardinalium in iure ſcripto non habetur expreſſum, ſicut illud Abbatum.

7 Abbatibus igitur *Can. 14. Synodi Nicęnæ 2.* quæ fuit ſeptima generalis, ſingularitèr conceſſum, vt Lectores ordinare in ſuo ipſorum Monaſterio poſſint; ſic enim loquitur Canon; *Lectoris autem manuum impoſitionem licet in proprio Monaſterio, etiam ſoli vnicuique Abbati facere, ſi ipſi Abbati ſcilicèt ab Epiſcopo manus eſt impoſita, qui fuerit & ipſe Presbyter.* Lectoris tantùm meminit Canon, quia is vnus ordo apud Græcos ex minoribus, qui per manus impoſitionem conferatur; minores enim reliqui per ſimplicem deputationem, & electionem conferuntur. Ex Canonis autem verbis conditiones obſeruare licet, quibus, & non alitèr iiſdem Abbatibus priuilegium indultum; Primà, vt in Monaſterio, & ſibi ſubditis Abbates hunc gradum conferant extra Monaſterium, & non ſibi ſubiectis non item.

Secun-

Secunda, vt Abbas ab Epiſcopo benedictionem accipiat ad officium Abbatis; Præfecturæ caracterem appellat *Zonar ad eundem Canonem*. Tertia, vt ſit ipſe Abbas in Sacerdotio, & Presbyteratus ordine ſit decoratus, quamuis enim, vt aduertit *Balſamo*, ad hoc, vt Monaſterio præficiatur, Sacerdotio non habeat opus, indiget tamen, vt Lectorem ordinare valeat; qui addidit inſuper duo à ſe obſeruata tanquam ſingularia ex eodem *Canone* 14. Alterum eſt conceſſum id priuilegium Abbatibus, quia Monachi in Eremo, & ſolitudine degentes difficultèr poſſunt ad Vrbes accedere, & Epiſcopos adire. Alterum, quod ex aliquorum ſententia Canon iſte Nicęnus hanc facultatem Abbatibus concedat Lectores ordinandi, ſed ex Epiſcopi permiſſione, quaſi non indulgente Epiſcopo id Abbati non liceat. Itaque Canonem non tam largiri Abbatibus facultatem, quàm concedere Epiſcopo, vt indulgeat, quod ſine Canone ei liceret. Ideò dubitatum, nec immeritò, num hoc eodem Canone conceſſum cenſeatur Abbatibus, vt eodem modo primam tonſuram, & reliquos inferiores ordines poſſint conferre? Dubitandi ratio eſt à *Can. non oportet*. *69. diſt.* qui deſumptus à *Can.* 26. *Laodicen. Synodi*, quo cautum, ne quis adiurare, aut exorcizare audeat, cui manum Epiſcopus non impoſuerit, & tamen Exorciſta inter minores ordines eſt; eo adiecto, quod priuilegium ſtricti iuris eſt, quod ideò à conceſſis ad non conceſſa non licet ampliare. At expreſſa alia manarunt iura, quæ competere id iuris Abbatibus, & quòad primam tonſuram, & quòad reliquos ordines teſtantur *C. cum contingat*, *de æt. qualit. & ord. præfic. C. Abbates*, *de priuileg. in 6.* ſubinde acceſſere ampliſſima Apoſtolicæ Sedis priuilegia tonſuræ, & omnium minorum ordinum collationem Abbatibus indulgentia, communicataque omnibus Monachorum congregationibus; Et ideò hanc poteſtatem Abbatibus competentem à iure communi eſſe aſſerere fas eſt, vt obſeruat *Couar.* à generali enim Concilio cœpit priuilegium, *Var. lib. 1. c. 10. n. 9.* quod ſubinde clauſum ſæpius in corpore iuris, iuris etiam communis denominationem meritò accepit.

*Ad d. Canon. 14.*

8 Neque tamen poſſunt inde Abbates omnes æque de eadem facultate tanquam omnibus communi ſibi blandiri, niſi & ſtatuta ipſis accedant requiſita; benedictio enim requiritur *C. 1. 69. diſt.* & d. *C. cum contingat. de æt. qualit. & ord. præfic.* Sacerdotij gradus d. *C. 1. 69. diſt.* ſine ordine enim ordinis Sacramentum nequit conferri. *C. quod autem. de iure Patron.* & demùm vt Monachis proprijs conferat; ſic enim apertè ſtatuit *Nicęnus Can.* 14. dum inquit, *in proprio Monaſterio*. Quia verò benedictio neceſſaria ab Epiſcopis impertienda erat, qui ſanè ægrè ferentes hanc Abbatum æmulationem (ſicuti longè remotior, & minor, & vel in vmbra, aut appræhenſa eos valde angit) torquebant nimijs dilationibus Abbates ipſos benedicendos, ideò conſuluit *Alexander III.* in gratiam Monachorum Ciſtercienſium, & in *C. 1. de ſupplenda neglig. Prælat.* decreuit. *Vt Epiſcopus tertiò cum humilitate, & deuotione, ſicut conuenit requiſitus, Abbates benedicere renuerit; liceat Abbatibus proprios Monachos benedicere, & alia, quæ ad huiuſmodi officium pertinent, exercere, donec ipſi*

*ipſi Epiſcopi ſuam duritiem recogitent, & Abbates benedicere non recuſent.*

Sed demùm Apoſtolicæ Sedis auctoritate indultum, vt huiuſmodi munus obire poſſint non ſolùm Abbates benedicti, ſed etiam non benedicti, immò nec vnquam benedicendi, cuiuſmodi ſunt temporarij Abbates finito regimine in ordinem redigendi, quales Lateranenſes Abbates, qui ad tempus præficiuntur; id conceſſit Abbatibus S. Iuſtinæ de Padua Eugenius IV. Summus Pontifex 1434. 3. *Id. Iunij* Florentiæ, & Bononiæ 1436. *pridiè Kalend. Iulij*, vt refert *Aſcan. Tamburin.* addita ampliatione ad alias Congregationes, quæ omnia accipienda ſunt de Abbatibus propriè titularibus, & regularibus, non itèm de commendatarijs, hi enim nullam profitentur regulam, & obſeruantiam, in cuius intuitum à Sede Apoſtolica conceſſa ſunt priuilegia, quæ tanquam ratione ceſſante nec ſunt amplianda, nec de caſu ad caſum extendenda *C. ſanè de priuileg.*

*De iur. Abb. tom. 1. diſput. 11. q. 13. n. 2.*

9 An autem potuerint aliquando Abbates maiores ordines Monachis ſuis conferre? Reſponſio ex iam dictis patet; cum enim ordinatio huiuſmodi ſit propria Epiſcoporum priuatiuè quòad omnes alios, competere alteri non poteſt, niſi ex Apoſtolicæ Sedis indulto, & ſpeciali commiſſione, & conceſſione; priuilegium enim, de quo ſupra, licèt ſit clauſum in corpore iuris, attamen loquitur de ſola tonſura, & minoribus, de maioribus non itèm, nec vltrà facultatem largitur; Ciſtercienſi Abbati cum alijs quatuor indultum traditur ab Innoc. VIII. vt Diaconatum, & Subdiaconatum Monachis ſuis conferre valeant; ambigitur de veritate huius priuilegij, & diſſerit latiſſimè *Vazquez.*

*Diſp. 143 De ſacr. ord. n. 39.*

10 Sed demùm dubitatur adhuc, num Abbates iſti poſſint regulares ſibi non ſubditos ordinare, vel etiam ſæculares? Si ad principia huc vſque tradita reſpiciamus, negandum videtur; nam *C. quoniam. 69. diſt.* taxatiuè in proprio Monaſterio ipſis indulget; ampliauit Alex. IV. in *C. Abbates. de priuil. in 6.* conceſſit enim Abbatibus, vt poſſint primam tonſuram conferre *Monaſteriorum ſuorum conuerſis, & qui ad illa conuolauerint, & in quos Eccleſiaſticam, & quaſi Epiſcopalem iuriſdictionem obtinent.* Quæ poſtrema verba ſæculares innuunt, qui fortè Abbatibus huiuſmodi ſubijciuntur; vnde & Auctores plerique huic aſſertioni ſubſcribunt, cui tamen derogatum irrefragabilitèr videtur per Decretum Concilij Tridentini, quod apertiſſimè loquitur.

*Seſſ. 23. de Refor. C. 10.*

*Abbatibus, & alijs quibuſcunque quantumuis exemptis non liceat in poſterum intra fines alicuius Diœceſis conſiſtentibus, etiamſi nullius Diœceſis vel exempti eſſe dicantur, cuiquam, qui regularis ſubditus ſibi non ſit, tonſuram, vel minores ordines conferre.* Adiecta inſuper ampliſſima clauſula derogatoria. *Non obſtantibus quibuſcumque priuilegijs, præſcriptionibus, conſuetudinibus etiam immemorabilibus.*

Sub hiſce nihilominùs verbis latere aliquid credendum eſt. Interpretans ſiquidem S. Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum declarauit, poſſe Abbates regulares habentes ex priuilegio facultatem deferendi Epiſcopalia inſignia poſtquam Sacerdotalem ordinem, &

munus

munus benedictionis acceperint, tonſuram, & minores ordines ſæcularibus Epiſcopo ſubiectis conferre cum conſenſu ipſius Epiſcopi, & dimiſſorijs non generalibus, ſed ſpecialibus cuiuſcumque perſonæ ordinandæ; item regularibus alijs, qui dimiſſorias ſuorum ſuperiorum habeant, immò & ſæcularibus ex alia Diœceſi aduenientibus, & ſecum afferentibus dimiſſorias ſpeciales proprij Epiſcopi, obtento tamen conſenſu Epiſcopi loci, vbi conferendi ſunt ordines; ità pluries deciſum teſtantur *Quaranta*, *Barboſa*, & alij apud ipſum. Quod & praxi obſeruatum aſſerit *Tamburin.* qui & regerit votum contrarium *Cardin. Seraphini*; ideò difficultatem propoſitam pendere adhuc indeciſam ſcribit *Aug. Barboſa*; qua ſtante dubitationis pendentia Abbates in vſu iuris ſui, & quaſi poſſeſſione perſeuerant, pròvt ſæpius fieri haud ità pridem ſpectauimus.

*In ſumm. Bull. verbo. ordo. Verſ. Abbatibus. circa fin.*

*Iur. Eccleſ. vniuerſ. lib. 1. C. 28. n. 64. 65. 66.*

*De iur. Abb. diſputat. 2. q. 7. n. 6.*

11 Conſequenter ad dicta hactenùs fit, poſſe ſimplicem Presbyterum, aut Sacerdotem ſacram ordinationem exercere, non quidem ſuo, aut ordinario iure, ſed alieno mandato, & extra ordinem, poſſeque ipſum miniſtrum extraordinarium ſacræ ordinationis conſtitui, at non ab Epiſcopo, ſed ab vno Pontifice Summo; reſidet enim in ipſo tanquam in ſupremo apice tota Eccleſiæ poteſtas, & ab eo in alios manare vtique poteſt, at in Epiſcopo non itèm; Clericus ſimplex poſſet quidem mandante Summo Pontifice Clericalem tonſuram conferre, quæ Sacramentum non eſt, ſed ſola Sacramentalis benedictio ab Eccleſia inſtituta; non verò laicus, vel ſi Summus ipſe Pontifex committeret, repugnat enim hoc iuri Diuino, & *ſine vlla contradictione quod minus eſt à meliore benedicitur*, vt inquit *Diuus Paul.* & laici cuiuſcumque ſpiritualis poteſtatis ſunt incapaces; quod ſi niteretur Summus Pontifex, vteretur ſibi tradita poteſtate in deſtructionem, cum tamen data ea ſit in ædificationem, ſi laicum ad tantum munus aſſumeret. Largiente igitur Summo Pontifice, ac committente ſimplex Sacerdos & tonſuram, & ordines minores poterit conferre, iam enim à generali Concilio id indultum Abbatibus oſtendimus, quod negare Summo Pontifici iniurium planè eſſet, præcipuè cum circa ordines minores id vſitatum teſtetur *Alexander III.* in *C. 1. de ordinat. ab eo, qui renunciauit &c.* dum ait, *quod huiuſmodi ordines à non Epiſcopis quandoque conferrentur*; in quo erraſſe Eccleſiam vix licet imaginari, ſicut & id auctoritatis negare Pontifici Summo eſſet abnorme; ordines enim iſti minores (eſto, quod ſint Sacramenta cum communi ſententia, & veriori) non dicunt tamen immediatum reſpectum ad Corpus, & Sanguinem Chriſti, ſed tantùm habilitatem conferunt inſeruiendi Sacroſancto Miſſæ ſacrificio; nec ad regendum fidelem populum promouent, aut ad Sacramentum aliquod ipſis miniſtrandum, vnde nil mirum, ſi eorum conferendorum miniſter à Diuina inſtitutione non eſt adeò determinatus, quin poſſit ab Eccleſia mutari, & præcipuè à ſupremo eius capite, cum (vt inquit *D. Thom.*) Summus Pontifex ea poſſit committere ſimplici Sacerdoti, quæ pertinent ad dignitatem Epiſcopalem dummodò proxime non referantur ad Corpus Chriſti verum, cuiuſmodi ſanè non ſunt ordines minores.

*Ad Hebr. C. 7.*

*In 4. diſt. 25. q. 1. Art. 1. ad 3. & in ſupplt. q. 38. art. 1. ad 3.*

nores. Non tamen ſimplici Diacono poſſet committere; non enim Diaconatus eſt gradus, ſeù ordo immediatè ſubordinatus Epiſcopatui, ſed mediat inter vtrumque Sacerdos, vt innuit *S. Thom.* & ideò licet Presbyter poſſit eleuari ad aliquid operandum, quod ſit muneris Epiſcopalis; Diaconus non tamen poteſt ſic attolli; quia nonniſi ſupremum infimi poteſt eleuari, vt attingat infimum ſupremi; vnde Diaconus non poterit eleuari, vt conferat ordines minores, qui dicunt infimum ordinis Epiſcopalis, cui non eſt immediatè ſubordinatus, vt eſt Presbyter, & Sacerdos; nam in Sacramento ordinis ſanctitas ſupernaturalis, quæ confertur, non prouenit à materia, ſed à miniſtro ordinante, & ideò miniſter caracterem habere debet, ex quo ſanctitas huiuſmodi deriuetur, quem certè non habet Diaconus, nam quamuis ex neceſſitate baptizet, & ex munere Euchariſtiam poſſit conferre, ſanctitas tamen, quæ ex vtroq; Sacramento prouenit, à materia dimanat, licèt & miniſter concurrat, indicatque illud, quod materia Euchariſtiæ debet ineffabili modo conſecrari, & aqua pro baptiſmo benedici, & dato, quod non ſit benedicta, collatus baptiſmus à laico aqua non benedicta ſanctitatem ab Inſtitutore, & inſtitutione ſua conſequitur. At verò Presbyter caracterem habet non quidem adeò perfectum, ſed tamen capacem maioris perfectionis, nempe Epiſcopalis, vt indicat Sacramentum pœnitentiæ, quod ab ipſo miniſtratur, in quo gratia non prouenit à materia, ſed à miniſtro vicem Dei gerente; ideò carácter iſte, qui Epiſcopatu conſummatur, & completur, poteſt auctoritate Eccleſię, & ea diſpenſante eleuari ad minores ordines conferendos; non ſic Diaconalis, ſuppoſita veriori ſententia, quod minores ordines ſint Sacramenta; huic veritati maius robur addet perennis Eccleſiæ obſeruatio, quæ nunquam Diacono eſt largita facultatem minores ordines conferendi, quod ſi per tot ſæcula, in tanta rerum viciſſitudine, & priuilegiorum vbertate nunquam fuit factum, nec fieri poſſe credendum eſt; ſic enim argumentatur *Hieronym. aduerſus Luciferianos*, quorum Secta cum orta eſſet ab Hilario Diacono, *cum homine* (inquit) *pariter interijt & Secta, quia poſt ſe nullum Clericum Diaconus potuit ordinare*.

*In ſupplem.*

n. 46. Dialog.

A minoribus ordinibus conſurgamus ad maiores, inter quos primus ſeſe exhibet Subdiaconatus, de quo dubitatur meritò, an à ſimplici Sacerdote extra ordinem, & ex commiſſione poſſit conferri? Affirmatiuè reſpondemus; primò, quia ſi poteſt ſimplex Sacerdos ex commiſſione minores ordines conferre, qui iuxta communem opinionem ſunt Sacramenta, non eſt, cur non poſſit & Subdiaconatum, quem Corepiſcopi contulere, qui tamen non fuerunt veri Epiſcopi, vt ſupra de ipſis agentes vidimus. Vnde in Concilio Meldenſi cautum, ac vetitum Corepiſcopis ipſis, *Ordines Eccleſiaſticos, qui per impoſitionem manuum tribuuntur, ideſt nonniſi ad Subdiaconatum conferre*. Subdiaconi enim nullum immediatum reſpectum habent ad Corpus Chriſti diſpenſandum, aut conficiendum, ſed tantùm ad materiam Euchariſtię exhibendam, & ſacra vaſa præparanda, quę & tangere poteſt Subdiaconus, ſed cum ſunt inania, nec Corpus, aut

C. 44.

San-

Sanguinem Chriſti continent, vt ad *Can.* 21. *Laodiceni Concilij* notauit *Balſam.* vnde Gratianus deduxit *tex.* in *C. non oportet* 23. *diſt.* Et ſi quæras cur ſimplex Sacerdos minores ordines, & Subdiaconatum ipſum ex commiſſione conferre poteſt, & ſine commiſſione non item? Summa, & magis intima diſcriminis ratio illa eſt; ordinatus Sacerdos remotè, & incompletè habilis eſt ad ſacros ordines conferendos; compleri hæc virtus, & ad actum reduci hic habitus dupliciter poteſt, primò ità, vt alieno iure, ac in ſubſidium deficientis Epiſcopi ordinet; ſecundò, vt iure proprio ordines ipſos conferat; vt primo modo Sacerdos operetur ſufficit commiſſio Eccleſiæ, quæ quod eſt incompletum in Sacerdote perficiat, & habitum licèt informem reuocet ad actum; at verò, vt ſecundò modo, requiritur actualis extenſio, & ampliatio caracteris Sacerdotalis per conſecrationem Epiſcopalem; prior agendi modus eſt minus naturalis, & totus fermè à principio extrinſeco, ſecundus naturalis, & ab intrinſeco; primus extraordinarius, & ſubſidiarius; ſecundus ordinarius, & continuus; prior modus poſſibilis eſt, nec vllam implicantiam inuoluit; poteſtas enim ſupremi Eccleſiæ capitis, ac Summi Pontificis, quæ pleniſſima eſt in corpus Chriſti myſticum, & in ea, quæ ab Eccleſia ad congruam eius conſeruationem conſtituta, poteſt hoc Presbytero indulgere, qui, cum iam habeat poteſtatem in Corpus Chriſti verum, capax eſt etiam poteſtatis in myſticum, & ad ea, quæ ad Corpus Chriſti verum diſponuntur, cuiuſmodi minores ordines, & Subdiaconatus ipſe.

Superſunt Diaconatus, & Presbyteratus, de quibus dubitatur, an à ſimplici Sacerdote poſſint ſaltem ex commiſſione conferri? *Gabriel Vazquez* re impensè examinata, & opinionibus recenſitis iudicium demùm lectori relinquit, ac deciſionem in medio, & ſanè ardua eſt diffinitio; ſublimitas enim horum ordinum longiùs ſupergredi videtur ſimplicis Sacerdotis gradum quantumuis commiſſione eleuatum. At ex oppoſito, ſi minores ordines, qui ſunt Sacramenta poteſt conferre, & Subdiaconatum, qui eſt ordo maior, cur & non alios maiores? vel quæ inter eos diſcriminis ratio? *In 3. p. diſp. 243. c. 4. in fin.*

Attamen dicimus Sacerdotem nec ex commiſſione poſſe Diaconatum, aut Sacerdotium conferre; congrua ratione firmandum id eſt, neque expectanda neceſſaria demonſtratio.

Per ſacrum enim Presbyteratus ordinem confertur adeò excelſa poteſtas, vt nulla poſſit excogitari ſublimior; naturæ ſiquidem fines excellit, & ad cuius captum deficit humanus intellectus. Debet igitur haud eſſe impar tantæ poteſtatis tradendæ auctoritas, & per Sacramentum tribui, adeòque ſolemni Epiſcopi conſecratione, & non ſola Summi Pontificis commiſſione, & quod dicitur de Sacerdotio, militat etiam in Diaconatu tanquam immediatè proximo, & connexo; de connexis enim idem iudicium, præſertim vbi de cultu, decentia, & veneratione agitur.

Et quamuis hæc eadem ratio videatur vrgere, & pro Subdiaconatu, quem tamen, & ex ſola commiſſione poſſe à Presbytero ſimplici conferri ſupra ſcripſimus; eſt tamen aſſignabilis differentiæ ratio, quæ illationem inhibeat; non eſt enim adeò certum, an Subdiaconatus, &

alij minores ordines ſint Sacramenta, ſicut certiſſimum eſt de Diaconatu, & Sacerdotio; poteſtas Sacerdotis, & Diaconi datur ad Sacramenta conficienda reſpectiuè, ac miniſtranda, & diſpenſanda; aliorum ordinum non ſic, quorum poteſtas vtcumque ſupernaturalis, at longè minor. Presbyteri, & Diaconi futuri ſunt Eccleſiæ duces, & Eccleſiaſticæ hierarchiæ Principes, ſacrique Principatus immediatè participes, atque directè, Subdiaconi verò, & alij minores, non niſi miniſterialiter, & diſpoſitiuè Eccleſiaſticam Hierarchiam ingrediuntur, nec Patrum titulum merentur; decet igitur illos tantùm ab Epiſcopo conſecrari, cuius ordo ſolus propriè eſt generator Patrum, qui ſolus Summus Sacerdos, ſummamq; in res Eccleſiaſticas habet poteſtatem, debuitque hæc ſeries ex diuina inſtitutione conſtitui, vt diuino iure Epiſcopi eſſent ordinarij miniſtri Sacerdotij, & Diaconatus, hancque legem ſtabilis regendi ratio expoſcebat, ne ipſe ſacri Principatus ordo turbaretur.

Demùm nulla poteſt excogitari ratio, aut cauſa, propter quam hæc diſpenſatio circa huiuſmodi graduum collationem à Presbytero faciendam veniat indulgenda, quantumuis enim reuoluamus, vix aliam excogitare licet, quàm gradus, & ordinis Epiſcopalis extinctionem, Epiſcoporum abſentiam, aut demùm eorundem raritatem, aut inopiam; at nulla certè ex his cauſis tanti, vt ad diſpenſationem tantam inducere valeat. Non gradus Epiſcopalis extinctio; quis enim credat adeò Eccleſiam ſuam Deum deſerturum, qui promiſit; *Vobiſcum ſum omnibus diebus, & vſque ad conſummationem ſæculi?* (Matth. Cap. vlt. in fin.) Abſentiam Epiſcoporum damnant Diuinæ leges, neque earum transgreſſio iuſta cauſa eſt habenda tantæ diſpenſationis. Raritas demùm, & inopia Epiſcoporum tanta non eſt fingenda; quia non patietur Eccleſia ſe adeò deſtitui, vt deficere ſinat Epiſcopalem gradum, & præſtaret ſanè nullos ſinere ordinari Presbyteros, quàm indulgere, vt non ab Epiſcopis, ſed à ſimplici Sacerdote, etiam ex commiſſione ordinarentur; nulla igitur exiſtente congrua diſpenſationis ratione, nec relictam à Chriſto Domino diſpenſandi facultatem veroſimillimum eſt; cum præſertim Eccleſiam nunquam ea vſam intueamur, licèt innumeræ, & longè maiores diſpenſandi cauſæ extiterint; ſæuientibus enim perſecutionibus latebant aliquando Epiſcopi: nominatim infidelium Principum edictis proſcripti; vetita eis per expreſſum Sacerdotum ordinatione, vt ſic Eccleſia deficeret, & tamen in tot anguſtijs diſpenſatum nunquam legimus, vt Sacerdotes, & Diaconi à ſimplici Presbytero ordinarentur, ſicut indultum aliquando videmus Presbyteris, vt confirmationis Sacramentum conferant, & Subdiaconatum Epiſcopi proprium; vnde fieri non poſſe meritò credimus, quod nunquam factum per tot ſæcula obſeruamus. Non moramur, quod Corepiſcopi, qui erant meri Presbyteri, cum ſcientia Epiſcopi Sacerdotes ordinauerint, quales enim fuerint Corepiſcopi ſic ordinantes indicauimus in excurſu proprio; erant ordinati Epiſcopi, ac meri titulares, vnde nil mirum, ſi Sacerdotes cum licentia Epiſcopi aliquando ordinauerint. Priuilegio Abbatum Ciſtercienſium, vt poſſint Subdiaconos, & Diaconos

ſuos

ſuos Monachos ordinare, quid reſpondeant tractantes videre facile eſt; fatemur vel hoc vno nomine rem eſſe valde implexam, quam etiam indeciſam ideò relinquit *Vazquez*. Nobis tradidiſſe ſatis, quæ ex communi voto. Iamque ad alia properamus.

## CAP. V.

### Quæ requiſita, vt ritè peragatur Sacra Ordinatio.

1 *Ad militiæ exemplar inſtituitur tractatio, ſumpto exemplo à Romanorum veteri militia.*

2 *A delectu ſumitur exordium, cuius proponitur definitio, & ſubinde delectui ſacræ ordinationis applicatur praxim exhibendo.*

3 *De ſcrutinio ante ordinationem habendo, & ſingula ſcrutinij capita percurruntur.*

4 *Illegitimi ab ordinatione arceantur.*

5 *Serui etiam excluduntur, & quæ ratio.*

6 *Obligati item ad ratiocinia, & qua ratione arceantur.*

7 *Corpore vitiati à ſacra ordinatione excluſi; vbi & de exſectis virilia.*

8 *De Bigamiæ impedimento, & Bigamis.*

MIlitiam eſſe Clericalem ſtatum, militareque Clericos cœleſtis militia iam notius, quàm, vt probatione indigeat, proinde requiſita tractaturi, quæ maximè in ſacra ordinatione veniunt ſpectanda, militiæ ipſius inſiſtemus exemplo, quod quidem eò preſſiùs vrgebit, quò grauior, ac præſtantior Clericalis, & cœleſtis humana, & ſæculari militia.

1 Quàm attentè; quàm accuratè proceſſerint Romani in militum ſuorum delectu, & in ea componenda militia, quæ demùm animante diſciplina ad Orbem ſubijciendum, & ad Romanas Aquilas ad ipſos orbis cardines prouehendas inſeruijt, intueri licet apud venuſtiſſimum *Lipſium* cum in libris ſuis *de militia Romana*, tum *ciuilis doctrinæ*; ſiue *politices*, vbi curam, diligentiam, delectumq; ipſum ſuum, & non ſuum intuendum exhibet; ab hoc exemplari ſacræ ordinationis requiſita ducemus, ac proponemus, vt accuratè conficiatur delectus eius militiæ, vnde ſumendi milites, centuriones, tribuni, duces. Imperatorque ipſe, qui iuncta diſciplina Chriſti fidem, Chriſtianaſque virtutes, & extra Chriſtianum Orbem perferant, & intra diffundant, ac tandèm triumphos in cœleſti capitolio & parent, & ducant. *Lib.1.dial.2. & 3.lib.5.C. 2.& 10.*

2 Delectus igitur in hac paranda militia habendus eſt; qui ſicut apud Romanos per Conſules habebatur, ità in Eccleſia per Epiſcopos (vt iam ſupra innuimus) penès quos poteſtas maior, iſque ſanè habendus, qualem exhibet *Lipſius* in profana militia; ſic definiens; *Eorum, qui armis idonei ſunt, cum iudicio electionem*; Hunc Canones, hunc SS. Patres, hunc Summorum Pontificum decretales præſcribunt pro rei grauitate; *nulla enim magna res probationis, & explorationis eſt expers*, ait *Nazianzenus*; Et ſicubi in Eccleſiaſticis habenda conſideratio, nulla ſanè maior, *Polit. lib. 5. C. 9.* *Orat.in elect. Eulalij Draconſ. Epiſc.*

ior, quàm in ordinandorum, & Clericorum delectu, in quo diligentis oneratur conſcientia, & grauatur anima; huic meritò terrorem, & horrorem incutiat, quod ex *Sophronio* reddit *Baron.* S. Leoni Magno Sanctiſſimo ęquè, ac Sapientiſſimo Pontifici accidiſſe, exhibemus *Sophronij* verba ex *Baron.* *Inueni ſcriptum, quod Beatiſſimus, & æqualis Angelis Leo Papa, qui Romanorum Eccleſiæ præfuit, quadraginta dies perſeuerauit ad ſepulchrum Apoſtoli Petri vigilijs, & orationibus inſiſtens, petenſque ab Apoſtolo, vt pro ſe apud Deum intercederet, vt dimitterentur ſibi peccata ſua. Impletis diebus quadraginta apparuit Apoſtolus Petrus dicens ei; Oraui pro te, & dimiſſa ſunt tibi omnia peccata tua, præterquàm impoſitionis manuum; hoc ſolum abs te requiretur, ſiue benè, ſiue fortaſſe malè egeris &c.* In delectu igitur Deum præ oculis habeat Præſul, nam *vbi Deus* (inquit *Tertullian.*) *ibi metus in Deum, qui eſt initium ſapientiæ; vbi metus in Deum, ibi grauitas honeſta, & diligentia attonita, & cura ſollicita, & adlectio explorata, & communicatio deliberata, & promotio emerita, & ſubiectio religioſa, & apparitio deuota, & proceſſio modeſta, & Eccleſia vnita, & Dei omnia.* Hæc vbi adſint nil verendum; omnia ſunt tuta.

tom.6.Annal. anno 461.

De præſcrip. hæret.C. 43.

Iam accedente ſacræ ordinationis tempore edicta ipſius peragendæ promulgat Epiſcopus affigendo ad Eccleſiæ valuas, ac tranſmittendo per Diœceſim; duobus menſibus anteà plùs, vel minùs pròvt Diœceſis amplitudo videtur exigere. Proſtat tota ſeries in actis *Concilij prouincialis Mediolanenſis*, vnde omnia non ſunt huc nobis transferenda. Vbi igitur inuitati per programma acceſſerint ordinandi, probandus eorum quilibet erit, ne quis ad tantum munus ſubrepat, aut ſe inſinuet indignus, ideò appoſitiſſimè delectum, *electionem cum iudicio*, definiebat *Lipſ.* ſicque quilibet probandus, ſuiſque ſe iuuare debet teſtimonijs, & primùm boni nominis, inculpatęque famæ penès populum; ſic enim Apoſtolus. *Oportet autem illum* (nempe ordinandum) *& teſtimonium habere bonum ab ijs, qui foris ſunt, vt non in opprobrium incidat, & in laqueum diaboli.* Infidelibus, qui extra Eccleſiam, fidelibus laicis, qui extra Clerum, vtrique enim foris ſunt, cui quidem famæ, licèt falſæ, adeò deferendum, vt ea laborans neutiquam ſit ordinandus, teſte *Chryſoſtomo*; *Non is in medium adducendus* (ait) *qui eiuſmodi fuerit; nocet enim præcedens plurium peſſima, licèt falſa, opinio.* Infęlicitati id tribuendum eſt, ſorti tamen parendum. Iam dictum, cum de Epiſcoporum electione ageremus, de cuſtodito more populum conſulendi, qui plauſu ſuo ordinando faueret, aut diſſentiens intercederet; manuum eleuatio probitatis ipſius ordinandi teſtimonium exhibebat, ſicut & depreſſio improbantium indicium, vnde χειροτονίας, & χειροθεσίας: nomen pro ſacris ordinationibus, & electionibus; hæc tradita aliàs fuſiùs, neque hìc repetenda. Durat adhuc huius vſus imago in Pontificali Romano, quo ab Epiſcopo populus monetur in ea verba; *Si quis habet aliquid contra illos pro Deo, & propter Deum cum fiducia exeat, & dicat; veruntamen memor ſit conditionis ſuæ*; ſic ergo conſulitur, ne infamis quis, aut quoquo modo nota-

Concil. Mediol. 4. p. 2. tit. Quæ pertinent ad Sacram. ord.

vbi ſupra

1. ad Timot.C.3.

P. 1. tit. de ordin. Diac. & Presb.

tus

tus in ſacram ordinationem fallens irrumpat.

Sed tamen, vt prudentiſſimè cauet *Chryſoſt.* non fidendum populi teſtimonio; *vſu enim venit* (inquit) *vt opinio vulgi falſa ſit, à qua tamen nihil periculi exoriri poſſit, ſi res ipſa tota per ſe prius exactè, ac diligenter diſcuſſa, atque examinata fuerit.* Ideò huic populi teſtimonio non fidens Eccleſia, teſtimonium adhuc exigit Archidiaconi, Parochi, & Magiſtri ſcholæ, quibus omnibus Clericorum conditio maximè debet, & poteſt eſſe perſpecta. Archidiacono quidem ex munere præcipuo, & ſuo; eius enim eſt omnium ordinandorum vitam, & mores, quantum fieri poteſt, noſſe; ad hoc Diaconi oculi dicuntur Epiſcopi à Sanctiſſimis Pontificibus Euariſto, & Clemente; huic enim; *Epiſcopi oculi oberrantes, & circumluſtrantes, vt referant ad Epiſcopum.* refertur in *C. Diaconi Eccleſiæ. 93. diſt.* hanc igitur partem gerens Archidiaconus, qui Diaconorum Princeps, quod Epiſcopus per ſe negotiorum mole detentus præſtare non poteſt, præſtabit, vt ſcilicet omnes, qui ad Clerum deſtinantur, vel iam ſunt adſcripti, benè notos habeat; aut cum viſitando Diœceſim cum Epiſcopo luſtrat, aut eorum, qui ad Clerum adſpirant, vitam explorando, indolem examinando, vel à viris fide dignis de vita, & moribus eorum notitiam procurando; & quia neque ſic exactè ordinandorum mores poteſt attingere, eius maximè erit vulgi famam perquirere, famam ipſam expendere, ac demùm ad Epiſcopum referre; Canones enim id muneris ipſi iniungunt, dum ſtatuunt, *vt ſciat omnem curam in Clero, tàm in Vrbe poſitorum, quàm eorum, qui per parochias habitare noſcuntur ad eum pertinere C. 1. de off. Archidiac.* & in *C. ad hæc. eod. tit.* dicitur *ad eum pertinere examinatio Clericorum, qui ſunt ad ſacros ordines promouendi*; vnde pro duplici præſentatione, quam facere debet Archidiaconus, duplex etiam ei examen incumbit. Alia eſt enim præſentatio, quæ antecedit examen Epiſcopi. *Gloſſ. ad C. quando 24. diſt.* alia verò, quæ fit palam, & publicè in ipſo ordinationis actu, vt ex Pontificali Romano. Plura hìc poſſent conſiderari ex priori Eccleſiaſtica diſciplina, ſed inania hæc reddidit vſus, an potiùs abuſus. Præſtat igitur hæc omittere, quæ iam omiſſa, ac oblita ſine offenſione vix poſſunt reuocari in memoriam. Succedit teſtimonium Parochi tanquam eius, cui ſubiectarum ſibi ouium conditio maximè comperta eſſe debeat; *Concilium Nannetenſe* relatum in *Can. quando 24. diſt. Quando Epiſcopus ordinationem facere præſumit, omnes, qui ad ſacrum miniſterium accedere voluerint, Feria quarta ante ipſam ordinationem vocandos eſſe, vnà cum Presbyteris, qui eos repræſentare debent.* Hi Presbyteri non alij certè, quàm rectores ſingularum parochiarum ordinandorum, vel Archipreſbyteri, & Decani rurales, qui cum Parochis de conditione ordinandorum conſuli debuerunt; celebris eſt Epiſtola S. *Baſilij* de Corepiſcopis apud *Balſam.* vbi ad rem plura. Magiſtri ſcholæ rationabile etiam eſt teſtimonium, qui de ſcientia, idoneitate, & habilitate ad ſtudia, teſtetur; quæ quidem omnia nouiſſimè complexum eſt *Concilium Trident. Ad minores ordines promouendi bonum à Parocho, & à Magiſtro ſcholæ,*

in

*Lib. 3. de Sacerdot. C. 4.*

*Epist. ad Afric. in princ. Epiſt. 1.*

*P. 1. tit. de ordinat. Diacon. & ordin. Presbyt.*

*Seſſ. 23. de reform. C. 5.*

Digitized by Google

*in qua educantur, teſtimonium habeant*; & inferiùs. *Hi verò, qui ad ſingulos maiores erunt aſſumendi per menſem ante ordinationem Epiſcopum adeant, qui Parocho, aut alteri, cui magis expedire videbitur committat, vt nominibus, ac deſiderio eorum, qui volunt promoueri publicè in Eccleſia propoſitis de ipſorum ordinandorum natalibus, ætate, moribus, & vita, à fide dignis diligenter inquirat*. Hactenùs Concilium; leuiora omittimus, quæ adhuc in ordinatione præparanda proponuntur ſeruanda vtiliſſima pro re nata, ſed quæ tamen à noſtro nos auocarent inſtituto, ſi omnia, & ſingula referre volemus; vnde accedemus ad ſcrutinium, quod ſacri Canones immediatè ante ordinationem iniungunt Epiſcopo, vt inde ad potiora requiſita tranſeamus.

3 Innocentius igitur III. in *C. vn. de ſcrutinio in ordine faciendo*. ſcrutinium propoſuit à ſerutando dictum, quo Feria quarta, vt plurimùm, ante diem ordinationis, vel alia die pro arbitrio Epiſcopi examen ordinandorum habeatur, & de iiſdem fiat inquiſitio; quam quidem longè anteà præſeripſerat Nicœna Synodus *Can. 9.* & tranſtulit *Gratian. in Can. ſiqui ſine* 80. *diſt.* adeò diſtrictè, vt eo omiſſo ordinatum *Eccleſiaſticus ordo non recipiat*, ait *Can.* Vita, mores, doctrina, genus hoc ſerutinio veniunt perquirenda; ſingula, ſed potiora percurremus, & circa grauiora aliquantò impenſiùs immorabimur.

4 Natalia primùm ſunt inquirenda; legitimus enim, ac de legitimo matrimonio natus debet eſſe ordinandus, aliàs ſpurij tanquam turpes perſonæ, conſtitutionibus Eccleſiaſticis repelluntur. *C.* 1. *&c. fin. de fil. Presb.* qua ratione & filij Presbyterorum poſt ordinationem eorundem ſuſcepti arcentur; *tot. tit. eod.* quod ſi geniti fuerint ante Sacerdotium, & ex legitimo matrimonio, ordinari vtique poſſunt, at non in Eccleſia paterna; *C.* 3. *de fil. Presbyt.* Illegitima ſiquidem huiuſmodi ſoboles vſque ad decimam generationem ab ingreſſu Eccleſiæ arcebatur lege Dei *C. per venerabilem. Qui fil. ſint legit.* *Deuter. C. 23*

5 Liber item, & non ſeruus, qui niſi manumittatur, ordinari non poteſt; *C.* 1. 2. 3. *de ſeruis non ord.* fuit ea lex vna ex Eccleſiæ primordialibus, quæ ad ordinationem ſerui licentiam Domini expetijt. *Can.* 81. *Apoſtol.* & traditur fermè per tot *diſt.* 54. Eccleſia enim, quæ cultrix iuſtitiæ eſt, dominos fraudare iure ſuo non intendit; ideòque ſi poſtquam ſunt ordinati, Dominus eos repeteret, deberent reſtitui, & deponi *C.* 2. *h. t.* immunis debet eſſe ab alijs, qui Diuinæ militiæ adſcribitur, ne à caſtris Dei vllis neceſſitatis vinculis abducantur; ſed vnde, vt ſerui ordinati repetenti Domino reſtituantur. *C.* 1. *&* 2. *h. t.* & res conſecrata non item? *C. comperimus* 14. *q.* 6. Reſp. quod in rebus inanimis non conſideratur dolus, at in homine vtique; ſeruus enim, vt euitaret, aut excuteret graue ſeruitutis iugum ad Eccleſiam confugiebat, & Clericalem aſſumebat vitam. *l. ſi ſeruus. C. de his, qui ad Eccleſ. confug.* dolo autem non patrocinatur Eccleſia; niſi mallis, quod in rebus inanimis conſecratio in ſuperficie conſiſtit, vnde nec tangi à profanis debet, idque fieret, ſi reſtitueretur; at in homine conſecratio eſt in anima, in qua character imprimitur,

nec

nec tangi poteſt. *C. licet*. 32. *q*. 7. quod dictum eſt hactenùs de ſeruis non ordinandis accipimus non ſolùm de maioribus ordinibus, ſed etiam de Subdiaconatu. *C. miramur. h. t.* immò & de minoribus, & ipſo ſimplici Clericatu *C.* 1. *C. de reb.* 54. *diſt.* idque religiosè adeò cautum, vt Epiſcopus in ſui conſecratione de ſeruis non ordinandis ſeriò admoneretur. *C. conſuluit. h. t.*

6 Seruis proximè accedunt obligati ex adminiſtratione ad rationes reddendas, vt ſyndici, procuratores, actores, tutores, hi enim nequeunt ordinari; ex *Concil. Carthag.* in *C. vn. de oblig. ad ratiocin. ordin. vel non*; niſi finita adminiſtratione, rationibuſque redditis; nec abſimiliter *Fulgent. Ferrand. Vt Diaconi non ordinentur; qui procuratores, & actores, & tutores, & curatores pupillorum fuerunt, niſi poſt depoſita vniuerſa, & reddita ratiocinia.* *In Breu. Can. C. 119.* Ratio magis obuia eſt propter fori præſcriptionem, Clericus enim coram Iudice cincto, hoc eſt laico, cauſam dicere non tenetur, vnde creditores laici rationum reddendarum dimittere Iudicem ſuum, & adire Eccleſiaſticum tenerentur; quod graue nimis ijſdem eſſet mutare forum. Conſiderant alij, Raymundum Decretalium compilatorem miſcuiſſe ius antiquum cum nouo, licèt æuo ſuo ſeruitus forſitam non eſſet in vſu; debitores enim, & quicumque rationibus reddendis obnoxij, & obærati corporum obligationibus obſtricti erant, immò ſerui erant creditorum, & licèt ſublatæ eſſent duræ illæ corporum obligationes, ac dilaniationes, non tamen omninò erepti ſunt à creditorum dominio, & imperio, & ideò *C. vn. h. t.* rectiſſimè dicitur ante *libertatem adeptam*, hoc eſt nondum rationibus redditis, *Eccleſiam infamari*, quia ſcilicet huiuſmodi obligatio, licèt non eſſet vera ſeruitus, proximè tamen abeſſe à ſeruitute videtur, & ideò quaſi ſeruus ſic obæratus non poteſt ordinari; liberum ſit alterutram amplecti; quidquid comminiſcatur *Gloſſ.* ad *C. vn. h. t.* quæ extra pupillorum cauſam procuratores, & alios trahere nititur.

7 Arcentur ab ordinatione & corpore vitiati; fuit antiquæ legis decretum, ne claudi, cæci, deformes, aut debiles ad munera Eccleſiaſtica admittantur, nec diſſenſere in hac parte Gentiles, & Romulus præſertim apud *Dionyſ. Nalicarnaſ.* qui *Lib.2.pag.50.* Sacerdotes inter alia *etiam corpore integro* eſſe voluit. Apoſtolorum æuo non adeò ſubtilitèr huiuſmodi defectus examinabatur; nam *Can.* 77. cauebatur; *Si quis vel oculo orbatus, vel femore oblæſus, Epiſcopatu autem dignus ſit, fiat, non enim corporis damnum eum polluit, ſed animæ inquinatio*. Rationemque attexuit *Balſamo*; *Animam enim puram, & integram habere volunt Diuini Apoſtoli, non corpus*; *Ibid.* hodie verò & animam, & corpus *C.* 2. *de corp. vitiat.* & ideò defectus quilibet, qui ordinis officium, & executionem impedire valeat inhabilem ad ordinationem reddet; vel ſi ſit deformitas aliqua, quæ ſcandalum, & horrorem pariat, cum alioquin animi integritas, & perfectio maximè ſpectanda ſit, ac proinde maximum illud vitium habendum eſt, quod oritur ex moribus, & ſcientia, & vtriuſq; defectu. *C. fin.* 49. *diſt.* vnde *Philo* *Lib. de temulentia circa fin.* *Iudæus* cenſuit, allegorizans more ſuo, Moſem, dum vetuit, ne Spado, aut exſectus Eccleſiam Domini ingredia-

grediatur, ad ſcientiæ, & ſapientiæ defectum reſpexiſſe.

Huic impedimento vitiati corporis adnectimus & illud, cum ſcilicet quis de induſtria ſe ipſum mutilauit, & exſecuit *Can.* 22. *Apoſtol.* vbi *Balſam.* tres mutilatorum ſpecies diſtinguit, vt alij ſint *Thlibiæ*, *qui ab infantia genitales partes amiſerunt, vt quæ eis à parentibus expreſſæ, & inutiles factæ ſunt. Spadones alij, qui à natiuitate teſtes non habent; alij caſtrati, qui ferro exſecti ſunt; Thlibiæ, & Spadones ſine vllo præiudicio conſecrabuntur, vtpote qui ſibi nullius mali auctores fuerint. Caſtrati autem aliquando quidem ad ſacros ordines admittentur, aliquando non*; hoc eſt provt ſine culpa ſua, aut cum culpa fuerit exſectus; ſic enim *Can.* 21. *Apoſtol. Eunuchus ſi ex hominum quidem iniuria factus ſit, vel in perſecutione virilibus priuatus ſit, vel ſi natus eſt, & dignus eſt, fiat. Can.* 22. *ſeq. Qui ſe ipſum mutilauit, ne ſit Clericus; eſt enim ſui homicida, & Dei opificij hoſtis*; & ideò non compræhenduntur qui ab hoſtibus, vel per vim exciſi ſunt. *C.* 7. & 8. 55. *diſt.* vel qui ob morbum *C. ex parte. h. t.* neque Spadones, qui naſcuntur, non fiunt, quibus nulla pars deeſt, ſed facultas tantùm generandi; *l. ſi quis poſthumus.* 9. *ff. de lib. & poſt.* ſunt etiam pleraque alia impedimenta, quæ Clericos, & homines à ſacra ordinatione arceant, vt homicidium. *C.* 1. *de homicid. Clem. vn. eod.* verùm ea tantùm tractare hìc intendimus, quæ Greg. IX. proſequitur, & proponit in *lib.* 1. *Decretal.* vnde cum poſt *tit. de corp. vitiatis*. ſubnectat immediatè *de Bigamis*, & Bigamiam breuiter conſiderabimus.

8 Quæ quidem inſigne ordinandorum impedimentum vel ab exordio Eccleſiæ à ſacris excludens, *Can. n.* 17. *Apoſtolor.* ità ſancitum legimus. *Qui poſt ſanctum baptiſmum duobus coniugijs fuerit implicitus; vel habuerit concubinam, non poteſt eſſe Epiſcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel omninò ex numero Sacerdotali*. Conformitèr ad veteris legis præſcriptum. *Leuit. C.* 21. *Sacerdotes mei non plus nubent*. Et gentiles ipſi flaminem ſuum dialem monogamiæ obſtringebant. *Tertul. Certè flaminica non niſi vniuira eſt,* *De Exhortcaſt. C: 13.*
*quæ & flaminis lex eſt; nam duo ipſi Pontifici maximo iterare matrimonia non licet, quod monogamiæ gloria eſt*; in hoc nimius. Conſonant veteres omnes, & recentiores Eccleſiæ conſtitutiones Bigamos à ſacra ordinatione arcentes. Bigamia triplex diſtinguitur. Prima propria eſt, *Gloſſ. ad C. 2. h. t.*
quæ per geminata coniugia inducitur ſucceſſiuè contracta, & copula ſubſequuta, idque ideò additum, quia ſiquis cum duabus ſucceſſiuè contrahat, & vnam tantùm cognoſcat, Bigamus non eſt. *C. debitum. h. t.* Secunda interpretatiua, quæ primo vultu vix adeſt, ſed iuuante interpretatione detegitur; & ideò dicitur interpretatiua, non enim verè duplex interceſſit matrimonium, ſed virtualiter tantùm, & ex intentione; Contraxerit quis cum Vidua, vel repudiata, quæ tamen priùs matrimonium ſuum copula compleuerit. *C. ſiquis viduam.* 50. *diſt.* aliàs enim non eſſet defectus ſignificationis, & ſic nec Bigamia; vel cum corrupta ab alio per fornicationem *Can. maritum.* 33. *diſt.* & non virginem duxerit. *C.* 2. *de Cler. coniug. Can. curandum.* 34. *diſt.* vel quod grauius

eſt,

eſt, vxor alicuius adulterium commiſerit, *C. ſi cuius. ead. 34. diſt.* eamque poſt commiſſum adulterium etiam ignoranter cognouerit, interpretatiuè Bigamus cenſebitur, & Bigamia hæc interpretatiua; quod ſi quis eam ducat, quam ipſe priùs cognouit Bigamus non eſt; ad *C. fin. h. t.* Tertia Bigamia eſt per ſimilitudinem, vel ſimilitudinaria, quam incurrit ille, qui, cum ordine ſacro ſit initiatus, cum aliqua contrahit de facto, ipſamque cognoſcit; *C. quot quot. 27. q. 1. C. A nobis h. t.* quamuis enim neque de iure, neque de facto contrahat cum duabus, vel cum vna corrupta validè, nihilominus Bigamus eſt, etiam ſi illa, cum qua contrahit ſit virgo, affectum enim habet contrahendi eum opere ſubſecuto, cum iam per ordinem ſacrum, vel votum ſolemne ſpiritualiter, & per ſimilitudinem contraxerit cum Chriſto, *C. A nobis h. t.* quæ ratio cum ceſſet in illo, qui minoribus tantùm ordinibus initiatus eſt, ſi contrahat ipſe inualidè matrimonium propter aliquod impedimentum, neutiquam cenſetur Bigamus, & ideò *Innocent. III.* in *C. fin. ff. Nobis. de Bigam.* de Subdiacono loquitur, qui voto ſolemni caſtitatis tenetur; & in *C. nuper. h. t. de Presbytero*; ſicut & inter Bigamos reputantur, qui duarum ciuitatum Eccleſijs conſcribuntur, vel duo obtinent beneficia, vetante *Concilio Chalcedonenſi Canone decimo. Iuo Carnot.* Ep. 154. *Qui ab vna Eccleſia ad aliam tranſeunt, veluti quadam mœchatione id faciunt, & ideò per analogiam Bigami dicuntur.*

Arceantur autem Bigami à ſacra nouæ legis ordinatione ex tradito ab Apoſtolis inſtituto, qui, ſiquid ad bonorum morum inſtitutionem, & diſciplinam ſpectare viderent, id à Synagoga in Eccleſiam cum maiori perfectionis prouentu transferre ſemper ſtuduerunt; *vt quæ ad iuſtitiam ſpectant* (ait *Tertullian.*) *non tantùm reſeruata permaneant, verùm & ampliata, vt redundare poſſit iuſtitia noſtra ſuper Scribarum, & Phariſeorum iuſtitiam; ſi iuſtitia & pudicitia*, infert *Tertullian.* De monogam. C. 7. Cum igitur interdiceret lex Diuina iterum nubere, nec pateretur Pontificem ducere in vxorem viduam, repudiatam, aut meretricem, & tantummodo virginem ducere; voluerunt Apoſtoli, vt & Sacerdotes nouæ legis vnius ſaltem vxoris viri promouerentur, & non geminæ, viduæ, aut corruptę; fierentque Sacerdotes (vt eleganter vbi ſupra concludit *Tertullian.*) d. C. 7. in fin. *à Chriſto vocati monogamiæ debitores ex priſtina Dei lege, quæ nos tunc in ſuis Sacerdotibus prophetauit.* Sit quidem exemplaris hæc cauſa, quæ Apoſtolos induxerit, at in Euangelicæ legis perfectione alia ſublimior ab ipſis inſpecta eſt ratio. Erectum fidelium matrimonium à Chriſto Domino in Sacramentum vim ſimul ſignificatiuam eſt adeptum, qua ex viſibili ſpecie ad excelſius myſterium ſuſpiciendum excitaret; indicare debuit coniunctionem illam, qua incarnatione pronuba Chriſtus Dominus perenni nodo ſibi iunxit Eccleſiam, cumque fuerit hic nexus perfectiſſimus, & vnius cum vna, debuit & per vnicum matrimonium perfectè exhiberi, quamuis enim geminatum matrimonium ſit Sacramentum, nullamque culpam inuoluat, ac deficit quòad ſignificationem, quæ reddere debet adæquatè coniunctionem Chriſti cum vna, &

immaculata Eccleſia, *d. C. Acutius. 26. diſt. C. debitum, de Bigam.* Monogamiam à Chriſto ſemper probatam oſtendit *Tertullian.* at nimius; ſed ad rem liceat ex pluribus hæc deſcribere verba. *At vbi infans templo exhibetur, quis illum in manus ſuſcipit? quis in ſpiritu primus agnoſcit? Vir iuſtus, & cautus, & vtiq; non Bigamus, vel nè indigniùs mox Chriſtus à fœmina prædicaretur vetere vidua, & vniuira, quæ & templo dedita ſatis in ſemetipſa portendebat, quales ſpiritali templo, ideſt Eccleſiæ, debeant adhærere.* Pulchrè ad rem noſtram; licèt nimiùm monogamiam extollat, & ampliet *Tertullian.*

*c. 8. vbi ſup.*

Morale quid ſubeſſe huic Bigamię impedimento ſuadet honeſtas illa, quæ exigit, vt continens ſit, qui continentiam alijs eſt ſuaſurus; qua fronte enim hortabitur ad continentiam, & viduitatem Sacerdos, qui vno matrimonio non contentus ſecundum aſſumpſerit, viduitatemque ferre ipſe non valuerit? ſic enim Ambroſius Nicæni Concilij auctoritatem præmittens arguit. *Sed prius cognoſcamus non ſolùm hoc Apoſtolum de Epiſcopo, & Presbytero ſtatuiſſe, ſed etiam Patres in Concilij Nicæni tractatu addidiſſe, nec Clericum quemquam debere eſſe, qui ſecunda coniugia ſortitus ſit; quomodo enim poteſt conſolari viduam, honorare, cohortari ad cuſtodiendam viduitatem, ſeruandam marito fidem, quam ipſe priori coniugio non reſeruauerit?*

*Lib. 3. epiſt. quæ eſt 25. ad Vercell. eccl.*

Suaſerit quidem hæc ratio, at tota interdictionis auctoritas in Apoſtolicam traditionem reſoluitur, de qua *Auguſtin. traditio eſt, ne vltra quæras.* Reuereamur igitur, & cum Gregorio IX ad Clericos peregrinos tranſeamus.

Peregrini Clerici ſunt, qui dicuntur externi in *Can. 32. Apoſtol.* quique ſunt ex aliena parochia, ſiue Dięceſi, iuxtà parochiæ, & Dięceſis acceptionem, quam aliàs notauimus. Cauetur igitur, ne quis Epiſcopus alterius Epiſcopi Dięceſanum aſſumat, & ciuem loci ſui faciat, vt loquitur *Can. 42. Concil. Afric.* vel inſtituat. *C. fin. de Cler. peregr.* Rectum, ac inconfuſum Eccleſiæ regimen id expoſcere omninò eſt viſum, ideòque antiquiſſimis Conciliorum Canonibus id expreſsè ſtatutum. *Nicæni C. 15. & 16. Sardicenſ. Can. 15. Can. 1. 71. diſt. Can. 13. Chalced.* & aliorum, aliàs irrita ſit ordinatio, ac proinde literis Epiſcopi proprij opus erat; quæ ſanè literæ commendatitiæ aliæ ſunt, & aliæ dimiſſoriæ, pròvt varius erat Clerici diſceſſus à ſua Diœceſi; ſi enim ità diſcederet, vt & eſſet reuerſurus, commendatitiæ literæ dabantur, quibus (ait *Balſam.* ad *Can. 11. Chalced.*) *ab Epiſcopo ſuo commendabantur, à quo ordinati fuerant, & eorum ordinatio declarabatur.* Ab hiſce diſtinguit *Balſamo* commendatorias, quæ dabantur Epiſcopis, vel Clericis ſegregatis, & qui *alioqui fuerunt in non bona exiſtimatione.*

Si verò ità diſcederet Clericus, vt eſſet emanſurus, & in alia Eccleſia ſcribendus, & ordinandus, tunc dabantur dimiſſoriæ, per quas à vinculo, & obligatione ſui Epiſcopi ſolueretur, ac veluti à poteſtate eius dimitteretur; quæ quidem quamuis eſſent omninò diuerſæ, & ſeparatæ à commendatitijs, nihilominùs in ignoto Clerico ipſas ſupponebant, non enim ſatis videbatur ignotum, habere

habere dimiſſorias, ſed vlteriùs neceſſe erat, vt de eius conditione, probitate, communione conſtaret, vt poſſet in alia Eccleſia recipi, ordinari, & miniſtrare, idque fiebat per commendatitias, C. 1. & 2. 73. *diſt.* quod ſi quis fuiſſet omninò notus, ſat erant ſolæ dimiſſoriæ; & ideò latini ſemper commendatitias cum dimiſſorijs coniungebant; cum opus eſſet habere quem teſtimonium ſuæ fidei, & ſimul in alia Eccleſia miniſtrare, ſi eſſet Presbyter, ſi autem eſſet ſimpliciter tonſus, & Clericus, vt poſſet ordinari. Commendatitiæ dictæ ſunt etiam canonicę quia tradantur ex Decreto canonis, inquit *Zonar.* ad *Can.* 42. *Concil. Laodicen.* immò & pacificæ, quaſi pacem foueant inter Epiſcopos, & pacem concilient eodem *Zonara* exponente ad *Canon.* 11. *Concil. Chalced.* vbi latè de literis huiuſmodi. Latini verò tàm commendatitias, quàm dimiſſorias appellant *formatas*, ea generalitate, qua & dicuntur canonicæ, vt notauit *Sirmund.* formatæ appellatæ ſunt, aut quia neceſſariò itineris, & profeſſionis cauſam continere deberent, vel quod ſigno, & ſubſcriptione prę ſertim Primatis eſſent munitæ, & demùm à typo, & forma ſigilli, quæ ipſis adijciebatur. Exemplum, & praxim *formatarum* exhibet *Gratian. d. Can.* 1. 73. *diſt.* per Græcos caracteres, qui numeros ſupplent, & exponit *Sirmund. ad Sidon.*, liqueque conſuli facilè poſſunt; cæterùm de Clericis externis, & peregrinis reſpectu proprij Epiſcopi in ſacra ordinatione iterum mox infra, cum de proprio ordinationis Epiſcopo diſſeremus.

*ad Sidon. lib. 6. epiſt. 8.*

*vbi ſup.*

Requiſitæ dimiſſoriæ literæ ad Clericorum exterorum ordinationem iam exhibent inquirendum, an Principis conſenſus ad Clericorum ordinationem requiri debeat; de Clericis nobis tantùm hic ſermo, de Epiſcopis enim iam diximus loco ſuo. Etnicorum Principum æuo quid obtinuerit non eſt, cur ſimus ſolliciti, ijs enim præcipuum hoc votum, vt Chriſtianæ Religionis progreſſum quoquo modo ſiſterent, neque id meliùs ſe adepturos credebant, quàm ſi Cleri, & Sacerdotum propagationem impedirent; tentarunt omni niſu, ſed reſtitere ſemper fideles Epiſcopi obediendum magis Deo, quàm hominibus cenſentes, & poſthabito omni diſcrimine ordinationes intrepidè peregerunt. Cum primùm pax illuxit Eccleſiæ, & Conſtantinus Magnus Chriſtianæ fidei nomen fœliciter dedit, immunitateſque plures Clericali ordini conceſſit, largitus & libertatem legandi Eccleſijs, iam opibus augeri eæ cœperunt, indeque fiebat, vt quamplurimi certatim, & vt immunitatibus potirentur, & à muneribus publicis ſe ſubtraherent, vel etiam vt Eccleſiæ opibus ſuſtentarentur, Clerici fierent. Conſulendum Reipublicæ detrimento cenſuit Conſtantinus, & conſtitutionem edidit, qua Decuriones, & Decurionum filios, immò & diuites Clericos fieri vetuit, ſed ſolos fortuna tenues, & nullis obſtrictos publicis muneribus; & effrænem compeſcuit Clericorum numerum, in demortuorum tantùm locum alios ſubſtitui permittens; id ipſum confirmatum fuit ab eodem conſtitutione alia. Arcadius, & Honorius Curialium ordinationem inhibuere in *l. ſi quis* 12. *C. de Epiſc. & Cler.* ſicut & *Honor.* ac *Theod.* eorum, qui cenſibus fuerint adnotati in *l. quiſquis.* 16. *C. eod.* nec abſimiliter

*l. 3. C. Theod. de Epiſc. & Cler.*

*l. 6. C. Theod. eod. tit. & l. 17.*

militer *Nouella 6. Iuſtinianus apud Cuiac.* Hucque reuocari poteſt Pelagij Papæ Epiſtola ad Laurentium Epiſcopum Centumcellenſem, vnde mutuatus eſt *Gratian. Can. principali 63. diſt. Principali deuotiſſimorum militum, qui illbuc in Ciuitate Centumcellenſi conſiſtunt, relatione ad nos directa ſacram inſinuant, ſe Clementiſſimi Principis impetraſſe, quæ eis Presbyterum, Diaconum, & Subdiaconum fieri debere præcepit &c.* Negari quidem nequeunt conſtitutiones iſtæ, at ipſarum nulla conſenſum Principis ad ſacram ordinationem abſolutè exigit; neque enim pij Principes ordinationis Sacramentum agnoſcentes aliam, quàm Epiſcopi auctoritatem neceſſariam poterant ſtatuere. Iuſtitiam conſtitutionum reuerita & Eccleſia ab ordinatione ſemouit Curiales; obligatos ad ratiocinia Decuriones, & ſi qui ſint huiuſmodi, vnde nihil eſt, quod conſtitutionibus illis ſit cautum, quod & ſacris Canonibus non ſit firmatum.

Vt cumque zelo Eccleſiaſticæ libertatis ferueret S. Gregorius lege recepta, quam tulerat Flauius Mauricius Imperator, & qua ſanxerat, *vt quiſquis publicis adminiſtrationibus fuerit implicatus, ei ad Eccleſiaſticum officium venire non liceat*. Laudauit *S. Gregorius*; nec grauem Eccleſiæ credidit legem; ait enim: *Quod valde laudaui euidentiſſimè ſciens, quia qui ſæcularem habitum deferens ad Eccleſiaſtica officia venire feſtinat, mutare vult ſæculum, non relinquere*. Ait ibi *S. Gregorius*, qui oneroſam nimis Eccleſiæ doluit aliam partem legis, qua vetitum, ne curialis venire ad monaſterium poſſet. Submiſsè, & modeſtè carpſit legem *Gregorius* tota illa epiſtola; neque in hac parte, quantum in ſe fuit, paſſus eſt illam conſiſtere, ſicut enixè laudauit primam. Canon ex Pelagij epiſtola ità accipitur à *Gloſſa*, vt cenſeat Principem tunc fuiſſe Eccleſiæ illius patronum; cœterùm nullum legimus ibi huius rei veſtigium, ex quo id aſſerere ſine diuinatione liceat; & quamuis præcipiendi verbo vtatur Pelagius, non tamen credendum re vera Principis fuiſſe præceptum, ſeu iuſſum pro ordinatione factum; præceptum enim apud *Greg. Turon.* & *Marculphum* pro diplomate Principis intelligitur, vt ad eundem *Marculphum Monach. notauit Bignon.* milites illi iam erant, vnde dimiſſuri militiam, fas erat, vt miſſionem à Principe impetrarent reddita honeſtiſſima cauſa, vt ſacram ordinationem aſſumerent; non eſt ergo, cur abſolutè conſenſum Principis ad ſacram ordinationem neceſſarium inde arguas. Inter *Marculphi Monachi* formulas, qui floruit anno circiter ſexcenteſimo ſexageſimo, vt coniectatur *Bignon.* legitur XIX. ſic inſcripta *Præceptum de Clericatu*, quæ tamen mera licentia eſt, & nil præcepti continet; an id proprium Galliç Regum non inquirimus; certè *Carol. Magn.* in Capitularibus ſic ſtatuit. *De liberis hominibus, qui ad ſeruitium Dei ſe tradere volunt, vt prius hoc non faciant, quàm à nobis licentiam poſtulent, hoc ideò, quia audiuimus aliquos ex illis non tàm cauſa deuotionis hoc feciſſe, quàm pro exercitu, ſeu alia functione regali fugienda, quoſdam verò cupiditatis cauſa, ab his, qui res illorum concupiſcunt, circumuentos audiuimus, & hoc ideò fieri prohibemus*. Non ergo neceſſarium Principis conſenſum ad ordina-

Lib. 1. Ind. 11. Ep. 61.

Ad lib. 1. Formul. C. 19.

In principio.

Lib. 1. C. 120.

dinationem profitetur, circumſcriptis enim expreſſis ibi circumſtantijs vix ſe ingereret pijſſimus Imperator; libertas enim Eccleſiaſtica Principum pietati maximè cordi eſt, de qua, & vera eius ratione nos loco ſuo; ſeruentur igitur ſacrorum Canonum circa ordinandos decreta, nec de conſenſu priorum Principum ad ſacram ordinationem illum erit negotium.

Maior forraſſe eſt difficultas de parentum conſenſu præuio, vt filij valeant ſacram ordinationem ſuſcipere, & eadem initiari. At neceſſitate circumſcripta verius eſt, poſſe ipſos dimiſſis parentibus Clerum ingredi, & eorum non petito, aut expectato conſenſu ſacræ ordinationi ſe addicere. Vnum excipimus neceſſitatis caſum, ſi enim filiorum ope indigeant parentes, ijs inconſultis migratio huiuſmodi indulgenda non eſt; alioqui liber filijs debet omninò eſſe tranſitus, nec tanti patria poteſtas, vt iam ingreſſum retrahat, aut adſpirantem terreat.

Tantum libertatis largitur filijs, qui omnium Dominus patriæ poteſtatis legi derogare poteſt, ac ius familiæ minuere; idque facto ſuo firmauit, & exemplo, & non aliquo vſus interprete, ſed ore proprio dictauit in carne degens. Exemplo primùm, cum duodennis adhuc abeuntibus parentibus remanſiſſet in Hieruſalem, ac ab ijſdem repertus diſputans inter doctores in Templo; ſciſcitanti enim Matri, *Fili quid feciſti nobis ſic? ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te*, reſpondit, *Quid eſt, quod me quærebatis? neſciebatis, quod in ijs, quæ Patris mei ſunt oportet me eſſe?* Apertè parentum obſequijs præferenda Diuina ſic docet, ſed & tunc apertiùs, cum in Synagoga turbas inſtrueret, dixiſſetque quidam, *ecce mater tua, & fratres tui foris ſtant quærentes te*, reſpondit adhuc; *quæ eſt mater mea, & qui fratres mei?* interrogat diſſimulans, ac veluti negans ſe agnoſcere matrem, & fratres, vbi de Patris cœleſtis re agitur; ſic enim *Tertullian. Quare ergo erat, ſi docens non tanti facere matrem, aut fratres, quanti Dei verbum, ipſe Dei verbum nunciata matre, & fraternitate deſereret. Negauit itaque parentes, quoquomodo docuit negandos pro Dei opere.* Quod geſſit exemplo, disertè firmauit & verbo; *Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & ſorores, adhuc autem & animam ſuam non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Abſit, vt odium verum parentum, & propinquorum præcipiat, qui charitatem in omnes, & prædicauit, & exercuit; ſed odiſſe præcipit eos poſthabendo, ipſiſque præferendo Dei diſcipulatum, & ſequelam; *in omnibus enim obtemperandum parentibus eſt* (inquit *Chryſoſtom.*) *præterquam in his, quę pietatis veritatem ſpectant.* Vocauit aliquando adoleſcentem, qui excuſationem prætexens, quò minùs illicò ſequeretur, ait; *permitte me primùm ire, & ſepellire patrem meum.* Omnem excluſit moram, ſubditque ſtatim, *ſequere me, & dimitte mortuos ſepellire mortuos ſuos.* Agebatur de ingrediendo perfectionis viam, omnem ideò ablegauit moram, & ablegandam docuit, reiecta etiam pietatis excuſatione; mittimus SS. Patrum auctoritates quamplures, ac piorum filiorum exempla, & rationem adnectimus. Pater princeps familiæ eſt, *l. familię. ff. de verb. ſign.* nec

Margin notes: *Lucæ cap. 2.* — *Matth. C. 12. in fin.* — *De carne Christi C. 7. in fin.* — *Hom. 36. in C. 10. Matth. poſt Princip.* — *Matth. C. 8.*

nec vltra familiæ limites eius extenditur Principatus; ideòque vbi agitur de publico iure, quod ſupra, & extra familiam eſt, patria poteſtas non attenditur, aut euratur *l. nam quod. 14. ff. Senat.C. Trebellian. l. filiusf. ff. de his, qui ſunt ſui, vel alieni iuris*. Neque attendetur igitur, cum de Religione, & vita Deo addicta agetur, & præſertim vbi de Clericali ſtatu directè in Dei cultum tendente, qui omni publico iure ſublimior priuatum, & familiare ſupergreditur, nec ei ſubiici debet, ſicut nec ſubijcitur ei ius publicum, cuius ratio alio quocumque iure potior; *ſtrictam rationem inſuper habemus* (ad rem pulchrè ait *Papin.* in *l. ſunt perſonæ. ff. de Relig. & ſump. fun.*) *quæ nonnunquam in ambiguis religionis quæſtionibus omitti debet, ſumma enim ratio, quæ pro religione facit*. Quò reſpiciens Tridentina Synodus Sacramenti maieſtatem non decere nouit, vt priuati hominis poteſtati ſubjciatur, ac proinde damnauit, qui aſſerere, ac ſuſtinere auderet neceſſarium patris conſenſum ad matrimonium filijfamilias, nefas igitur humiliùs ſentire de matrimonio ſpirituali, ipſumque patriæ poteſtati ſubdere, cum inter vtrumque matrimonium analogia vigeat. *C. inter corporalia. de translat. Ep.*

Neque tamen poſthabendum per hanc filiorum libertatem aſſerimus Diuinum præceptum de parentum honore, quod inter leges primæ tabulæ ſuſpicimus, ſcimus parentum honorem non in ſolo externo cultu, ſed in auxilio, obſequio, ope poſitum, & ideò non permittendum filijs Religionem ingredi, aut Clericalem ſtatum aſſumere, ſi hic tranſitus parentum auxilium impediret, immò retrahendos magis à religioſo ſtatu, ſi id neceſſitas parentum exigat, ſacri Canones volunt, nec à iuſta, & potenti adeò obligatione filium eximunt, ſi Clericalem ordinem aſſumat; præceptum de honorandis parentibus affirmatiuum eſt, & obligat ſemper, at non pro ſemper, vt Theologi loquuntur, neceſſitas adſit, & vrget præceptum, non premat neceſſitas, & ſtat pro filio vitæ perfectioris, ac ſublimioris aſſumendæ libertas; nec mirum, quod non poſſit tonderi ſeruus, & vitæ Clericali adſcribi, *ne nomen Dei blaſſemetur*, inquit *Can. 4. Concil. Chalcedonenſ.* & tamen poſſit filius Clericus fieri, & alij ſe ſubijcere; audiantur Domini conquerentes amiſſos ſeruos, quorum operæ ijs ſunt neceſſariæ, & non audiantur parentes repetentes filios, quorum auxilio, opera, & adhærentia opus habent; ſeruorum, & filiorum conditionem parem agnouit *Gangrenſe Concilium*, & de ſeruis ſic ſtatuit. *Si quis docet ſeruum pietatis prætextu Dominum contemnere, & à miniſterio recedere, & non cum beneuolentia, & omni honore Domino ſuo inſeruire, ſit anathema*. De filijs haud abſimiliter. *Si qui filij à parentibus maximè fidelibus, prætextu pietatis receſſerint, & parentibus, quem par eſt, honorem non tribuerint, apud eos ſcilicet præpoſita in Deum pietate, ſit anathema*. Idem ergò & ſerui, & filij ſtatuit iudicium. Nec mirum, non ordinari Curiales ſola humana conſtitutione, Reipublicę officijs obſtrictos, non milites, non vxorem, non maritum ſine alterutrius conſenſu ob coniugalem nexum, & tamen recipi ad ordinationem filios, nec poſſe patrem vetare, retrahere, cuius poteſtas non minor.

Can. 3. Can. 16.

Non

Non mirum ſanè, nam primùm ſerui, & filij ſubiectio quidem, at non eadem; ſed impar, quæ in ſeruo libertatem adimit, quæ in filio non item; nec idem imperium paternum, & herile, paternum non tam patris commodum reſpicit, quàm filij bonum; herile ſolum domini emolumentum, cuius totus ſeruus eſt, nihil ſui *l. vt tantum* §. 1. *ff. de ſeruo corrup.* ac proinde nec ſtatum, nec caput habet, pro nullo ductus; vnde ſi ad Curiam ſciens adſpiraſſet grauiſſima pœna afficiebatur. *l. 2. & ibi Cuiac. C. ſi ſeruus, vel libert. lib.* 10. In ſumma quod non ordinetur ſeruus, qui totus alterius, & nihil ſui, tota imperfectio eſt; at filius ſubiectus pietate, non vi, & ſtatum, & caput habet, bonorum, & magiſtratus capax liber homo, arbitrij compos, ac proinde ei licet inuito patre, quod nec poteſt cogitare ſeruus, inſcio domino, à quo totam, quam habere poſſit, mutuatur capacitatem, & in cuius eſt patrimonio, quod minuere non audet Eccleſia iuſtitiæ cultrix, ipſum ordinando; idq; veritum eſt *Chalcedonenſe Concil.* dum vetuit ordinari ſeruos, *ne nomen Dei blaſphemetur*.

*Ariſt. lib. 1. polit. Cuiac. libr. 17. obſer. C. 11.*

*Connan. com. iur. ciu. lib. 2. C. 2. n. 1. & 3.*

Curiales nec Monachi fiunt, quia vetant leges, nec poſſunt ordinari, quia inhibent Canones, & leges ipſę, ſed legibus de Monachatu reſtiterunt Eccleſiæ principes, legemque huiuſmodi tanquam parùm piam arguerunt, ideòque infimum inde ſumitur argumentum. Ordinari verò Curiales, prohibuerunt expreſsè leges cùm Eccleſiaſticæ, tùm ciuiles, & meritò, quia Curiales ſacram ordinationem affectabant, vt onera, & operas muneris ſui declinarent, cui fraudi fuit occurrendum; pugnare etiam videbantur hæc ipſa Curialium officia cum ordinibus Eccleſiaſticis, & ideò ordinati Curiales ſtatim à Curia expungebantur, nec ritè ordinati dici poterant, qui legibus ipſis interdicentibus ordinati eſſent. Non hæc dici poſſunt de filijs, non enim credibile deſerturum filium patrem ſuum temerè, cui aſſidere, ſubuenire pro viribus ſolatium ſummum; nec pugnant inuicem ordinationis officia, & paterna obſequia, quæ implere etiam in Clericatu nil impedit, ſaltem potiora; nec in aſſerendo hoc libero filiorum ad ſacram ordinationem tranſitu aberramus à Concilij Gangrenſis præſcripto, cuius non alia intentio, quàm ne deſtituti remaneant parentes fraudati ope, & filiorum obſequijs, quod abſit, vt aſſeramus, mentem Concili aſſecutus expoſuit dilucidè *Balſam. ad Can. eundem, & ideò filios, qui parentes in ſenectute non alunt, & non bonorant, ſed prætextu religionis à ſæculo recedunt, & egentes ſuos parentes, nulla de eis cura habita, relinquunt, anathemati ſubijcit*. Nec *Balſam.* abſit, vt libertatem hanc filijs aſſeramus. Niſi mallis, Gangrenſe Concilium canone ſuo hæreticis Euſtatianis, qui ſubuertere omnia molientes ſeruos ſeparabant à dominis, & à genitoribus filios prætexentes Dei cultum omnibus præferendum; occurrere voluiſſe quem eorum errorem cum alijs pluribus eorundem hæreticorum memorauit *Baron.* Demùm quamuis coniuges ſe inuicem à religione retrahant; nec vnus non conſentiente altero ſacram ordinationem valeat ſuſcipere; intercedit enim Sacramentum, quod inſolubilem coniugum ſtringit nodum. Non tanti poteſtas patria, cuius virtus, ſicut & origo à moribus populi Romani, à quibus nihil

*Tom. 3. Annal. Anno 361.*

nihil diuinum, ſicut à matrimonio, in quo Diuina Sacramenti ratio. Libertatem itaque filijs ad Clerum, & ordinationem relinquimus, & propugnamus, pietate tamen in parentes ſalua, qua nil auguſtius, Diuinæ voluntatis præſertim roborata præcepto. Iam ad alia ſacræ ordinationis requiſita tranſeamus.

---

## CAP. VI.

### De Titulo ad Sacram Ordinationem requiſito, & quinam proprius cuiuslibet ordinandi Epiſcopus.

1 *Canon Chalcedonenſis Concilij, de Titulo ad ordinationem neceſſario, & aliorum Conciliorum decreta antiquiora.*

2 *Vocis* Titulus *ſignificatio multiplex, & quæ rei noſtræ propria.*

3 *Quatuor tituli aſſignantur ad ordinationem idonei, & eorum antiquitas, ſingulique explicantur.*

4 *De titulo Monaſterij.*

5 *De titulo patrimonij, eiuſque origine, & praxi.*

6 *Quinam proprius Ordinationis Epiſcopus, altiùs repetito principio à veteri Eccleſia obſeruatione.*

7 *Rationes, cur ordinatus ab vno Epiſcopo non potuerit ab alio ordinari.*

8 *Ius nouiſſimum aſſignatur circa ordinationis titulum, & proprium eius Epiſcopum.*

9 *Dubitationes circa praxim ſtatuendi proprium Epiſcopum in ordinatione.*

10 *De Epiſcopo domicilij, & ea occaſione de domicilio, & eius requiſitis.*

11 *De Epiſcopo beneficij.*

12 *Quid cautum circa nationes nonnullas quoad ordinationem.*

13 *De proprio Epiſcopo reſpectu regularium.*

14 *Quibus maiori, & ampliori auctoritate conceſſum Clericos alijs ſubiectos ordinare.*

1 PRoſtat peruetuſtum Eccleſię Decretum ex Canone 6. *Chalcedonenſis* Concilij in ea verba conſtituens. *Nullum abſolutè ordinari nec Presbyterum, nec Diaconum, nec omninò aliquem eorum, qui ſunt in Eccleſiaſtico ordine, niſi ſpecialiter in Eccleſia Ciuitatis, vel Pagi, vel Martyrio, vel Monaſterio is, qui ordinatur; deſignetur. Eos autem, qui abſolutè ordinantur, decreuit Sancta Synodus irritam, ac inualidam habere eiuſmodi manuum impoſitionem, & nuſquam exercere, ac operari poſſe ad eius, qui ordinauit, iniuriam.* Id ipſum longè anteà intentum notarunt *Balſam. & Zonar.* à Synodo Neocæſarienſi *Can.* 13. praxiſque ipſa ſemper commendauit Eccleſiæ; *Gratianus* enim tranſtulit in C. *neminem* 70. *diſt.* indeque inuecta quaſi paræmia *Neminem poſſe ordinari ſine titulo*, ſic enim communitèr acceptum, quod ait *Can. nullum abſolutè ordinari*. *Abſolutè*, hoc eſt ſine reſpectu, aut relatione, & optimè, ſine titulo. Iam igitur inquirendum breuitèr ex multiplici huius vocis

cis

cis *titulus* ſignificatione, quænam potior, ac rei noſtræ propria, ac ſubinde agendum exactè, ac vtilitèr de ea &c.

2 Plures huius vocis, *titulus*, acceptiones regerit *Barnab. Briſſon.* (*De verbo ſignif. libr. 18.*) quæ ſi attentè ſpectentur, ſingulæ ad rem noſtram non parùm alludunt. Vulgata, eaque prima illa, qua titulus cauſam poſſeſſionis ſignificat *l. 1. ff. pro ſoluto. Iunc. l. 3. §. fin. ff. de acquir. poſſeſſ. l. 2. & l. 11. C. de petit. hæred.* ſicut & cauſam transferendi dominij. *l. nullo 24. C. de rei vindic. l. ſeruum commun. 22. C. famil. bercifc.* eiuſque acquirendi; titulum item accipimus pro colore *l. Sulpitius. ff. de donat. int. vir. & vxor. l. ſi quis tutor. §. quid ergo ff. de ritu nupt.* nec minus pro nomine, & forma, ſic enim dicimus titulum actionis *l. 3. C. ad SenatusConſult. Macedon.* titulum criminis *l. 3. §. vbicumque §. item ſi quis ff. de crimine ſtellion.* indeque tituli fiſcales, de quibus infra; *Rub. Cod. vt nemo priuatus titulos prædijs ſuis, vel alienis imponat, vel vela regia ſuſpendat.* Et demùm inſcriptionem ſumpti de aliquo ſupplicij *Ioan. in C. 29. Sueton. in Domitiano C. 24.* Alludunt proximè ſatis ad rem noſtram ſignificationes iſtæ; ſed proximior illa, quam aſſignat *Baron.* (*Tom. 1. Annal. ann. 112.*) exponens ex libro de Romanis Pontificibus in Euariſto verba illa. *Hic titulos in Vrbe Roma diuiſit Presbyteris*; per titulum intelligi, aſſerit, domos diuino cultui mancipatas, in quibus fideles ſuas ſynaxes, ſuoſque conuentus agere conſueuerunt; ſic enim *Diu. Pius Papa I.* (*Tom. 1. Bibliotb. Sanct.*) in epiſtolis ſuis breuioribus, & ea præcipuè, quæ ad Iuſtum Epiſcopum Viennenſem prima. *Antequam Roma exiſſes Soror noſtra Euprepia, ſicut benè recordaris, titulum domus ſuæ pauperibus aſſignauit, vbi nunc cum pauperibus noſtris commorantes Miſſas agimus.*

Deſumpſit Eccleſia hanc tituli nomenclaturam à rebus fiſcalibus, quę titulorum fiſcalium adiectione fiſco ipſi quærebantur. Erant hi fiſcales tituli vela nominibus, vel etiam imaginibus Imperatorum inſignita, quæ quoties domui, prædio, ſiue fundo affigebantur, hæc ipſa quæſita fiſco declarabantur, cortinas regias appellauit *Ambroſ.* (*Epiſt. 33. lib. 5.*) Hinc Cæſares in *l. ſi quando C. de Bon. vacant. & de incorporat. lib. 10. tituli verò, quorum adiectione bona ſunt noſtris conſecranda ſubſtantijs non niſi publica teſtificatione proponantur.* Vbi eruditè *Cuiac.* & latè *Gotbofred.* (*Ad l. 1. C. Theod. de incorporat.*) & conſonanter *Caſſiodor.* ex ore Theodorici Regis. *Caſaſeius appoſitis titulis fiſci noſtri iuribus vindicabis*, (*Lib. 4. form. 14*) & alibi. *Fixis titulis fiſco debes applicare.* (*Lib. 5. form. 6.*) Ab hoc fiſci ritu morem ſuum mutuata eſt Eccleſia, vbi enim & ipſa domum, vel locum aliquem diuino cultui deſtinabat titulum ſuum ei affigebat, aut infigebat, hicque non alius erat, quàm ſignum Crucis, quo adiecto, aut applicato res cenſebatur Eccleſiæ addicta, indeque cœperunt fideles Eccleſias ipſas titulos appellare; niſi etiam ex eo hanc tituli denominationem deducere velimus, quod conſueuerint veteres domibus, & prædijs ſuis titulum apponere, quo dominus indicaretur; erecta igitur Eccleſia in prædio, aut domo in Eccleſiam conuerſa, à titulo inſcripto Eccleſia *titulus* fuit appellata; hincq; legimus paſſim in Eccleſiaſticis tabulis, *titulus Equitij, titulus Paſtoris, titulus Faſciolæ.* Hiſce de titulo in genere ſic præmiſſis, iam applicando,

in quemcumque ſenſum vocem *tituli* accipiamus, ſiue pro cauſa, ſiue pro colore, ſiuè pro titulo fiſcali, ſiue demùm pro Eccleſia iuſtiſſimè, ac prudentiſſimè Chalcedonenſi primò, mox & Placentina Synodo fuit cautum, ordinationem Clerici ſine titulo, hoc eſt, ſine cauſa, ſine colore, ſine Eccleſia factam, irritam, ac nullius momenti eſſe (quoad executionem tamen, non quoàd caracterem) vt poſtrema verba Chalcedonenſis ſupra regeſti Canonis indicant.

Primis enim illis Eccleſiæ temporibus, cum exactiſſima Eccleſiaſtica diſciplina floreret, nemo ordinabatur, qui cauſam ſuæ ordinationis, titulum ſcilicet, non haberet, miniſterium, & officium in Eccleſia, quod iuxta ordinis ſui gradum exequi teneretur, & quia miniſterio, & officio cuilibet congruus ſuus redditus, ac prouentus erat aſſignatus, quo ordinatus ſe alere, ac ſuſtentare poſſet, inde factum, vt ordinatio eo æuo duo æquè principalitèr diceret, manus ſcilicet impoſitionem, & beneficij collationem, tanquam mercedem compenſatiuam muneris, ad quod per manus impoſitionem deſtinabatur, eique tanquam cardini infigebatur, & eo deficiente inanem ordinationem conſtituit Chalcedonenſe Concilium.

3 Ex eius autem Canone 6. colligimus quatuor titulos ad ſacram ordinationem idoneos, Eccleſiam ſcilicet Ciuitatis, aut Pagi, Martyrium, & Monaſterium; neque per hoc credendum ſingularem hanc diſciplinam, ac laudabile inſtitutum ab ipſa Chalcedonenſi Synodo primò perfectum; nam vel à ſurgentis Eccleſiæ crepundijs id ipſum intuemur obſeruatum. Cum primùm enim Apoſtoli diuiſerunt inter ſe ſortitò Orbem, quæ portio, & regio ipſorum vnicuique obtigit, ea titulus fuit non quæſitus, ſed quærendus, iſque nudum dicebat tunc miniſterium ab omni ſeiunctum reditu, ſiue Eccleſiaſtico, ſiue temporali; vnde *D. Paulus* miſſionem ſuam exercens, apertè proteſtatus eſt. *Ipſi ſcitis, quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, & his, qui mecum ſunt, miniſtrauerunt manus iſtæ.* *Act. Apoſt. c. 20. n. 34.* Succeſſiuè igitur additus annuus redditus ad ordinati ſuſtentationem, & ex tunc titulus ex officio, & prouentu conſtitit, ne ordinatus contra decus Eccleſiæ mendicare ſibi victum cogeretur. Primus ergo titulus ordinationis, quem exhibet Canon Chalcedonenſis, eſt titulus Eccleſiæ, quæ ſit Ciuitatis, quàm Cathedralem iuxta eius æui conditionem accipimus. Secundus eſt Eccleſiæ, quæ ſit Pagi, & per hanc forenſem intelligimus iuxtà ea, quæ de Corepiſcopis ſupra tradidimus. Tertius eſt Martyrium, quo nomine & Eccleſiam indigitari docet *Baron.* ex *Gangrenſi Concilio Can.* 20. & ex noſtro Chalcedonenſi, vel ea ratione potiſſimum, quod in memoriam Martyrum erigeretur, & inibi Martyrum Reliquiæ colerentur, vt exponit *Zonar. ad Can. 6. Chalcedonen.* Oratorium, ſiue Capellam Epiſcopi conſenſu, & auctoritate erectam non ineptè accipere poſſumus, ad quam tanquam ad idoneum titulum potuiſſe Clericos ordinari teſtis eſt *Sanctus Greg. Magnus* ſcribens Paſſiuo Epiſcopo Firmano; iniungit enim, *Lib. 10. Ep. 12.* vt Oratorium Anio Comiti fundatori conſecret ſolemnitèr, moxque ſubdit, *Presbyterum quoque te illic conſtituere volumus* Cardinalem, *vt quoties præfatus conditor fieri ſibi Miſſas fortaſſe voluerit, vel fidelium concur-*

*ſus*

*ſus exegerit, nihil ſit, quod ad Miſſarum ſacra exhibenda ſolemnia valeat impedire*. Idem Pontifex Anthemio Subdiacono. *Poſtquam* (ait) *is, qui ad Epiſcopatum Sarentinæ Ciuitatis electus fuerat aptus nobis viſus non eſt; Amandum Presbyterum Oratorij S. Seuerini, quod in Caſtro Luculano ſitum eſt, elegerunt*. Quæ quidem omnes ordinationes ad vnum Eccleſiæ titulum rediguntur, quem primum ſupra notauimus tanquam omnium antiquiſſimum.

Epiſt. 18. lib. 8.

4 Sequitur ſecundus ordinationis titulus, & ipſe vetuſtiſſimus, vtpote cuius meminerit Canon ipſe 6. Chalcedonenſis, & eſt Monaſterium. Monachi ſi non laici, at nec Clerici in ſua profeſſione erant, ſed certè medij inter Clericos, & laicos, qua de re nos alibi, Deo dante, fuſiùs. Hoc certum, quod in ſolitudine viuentes, remoti ab Vrbe, & hominum conſortio, luctui, & pœnitentiæ addicti, Miſſas non celebrabant, immò per raro audiebant, vt colligitur apertè ex *Petro Bleſenſi*, nec minus ex interrogatione prima, quam regerit *Balſam.* pulſatus à Monachis nonullis; ibi enim quærunt, *an Monachi ingredi ad altare poſſint*? planè impropria fuiſſet interrogatio, ſi Monachi in ſacris extitiſſent. Ne autem tanto ſacrificij bono fraudarentur homines ad perfectionem adſpirantes, aliquis inter ipſos ordinabatur, qui Presbyter dictus Miſſam celebraret, & Sacramenta cæteris miniſtraret. *C. Eleutherius* 18. *q.* 1. & paſſim teſtatur *Caſſian.* Abbas præcipuè, & præpoſitus initiabatur, nec tamen hoc perpetuum, ſed plerique erant Abbates ſimplices Monachi, non Sacerdotes, aut Presbyteri. Aſſumebant aliquando Clericos, & Presbyteros, qui Miſſas celebrarent, idque iuſſit *Sanctus Gregor.* Mauro Abbati à S. Pancratio. *Idcircò huius tibi auctoritatis tenore præcipimus, vt peregrinum illic debeas adhibere Presbyterum, qui ſacra Miſſarum poſſit ſolemnia celebrare, quem tamen & in Monaſterio tuo habitare, & exinde vitæ ſubſidia habere neceſſe eſt*. Et qui ad hoc munus præcisè ordinaretur, ad titulum Monaſterij ordinari dicebatur; ſed demum ex quo per ſummum Romanum Pontificem ſtatutum, vt Monachi omnes ſtudijs incumbere debeant, & qui ſunt habiles ad monitionem Abbatis ſe faciant ad omnes ordines ſacros promoueri. *Clem. in agro* §. *ad ampliationem*. *De ſtatu Monach.* ex tunc ſic ordinati propriè ad titulum Monaſterij, & profeſſionis ordinati dicuntur.

Epiſt. 56. & ep. 123

Lib. 4. de inſtit. renunciat. C. 30. collat. 2. C. 5. collat. 3. C. 1.

Lib. 5. ep. 18.

5 Per plura ſæcula duos hoſce tantùm ordinationis titulos probauit, & exercuit Eccleſia, ſtetitque hactenùs in hac parte Eccleſiaſtica diſciplina, ſed laxari demùm ea cœpit, vbi tertius, iſque nouus titulus in Eccleſiam ſenſim eſt introductus; iſque fuit titulus patrimonij. Mirum! quam turbauerit Eccleſiæ diſciplinam hic titulus, procedente enim tempore ipſam ad eam ſtatum redegit, quem noſtro æuo intuemur. Crediderit quiſpiam hunc etiam aliis titulis coæuum, & ab eodem profectum Chalcedonenſi Concilio ex eo, quod in *Cap. Neminem* 70. *diſt.* legatur. *Neminem abſolutè ordinari Presbyterum, vel Diaconum, vel quemlibet in Eccleſiaſtica ordinatione conſtitutum, niſi manifeſtè in Eccleſia Ciuitatis, ſiue poſſeſſionis*, quam vocem *poſſeſſionis Gloſſa* expoſuit *patrimonij ſus*, ſed in tranſuerſum acta à *Gratiano*, qui, quod ait Concilium Chalcedo-

cedo-

cedonenſe, πολεως, ηκωμης, Ciuitatis, aut Pagi, vertit *Ciuitatis*, aut *poſſeſſionis*, & *Gloſſa* ſubinde interpretata eſt *patrimonij*; fallax igitur, immò planè falſum hoc antiquitatis inditium. Coniiciat aliquis D. Hieronymi æuo cognitam, & in vſu hanc ordinationem ad titulum patrimonii, ex quo in *Cap. fin.* 16. *q.* 1. hæc regeruntur verba tanquam ex Epiſtola eius ad Damaſum deſumpta *Clericos autem illos conuenit Eccleſiæ ſtipendijs ſubſtentari, quibus parentum, aut propinquorum nulla ſuffragantur*. At præterquam quod de ordinatione nulla ibi mentio, nutat etiam, ac planè concidit auctoritas; quam in operibus Hieronymi non extare notant ibidem Romani Correctores; non eſt igitur cur de origine ſimus impenſiùs ſolliciti, quando de legitimo, & approbato vſu nobis conſtat; rigorem enim Eccleſiaſticæ diſciplinæ irritam ſtatuentis ordinationem factam ſine titulo ex Concilio Chalcedonenſi mitigauit Alexander III. in Concilio Lateranenſi, qui ſtatuit, vt ſi Epiſcopus aliquem Diaconum, aut Presbyterum ordinauerit ſine titulo, ex quo vitæ alimoniam poſſit percipere, neceſſaria ei ſubminiſtret, quòvſque in aliqua Eccleſia conuenientia ſtipendia militiæ Clericalis aſſignet, moxque ſubdit verba, ex quibus titulus ipſe patrimonii approbatur. *Niſi talis ordinatus de ſua, vel paterna hæreditate ſubſidium vitæ poſſit habere*. Quo caſu ſubſiſtet efficax ordinatio, nec ad tribuendum quidpiam tenebitur Epiſcopus. *C. Epiſcopus* 4. *de præbend.* Id ipſum, & apertiùs cauit *Innocent. III.* in *C. cum ſecundum* 16. *h. eod. tit.* relata enim prædeceſſorum obſeruatione, vt irrita eſſet ordinatio facta ſine titulo, mox ſubdit. *Nos tamen benigniùs agere cupientes, tamdiu per ordinatores, vel eorum ſucceſſores prouideri volumus ordinatis donec per eos Eccleſiaſtica beneficia conſequantur*; quod quidem & ex *corpore Canonum* deductum legimus in *C.* 2. *de præbend.* cuius moderaminis abuſus vniuerſam Eccleſiaſticam diſciplinam in hac parte perturbauit; δίκης, enim cauſa fiunt ordinationes, eaſque imaginarias appellat *Duaren.* vtpote illas, quæ nihil officii habeant coniunctum. Hinc multiplicati Sacerdotes ſine officio, & ſine beneficio diſcurrentes, & manum quibuſcumque functionibus admouentes, mendicantes, quando patrimonium ab omni munere, ſeu officio ſeiunctum, aut euincitur, aut euaneſcit, quia fictum, aut ſępius, quia nullum vnquam fuit; hinc pro ingenti Sacerdotum numero imminuta, ac fermè extincta ipſis debita reuerentia, omniaque collapſa, quæ ſecum Eccleſiaſticam diſciplinam ſemper in deterius traxêre, ad quam reſtituendam, totamque reformandam Eccleſiam nil aptius eſſet, quàm ſacram ordinationem ad priſtinam obſeruationem redigere. Verùm noſtri non id muneris ingerere; excubat attentè ad id etiam ſumma SS. D. N. Innocentij XI. vigilantia, vt moderamen admoueat: Titulo ſic explicito, ad Epiſcopum ordinationis proprium tranſeamus.

*De Sacr. Eccl. myniſt. & beneſ. lib.* 1. *C.* 16.

6 Non tędebit lectorem excurrere quid primùm antiqui Canones, & vetus Eccleſia obſeruauerit, ac ſubinde ad diſciplinam recentioris, ac noſtri æui tranſire. Vt igitur non poterat quis ordinari, quin alicui adſcriberetur Eccleſiæ, & ſemel ei addictus ad aliam nequibat tranſire, ſicut ex Conci-

Concilio Chalcedonenſi, & Placentino iam obſeruauimus. C. *Neminem* C. *Sanctorum* 70. *diſt. & in qua Eccleſia intitulatus quis eſt, in eadem perpetuò perſeueret*, ait ibi *Can.* Ita Epiſcopus eiuſdem Eccleſię, cui quis Clericus eſſet adſcriptus proprius adeò cenſebatur, vt nullus alius Epiſcopus eum ordinare, aut quouis modo ſibi vſurpare poſſet, cautum diſtrictè id fuit apertiſſimis Eccleſiæ Canonibus, & Patrum Conciliaribus Decretis; ſic enim *Can.* 16. *Concilij Nicœni primi Can.* 16. *Sardicenſis. Can.* 22. *Arelatenſ.* 1. *&* 22. *Antiocheni*; ſic *Africanum Concilium Can.* 20. *Carthagin. III. Can.* 21. & per ſubſequentia ſæcula variis Conciliis, ac Summorum Pontificum Decretis cautum hoc ipſum fuit, & iugi obſeruatione cuſtoditum; quę ſingula tradere, & auctoritatibus confirmare pro noſtro inſtituto nobis meritò temperamus; vnde maximè proprius is cenſebatur Epiſcopus, qui primus aliquem Eccleſiæ, & titulo addicens eum ordinaſſet, nec fas erat alteri Epiſcopo eundem ſibi vindicare, aut in proprium Clerum transferre; ſic enim in *Capitularibus Caroli Magni*. *Vt non liceat alterius Clericum accipere, aut ordinare ad aliquem gradum*; ſic in *Can. Lugdunenſ.* 9. *q.* 2. Addi poſſet, & *Honor. III. in C. fin. de Cler. peregrin.* verum non liquet ſatis, an loquatur Honor. & vetet ordinari aliquem de aliena Ciuitate, an verò ſolummodò ordinatum ab alio, & ideò in ipſo non moramur. Non tamen per hoc credendum nullam habitam fuiſſe omninò rationem Epiſcopi originis, & domicilii, ità enim excelluit Epiſcopus, qui aliquem ordinaſſet, vt alius in totum non poſthaberetur;

*Addit. 4. c. 91.*

quamuis enim Clericum iam ordinatum nemo ſibi vindicare, aut in ſuum Clerum transferre poſſet, delatum tamen & Epiſcopis domicilii, & originis fuit; domicilii exhibet teſtimonium Arauſicanum Concilium *Can.* 8. & 9. cuius vtriuſque lubet adſcribere verba. *Si quis alibi conſiſtentem Clericum ordinandum putauerit, priùs definiat, vt cum ipſo habitet. Nec cum ſine conſultatione eius Epiſcopi, cum quo habitauit, ordinare præſumat, quia non ſine cauſa diù ab alio non ordinatus remanſit*. Hæc *Can.* 8. Nonus verò. *Si quis autem alienos ciues, aut alibi conſiſtentes, ordinauerit, nec ordinati in vllo accuſantur, aut ad ſe eos reuocent, aut gratiam ipſis eorum impetrent, cum quibus habitent*. Vnde ſolo domicilio attento plures legimus ordinatos; Hieronymum enim apud Orientales incolentem Paulinus Antiochenus Epiſcopus non alio, quàm domicilii fundamento ordinauit; Paulinum Nolanum inter Hiſpanos morantem Lampius Baulinonenſis Epiſcopus ordinauit ſolo incolatus iure. Conſideratum etiam Epiſcopum originis indicat *Can.* 5. *Concilij Carthagin.* 1. tempore Iulii Papæ vnde mutuatus *Gratian. Can. priuatus* 71. *diſt.* cuius ea verba. *Priuatus Epiſcopus Vegeſelitanus dixit: Suggero Sanctitati Veſtræ, vt ſtatuatis non licere Clericum alienum ab aliquo ſuſcipi ſine literis Epiſcopi ſui, neque apud ſe retinere, nec laicum vſurpare ſibi de plebe aliena, at eum obtineat ſine conſcientia eius Epiſcopi, de cuius plebe eſt; Gratus Epiſcopus dixit; hæc obſeruantia pacem cuſtodit; nam & memini in SS. Concilio Sardicenſi ſtatutum, vt nemo alterius plebis hominem vſurpet, ſed ſi fortè erit neceſ-*

*ſarius,*

Digitized by Google

*ſarius, petat à Collega ſuo, & per conſenſum habeat*. Gratus Sardicenſi Concilio interfuit, & mentem eiuſdem aſſequi optimè potuit, & adæquatè declarare; reſumpſit hoc idem decretum Calixtus I. epiſtola ſua 2. ad Epiſcopos Galliæ, & legitur in *Can.* 1. 9. *q.* 2. quod & anteà *Concil. Antiochen. C.* 13. iam ſtatuerat, licèt paulò obſcuriùs. Per Epiſcopum autem originis intellexiſſe antiquos non tam Epiſcopum loci, in quo quis natus eſſet, quàm illum, qui per regenerationis, ſeu baptiſmi lauacrum in Eccleſia recepiſſet; Concilium Eliberitanum *C.* 34. & eſt in *C. fin.* 98. *diſt. Omnes, qui peregrè fuerint baptizati, eò quod eorum minimè ſit cognita vita, placuit ad Clerum non eſſe promouendos in alienis prouincijs.* Meritò; cum enim baptiſmate renaſcatur homo, anteactæ vitæ nulla eſt habenda ratio, ſed vitæ poſt baptiſmum peractæ, & ideò peregrè baptizati, de quibus non conſtat, quinam poſt baptiſmum eorum fuerint mores, ad Clericatum non eſſe promouendos Concil. Eliberitanum ſtatuit; vid. Concilij Chartagin. tertij *C.* 44. & Africani *Can.* 28. Hoc igitur accuratiſſimè ſeruabatur, ne ordinatum ab vno Epiſcopo alius Epiſcopus ad altiorem ordinem promouere auderet; cum enim irrefragabilis eſſet hæc regula, vt nemo ſine titulo Eccleſiæ ordinaretur, & cui Eccleſiæ quis ſemel fuiſſet adſcriptus, eam nemo deſerere per totam vitam poſſet, hinc erat, vt ordinatum ab vno Epiſcopo, & iam Eccleſiæ addictum nullus alius poſſet ſibi arrogare, nullus ab Eccleſia ſua remouere, nullus alteri addicere auderet; & vtinam id ipſum adhuc ſeruaretur, Cleri enim longè alia appareret facies; ideò comminatæ cenſuræ, inflictæ pœnæ ordinanti alienum Clericum, at nullæ illi, qui laicum alterius Ciuitatis ordinaſſet, ſed nulla tantùm, & irrita declarata ordinatio, ſicut & iudicatio.

7 Interdictum autem, ne ordinatus ab vno Epiſcopo ab alio poſſit vlteriùs ordinari, non vna ratione fuit. Prima; pacis conſeruandæ zelus inter Epiſcopos; vix enim non ægrè laturum Epiſcopum credebant patres, ſi poſt multam nauatam operam ad Clericum inſtruendum, alius Epiſcopus hunc ſibi vſurparet; quo reſpexit ſupra citatum Carthaginienſe Concilium, & Veneticum *Can.* 10. *ne concordiam fraternam iniuria violata contaminet*, ait ibi canon, ex quo emicat ratio ſecunda, quia iniuria fiat Epiſcopo, cuius Clericus vſurpatur, vt iam ordinatus, ad vlteriores ordines promoueatur; vt enim iniuriam facit Domino, aut Patri, qui filium, aut ſeruum eripit, aut fructus exculti agri vſurpat, ità qui Clericum iam ad vnum gradum ordinatum occupat, vt vlteriùs promoueat; perinde enim eſt, ac ſi alienum filium, ſeruum alteri addictum, & fructus alieni cultus indebitè ſibi arrogaret; pulchrè *S. Leo Magnus*. *Alienum Clericum inuito Epiſcopo ipſius nemo ſuſcipiat, nemo ſollicitet, niſi fortè ex placito charitatis id inter dantem, accipientemque conueniat; nam grauis iniurię* (ad rem) *reus eſt, qui de fratris Eccleſia id, quod eſt vtilius, aut pretioſius audet, vel allicere, vel tenere &c.* *Epiſt.* 84. *c.* 9. Rationem tertiam innuit *Synodus Conſtantinopolitana in Trullo Can.* 17. *Quoniam diuerſarum Eccleſiarum Clerici, proprijs, in quibus ſunt ordinati, relictis Eccleſijs, ad alios Epiſcopos ſe contulerunt, & ſine proprij Epiſcopi ſententia in alienis Eccleſijs*

*cleſijs conſtituti ſunt, & ex eo ipſos reddi inſolentes, ac inobedientes euenit; ſtatuimus &c.* Debuit igitur meritò hæc intercludi libertas, qua Clerici refractarij, & contumaces in Epiſcopos ſuos reddi poſſunt, & è contra foueri illa ſubiectio, qua pœnam, & præmium ab vno Epiſcopo ſuo expectantes obſequium, obedientiam, & officium exemplari conſtantia exhibebunt, diſciplinamque Eccleſiaſticam diligenter ſeruabunt. Quartam demùm rationem inſinuat Concilium Arauſicanum primum *Can. 8. & 9.* iam ſupra allegatis; vetuit enim ordinatum ab vno Epiſcopo ordinari ab alio, niſi priùs moratus aliquo tempore ſecum fuerit, adeò vt mores eius, dotes, merita perſpecta poſſit habere, & tunc nonniſi collatione habita cum Epiſcopo primo, ne fortè immorigerum, aliquaue nota canonica maculatum, quæ adhuc ipſum lateat, fortaſſe promoueat, idque Eccleſiæ vnitas, arctum in charitate commercium, mutuaque Epiſcoporum conteſſeratio præſtandum ſanctiſſimè ſuaſit; non repetimus iam ſupra regeſta *Canonis* 8. Arauſicani verba, quorum aperta nimis eſt intentio.

8 Sed demùm, vt in deteriùs feruntur omnia, & hæc Eccleſiaſtica diſciplina, qua Clerici ordinari non poterant abſque eo, quod alicui addicerentur Eccleſiæ, & a qua recedere eis nullo modo liceret propter rationes iam ſupra redditas; laxari paulatim cępit; ac tandem in totum ſubuerti, & demùm poſt ſtatuta à *Clemente IV. in C. 1. de temporibus ordinationum in 6. à Greg. X. in cap. 2. eod.* Bonifacius VIII. triplicem titulum ordinationis ſacræ diſtinxit, & aſſignauit, ad quorum quemlibet poſſit quiſque ad ſacros ordines promoueri in *C. cum nullus de temporibus ord. in 6. cum nullus* (ait ibi tex.) *Clericum parochiæ alienæ. præter ſuperioris ipſius licentiam debeat ordinare; ſuperior illi ergo in hoc caſu Epiſcopus, de cuius Diœceſi eſt is, qui ad ordines promoueri deſiderat oriundus, ſeu in cuius Dięceſi beneficium obtinet Eccleſiaſticum, ſeu habet (licèt alibi natus fuerit) domicilium in eadem.* Antequam autem ad neceſſaria promenda; quæ circa quemlibet ex hiſce titulis veniunt conſideranda, accedamus, vnum præmittemus, quod circa ordinationem ex collapſa illa Eccleſiaſtica diſciplina, cœpit obſeruari, illudque eſt, vt Epiſcopi familiares ſuos ordinarent. Peruetuſta Eccleſiæ conſuetudine id fuit inductum, cui aditum feciſſe Concilium prędictum Arauſicanum *Can. 8.* coniectari licet per ea verba, quæ repetere non pigeat. *Si quis alibi conſiſtentem Clericum ordinandum putauerit, prius definiat, vt cum ipſo habitet*, ſed & inſuper prudentiſſimè addidit, *Nec eum ſine conſultatione eius Epiſcopi, cum quo ante habitauit ordinare præſumat*; ſuſpectus enim videtur; vnde claudit, *quia non ſine cauſa, diu ab alio non ordinatus remanſit*. Inde ergo obſeruari cœptum veroſimile eſt, vt alienum Clericum familiæ ſuæ adſcriptum Epiſcopus ordinet, ſed cum ea cautela, vt Epiſcopum, cui Clericus alioqui eſt ſubiectus; conſulat; at demùm res eò fuit redacta, vt cum Epiſcopus familiaris ſui mores, probitatem, & merita perſpecta haberet, cœperit etiam inconſulto alio promouere, conſultatioque illa poſthaberi, & ex conſuetudine familiaris liberè ab Epiſcopo ordinari, quam tamen libertatem li-

*Seſſ. 24. c. 2. Seſſ. 23. cap. 9 de Reformat.*

mitandam voluit Concilium Tridentinum, vt ſcilicet obtineat in ſolis Epiſcopis ordinarijs, in titularibus verò non item, at ordinarijs alibi conditiones duas diſtrictiſſimè adiecit. Altera eſt, vt non quælibet familiaritas ſufficiat, ſed debeat eſſe ea triennalis. Altera verò, vt ipſimet ordinato beneficium ſine vlla fraude ſtatim conferat; indeque notabile diſcrimen, ipſumque non vnum inter veterem diſciplinam, & recentiorem in hac parte aduertimus; nam Epiſcopus originis ille tunc dicebatur, qui ad baptiſmum, quem recepiſſet; nunc verò ille, in cuius ditione, & Diœceſi quis natus eſt, ſic enim vbi ſupra Bonifacius VIII. *Superior intelligitur in hoc caſu Epiſcopus, de cuius Diœceſi eſt is, qui ad ordines promoueri deſiderat, oriundus.* Nec ſine cauſa id fuit tunc obſeruatum; cum enim priſco illo, & primo Eccleſiæ æuo iam adulti homines ad baptiſmum accederent, ſæpe fiebat, vt alius eſſet baptiſmi Epiſcopus ab Epiſcopo originis naturalis, vnde cum baptiſmus noua natalia, nouumque penitùs hominem ad gratiam conſtitueret, præſtare videbatur, vt renatum Epiſcopus ordinaret, non ſimpliciter natum, præcipuè cum regenerans perſpectas magis renati dotes poſſet habere, & nouæ vitæ potiùs, quàm anteactæ, ac extinctæ ratio habenda videretur; at ex quo infantes cœperunt baptizari, & baptizantur, idem eſt, vt plurimum, natalium, & baptiſmi Epiſcopus, & meritò differentia hæc euanuit. Moxque conſequenter ſuboritur diſcrimen alterum, nam primis illis temporibus, vel nullo modo ſpectabatur lex de adeundo Epiſcopo originis, vel potiùs Epiſcopus baptiſmi pro ſacra ordinatione ſumebatur, qui melius ordinandi mores, & vitam noſſe poterat; hodie verò, ex quo tres ſunt aſſignati Epiſcopi à Bonifacio VIII. nempe originis, beneficij, & domicilij, Epiſcopus originis præfertur, poſthabito etiam Epiſcopo beneficij, cum tamen priſco ſæculo Epiſcopus Eccleſiæ, cui quis eſſet addictus (nondum enim erant inſtituta beneficia) & ad titulum adſcriptus potior eſſet adeò, vt Epiſcopus originis eum nedum ordinare, ſed nec vindicare poſſet; laicus enim non ſemper ab Epiſcopo originis ordinabatur, ſed probè notum, ac dignum certatim Epiſcopi rapiebant, & proprio adſcriptum Clero Epiſcopus, qui adſcripſiſſet, aduerſus omnes retinebat, etiam aduerſus Epiſcopum originis, vt de Hieronymo, Paulino, & alijs exempla ſupra dedimus.

At ex quo ſunt erecta beneficia Eccleſiaſtica, nec firmitas illa, quæ olim, in titulis Eccleſiaſticis obſeruatur, cum plura beneficia vnus, & idem Clericus ſæpius habeat, in hac proprij Epiſcopi varietate, ac fermè, dicere fas ſit, incertitudine, ſatius viſum eſt, Epiſcopum originis anteferre, licèt non ſolum, tanquam certiorem, naturalem, notiorem, & à natura ipſa aſſignatum ſuperiorem; ſicque pro rerum mutatione prudenter in Eccleſia inducta mutatio; cum antiquitùs laicus homo ab alio, quàm Epiſcopo originis poſſet ordinari, & certatim ab Epiſcopis in ſuum Clerum pertraheretur, & vt cumque nonnullis Canonibus fuerit id correctum, parùm tamen fuit obſeruatum. Non id permiſerunt poſteriora ſæcula, ſed fieri ab Epiſcopo originis, & domicilij tantùm voluerunt; ſic enim Bonifacius VIII. in conſtitutione ſua, dum

dum ſtatuit; *Ne abſque ſui ſuperioris licentia homini Diœceſis alienæ Clericalem præſumat conferre tonſuram*. Vbi *Gloſſa*; *Alienæ*, exponit, *non ſuæ*, quod & nouiſſimè, licèt non adeò apertè, firmauit *Concilium Tridentinum*.

*Seſſ. 23. de Refor. cap. 8.*

9 Lubet autem adiicere dubitationes nonnullas ad praxim reſpicientes, & proprium quemlibet Epiſcopum tangentes; & primò quòad Epiſcopum originis; quid ſi quis naſcatur ſub vno Epiſcopo, & baptizetur ſub alio, vter Epiſcopus originis ſit cenſendus, quòad ordinationem? Pro vtraque parte probabiliter liceret argumentari, at quia diſputationem noſter non admittit ſtylus, probabiliorem ſectabimur opinionem aſſerentem Epiſcopum natiuitatis, & non baptiſmi tanquam pròprium eſſe adeundum; id enim Bonifacii VIII. conſtitutio intendit in d. *C. cum nullus. de tempor. ordin. in 6.* proprium enim Epiſcopum aſſignans ait. *Superior intelligitur hoc caſu Epiſcopus, de cuius Diœceſi eſt is, qui ad ordines promoueri deſiderat, oriundus*. Quæ verba Epiſcopum baptiſmi nullo modo ſignificare poſſunt; vix eſt, vt noſtro æuo contingat caſus, at ſi contingeret, tutior eſſet hæc opinio, quidquid priſco Eccleſiæ æuo obtinuerit, vt ſupra indicauimus.

Dubitatur ſecundò, an in aſſignando proprio Epiſcopo filii ordinandi ſpectari poſſit ciuitas paterna, & eius Epiſcopus? Communis eſt aſſertio etiam Epiſcopum paternæ originis poſſe in ordinatione ſpectari, quamuis enim Epiſcopus originis dicatur Epiſcopus loci, in quo quis natus eſt, vt plurium votis oſtendit *Auguſtin. Barboſ.* & originarius, ſiue oriundus quis denominetur etiam à propria natiuitate, & origine *l. 4. C. de incolis lib. 10. l. 1. ff. ad municipal.* Attamen origo etiam patris inſpicitur ad ordines ſuſcipiendos; vnde ab Epiſcopo loci, originis paternæ poterit quis ordinari, cum ius ciuile locum originis cum eſſe doceat, vbi pater natus eſt; ſic enim *Paul.* I.C.^ti in *l. aſſumptio* §. 1. *ff. ad municipal. filius ciuitatem, ex qua pater eius originem ducit, non domicilium ſequitur l. ſi vt proponis. C. de municip. & originar. lib.* 10. ſicut & oriundus dicitur à natiuitate propria, vel paterna, & ideò originem etiam matris attendi poſſe in illegitimis probat *Neratius* I. C. in *l. eius, qui ff. ad municipal. eius, qui iuſtum patrem non habet prima origo à matre, exque eo die quo ex ea editus eſt, numerari debet*; nec minus in iis, qui domicilium matris elegerunt, vt innuit Imperator in *l. filios. C. de municipibus, & originar.* vel iis, quibus domicilio matris hoc priuilegium fuerit conceſſum, vt inquit *Vlp.* in *l. 1. §. 2. ff ad municipal.* quæ ſanè aſſertio admittenda eſt, niſi fortè contraria vigeret conſuetudo; vnde *Garz.* *oriundum* pro *orto* accepit, & oriundum ex ciuitate, in qua ipſe natus, non eius pater, ideò magis tutũ videtur, vt regionis obſeruantia ſpectetur.

*De off. & pot. Epiſc. alleg. 4. num. 2. 3.*

*De benef. p. 7 cap. 9. n. 26.*

Limitatur nihilominus prima, & communior opinio in duplici caſu; primus eſt, cum quis Reipublicæ cauſa abſit, & in regione aliqua diutiùs moretur, ſicut Oratores Principum apud alios Principes reſidentes, ſi enim ſuſcipiat filios, non cenſebuntur ipſi ab origine propria, ſed ab origine patris; ſic enim *Paul. Iure Conſultus in l. filij ff. ad municipalem Senatores, qui liberum commeatum, ideſt vbi velint morandi arbi-*

*trium impetrauerint*, *domicilium in Vrbe retinere*. In regione enim vbi reſident domicilium non contrahunt propriè, cum ad nutum Principis mittentis ibi reſideant; vnde *Cæſſ. in l. Senatores C. de incolis*. *Senatores in ſacratiſſima Vrbe domicilium dignitatis habere videri*.

Secunda limitatio eſt, cum quis fortuitò in loco aliquo naſcitur, puta cum mater pertranſiens ibi eum parit, quo non animo commorandi peruenerat, nam qui ſic naſcitur, in loco vbi naſcitur nec domicilium contrahit nec originem. *d. l. filios C. de municipal. & originar. lib.* 10. per accidens enim hoc eſt, nec conſiderabile.

Paruuli, & infantes expoſiti, quorum ignoratur origo ſubditi ſunt Epiſcopo, in cuius Diœceſi, & ciuitate expoſiti reperiuntur; probabile enim eſt, eos ex vicis proximioribus adductos magis quàm ex longinquis regionibus, & ideò cum ad legitimam ætatem peruenerint ab eo Epiſcopo, tanquam originis erunt ordinandi, vt poſt Stephanum *Gratian.* notauit vbi ſupra *Barboſ. n.* 17. Paruuli verò derelicti à patre eius regionis erunt cenſendi, quàm lingua, & ſermone, colore, accentu referunt, & proximiori eius regionis Epiſcopo erunt adcenſendi, niſi aliqua probabilis coniectura contrarium ſuadeat, quamuis tutius fuerit ſpectare Epiſcopum domicilii, in ijs ordinandis, vel pro poſterioribus, qui magis ſunt incerti, impetrare à Summo Pontifice, vt eis aſſignet certum Epiſcopum, vel vt poſſint à quocumque Epiſcopo ordinari facultatem indulgeat. Hæc de Epiſcopo originis.

*Diſcept. forenſ. cap.75. num 12.*

10 Succedit Epiſcopus domicilij, de quo deſcribemus potiora, iuuat primùm domicilium ipſum definiendo aſſignare, nec aptior aliunde haberi poteſt definitio, quàm ex *Cæſſ. reſcripto* in *l. ciues*. 7. *C. de incolis lib.* 10. cuius ea verba. *Et in eodem loco ſingulos habere domicilium non ambigitur, vbi quis larem, rerumq; ac fortunarum ſuarum ſummam conſtituit, vnde rurſus non ſit diſceſſurus, ſi nihil auocet, vnde cum profectus eſt peregrinari videtur, quod ſi rediꝫt reperegrinari iam deſtitit.* Quæ quidem verba, ſi expendantur, requiſita duo ad domicilium neceſſaria exhibent; comparatur enim domicilium, origine, & habitatione, at non ſola, ſed concurrente inſuper animo in eiuſdem habitationis ſede perpetuò commorandi, quæ ſingula in redditis Cœſarum verbis reperiuntur; animus ſcilicet, habitatio, & perpetuitas, quarum qualibet deficiente, deficit domicilium; confirmat *Alex. Imperator in l.* 2. *C. de incolis lib.* 10. ſunt eius verba. *Nec ipſi, qui ſtudiorum cauſa aliquo loco morantur, domicilium ibi habere creduntur, niſi decem annis tranſactis eo loco ſedes ſibi conſtituerint*. Illud ideò; quia quantumuis morentur ſtudiorum cauſa, habitant quidem, at nulla permanendi voluntate. Hoc verò ideò, quia conſtitutis ſedibus decem annorum ſpatio animus, & intentio indicatur. Claudit ratione conſimili *Alexand. Nec pater, qui propter filium ſtudentem frequenter ad eum commeat*, nullum enim permanendi animum in viſitante arguere valeas; haud abſimiliter *Vlp. in l. eius, qui* 27. *ff. ad municipalem*. *Si quis negotia ſua non in Colonia, ſed in Municipio ſemper agit, in illo vendit, emit, contrahit, in eo foro, balneo, ſpectaculis vtitur, ibi feſtos dies celebrat*, omni-

*omnibus denique municipij commodis nullis coloniarum fruitur, ibi magis habere domicilium, quàm vbi colendi ruris cauſa verſatur, videtur.*

Certè non alia ratione, niſi quia ex tot in municipio geſtis animus, & intentio ibidem commorandi deſumitur, mox definit in §. *fin. Vlp.* geminam difficultatem; primam: num domicilium in duobus locis quis poſſit habere? difficile hoc eſſe aſſerit, ſed tamen *verum eſt habere*, ait, *ſi vtrobique deſtinato ſit animo*; ſecundam verò: an poſſit quis omninò eſſe ſine domicilio? & hoc difficile, inquit *Vlp.* ſed *puto* (ait) *& hoc procedere poſſe, ſi quis domicilio relicto nauiget, vel iter faciat quærens, quò ſe conferat, atque vbi conſiſtat, nam hunc primùm puto ſine domicilio eſſe.* Quod autem diximus metiendum domicilium, nec à ſolo animo, nec à ſola habitatione, oppugnari poteſt; ſufficere enim dixeris, ſi quis aſſiduè tantùm aliquo in loco verſetur, idq; ex *l. 2. C. vbi ſen. vel clariſſ.* quatenus reſcribunt Imperatores. *Vbi larem fouent, aut vbi maiorem bonorum partem poſſident, aut aſſiduè verſantur.* Alternatiua loquendi forma quodlibet ſufficere, & non omnia ſimul, requiri indicat. Non moramur diuiſionem domicilij à quibuſdam traditam in proprium, & improprium, at veriſſimum agnoſcimus, quod post alios tradit *Menoch.* corruptam eſſe liberam in *d. l. 2.* legendumque copulatiuè pròvt in codicibus emendatis; *maiorem bonorum partem poſſident, & aſſiduè verſantur*; quaſi non aliter quis domicilium acquirat, quàm ſi *larem foueat*, hoc eſt habitare ſe ex animo declaret, aut ſi non declaret quidem, ſed maiorem bonorum partem poſſideat in loco, vbi aſſiduè verſatur; inde enim animum licet concludenter arguere. Ex qua tradita de domicilio doctrina dignoſcere facile eſt, quantum temporis ad domicilium contrahendum ſit conſtitutum; nullum enim tempus ex ſe ad id eſt ſufficiens, niſi animus, aut alia circumſtantia concurrat; & ideò ſolum decennium non ſufficit, niſi comitetur intentio, ac proinde circa hæc ſingularia arbitrium iudicis diſcernet, ac definiet; nudum enim tempus, etiamſi ſit millenarium ad id non ſat erit, vt optimè conſiderauit *Menoch.* omninò videndus, & quamuis in *l. 2. C. de incolis*. Decennium videatur ſtatutum, vt ſtudens domicilium contrahat, attamen ſpatium illud ſtatuitur ad ſtudiorum menſuram, quo elapſo ſi moretur adhuc, aliaue appareat coniectura contractum domicilium præſumetur; aliàs enim ſtudens, vt ſtudens eſt, nec per mille annos domicilium contrahet, animus enim permanendi non adeſt, vt inquit vbi ſupra *Menoch.*

*De arbit. Iud. cent. 11. caſ. 86. num. 19. lib. 2.*

*Vbi ſupra num. 17.*

Fuit permittenda hæc de domicilio doctrina, vt ex ea, quam rectè Epiſcopo domicilij ſit conceſſum, vt incolam iure ſuo poſſit ordinare, appareat. Canonem ſi requiras, non eſt, quem offeramus, niſi trahamus octauum, & nonum Arauſicanum, qui largiuntur Epiſcopo, vt familiarem ſuum poſſit ordinare; at verò exempla non deſunt eorum, qui vel à primis Eccleſiæ ſæculis ordinati fuere, non alio, quàm domicilij colore, non repetemus hic Hieronymi, Pauliniani eius fratris, Paulini Nolani, Origenis, & aliorum, quos habitatio, & domicilium ità Epiſcopo ſubiecit, vt tanquam ſuos potuerit legitimè ordinare, quod demùm (vt vidimus)

Boni-

Bonifacius VIII. conſtitutione ſua confirmauit, vſuſque recepit, nec immeritò. Quamdiu enim viguit Eccleſiaſtica diſciplina, mutuumque commercium inter Epiſcopos, exactior obedientia Clericorum, arctiorque nexus ità, vt nec Clericus ad aliam Diœceſim tranſiret, niſi comitante Epiſcopo teſtimonio ſuo, & addictus Eccleſiaſtico titulo non recederet niſi Epiſcopo expreſsè concedente, mutuæque inter Epiſcopos mitterentur literæ, quibus de excommunicatis, de abeuntibus, & infectis nota aliqua, ſe ſe inuicem commonefacerent, cum eo æuo tam Epiſcopus originis, quàm Epiſcopus tituli mores ſuorum, merita, dotes, cæteraque requiſita optimè agnoſcerent, non erat cur Epiſcopus domicilij pro ordinibus ſuſcipiendis deberet conueniri. At ex quo laxata eſt Eccleſiaſtica diſciplina, non adeò frequens, & exactum inter Epiſcopos commercium de rebus ſuarum Diœceſum per nuncios non viget conſortium, vel admodum rarum, laici ſine vllis ſuorum Epiſcoporum commendatitijs literis in alias regiones migrant, Clerici eandem libertatem commeandi ſibi vſurparunt, multiplicatis beneficijs tituli Eccleſiaſtici, & addictio ipſis facta obſoleuit, & euanuit, difficile admodum viſum eſt, vt Epiſcopi originis mores, & requiſita ſuorum Clericorum poſſint calere, anteactamque vitam noſſe, & an canonicis impedimentis teneantur explorare, ideò cęptum ab ipſis ad Epiſcopos domicilij aliquos remittere, & aliquando Epiſcopi alij oriundos ex alienis regionibus ex præſumpta ſuorum Epiſcoporum voluntate ordinare non dubitarunt, indeque rationabile fundamentum ſumpſit lex Eccleſiaſtica, vt Epiſcopus domicilij poſſit ordinare *d. C. cum nullus de tempor. ord. in 6.* ibi enim definit, & aſſignat Bonifacius VIII. Epiſcopum domicilij illum eſſe, in *cuius Diœceſi habet quis, licèt alibi natus ſit, domicilium*, huicque non immeritò largitur ordinandi facultatem iuxtà antiquioris iuris probata principia; ſi enim ſtatuunt iura domicilio incolas fieri, honoribus in ea ciuitate gaudere, in qua domicilium quis habet *l. eius, qui ff. ad municipal.* & Clericum in eadem fieri, & ab eiuſdem Ciuitatis Epiſcopo poſſe ordinari ius, & ratio æquè ſuadet; *ſi incola* ( inquit *Caius I. C.* in *l. incola 29. ff. ad municip.*) *& ijs magiſtratibus parere debet, apud quos incola eſt, & illis, apud quos ciuis eſt, nec tantùm municipali iuriſdictioni in vtroque municipio ſubiectus eſt, verùm etiam omnibus publicis muneribus fungi debet.* Si incola parère debet Epiſcopo, ſub quo habet domicilium, mutua correlatiuorum ratio ſuadet etiam, & exigit, vt idem Epiſcopus, tanquam ſibi ſubiectum, habentem domicilium poſſit Clericum facere, & ordinare, cum iuriſdictionem in ipſum habeat, quæ permanens, & perpetua eſt, ſicut & qui domicilium habet animum perpetuò ibi commorandi habere debet, vnde meritò Epiſcopus domicilij facere Clericum, & ordinare ſibi ſubditum poterit tanquam ſuæ Diœceſis incolam. Ex hiſce principijs, & tradita hucvſque theoria facile eſt ad ſingularia deſcendere, & dubia, ac difficultates definire, pro quibus conſuli poteſt *Auguſtin. Barboſa* ſingulas percurrens. *De off. & poteſt. Ep. alleg. 40. num. 21. cod. 41.*

11 Tranſeamus ad tertium ordinationis Epiſcopum, qui eſt beneficij, & de ipſo grauiora percurramus. *In c. cum nullus de temp. ord. in 6.* Vtcumque Bonifacius VIII. d. conſtitutione

tutione

tutione ſua Epiſcopum beneficij legitimum ad ſacram ordinationem declarauerit, non tamen nouitium hoc inuentum cenſendum eſt in Eccleſia, cum peruetuſto mori, & inſtituto eiuſdem Eccleſiæ reſpondeat; cum enim primis illis temporibus nondum extarent beneficia, attamen erant Eccleſiæ, ad quas Clerici inſtituebantur, quarum redditibus alebantur; erant Eccleſiaſtici tituli, quibus Clerici ipſi addicebantur, in quorum vicem, ac intentionem ſubſtituta ſunt beneficia, antea autem non ſolùm poterat Epiſcopus illius Eccleſiæ, cui addicebatur, Clericum eum ordinare, ſed hoc maximè, ipſique vni competebat; vnus ipſe poterat Clericum facere, qui eum alicui Eccleſiæ poterat addicere, vnus ipſe poterat eundem Clericum ad gradus ordinum ſuperiorum promouere, qui eundem Clericorum matriculæ, ſiue catalogo tenebat inſcriptum. Nulla abſolutè fiebat ordinatio, hoc eſt ſine titulo; Clericis non licebat à ſua Eccleſia abeſſe, & ordinatum alius Epiſcopus nequibat recipere, vt iam ſupra notauimus. Ad huius Eccleſiaſticæ praxis exemplum inductum eſt, vt ab Epiſcopo beneficij Clericus in eius poteſtatem translatus poſſit ordinari, cui cum ſit additus Epiſcopus originis, & domicilij, Epiſcoporum illa poteſtas primæua non eſt reſtituta, nec reddita obſeruantia illa, quam Clerici Epiſcopo, à quo eſſent ordinati, debebant.

Attamen beneficium reddit adeò proprium Epiſcopum quòad ordinationem ipſius habentis beneficium, vt etiam ſi beneficium huiuſmodi ad collationem alterius Epiſcopi pertineat, nihilominus Epiſcopus Diœceſis, vbi poſitum eſt beneficium, competens ordinator erit; regularitèr enim omnium beneficiorum, quæ ſunt in Diœceſi, collatio pertinet ad Epiſcopum *C. omnes Baſilicæ. 16. q. 7.* per accidens autem eſt, vt ad alium pertineat, vnde neque hoc ipſum rei veritatem immutare poteſt, nec facere, quòminus beneficium poſſidens in Diœceſi ſit verè ſubiectus, & poſſit ab Epiſcopo ordinari. Neque minùs hoc obtinebit ſi beneficium ſit ſimplex, nec reſidentiam requirat; cum enim in omnes ſuæ Diœceſis habentes beneficia, ſiue curata, ſiue non curata eadem ſit Epiſcopi iuriſdictio, eadem etiam erit ordinationis auctoritas, & ſibi ſubiectos & ordinare, & ad vlteriores, maioreſque ordinum gradus poterit promouere. Neque magis ſpectandum erit, an beneficium quis habeat in titulum, an verò in commendam præſertim perpetuam, quæ, vt videbimus loco ſuo, vim tituli habet, & beneficium cenſetur, ſicuti ſi eſſet etiam præſtimonium, cum & præſtimonia beneficijs Eccleſiaſticis adcenſeantur. *C. conquerente. de Cleric. non reſid. C. fin. de conceſſ. præbend. in 6. C. quamuis. de præb. in 6.* Nec minùs, ſi eſſet tenue, ac exigui redditus, nihilominus enim beneficiarium ſubijciet, & ipſe iuriſdictionem Epiſcopi ſentiet, vt tradunt communiter ſcribentes; idemque iuris cenſendum, etiamſi idem plura beneficia in diuerſis Diœceſibus habeat, cuiuslibet enim beneficij Epiſcopo ſubiectus eſſet, & à quolibet poſſet ordinari, vtcumque enim ſit ſacris Canonibus inimica beneficiorum pluralitas *ad C. de multa. de præben.* non tamen per hoc tollitur iuriſdictio, quam habet Epiſcopus in habentem beneficium in ſua Diœceſi, qua ratione tota ordinandi facultas iam ſatis agnoſcitur

*Garz. de benef. p. 4. c. 10. num. 10. Suar. tom. 1. de relig. lib. 4 de ſimon. c. 25 num. 3.*

tur

*Vid. Gloſſ. ad cap. dilectus, verb. domicilium de reſcript.*

tur fundata. Demùm ad hoc ipſum ordinationis intentum ſufficiet ſola beneficij poſſeſſio, etſi titulus; poſſeſſio enim etiam ſine titulo iuriſdictionem fundat, eademque poſſidentem Epiſcopo ſubijcit, qui poterit poſſidentem ipſum ordinare, cum è contra ſolus titulus ſine poſſeſſione ad id non ſufficiat, nec ratione nudi tituli poterit quis tanquam ab Epiſcopo beneficij ordinari; habere enim debet beneficium ordinandus, habere autem idem eſt, ac poſſidere.

Vt autem ampliatur tanquam fauorabilis hæc Epiſcopi facultas ratione beneficij, ità & caſibus nonnullis reſtringitur, & limitatur; & primò ſi in fraudem receptum beneficium credatur probabilitèr, puta, vt examen, & cenſura proprij Epiſcopi declinetur, vt not. *Gloſſ. ad C. eos qui, verb. figmento. de tempor. ord. in 6.* figmentumque teſtabitur beneficij tenuitas, aut ſi quæ alia huiuſmodi coniectura; puta ſi beneficium reſidentiam non requirat, nec beneficiarius in ipſo vnquam reſederit; quamuis enim ratione cuiuslibet beneficij iuriſdictionem habeat Epiſcopus; non tamen facilè adeò, & ſine rationabili cauſa induci debebit, vt Clericum ſibi ignotum, & in alia Diœceſi verſantem, ac magis notum promoueat, & in hac parte cautè incedat, & a fraude caueat Epiſcopus; inde enim parantur ſæpiſſimè doli, & qui facilè acquieſcit, & obſequitur, ſibi, & alijs ſcandalum parat, & ideò optandum maximè eſſet, ne quis ordinaretur, niſi qui Eccleſiæ eſſet adſcriptus, & in ea munera ſua exercuiſſet, nec promoueretur ad vlteriores ordines, niſi qui in inferioribus eſſet exercitus, quod innuit & Tridentinum Concilium, vnde & præſtaret eum vnum Epiſcopum ordinare, in cuius Eccleſia ordinandus eſſet adſcriptus, & munera ſua exercuiſſet; vtinam hæc ob oculos haberent Epiſcopi, eaque ſeruarent; optari hæc poſſunt; ſed plura ſunt, quæ in ſæculo ſequiori impleri facilè impediant.

*Seſſ. 23. de reform. cap. 5.*

Hac ſuppoſita Epiſcopi circa ordinationem auctoritate, ſiue iuriſdictione, conſequens omninò eſt, nemini vnquam licuiſſe impunè alienum Clericum ordinare, vel à primo enim Eccleſiæ æuo ſucceſſiuè ſemper ſtatutæ pœnæ canonicæ tranſgredientibus, alienamque meſſem inuadentibus; Concilia enim Nicænum primum *Can.* 16. & in *C. ſi quis auſus* 71. *diſt.* Sardicenſe *Can.* 18. & 19. Pontifices Summi *Calixtus I.* & *Sixtus II. Iulius I.* irritam ordinationem ab alieno Epiſcopo factam ſtatuerunt, quòad exercitium ſcilicèt, ſiue executionem, ſecus quòad caracterem, Conſtantinopolitanum in Trullo *Can.* 17. ordinantem, & ordinatum deponendos voluit, Chalcedonenſe *Can.* 20. *C. Clericos in ſingulis* 71. *diſt.* tamdiù manere excommunicatos, quamdiù Clericus ad Epiſcopum ſuum reuertatur. Taurinatenſe *Can.* 2. ordinatum Sacerdotij honore priuandum decreuit, ordinantem verò auctoritate in Concilijs, & ordinationibus, & notandum hoſce Conciliorum Canones de Clericis alienis præcisè loqui, ij autem non alii erant, quàm qui alicui Eccleſiæ eſſent iam addicti, à quibus recedere vetitum omninò erat; nam pro alieno laico ordinato nullam legimus pœnam conſtitutam, aut in ordinatos, aut in ordinantes, iuxta ſupra iam tradita, ne pugnare cum dictis videamur.

*Epiſt. 2. Epiſt. 3. Epiſt. 3.*

Huic iuri, quod dicere poſſumus anti-

antiquiſſimum, ſucceſſit Gregorij X. conſtitutio in *C. eos*, *qui de tempor. ord.* in 6. qua veterum Canonum ſeueritatem contra ſic ordinatos perſeuerare decreuit; *His*, *quæ iura ſtatuunt contra taliter ordinatos in ſuo robore duraturis*; ait conſtitutio; certum autem eſt fuiſſe eos ſuſpenſos, ſaltem donec à proprio Epiſcopo rata haberetur ipſorum ordinatio, id enim neceſſariò conſequitur ex eo, quod irrita eſſet ordinatio, cum eius virtute tanquam irritæ, ordinatus nihil poſſet operari; ſic enim expoſuit Vrban. II. in *Can. Lugdunenſis* 9. *q.* 2.

Laicus verò ſi quis à non ſuo Epiſcopo fuiſſet tonſuratus certum eſt, quod nullibi ſuſpenſionis pęna ipſi erat iniuncta; nam ſi qui afferantur Canones in contrarium, aut loquuntur de Epiſcopo alienam parochiam inuadente, & laicos ordinante licèt ſibi non ſubditos; neque poſſunt, aut debent extendi ad laicum adeuntem alienum Epiſcopum, & ordines ſuſcipientem, vel certè de Clericis agunt, qui ordines ab alio Epiſcopo, quàm ſuo recipiunt, non de laicis, qui nullo modo cenſeri debent compræhenſi; immò incluſio expreſſa vnius, alterius cenſeri debet excluſio; at verò quod circa laicos antiqui Canones non ſtatuerant *Boniſ. VIII.* edixit in *C. fin. de tempor. ord. in* 6. *nullus Epiſcopus &c.* (ait ibi conſtitutio) *ſed nec abſque ſui ſuperioris licentia homini Diœceſis alienæ Clericalem præſumat conferre tonſuram*; mox in §. *fin. & vn. Qui verò contrafecerit per vnum annum à collatione Clericalis tonſuræ nouerit ſe ſuſpenſum*. Quæ ſanè conſtitutio Epiſcopum ſcienter, & quæſito aliquo figmento ordinantem complecti videtur alienum laicum, non itèm ex ignorantia, vt etiam aſſeruit *Nauar.* Sed tandem Concilium Tridentinum ſuſpenſionem in laicum, & Clericum ab alieno Epiſcopo ordinatum ſtatuit ſiue ad primam tonſuram, ſiue ad alios ordines, prohibitione enim præmiſſa mox ſubdit, *vt contrafaciens ab exercitio Pontificalium per annum*, *talitèr verò promotus ab executione ordinum ſic ſuſceptorum*, *donec ſuo Prælato viſum fuerit*, *ipſo iure ſint ſuſpenſi*. Idem alibi etiam confirmat; nec non Summorum Pontificum conſtitutiones *Pij II. Sixti V. Clementis VIII.* nec amplius ea de re ambigendum, à quæſtionibus temperamus, quæ hac de re exagitantur circa irregularitatem, quam incurrat ſic ordinatus exequens ordines, circa ignorantiam quatenùs excuſet, & tantùm ſingulares conſtitutiones in corpore iuris clauſas commemoramus.

*Conſ. 40. de temp. ord. ſeſſ. 14. de Reform. cap. 4.*

*Seſſ. 23. de Reform. c. 8. 1461. Cum ex Sanctor. Sixti V. Sanctum, & ſalutare. Clem. viij. Romanum Pontificum decet. In Bullar. nouo.*

12 Vtcumque generalitèr ſit vetitum ne Clericus, vel laicus ab Epiſcopo non ſuo tonſuram, aut ordines ſuſcipiat, ſingularitèr tamen de nationibus nonnullis, niſi cautè admodum non ordinandis conſtitutum legimus; & primùm de Tranſmarinis, quo nomine intelliguntur Africani, *S. Sylueſter I.* in Concilio Romano ità ſtatuit, & eſt in *C.* 1. 98. *diſt. nullus aliqua ratione Tranſmarinum hominem penès vos in Clericatus gradu ſuſcipiat*, *niſi quinque* (*aut eo amplius*) *Epiſcoporum deſignatus ſit chirographis*. Confirmauit *Anaſtaſ. I.* ſcribens ad Epiſcopos Germaniæ, & Burgundiæ *Can.* 2. *ead. diſt.* & *Greg. Magnus* ſcribens Squillatino Epiſcopo in *Can. Afroſ. ead. diſt.* Quod ipſum confirmauit *Alex. IV.* ad Epiſcopum Senonenſem in *C.* 1. *de Cler. peregrin.* Interdictum, & cau-

*Epiſt. 1. cap. 1.*

*Lib. 2. Ep. 25*

tionem legimus, pœnam verò ſtatutam non itèm transgredientibus; ſecundò prohibentur ordinari Itali à Græcis diuerſi ritus, & Græci ab Italis; *Cælestinus III.* id vetuit in *C. cum ſecundùm. de tempor. ord.* quid agendum vbi nationes iſtæ in eadem Vrbe, aut Diœceſi ſint permixtæ. *Innocentius III. in C. quoniam. de off. Iud. ord.* & in *C. quod translationem de temp. ord.* tertiò demùm; interdicitur, ne Vltramontanus aliquis ab Epiſcopo Italo ordinetur, ſic enim *Clemens IV. in C.* 1. *de temp. ord. in 6.* inflicta ſuſpenſione, referuataque abſolutione Apoſtolicæ Sedi; An idem cenſendum de Italo ordinato ab Vltramontano? An idem in prima tonſura, ac minoribus ordinibus veniat ſeruandum? vid. *Gloſſ. ad d. C.* 1.

13 Circa proprium Epiſcopum ſingularia plura quòad Monachos, ſeu regulares poſſent conſiderari, at de his potiora tradidimus ſupra, cum de ijs, qui poſſint ordinare tractauimus; hìc breuitèr & proprium eorum Epiſcopum indicabimus, ne quidquam in grauiſſima materia deficiat. Proprium igitur regularium Epiſcopum non aliunde ſumemus, quàm ex Concilij Carthaginienſis V. *Can.* 13. quem regeſſit *Gratian. Can. ſi quis de alterius* 58. *diſt. Item placuit* (inquit *Concil.*) *vt ſi quis de alterius Monaſterio; vel ad Clericatum promouere voluerit, vel in ſuo Monaſterio maiorem Monaſterij conſtituere, Epiſcopus, qui hoc fecerit, à cœterorum communione ſeiunctus ſuæ tantùm plebis communione contentus ſit, & ille neque* Clericus, *neque Præpoſitus perſeueret.* Hæc Canon; cuius ſumma clarior, tùm in *eod.* Can. *Eccleſ. Afric.* tùm apud *Balſam. Vt de alieno Monaſterio ſuſceptos nec præpoſitos Monaſterij, nec Clericos liceat ordinare.* Et hic quidem Canon duo nobis conſideranda ſuggerit. Alterum; Epiſcopum, cui Monachus quòad ordinationem ſubditur, eſſe Epiſcopum Monaſterij, in quo Monachus ipſe viuit, addictus; & ideò eò ipſo, quo Epiſcopus alicui Monacho concedebat, vt de vno Monaſterio ad aliud tranſiret, cenſebatur etiam dare, & de facto dabat licentiam, vt ab Epiſcopo, cui erat ſubiectum Monaſterium, ad quod tranſibat, poſſet ordinari, non ſecùs ac cum licentiam dabat Epiſcopus Clerico iam adſcripto Eccleſiæ, vt ad aliam Eccleſiam tranſiret, eo ipſo etiam indulgebat, vt ab Epiſcopo eius Eccleſiæ, ad quam tranſibat, poſſet ordinari, ſicut enim Eccleſia Ciuitatis, vel Pagi erat titulus, ad quem ordinabatur Clericus, vt inquit *Can.* 6. Concilij Chalcedonenſis, ità Monaſterium erat, & eſt titulus Monachi ex eodem Canone, vnde ſicut non tranſibant Clerici de vna Eccleſia ad aliam ſine conſenſu, & auctoritate Epiſcopi, ità Monachi de vno Monaſterio ad aliud. Alterum, quod notandum exhibet Cano, eſt, grauiſſima pœna, quæ infligitur tùm Epiſcopo ordinanti Monachum non ſuum, tùm ipſi Monacho ordinatò ab alieno Epiſcopo; nam Epiſcopus ſola communione Eccleſiæ ſuæ erit contentus; *Nota nouum excommunicationis genus*, inquit *Balſam. ad Can.* 79. *Concil. Carthagin.* idque reſpectu Orientalis Eccleſiæ, cui erat incomperta hæc excommunicationis ſpecies, cum tamen Occidentali eſſet notiſſima & tunc præcipuè adhibebatur, cum non id erat delictú, vt excommunicationem maiorem, depoſitionem,

*Canon. 80. Can. 83. Carthagin.*

nem, ſeù regradationem mereretur, aut ſuſpenſionem, relicta enim communicandi, & miniſtrandi facultate in propria Eccleſia adimebatur communio cum cœteris fratribus, vt nec epiſtolas recipere à cœteris Epiſcopis, nec Synodis intereſſe poſſent, nec alio communionis iure cum cœteris Epiſcopis frueretur, quæ ſanè erat pęna Epiſcopi Clericum non ſuum ordinantis ex *Concil. Taurinatenſi cap.* 2. cuius ſupra dedimus verba, vt ſcilicet auctoritatem in ordinationibus Epiſcoporum, ad quas omnes Prouinciæ Epiſcopi conueniebant, & in Concilijs non retinerent.

Pęna verò, quæ ſtatuitur Monacho ordinato ab Epiſcopo alio, quàm illo ſui Monaſterij, & ſuſpenſio indefinita, & illimitata ad tempus vllum ijs verbis indicata, *& ille neque Clericus, neque Præpoſitus perſeueret*. Vnde grauior apparet Monachi in hac parte, quàm Clerici, vt diligentiùs caueretur, ne Monachi iugum ſubiectionis Epiſcopalis facilè excuterent; inde concludimus Epiſcopum proprium Monachi, ſiue regularis non eſſe alium, quàm Epiſcopum eius Monaſterij, cui addictus Monachus ipſe viuit, & confirmamus appoſita conſideratione; nam ex conſtitutione *Bonifacij VIII. in cap. cum nullus. de tempor. ordin. in 6.* triplex eſt Epiſcopus cuiuslibet ordinationis proprius, originis, beneficij, & domicilij. In Monacho Epiſcopum originis conſiderare non poſſumus; nam regularis per profeſſionem moritur mundo, abnegat ſuos, nec ad originem natalium reſpicit tanquam nouus homo. Non beneficij, quia Monachi, & regulares beneficiorum Eccleſiaſticorum non ſunt capaces *cap. cum de beneficio. de prębend. in 6.* vnde Canonici regulares, qui ſunt capaces beneficij Eccl ſiaſtici, poſſent ab Epiſcopo beneficij ordinari; nihil enim eſt in iure ſtatutum, quod prohibeat. Remanet ergo ſolus Epiſcopus domicilij; hoc autem nullum aliud habet Monachus, ſiuè regularis, quàm Monaſterium, in quo viuit; & ideò Epiſcopus Monaſterij erit proprius Ordinarius cuiuſlibet Monachi; His accedit Decretum *Concil. Trident. ſeſſ. 23. cap. 8. Vnuſquiſque autem à proprio Epiſcopo, ſi quis ab alio promoueri petat nullatenùs id ei etiam cuiuſuis generalis, aut ſpecialis reſcripti, vel priuilegij prætextu, etiam ſtatutis temporibus permittatur, niſi eius probitas, ac mores ordinarij ſui teſtimonio commendentur*. Addatur *& ſeſſ. ead. cap.* 10. Immò Epiſcopi, qui antiquitùs exemptiones Monaſterijs, & Monachis largiri conſueuerunt, in quolibet exemptionis priuilegio excipere ſemper ſolebant hoc ius ordines conferendi; ſic enim *Marculfus Monachus* formulam eximendi Monachos, & Monaſteria exhibens, Monachos ipſos alloquens ſcribit; *Vt de veſtra congregatione, qui in veſtro Monaſterio ſancta debeant baiulare officia, quam Abas cum omni congregatione popoſcerit à nobis, vel ſucceſſoribus noſtris ſacros percipiant gradus*. Non congerimus hìc priuilegia, quibus aliquandò indultum, vt à quocumque Epiſcopo aliqui regularium ſacram ordinationem recipere poſſent; quæ tamen aut retractationem, aut moderationem receperunt; iàm ſupra plura hac de re diximus. Praxis modò id obſeruat ex Decreto Sac. Congregationis Concilij iuſſu Sanctiſsimi Clementis Octaui, vt regulares ab Epiſcopo ſui Monaſterij ordines reci-

*Lib. 1. cap. 1.*

cipiant; quod ſi Epiſcopus ordinationem non habeat, obtento hac de re ab eodem Epiſcopo authentico teſtimonio, cum dimiſſoriis ſuorum ſuperiorum ad alium Epiſcopum pergant. An autem Nouitios intra annum probationis poſſit Epiſcopus ordinare, qui & Monaſterii, res dubia eſt. Negabis ſi conſideres regularium nomine venire illos, qui profeſſionem emiſerunt; aſſeres, ſi expendas Nouitios domicilium in Monaſterio habere, & præſumi in eis perpetuò ibi manendi voluntatem, & ideò rem in medio relinquimus.

14 Sunt quidem hæc generalia de proprio cuiuſque Epiſcopo, & tradita per modum regulæ, à qua tamen ſunt etiam; qui excipiantur propter maieſtatem, & ſublimioris ſedis prærogatiuam; inter hos ambigit nemo eſſe Summum Romanum Pontificem, qui totius Orbis Chriſtiani ordinarius, vndecumque aſſumere Clericos, & ad quoſcumque ordines iure ſuo promouere poteſt; conſequentèr hoc deducimus ex iactis principiis Eccleſiaſticæ politiæ; ità obſeruatum ſæpius Eccleſiaſtica hiſtoria, ipſæque Summorum Pontificum conſcriptæ vitæ teſtantur; neque enim ſingula exempla ſunt hìc nobis proponenda; cum ſumma tamen, & diſcretione, & prudentia vſi ſunt Romani Pontifices hac prærogatiua, vt minimùm iura inferiorum lædant; aut minuant, & ideò ſi quem ordinet, vtcumque hic idem in reuerentiam ordinantis ſupra alios conſimiles honoretur, non tamen à iuriſdictione ſui ordinarii eximitur. *C. per tuas. de maior. & obed.*

At verò ordinatus à Summo Pontifice in Subdiaconum ad vlteriores ordines non poteſt ab inferiori Epiſcopo promoueri ſine eiuſdem Summi Pontificis permiſſione. *C. cum in diſtribuendis. de temp. ord.* Decent hæc Pontificalis maieſtatis, & Epiſcopi Epiſcoporum (vt appellat *Tertullian.*) eminentiam, & circa hæc ipſa difficultates, & quæſita tractat *Gloſſ.* ad quam remittimus. Cum analogia haud abſimilis auctoritas, & Carthaginienſi Epiſcopo totius Africæ Proconſularis Primati competiit, vt ex *Can.* 59. aut 60. *Concilij Chartaginienſis* conſtat; qui canon ſic exorditur; *licere Epiſcopo Carthaginis vnde velit Clericum ordinare.* Cum enim præeſſet pluribus Prouincijs, & ſingulis prouidere pro varia exigentia teneretur, æquum viſum eſt, vt ei hæc libertas competeret, quam ſiue à lege, ſiue à conſuetudine à ſæculis tranſactis competiiſſe Canon ipſe teſtatur. Hunc Canonem diligenti paraphraſi proſecuti ſunt *Balſamo, & Zonaras*, nec in ipſo immoramur vlteriùs ſola memoria contenti, quam vnam colimus, cum nec Eccleſia, nec Primas Carthaginienſis exiſtat, ſed gemat ſub infideli Barbarorum ſæuiſſimo iugo cum tota Africa. Idem ius competere Conſtantinopolitano Patriarchæ probauit idem *Balſamo*; ex duplici nouella conſtitutione Iuſtiniani, quamuis conſequentia, quam deducit, non adeò concludenter procedat; idem profeſſus eſt, & ad *Can.* 10. ſeptimæ Synodi ſcribens; *Ex hoc autem præſentis Canonis contextu nota, quod ſoli Patriarchæ Conſtantinopolitano permiſſum eſt Clericos alienos ſuſcipere etiam ſine dimiſſorijs literis eius, qui ipſos ordinauit, ſi modò literas commendatitias attulerint, quibus ſe ordinatos, & Clericos eſſe probent.* Cum nouæ Romæ titulo, & adeptis omni-

*Lib. de pudic. in princ. c. 1. Ad c. cum in diſtribuendis. De temp. ord. & ad c. per tuas De maior. & obed.*

*In Homocan. tit. 1. c. 16.*

omnibus priuilegijs, quæ competunt veteri Romæ ex *Can.* 28. *Concil. Chalced.* conſequenter & hanc obueniſſe prærogatiuam credendum eſt, iuuantibus etiam Imperatorum conſtitutionibus, quam tamen & ad reliquos Patriarchas Antiochenum, & Alexandrinum reſpectu Eccleſiarum quòad ordinationem ſibi ſubiectarum ſpectaſſe dicendum eſt; ſi enim propter earundem curam reſpectiuè id facere licuit Primati Carthaginienſi, multò magis licere debuit, & maioribus Patriarchis, ſuppoſita ſemper Eccleſiaſtica illa diſciplina, vt Clericis de Eccleſia, cui ſint addicti, ad aliam Eccleſiam migrare non liceat. Metropolitanis verò in ſua Prouincia id tentare nunquam licuit; ipſorum enim fuit ſemper certa auctoritas, nec inuadere Parochias, ſeù Diœceſes ſuorum ſuffraganeorum vnquam fas fuit, vna relicta ipſis via, quæ ſe ſe ingerere poſſint, appellatione ſcilicèt, extra quam nil immutare Archiepiſcopus, ſeu Metropolitanus poteſt, vel pro ſupplendo defectu, aut negligentia alicuius Eccleſiæ ſuffraganeæ. *C. ne pro defectu. de elect. C. liceat Magiſter. C. literas de ſuppleud. negl. Prælat.* ad quem caſum vix poteſt referri hæc ordinatio, ſeù translatio abſoluta Clericorum ab vna Eccleſia ad aliam. Noſtro demùm æuo, quidquid ſit de Patriarchis reliquis, ſolus Romanus Pontifex hac prærogatiua gloriatur, qui & reſcripta indulget, quibus Clericus, vel Clerici quicumque poſſint à quocumque Epiſcopo ordinari, cui tamen poteſtati moderamen adiiciendum cenſuit Concilium Tridentinum; ſtatuit enim, *vt ab alio Epiſcopo ordinari nullatenùs ſpecialis reſcripti prætextu cuiquam permittatur, niſi eius probitas, ac mores ordinarij ſui teſtimonio commendentur*; & alibi; *facultates de promouendo à quocumque non ſuffragentur, niſi habentibus legitimam cauſam, ob quam à proprijs Epiſcopis ordinari non poſſint, & tunc non ordinentur, niſi ab Epiſcopo in ſua Diœceſi reſidente, aut pro eo Pontificalia exercente, & diligenti præuio examine.* Hactenùs Tridentinum, quod ſaluam voluit Epiſcoporum auctoritatem in ſua Diœceſi, ſalua tamen & ſuprema illa Summi Pontificis tanquam Capitis, & Paſtoris vniuerſæ Eccleſiæ.

Seſſ. 23. c.8. & in præ. ſeſſ. 14. de Reformat.

Seſſ. 7. c. 11. de Reformat.

## De Dimiſſorijs Literis tùm ex veteri, tùm ex recentiori Eccleſiæ vſu. Excurſus.

Diſtrictiſſimè vetitum Epiſcopis, ne alienum Clericum quis ordinare ipſorum audeat ſine licentia proprij Epiſcopi, ſupra iam oſtenſum eſt vel à primis Eccleſiæ temporibus iuſtiſſima, & quàm rationabili diſciplina.

1 Quomodo autem hic conſenſus præſtaretur, eaue præberetur licentia inquiremus, & trademus breuiter. Creditum nonnunquam conſenſum præſumptum proprij Epiſcopi ſufficere, vt alienus Clericus ritè, & licitè poſſet ordinari, præcipuè ſi à ſanctis, & probatis viris id fieret, in quibus charitatis feruor vigeret, nec vlla ambitionis, aut inuidiæ ſuſpicio poſſet aut excitari, aut credi. Hoc ſancto colore excuſat, ac tuetur Epiphanius Salaminæ Cypri Epiſcopus ordinationem à ſe factam in Diaconum mox, & in Presbyte-

rum

rum alieni Clerici, ſcribens enim Ioanni Hieroſolymitano hæc ad rem exprimit omninò regerenda. *Ordinauimus Diaconum, & poſtquam miniſtrauit rurſum Presbyterum, ſuper quo debueras gratulari intelligens, quod ob Dei timorem hoc ſumus facere compulſi maximè, cum nulla ſit diuerſitas in Sacerdotio Dei, & vbi vtilitati Eccleſiæ prouidetur. Nam etſi ſinguli Eccleſiarum Epiſcopi habent ſub ſe Eccleſias, quibus curam videntur impendere, & nemo ſuper alienam menſuram extenditur, tamen præponitur omnibus charitas Chriſti, in qua nulla ſimulatio eſt, nec conſiderandum quid factum ſit, ſed quo tempore, & quo modo, & in quibus, & quare factum ſit*. Quod quidem illud ipſum eſt, quod legimus apud D. Cyprianum, Eccleſiæ totius vnum eſſe Epiſcopatum, cuius ſinguli in ſolidum partem regant, & teneant, quaſi nemo aliena inuadere videatur, quia tanquam circa communia ex charitate verſetur, quæ & quodammodo propria. Vnde paulò inferiùs ſubdit idem Epiphanius. *O verè benedicta Epiſcoporum Cypri manſuetudo, & bonitas, & noſtra ruſticitas ſenſu tuo, & arbitratu digna miſericordia Dei. Nam multi Epiſcopi communionis noſtræ, & Presbyteros in noſtra ordinauerunt Prouincia, quos nos comprehendere non potueramus, & miſerunt ad nos Diaconos, & Hypodiaconos, quos ſuſcepimus cum gratia, & ipſe cohortatus ſum Beatæ memoriæ Philonem Epiſcopum, & Sanctum Theoprobum, vt in Eccleſijs Cypri, quæ iuxta ſe erant, ad meę autem Parochiæ videbantur Eccleſiam pertinere eò, quod grandis eſſet, & latè patens Prouincia, ordinarent Presbyteros, & Chriſti Eccleſiæ prouiderent*. Sancta communicatio, quam informat charitas; at quia hæc ipſa non ſemper eadem vbique feruet, nec vnus in omnibus, & idem ſpiritus, non fuit probanda ſemper hæc communio, quam facilè ſubſequeretur confuſio, fieretque ſæpius inuaſio, quam, vt ab Eccleſia auerterent, & ſtuduerunt, & voluerunt Canones, qui ordinationem ex conſenſu ordinarii faciendam ſtatuunt, qui ſanè conſenſus nec præſumptus ſufficit, nec ratum ex poſt facto habens admittitur, facilè enim nimis fraudibus, & inuaſionibus reſeraretur aditus, & prætextu vnitatis induceretur ſciſſura; fucatus ſiquidem facilis eſt charitatis color. Ideò ordinarii conſenſus viſus eſt neceſſarius, nec verbo tantùm, ſed ſcripto ad omnem excludendam fallaciam expreſſus; ſi enim ſolo verbo fieret conceſſio, & facilè nimis excideret; ac quaſi ſubriperetur, dum è contra ex ſcripto maiorem conſiderationem exigit, & difficilior ſubinde eſſet probatio, & diſſidia facilè nimis excitarentur, qua ipſa ratione iudicii acta conſcribenda per publicam perſonam, aut duorum teſtium auctoritate firmanda decreuit *Innocent. III.* in *C. quoniam contra de probat.* vnde *non licere Clericum alienum ab aliquo ſuſcipi ſine literis Epiſcopi ſui, neque apud ſe retinere, nec laicum vſurpare ſibi de plebe aliena, vt eum ordinet*, ſtatuit *Concilium Carthagin. 1. Can. 5. Conſtantinopolitanum in Trullo Can. 17. Clem. IV. in C. 1. de temp. ord. in 6.* & nouiſſimè alijs omiſſis *Concil. Trid. ſeſſ. 24. C. 2. de Reform.* quatenùs à titulari Epiſcopo quem ordinari vetat *abſque ſui proprij Prelati expreſſo conſenſu, aut literis dimiſſorijs*. Alternatiuè quidem

*Inter Epiſt. Hieron. Epiſt. 60. in princ.*

*Lib. de vnit. Eccleſiæ.*

dem loquitur Concilium, ſed pro expreſſo conſenſu in eo caſu, quo in præſentia proprij Epiſcopi, aut cum præſentia, & cooperatioue eius officialium non proprios ordinaret; tunc enim ceſſante quacumque ſuſpicionis ratione apertiſſimus ille conſenſus etiam ſine literis ſufficeret, at extra caſum huiuſmodi, literæ neceſſariæ ex præſcripto omninò ſunt; quæ quidem varijs nominibus appellatæ fuere; primò enim dictæ ἀπολυτικαὶ dimiſſoriæ, latini omnes vertunt, ſic in *Can.* 17. *Trull. & ibi Balſam. & Zonar.* eodem nomine dictæ, & à *S. Leone* apud *Gratian. diſt.* 72. C. 1. ſecundò dictæ eædem literæ εἰρηνικαὶ, latinè, pacificæ; ſic enim eas vocarunt *Concil. Antioch. Can.* 7. & 8. & *Chalcedon. Can.* 11. & vtrobique *Balſam. & Zonar.* dimiſſorias, & pacificas pro ijſdem agnoſcunt; commendatitias etiam eas nuncupauit *Atticus Conſtantinopolitanus in* C. *ſanctiſſimo* 73. *diſt.* qui Canon eſt exemplar, & formula dimiſſoriæ epiſtolæ, & ſæpius in Capitularibus Caroli Magni, quamuis variet Concilium Chalcedonenſe. Nam συστατικὰς, quas Græci appellant commendatitias diſtinguit omninò *Can.* 11. à dimiſſorijs, at *Can.* 13. pro ijſdem vtraſque accipit; ſed συστατικὰς duas agnoſcunt ibidem *Balſam. & Zonar.* ſiue commendatitias, alias ſcilicet, quæ darentur laicis accuſatis, ſed poſtea innocentibus repertis, alias verò, quæ Clericis dum ab Epiſcopo proprio dimittuntur; formatæ etiam ſunt appellatæ à Latinis ex *d.* C. *ſanctiſſimo* 73. *diſt.* & demùm Canonicæ etiam nominatæ *d. Can.* 8. *Concil. Antiocheni*. Singulas nominum rationes impenſiùs non ſcrutabimur, at dimiſſorias tantùm, pròvt & cum commendatitijs conueniunt, expendemus.

*Lib. 6. c. 130.*

*Vbi ſup. & ad can 33. Apoſt.*

*De ſingulis hiſce Ep. Frãc. Bernard. Ferrar. de antiq. Eccl. Ep. gener.*

2 Conueniunt igitur commendatitiæ, & dimiſſoriæ, ſed non adæquatè adeò, vt inuicem conuertantur, omnes enim dimiſſoriæ dici poſſunt, vt re vera ſunt, commendatitiæ, at non omnes commendatitiæ dimiſſoriæ. Commendatitiæ enim aliquæ dabantur etiam laicis (vt diximus) accuſatis, moxque iuſtificatis, & iſtæ in ſenſum noſtrum non ſunt dimiſſoriæ dicebantur, & ſunt, quibus Epiſcopus Clericum ſuum dimittens, & ab obligatione Eccleſiæ ſuæ ſoluens alteri Epiſcopo ità cedebat, vt in eius Eccleſiam, & poteſtatem migraret, huncque tanquam ſuum poſſet ordinare. Supponit hic literarum vſus peruetuſtam Eccleſiaſticam illam diſciplinam ex *Can.* 6. *Chalcedon.* qua nemo ordinari poterat, quin alicui adſcriberetur Eccleſiæ, cui addictus per totam vitam cenſebatur, nec migrare ſine conſenſu ſui Epiſcopi ad aliam Eccleſiam valebat; quod ſi auderet, tanquam transfuga vindicari poterat à ſuo Epiſcopo, & ad ſe, vt rediret, compelli; emancipatio quædam hæc fuiſſe videtur, qua Clericus ab Epiſcopi ſui poteſtate dimittebatur, frequenti apud Latinos vocabulo, quo cum apud Græcos, tùm apud Latinos liberare à poteſtate, à tutela, ab arbitrio, à cuſtodia, à conſortio, à familiaritate reijcere ſignificatur, pròvt huius verbi *dimittere* varias iuridicas phraſes congeſſit eruditè *Briſſon.* at ad rem noſtram eſt propior, qua exhibet I.C.[us] in *l. dimiſſoriæ* 106. *ff. de verb. ſignif. dimiſſoriæ literæ dicuntur* (ait ibi *Modeſtin.*) *quæ vulgò dicuntur Apoſtoli. Dimiſſoriæ autem dictæ ſunt,* quod

*De Verb. ſignif. lib. 4.*

*quòd per eas cauſa ad eum, qui appellatus eſt, dimittitur*. Verùm quia Epiſcopus ſic dimittens Clericum de vita, moribus, probitate, & meritis eius inſtruebat, ſicque ipſum commendabat, inde factum, vt & ipſæ dimiſſoriç eſſent, ac dicerentur commendatitiæ. Cumque per hoc mutuum commercium pax, & concordia inter Epiſcopos foueretur, ideò etiam dictæ pacificæ; *Quod cum talis adſertur ſcriptura* (inquit *Balſam.*) *ab eo, qui ordinatus eſt, pax erit inter Antiſtites*. Canonicæ demùm, quia per ipſas ſeruatur Canonum executio migrationem Clericorum vetantium, vel quia Canonica redditur eorum ordinatio; fuit hic frequentiſſimus dimiſſoriarum vſus, quo Clericus alteri Eccleſiæ per ordinationem incardinandus, nec amplius reuerſurus, dimittebatur, quæ ratio erat, vt non adeò facilè, aut libenter, ſed non niſi rogati Epiſcopi dimiſſorias huiuſmodi literas concederent; rogatos fuiſſe ab ipſis Clericis indicant S. Leonis verba in C. 1. 72. *diſt. Epiſcopus ſubiecto ſibi Sacerdoti, vel alij Clerico, niſi ab ipſo poſtulatus, dimiſſorias non faciat, ne ouis quaſi perdita, aut errans inueniatur*. Idipſum expreſsè confirmat exemplar, aut formula Attici in C. *ſanctiſſimo* 73. *diſt.* ait enim; *Hermanus Clericus paruitatem noſtram rogauit*; neque enim debuit Clericus inuitus in aliam Eccleſiam transferri, ſicut ex lege adoptionis ſine conſenſu nemo in alienam familiam transfertur *l. in adoptionibus* 5. *ff. de adopt. ſin autem à patre datur in adoptionem* (ait ibi *Celſ. I.C.*) *in ijs vtriuſq; arbitrium expectandum eſt, vel conſentiendo, vel non contradicendo*. Verùm beatis illis temporibus Epiſcoporum, vt ſumma erat charitas, & probitas, ità par erat erga eos veneratio adeò, vt ipſorum iuſſa planè ſacra haberentur; Clericorum verò erga Epiſcopos tanquam Patres ea affectio, is cultus, eaque obedientia, vt ab eis recedere, vnuſquiſque à ſuo, vix cogitarent, nedum eos pro dimiſſione rogarent, nec alij Epiſcopi Clericos ipſos prouocabant, quia eos ſollicitare nefas planè habebatur, ideò ſi quis Epiſcopus Clericis egeret, ab eo petebat Epiſcopo, qui plures haberet, & cui commodum eſſet aſſignare, & concedere; id cautum *Concilio Carthagin.* 1. *Can.* 5. ne quis ſcilicet alienum vſurpet; *ſed ſi fortè erit neceſſarius, petat à collega ſuo, & per conſenſum habeat*. *In Carthagin. III. Can.* 45. Aurelius Epiſcopus ait. *Sanè, quomodo Eccleſiç alterius tu ſubueneris, perſuadebitur illi, qui plures habet Clericos, vt vnum tibi ordinandum largiatur*. Cui inhærens *Innoc. I.* ſcribit ad Victricium Rothomagenſ. *Vt de aliena Eccleſia Clericum ordinare nullus vſurpet, niſi eius Epiſcopus precibus exoratus concedere voluerit*; ſic denique *S. Leo Magnus ad Anaſtaſ. Epiſcopum Theſſalonicenſ. Alienum Clericum inuito Epiſcopo ipſius nemo ſuſcipiat, nemo ſollicitet, niſi fortè ex placito charitatis id inter dantem, accipientemque conueniat*. Hinc igitur factum, vt non aliter dimiſſorias Epiſcopus niſi rogatus concederet, nec Clericum ſuum niſi ei, à quo rogatus, cederet, nec alia affectione, aut cura, quàm qua pater filium ſuum adoptandum patri adoptanti traderet; non quidem facilè, ſed precibus inductus, quando & qui militiæ præeſt parciſſimè commeatum dare debet *l. officium ff. de re milit.*

*Ad Canon. 11. Concil. Chalcedon.*

*Tom. 1. Ep. Decretal. Innoc. ep. 1. pag. 74.*

*Epiſt. 84. cap. 9.*

*milit.* Proſtant antiquarum dimiſſoriarum formulæ, ſed ea præcipua Attici Conſtantinopolitani iam citata apud *Gratian. d. Can. ſanctiſs. diſt.* 73. ex qua omnia ſupradicta confirmata intueri facilè licet. Nec minùs diſcere, quàm cautè, & quibus contra falſitatem præſidijs eæ conſcriberentur per Græcos caracteres, qua de re *Io: Dartis.* & latè *P. Iacob. Sirmond.* Vteumq; autem fuerit hæc dimiſſorias literas concedendi ratio, non tamen infieiamur fuiſſe aliquandò ita datas, vt Clericus, qui ordinandus cum ijs dirigeretur, redire iterùm ad Ecclesiam ſuam deberet, nec tranſiret in ius, & poteſtatem Epiſcopi ordinantis, Eccleſiæ eius neutiquam incardinandus; ſic factas ordinationes indicat Epiphanius in citata iam epiſtola ſua; ſic Helias Abbas direxit Epiphanium ordinandum ad S. Gregorium Magnum ſub ſpe reditus ad Monaſterium, vnde diſceſſerat, quamuis mos Romanæ Eccleſiæ eidem ordinato in Subdiaconum reditum non permiſerit, vt ſcribit *S. Greg. Heliæ Presbytero, & Abbati*; ſed tamen priſcis illis temporibus rara admodum, ac planè inuſitata hæc literarum dimiſſoriarum forma. Epiſcopis etiam neceſſarias dimiſſorias literas, ſi eſſent longiùs peregrinaturi, aut ad comitatum Imperatoris ad Imperatorem, aut Regem ituris certum eſt, ex *Concil. Carthag.* 3. *Can.* 28. *Balſam. & Zonar. ad Can.* 23. & 26. *Syn. Carthag.* ſed de his non nobis ſermo.

*Ad Can. 1. 73. d. diſt. ad op. 8. lib. 6. ſidon. Apollin.*

*60. apud Hieron.*

*Lib. 4. indic. 13. ep. 30.*

3 A vetuſtæ huius obſeruationis notitia ad dimiſſorias æui recentioris Eccleſiæ, adeòque & noſtri, deſcendimus, quibus Clerico ſuo ordinis ſuſcipiendi facultatem Epiſcopus largitur; Reuerendas nuncupatas ait *Concil. Trident.* immò & commendatitias pariter, ac dimiſſorias, quia ordinandæ perſonæ ſimul commendationem contineant; non tamen per hoc commendatitias, quibus virtus, probitas, dignitas ordinandi, eiuſque ad ordines ſufficientia commendatur continuò dixeris dimiſſorias, quia qui iuriſdictionem non habet commendatitias huiuſmodi dare poteſt, at dimiſſorias non item, quæ iuriſdictionem Epiſcopalem & ſupponunt, & requirunt; praxis id confirmat, quam præſcribit *Concil. Trid.* ſi quis enim dimiſſorias obtineat à Summo Pontifice, vt à quocumque Antiſtite poſſit ordinari, fieri tamen hoc non poterit ſine ordinarij ſui teſtimonio de probitate, & moribus, & hæ commendatitiæ Epiſcopi non erunt dimiſſoriæ, cum nullam contineant facultatem ad ordinationem. Indeque emicat differentia inter dimiſſorias antiquioris Eccleſiæ æui, & recentioris. Antiquę enim, vt diximus, ordinandum verè dimittebant à iure concedentis, & transferendo ipſum in aliam Eccleſiam Epiſcopo ordinanti ſubijciebant. Nondum erant tunc erecta beneficia; ordinari nemo poterat, quin ſimul adſcriberetur Eccleſię, ac in ea ſortiretur miniſterium. At recentiores dimiſſoriæ nihil adimunt concedenti, nihilq; ordinanti acquirunt, & toties ſunt concedendæ, quoties quis ab alio, quàm ab Epiſcopo ſuo voluerit ordinari, niſi fortè generales ad omnes ordines ſuſcipiendos ſemel habuerit, quæ tamen directæ ad certum vnum Epiſcopum pro alio non inſeruient, ſi ordinandus ad alium tranſire voluerit. Itaque vt recentiorum dimiſſoriarum vſum exhibeamus, in duplici differentia illæ ſunt, aliæ enim generales, aliæ ſpeciales; generales iterum duplices, aut enim ratione perſonæ, puta quia ita generaliter conceptæ, vt Clericus à quocumq; Antiſtite Catholicæ communionis,

*Seſſ. 7. de ref. C. 16.*

*Seſſ. 23. c. 8. de Reform.*

iuxtà formulam *Innoc. III. in C. veniens 19. de præſcrip. & ibi Gloſſ.* poſſit promoueri, quem ipſe maluerit, aut ratione ordinum, puta, quia datæ ad primam tonſuram, & omnes ordines, aut ſuppoſita tonſura ad omnes paritèr, vel ad vnum, aut duos, qui fortè deeſſent, nihilominus enim generales adhuc erunt dimiſſoriæ. Proſtat de vtraque generalitate exemplum in *C. ſi Epiſcopus*. §. *eius autem de præb. in 6.* ſpeciales verò duplici etiam appoſito modo dicuntur, aut enim ſpeciales, quia ſingulari, & nominatim expreſſo Epiſcopo ſint datæ, aut quia ad ſingularem, & vnicum, ſiue ſpecialem ordinem ſint directæ.

Quęcumque autem illæ ſint, ordinario iure, & regulariter ſolus Epiſcopus eas concedere poteſt; regula enim generalis firmatur, quod eius eſt dimiſſorias literas ad ordines dare, cuius eſt per ſe ordinare ex *C. poteſt quis 65. de reg. iur. in 6.* Cum igitur Epiſcopus originis, beneficij, & domicilij poſſint ordinare *C. cum nullus de temp. ord. in 6.* poterunt etiam literas dimiſſorias concedere. Per accidens tamen nonnunquam regula mox ſupra tradita limitationem patitur. Nam ſi Epiſcopus ſit electus, confirmatus, at nondum conſecratus, poterit quidem dimiſſorias largiri, quamuis ordinare non poſſit *C. noſti C. tranſmiſſam de elect. C. auaritię eod. in 6.* Pontifices Summi paſſim in epiſtolis ſuis, vt *Calixtus II. Sixtus II. Iulius I. Capitularia Caroli Magni*, omnes enim vnum ab alio inferunt, ea ſiquidem eſt harmonia, iſque concentus iuriſdictionis, & ordinis in Epiſcopo, vt mutuo nexu, & conſenſu ſe iuuent; quaſi enim claudicat iuriſdictio, vtcumque plena, cui ordinis, & conſecrationis non acceſſerit caracter, & decus, ſed tamen perfecta eſt iuriſdictio in ſe, nondum etiam addito ordine, ideòque dimiſſorias poteſt concedere. Ex quo principio efficitur, vt inferiores Epiſcopo prælati ſubditis ſuis, Officiales, aut Vicarij ſine ſpeciali mandato, vel Epiſcopo in remotis agente, neque Capitulum, niſi aliquando Sede vacante, poſſint dimiſſorias concedere. Vetuit expreſsè *Bonif. VIII. in d. C. cum nullus de temp. ord. in 6.* interdixitq; Archidiacono *Innoc. III. in C. ſignificaſti de off. Archid.* & abrogatis quibuſcumque priuilegijs, præſcriptionibus, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, ademit nouiſſime Abbatibus quantumuis exemptis *Concil. Trident.* niſi impropriè dimiſſorias appellare velimus literas, quibus ſibi ſubditos præſentant Epiſcopo, aut eo deficiente, impedito, aut non ordinante alij Epiſcopo exhibeant, iuxtà ſupra tradita ex S. Congregationis Decreto. Quando autem dicatur Epiſcopus in remotis agere, vt Vicarius eius dimiſſorias concedere poſſit, inquirit *Gloſſ. ad d. C. cum nullus verbo in remotis*, & ad eam remittimus.

*Epiſt. 2. Epiſt. 2. Epiſt. 2. Lib. 7. c. 310.*

*Seſſ. 23. de Reformat. c. 10*

4 Non omnibus, nec adeò facilè debet Epiſcopus dimiſſorias concedere, optauit Tridentina Synodus, vt Epiſcopus ipſe munus tantum, adeòque ſublime exequatur. *Epiſcopi* (ait) *per ſemetipſos ordines conferant*. Nec aliud impedimentum memorat, quàm ægritudinis; quod ſi ægritudine fuerint impediti, *ſubditos ſuos alitèr, quàm iam probatos, & examinatos ad alium Epiſcopum ordinandos dimittant*. Munus planè Diuinum, ac excelſum, cui, quàm ſedulò incubuerint Summi Romani Pontifices, teſtatur paſſim Eccleſiaſtica hiſtoria, ex qua ipſos inter perſecutionum turbas, inter ipſius vitæ diſcrimina Presbyteros, Diaconos, alioſque intrepidè ordinantes intuemur. Gloriam ſuam agnoſcant in munere

*Seſſ. 23. c. 3. de Reformat.*

munere tanto Epiſcopi, ac ſupremi Capitis Eccleſiæ imitentur exemplum, ordinent ipſi, paternamque charitatem exerceant miniſtros propagantes Eccleſiæ, ſibique filios, & quamuis vnam ægritudinem excipiat S. Synodus, eo nomine legitimum quodcumque impedimentum accipiemus pro recto, ac prudenti Epiſcopi arbitrio, & vt tutò commendare dimittendo valeant, probatos, congruoque diſcuſſos examine dimittant, quos ſubinde ordinaturus Epiſcopus, ad quem dimittuntur, circa mores, & vitam, quæ Epiſcopo dimittenti præſumuntur magis perſpecta, non vrgebit, at quòad eruditionem, & doctrinam integrum erit ei tentare iterùm, & fortaſſe tutiùs, nec dolere, aut declinare debent probè inſtructi ordinandi nouam cenſuram.

5 Terminantur, & expirant dimiſſoriæ literæ, primùm tempore, ſi aliquod ſit adiectum, certuſque terminus ad earum executionem, ac implementum præfixus, non eſt frequens hic modus, quia nec conſueuit certus terminus in dimiſſorijs præſcribi, rationabile tamen, ne dicamus neceſſarium, hoc eſſet, attamen, ſi adijciatur tempus, ex voluntate adijcientis literas dimiſſorias perimet; ſecundò finiuntur reuocatione facta ab Epiſcopo concedente, eaque inſinuata legitime, & ordinando, in eius fauorem ſunt datæ, & Epiſcopo, ad quem ſunt directæ. *C. ex parte, & ibi Gloſſ. de reſcrip. C. mandatum, & ibidem Gloſſ. de procur.* vel ſi reuocatio publico decreto facta fuerit, & confirmata, quo caſu afficiet, etiamſi non fuerit notificata. *C. ſi poſtquam. C. dudum C. ſi beneficia de præb. in 6.* ſatis enim inſinuata intelligitur, ex quo fuit legitimè promulgata, ſicque ignorantes obligat, qui nihilominùs in contrarium agentes excuſantur & à peccato, & à pœna. Nec ambigimus, quin Epiſcopus ingrediens ſuæ Eccleſiæ regimen poſſit dimiſſorias tum à Capitulo, tum à præceſſore conceſſas reuocare, quicumque enim ante ipſum Eccleſiam, & Diœceſim rexerunt eum ligandi auctoritatem non habuerunt; *vt not. Rebuff.* An autem morte Epiſcopi, ſeù eius Vicarij concedentis expirent dimiſſoriæ dubitari poteſt; affirmabis ex regula, qua mandatum morte mandantis expirat. *C. gratioſæ de reſcript. in 6. l. mandatum. C. mand.* & ex eo item, quod reuocato procuratore omnia ſubinde geſta irrita ſunt. *C. auditis; & alibi paſſim de procur.* & præſertim, quæ imperfecta ſunt poſt reuocationem perfici non poſſunt. *C. ſi cui de præb. in 6.* at ex oppoſito verius, non expirare per mortem concedentis dimiſſorias literas; hæc enim dimiſſoriarum largitio iuriſdictionis voluntariæ eſt, quæ perfectè conceſſa, & adepta ab obtinente non expirat, etiamſi decedat concedens, vel committens, apertè *Bonif. VIII. in C. ſi ſuper gratia de off. & poteſt. Iud. deleg. in 6. & in d. C. ſi cui de præb. in 6.* & iuſtè quidem; cum enim ſit gratuita, & liberalis quædam largitio, ſiue donatio, ſemel facta non expirat morte concedentis; gratia ſemel facta non pendet à vita facientis; eam enim decet eſſe manſuram, vt inquit *Bonifac. in d. C. ſi ſuper,* neque à mandato, quod expirat morte mandantis. *l. inter cauſas ff. mand.* ad literas haſce dimiſſorias licet arguere, cùm non habeant ipſæ rationem mandati, ſed gratiæ potiùs, & beneficij, neque rei integræ, aut non integræ ratio habenda eſt; in actu enim merè gratioſo, & conceſſione voluntariæ iuriſdictionis ceſſat hic reſpectus, cum accipiens ius faciat ſuum, quod per mortem alterius ei non eſt adimendum, idemque cenſendum de dimiſſorijs, quas conceſſerit Vicarius Generalis

*In praxi rub. de form. liter. dimiſſ. n. 44.*

Epiſcopo in remotis agente nondum intellecta morte ipſius Epiſcopi iam ſecuta, quandiu enim de Epiſcopi morte nihil eſt auditum, Vicarius legitima auctoritate fruitur; fit enim ſæpè, vt in moralibus poteſtas legitima ſit, quia pro legitima habetur; cum igitur dimiſſoriæ huiuſmodi proceſſerint ab auctoritate legitima eandem habere debent ſortem, quam habent legitimæ aliæ, quæ morte concedentis non expirant. De formulis literarum dimiſſoriarum non ſumus ſolliciti, cum proſtent penès formularios, & pragmaticos, à quorum partibus omninò temperamus. Hæc ergo de Dimiſſorijs ſatis per excurſum.

## CAP. VII.

## De Tempore ad Ordinationem Sacram.

1 *Tempus ad tonſuram, & ordines minores, & circa eos dubia plura.*

2 *Quod tempus pro maioribus ordinibus ſtatutum, & vnde ea obſeruatio, vt quatuor ieiunij temporibus conferantur.*

3 *De pœna peractæ ordinationis extra tempora.*

4 *Quæ dies præcipuè ex tribus ieiunio dicatis pro ordinatione ſelecta, & quæ hora, qua ratione.*

5 *Cur abditus vſus circa horam ordinationis.*

6 *Plures ordines eodem die quatenus poſſint conferri, & de ſingulis diſſeritur, & in fine de loco ordinationis remiſſiuè.*

7 *De tempore inter ordines ſuſcipiendos, quod interſtitiorum nomine appellatur.*

8 *Quis diſpenſare, & quatenus poſſit in interſtitijs, & quomodo computari ea debeant.*

9 *Quibus rationibus inducta interſtitia, & quatenus conſtitutionibus poſterioribus iiſdem derogatum.*

TEmpus ad ſacræ ordinationis actum dupliciter conſideramus; primùm quoad ordines ipſos ſimpliciter conferendos; ſecundò quatenùs inter ipſos ordinum gradus tempus per ſtata interualla veniat cuſtodiendum; opportunè ad *tit. de tempor. ordinationum ex primo decretalium libro*, ſegregabimus tonſuram, & ſimplicis Clericatus initiationem, cum quatuor minoribus ordinibus à tribus maioribus citra Epiſcopatum, & circa ſingulos tempus conſtitutum expendemus; excelſum igitur hoc ordinationis opus non quolibet tempore fuit peragendum, *omnia* quippe *tempus habent*, & *cuncta fecit Deus bona in tempore ſuo*. Debuit igitur excellens hic initiandi actus non promiſcuo, ſed ſtato, ſacratoque tempore expediri, ac pro ordinum excellentia varium conſtitui. *Eccleſ. cap. 3.*

1 Clericatus itaque, & prima tonſura quacumque die, & hora poteſt conferri; minores ordines quatuor ſingulis Dominicis, & feſtis diebus duplicibus, at non hora qualibet diei, ſed tantùm matutina; præſcribit Pontificale Romanum; tonſura enim, vt aliàs aduertimus, nihil poteſtatis tribuit, ſed merè capacem ad maiora, ac diſpoſitum tonſuratum reddit, ac proinde tempus quodlibet aptum, & quælibet hora habita congrua. De quatuor minoribus ordinibus diſtrictè reſcripſit *Alex. III.* Herfordienſi Epiſcopo in *C. de eo 3. de temp. ord.* cuius verba hic lubet deſcribere. *De eo autem, quod quæſiuiſti, an liceat extra ieiunia quatuor temporum aliquos in Oſtiarios,* *De ordinib. conferend.*

Lecto.

*Lectores, Exorciſtas, vel Acolythos, aut etiam Subdiaconos promouere; taliter reſpondemus, quod licitum eſt Epiſcopis Dominicis, & alijs feſtiuis diebus vnũ, aut duos ad minores ordines promouere, ſed ad Subdiaconatum niſi in quatuor temporibus, aut Sabbato Sancto,* ***aut Sabbato ante Dominicam de Paſſione nulli Epiſcoporum, præterquam Romano Pontifici licet aliquos ordinare.*** Notandaque hic attentè moderatio, quam in reſcripto ſuo exigit *Alex. III.* vtcumque ordinum minorum collatio extra ſtatuta tempora concedatur, non tamen ità libera, vt quot libuerit liceat ordinare, ſed vnum tantùm, aut duos, vnde dubitare fas eſt, an plures liceat? *Gloſſ.* enim affirmat, dum tamen ita temperatè fiat, vt ex numero ordinatio generalis non videatur, Summiſti plurimi negant, & tutior eorum habenda opinio; nam, vt inquit *Vlp. in l. 1. §. ſi is, qui nauem ff. de exercit. act. in re dubia melius eſt verbis edicti ſeruire.* Opinionum varietas rem dubiam facit, reſcripti verba ad vnum, aut duos reſtringunt, ſatiùs igitur erit non excedere, niſi vigeret conſuetudo, quæ exceſſum probaret, cui inſiſtere fas eſſet, ex quo iam notum, quæ in poſitiua, & rituali materia eius ſint vires, ex verbis ipſius reſcripti arguimus licere Epiſcopo omnes quatuor minores ordines eodem die vni conferre, vt notauit & *Gloſſ. ad C. 2. verbo minores de eo qui furtiuè ord. ſuſcep.* verùm ſpectata Concilij Tridentini conſtitutione in verbis illis. *Atque ità de gradu in gradum aſcendant, vt in eis cum ætate vitę meritum, & doctrina maior accreſcat.* Laudabiliùs aget Epiſcopus, ſi abſtineat, niſi vrgens neceſſitas, aut iuſta alia cauſa pro arbitrio, ac diſcretione ipſius contrarium ſuadeat, vnde inter ordinem vnum, aut alium interuallum ſtatuetur ſaltem de vno feſto ad aliud, vel meliùs de vno ex temporibus generalium ordinationum ad aliud. Vltra diem reſpicienda eſt & hora, quæ quidem pro prima tonſura nulla eſt ſtatuta, ſed pro arbitrio etiam pomeridianis horis conferri poteſt, at pro minoribus ordinibus, qui Dominicis, aut alijs feſtiuis diebus conferuntur, matutinas horas præſcribit Pontificale Romanum, & pomeridianis horis licere eos conferre negarunt ſcribentes, quamuis contraria inolita conſuetudo poſſit contrarium operantes excuſare ità, vt veſperi Feriæ ſextæ ante Sabbatum, quo habenda eſt ordinatio, minores licitè poſſint conferri, non quidem ideò, quia (vt cenſuit *Henriquez*) veſperę Feriæ ſextæ fictione iuris Eccleſiaſtici habentur pro die Sabbati, hæc ſiquidem fictio reijcitur ex eo, quod ſi ità eſſet, non poſſent minores ordines conferri in veſperis Feriæ ſextæ, & manè Sabbati Subdiaconatus *arg. tex. in C. literas. de temp. ord.* cum tamen immò in praxi conferantur alicui ordines minores Feria ſexta in ſero, vt mane Sabbati poſſit ipſi conferri Subdiaconatus, diſpenſatione facta, ex iuſta cauſa ſuper interſtitijs, vnde ex veteri ordine Romano regeſſit hæc verba *Gratian. in C. quando 75. diſt.* quamuis ſit inſcriptum caput *Palea*; *quando & vbi libitum fuerit vſque ad Subdiaconatus officium ordinantur Clerici*, quod ipſum firmauit *Gloſſ. ad C. ordinationes 3. 75. diſt.* Quæ quidem non ſine probabili fundamento ſunt dicta, at verò, quando *Alex. III.* minores ordines Dominicis tantùm, & feſtiuis diebus conferri poſſe decreuit derogare contrario iuri, & vſui omninò voluiſſe videtur; & Pontificale Romanum, cui in rituali ſtandum omninò eſt, & ſine piaculo recedere ab eo non licet, dum certum tempus pro minoribus ordinibus præfi-

*Seſſ. 23. de Refor. cap. 11.*

*Vbi ſupra.*

*Lib. 10. de Sacram: ord. cap. 12. nu. 2.*

præfigit, quodlibet aliud excluſiſſe cenſetur, præſertim cum horas matutinas pro ipſis præſcribat; non igitur ratione, ſiue auctoritate, ſed ſola conſuetudine præſcripta nitantur, qui contrarium fortaſſe obſeruant,

Ideò autem indultum, vt extra ſtatuta ſacræ ordinationi tempora poſſint minores ordines conferri, quia minori indigent apparatu, quàm maiores, cum enim minoris ſint auctoritatis ieiuniorum obſeruatio in ipſis non requiritur, non conuentus publicus, non populi concurſus, non demùm tanta ſolemnitas; at verò, ne qua veneratione deſtituerentur Dominici, & feſti dies tanquam celebriores ipſis præſcripti; vt ex diei ſolemnitate debita conciliaretur veneratio, nec deeſſet populi concurſus, qui feſtis diebus templa frequentant; ſeruanda igitur viſa eſt inter maiores, & minores ordines conferendos diſtinctio, atque diuerſitas, ſed ſine vllo dignitatis diſpendio, & ſaluo ſingulis ſuo cultu.

2 Iam ad maiores ordines progrediendum, pro quibus cum dignitate conferendis ſelectum tempus, quod tantæ actionis maieſtati in omnibus reſponderet. Præiuère in ſolemnibus præſcribendis Apoſtoli, vel in ipſis naſcentis Eccleſiæ crepundijs, dum ad Spiritus Sancti iuſſum Saulum, & Barnabam ſacris maioribus initiarunt. *Miniſtrantibus autem illis Domino* (ſcribit *Lucas*) *& ieiunantibus dixit Spiritus Sanctus; Segregate mihi Saulum, & Barnabam in opus, ad quod aſſumpſi eos, tunc ieiunantes, & orantes, imponenteſque eis manus, dimiſerunt illos.* Hoc exemplar ſeruati ritus ab Apoſtolis in ſacra ordinatione peragenda intuita Eccleſia tempus ad maiores ordines conſtituit, quod iam ſtato ieiunio omnibus fidelibus erat ſolemne, ac antequam peropportunum. Iam ex Apoſtolorum inſinuatione vniuerſæ Eccleſiæ quatter in anno fuit indictum ieiunium, quod per tempora anni diſpoſitum *quatuor temporum* appellatur, cuius inſtitutionis rationem reddit *S. Leo Magnus*. *Ideo enim* (inquit) *ipſa continentiæ obſeruantia quatuor eſt aſſignata temporibus, vt in idipſum totius anni redeunte decurſu cognoſceremus nos indeſinenter purificationibus indigere*. Præceſſit conſimile in veteri lege inſtitutum ſingulis annis recurrentis ieiunij, ac per menſes diſpoſiti; de quo *Zaccharias Propheta*. *Ieiunium quarti, & ieiunium quinti, & ieiunium ſeptimi, & ieiunium decimi erit domui Iuda in gaudium, & lætitiam, & in ſolemnitates præclaras.* Quæ quidem ieiunia per menſes ſingulos poſt alios nouiſſimè, & accuratè expoſuit *P. Stephan. Menoch.* noſque ab ea cura temperamus. Nec tamen iudaizandi in Eccleſia, & in Euangelio ſcrupulum inijciunt hæc Iudæorum imitata veſtigia, ſi quæ enim ab ipſis geſta, quæ ad mores inſtruendos, ac componendos proficiant, hæc ſequi, & complere fideles non dedecet, quà moralia potiùs ſunt, quàm quà legalia. Pulchrè idem *Leo Magnus* ſic exorditur. *Apoſtolica inſtitutio, Dilectiſſimi, quæ Dominum Ieſum Chriſtum ad hoc veniſſe in hunc mundum nouerat, vt legem non ſolueret, ità veteris teſtamenti Sacramenta diſtinxit, vt quædam ex eis ſicut erant condita, Euangelicæ eruditioni profutura decerperet, & quæ dudum fuerant conſuetudinis Iudaicæ fierent obſeruantiæ Chriſtianæ*. Mox inferiùs. *Quod igitur ex veteris prædicatione doctrinæ ad purificationem animarum, corporumque noſtrorum ieiunium ſeptimi menſis adſumimus, non legalibus nos oneribus ſubijcimus, ſed vtilitatem continentiæ, quæ Chriſti Euangelio ſeruit, amplectimur*.

*Act. cap. 13. 2.*

*Serm. 9. de ieiun. ſept. menſ in fin.*

*Cap. 8. 19*

*De Rep. Hebr. lib. 3. cap. 12.*

*Serm. 7. de ieiun. 7. menſ.*

Tran-

Tranſlata igitur à lege in Euangelium ſtata hæc ieiunia ex Apoſtolica traditione, viſa etiam Eccleſiæ ſunt opportuna, vt cum ſacra ordinatio à ieiunantibus ſit peragenda, *Can.* 13. *Apoſt.* in hiſce ieiuniorum ſolemnibus celebraretur, vt ſic ad ordinationem diſponerent, ac inſeruirent quatuor temporum ieiunia, ſimulque ipſa celebritatem maiorem mutuarentur à tanto munere. Addita etiam ſunt Sabbata duo, ante Dominicam de Paſſione vnum, & Sanctum ante diem Paſchæ alterum, ob ſantitatem Quadrageſimæ, qua ter ordinatio viſa eſt celebranda. Omittimus rationes alias tum myſticas, tum morales, de quibus *Amalarius*, & *Honorius*.

*De Diuin. offic. lib. 2. c. 1.*

Non tamen quolibet temporum primitùs fuit celebrata ordinatio, ſed præſertim Decembrio menſe, inquit *Amalar.* vſque ad Simplicium Pontificem Romanum, qui primus Februario menſe ordinauit, Pontifices alij ſucceſſiuè alijs menſibus; ſed demùm ſtabilita hæc quatuor temporum ieiunia pro ſacris ordinationibus; tradunt *Albinus*, *Flaccus*, *Amalar. Fortunat. Raban. Maur.* & alij; Conſtitutioneſq; Eccleſiaſticæ conditæ pro ipſis, additis inſuper Sabbato ante Dominicam de Paſſione, & Sabbato Sancto; ſic enim *Gelaſ. Summ. Pontif. Gregor. II. Vrban. II.* & demùm *Alex. III. in cit. ſup. C. de eo de temp. ordinat.* & deſcriptis eiuſdem ſupra verbis; idque diſtrictè adeò ſtatutum, ac præfixum, vt extra hæc ipſa tempora ordinati ab ordinum ſuſceptorum executione ſuſpendantur, & ordinans Epiſcopus pœna conſimili plectatur.

*In Gemma anim. l. 4. c. 155*

*Lib. 2. de Diu. offic. cap. 1.*

*Albin. Flac. vbi ſup.*

*Lib. 2. c. 4 de inſtit. Cleric.*

*Tom. 1. Ep. 6. ad Epiſc. per Lucã. diſt. 75. c. vlt. ep. 3 tom. 2. ep. decet. In Cõcil Clarom. act. 2. ante fin.*

3 De ordinante *Clemens III.* Epiſcopum Clarienſem ſuſpendi iubet pro eo, quod Clericum quemdam in Presbyterum ordinaſſet in Vigilia Aſſumptionis B. Mariæ. De ordinatis *C. cum quidam de temp. ordin.* quod tamen ità accipimus, vt ſuſcepto, & impreſſo caractere ſola ordinum executio impediatur *cap. conſultationi eod.* An autem hæc ſuſpenſio ipſo iure incurratur, an verò Iudicis decretum exigatur dubium eſt; ſi enim verba prædictorum iurium *Vrbani III.* & *Gregorij IX.* ſpectemus, magis factum hominis, quàm ſolam iuris auctoritatem inſinuare videntur, qua quidem retenta ſententia facile eſt conciliare Vrbanum Tertium in *d.* C. *cum quidam* cum *Greg. IX. in* C. *conſultationi*; quatenùs ille reſeruatam ſupponit Apoſtolicæ Sedi abſolutionom à ſuſpenſione ordinati extra tempora, hic verò arbitrio Epiſcopi ipſam videtur relinquere, non enim ita eſt, ſed Gregorius IX. arbitrio relinquit Epiſcopi ferre, aut non ferre ſuſpenſionis ſententiam in malè ordinatum, & ſpectata eius pœnitentia pati, & indulgere, vt inſuſceptis ordinibus miniſtret; lata verò ſententia, ſuſpenſioneque inducta, auferre ipſam alia, quàm Pontificia manus non poſſet, quod ſi ipſo iure incurreretur ſuſpenſio, conciliari hæc antinomia facile adeò non poſſet; quod autem ipſo iure malè, & extra tempora ordinatus ſuſpenſionem incurrat commune eſt ſcribentium votum, quod tamen reijcit Pij II. conſtitutio, qua cautum, vt ordinatus extra ſtatuta tempora à ſacrorum ordinum executione ſit ipſo iure ſuſpenſus, neque in conſtitutione ipſa vlla innouati iuris, aut obſoleti mentio habetur; ſed hominum temeritati quaſi maius, & potentius remedium adhibetur, idque apertè indicat hactenus ſuſpenſionem huiuſmodi ipſo iure non ligaſſe, vtcumque ſcribentes oppoſitum & crediderint, & aſſeruerint. Hanc conſtitutionem innouarunt confirmantes, & in regulas Cancellariæ Apoſtolicæ transferentes Summi Ponti-

*Bullar. tom. 1 pag. 392.*

*Reg. 2. 3. 24.* Pontifices *Clem. VIII. Paul. V. &* *Greg. XV.* adeòque afficit hæc ſuſpenſio, ſi incurratur, vt ſolus Romanus Pontifex abſoluere poſſit, ac ſuſpenſum liberare, non enim conſtitutio tempus aliquod præfigit, ſed indefinitè loquens ſuſpenſionem ipſam perpetuam reddit C. *cupientes* §. *cæterum. de elect. in 6.* ac proinde ſequitur poſſe neminem eiuſdem diſpoſitionem infringere, & factum Summi Pontificis reuocare, niſi ſuſpenſio ipſa, & irregularitas eſſet occulta, quo caſu Epiſcopus diſpenſare poſſet, iuxta Concilii Tridentini decretum *ſeſſ.* 24. *de Re-* *De off. & poteſt. Epiſc. alleg. 17. n. 17.* *form.* C. 6. vt notauit *Auguſtin. Barboſa.*

4 Ex tribus autem diebus ieiunio dicatis ſelecta eſt dies Sabbati pro ordinibus ſacris conferendis, idque ex Apoſtolica traditione profectum *S. Leo* *Epiſt. 57.* *Magnus* teſtatur ſcribens Marciano Auguſto de Anatolio Andream Eutichianiſtam ordinante. *Adeò nimia commotione turbatur, vt conſecrationem, quam pro iniuria dabat ſextæ Sabbati, traditionis Apoſtolicæ, aut neſcius, aut oblitus inferret*, ſicque Apoſtolicam traditionem indicat, vt non ſexta feria hebdomadæ, ſed ſeptima, quæ eſt Sabbatum, Diaconatus ordo conferatur. Hoc ipſum (& expreſſiùs) repetijt ſcribens Dioſcoro *Epiſt. 81. cap. 1. & in præf. Epiph.* Epiſcopo Alexandrino. *Quod ergo à Patribus noſtris propenſiore cura nouimus eſſe ſeruatum, à vobis quoque volumus cuſtodiri, vt non paſſim diebus omnibus Sacerdotalis, & Leuitica ordinatio celebretur, ſed poſt diem Sabbati eius noctis, quæ in prima Sabbati eluceſcit exordia deligantur, hoc eſt ſub lege Diuini officij ſubſtituantur, in quibus his, qui conſecrandi ſunt ieiunis, & à ieiunantibus ſacra benedictio conferatur, quod eiuſdem obſeruantiæ erit, ſi mane ipſo Dominico die, continuato Sabbati ieiunio celebretur, à quo tempore præcedentis initia non recedunt, quam ad diem Reſurrectionis, ſicut etiam in Paſcha Domini declaratur, pertinere non dubium eſt.* Hactenus *Leo Magnus*, cuius verba tranſtulit *Gratian. in* Can. *quod à Patribus* 75. *diſt.* ad quem canonem innuit *Gloſſa* dubitatum, an hæc Leonis verba ſint accipienda de ſolo Sabbato Sancto præcedente ſolemnem Reſurrectionis diem, an verò de quolibet Sabbata quatuor temporum. Diuiſæ ſanè ſunt opiniones; viſum aliquibus de Sabbato tantùm Sancto intelligi, & non de alijs, quia moris fuerit, vt Miſſa in eo Sabbato non mane, ſed in Veſperis celebraretur, & in principio noctis ſequentis, præbetque certiſſimum argumentum oratio, qua in Miſſa Sabbati vtitur adhuc Eccleſia; ait enim; *Deus, qui hanc Sacratiſſimam noctem &c.* Itaque ſub ipſo noctis initio in Sabbato Sancto ordines conferebantur, quandiu non niſi inter Miſſarum ſolemnia poterant conferri, igitur peracta ſic ordinatio ad diem Dominicum ſpectabat, & die Dominico perfecta intelligebatur, qua opinione atterna idem eſſet ordinem conferri continuato Sabbati ieiunio die Dominico, ac conferri Sabbato ad Veſperam, cum Veſperæ huius Sabbati pertineant ad Dominicum. De hoc igitur Sabbato accipiunt S. Leonis verba, & præſertim finalia iam deſcripta apertiſſimè arrident. Alij aptare contendunt S. Leonis verba hodierno vſui, aſſerentes præcipi ordinationem fieri poſt diem Sabbati inceptum, cuius Sabbati nox ſubſequens ad diem Dominicum pertineat, ac referatur ad ipſum, & ideò ſi ordinatio cœpta in Sabbato protrahatur ad diem Dominicum vſque, permittere verbis S. Leonem, ordinationem ipſam perfici

ſici die Dominico matutinis horis, dummodo non interrupto, ſed continuato ieiunio ordinatio ipſa extendatur, hæc namque continuatio ieiunij operabitur, vt facta intelligatur ordinatio eo die, quo fuit cępta, quamuis in die Dominico ſit completa. Non diſquiremus hìc impenſiùs, an cœpta ordinatio in Veſperis Sabbati (vt fieri conſueuiſſe ſupponimus) ſit tribuenda diei Dominicæ, an verò ea pars diei Dominicæ, ad quam cœpta in Sabbato ordinatio protrahebatur continuato ieiunio, & opere, ipſi Sabbato eſſet potiùs tribuenda; hinc inde afferuntur rationes, & prior ſententia facilè præualeat, ſed ab re non erit cogitare, non ſine cauſa voluiſſe Eccleſiam, vt peracta ordinatio æquè Sabbato, ac Dominicæ diei poſſet attribui, quaſi de vtroq; participet, vt ſic nouæ legis Sacerdotes medios inter vtramque legem oſtenderet, nouam per Dominicum diem, veterem per Sabbatum, quam referat, ſeu reddat tamquam ex præcipuis eiuſdem legis ceremonijs, niſi addere velimus, Clericos, & Sacerdotes nouæ legis tanquam perfectiores ſic exhiberi, & oſtendi contemplationis, & actionis æquè participes, cum contemplationem ſignificet Dominica dies, Sabbatum verò actionem; & ſi obijcias Sabbato non conſueuiſſe Miſſam celebrari, vt ſcribit *Innocent. I.* Decentio Eugubino Epiſcopo *Vt traditio Eccleſiæ habeat*, inquit, *iſto biduo*, nempe ſexta feria, & Sabbato, *Sacramenta penitùs non celebrari*; & *Socrates*. *Nam quamquam omnes vbique in orbe terrarum Eccleſiæ ſingulis ſeptimanis vertentibus die Sabbati myſteria celebrant; Alexandrini tamen, & Romani ex antiqua traditione iſtud facere renuunt*. Vnde nec videatur potuiſſe celebrari ordinatio, quæ nunquam ſine Miſſa. Dicemus, nullas quidem Miſſas fuiſſe celebratas, quæ ad Sabbatum dirigantur, & cum officio Sabbati fiant, at neutiquam vetitum fuiſſe, ne veſpertinæ Miſſæ in Sabbato fiant, ſed cum officio Dominicæ ſequentis; & ſanè, quod in Sabbato Sancto Miſſæ ad vigilias tantùm noctis celebrari conſueuerint teſtantur *ordo Rom. Albin. Flaccus*, & alij. Itaque iam conſtat ſolemnes ordinationes veſpertinis horis ne dum Sabbati Sancti, ſed & cuiuslibet Sabbati ad ipſas deſtinati celebrari conſueuiſſe ità, vt ad veſperam initium ſumerent, & ſi neceſſitas cogeret, vſque ad mane Dominicę protraherentur, ſicque nocturnæ horæ in ordinationihus ipſis impenderent; nec mirari ſinet vigiliarum vſus adeò frequens inter fideles in Eccleſijs ex ſacrorum nedum, ſed Ethnicorum etiam auctorum teſtimonijs, quæ quidem in Eccleſijs peragebantur, vt tradit *Baron.* vnde lucernarias gratiarum actiones appellauit *S. Baſil.* lucernarium officium *Chryſoſt.* & nocturnas conuocationes *Tertullian.*

*Tom. 1. Ep. decr. Ep. Innoc. 29. pag. 87.*

*Lib. V. hiſt. Eccl. c. 21. circa med.*

*Ord. in Sabb. Sanct. de Diuin. Off. cap. de Sabb. San. Paſchæ.*

*Tom. 1. ann. 51. in fin.*

*Ad Amphiloch. de ſp. c. 29. Hom. 20. ad Pop. Antiochen.*

*Lib. 2. ad Vx. c. 4.*

Nec myſterio, aut ratione vacauit hic ritus; cum enim Sacerdotes prælucere maximè debeant ijs, qui in domo magni patrisfamilias ſunt, accendi debuere in tenebris, vt in nocte ſęculi verbo, & exemplo præluceant, & nocte poni ſuper Eccleſiæ candelabro, vt qualitas temporis operis exigentiæ aptè reſpondeat. Nocte decuit eos ordinari, vt vigilare diſcant, qui gregem paſturi vigilias noctis ſuper ipſo agere debent, quod peragebant paſtores (illuſtri exemplo) cum Paſtor omnium in terris adparuit. Decuit iterùm, quia & id ipſum egit Chriſtus, cum Apoſtolos in Sacerdotes conſecrauit, iubens, vt facerent in eius commemorationem; noctu enim, & in Cœna Sacramentum inſtituit, & Apoſtolos ad Sacerdotium euexit; imitari ergò decuit, quod auctor & Sacramenti, & Sacerdotij fecit;

*Matth. c. 5.*

*Luca c. 2.*

*Vid. Eminentiſſimum Bona de reb. liturg. lib. 5 hiſt. c. 21 ib. 7 hiſt. c. 19 ib. 11. c. 34.*

Miſſarum autem vſum nocturnis horis etiam extra ſacram ordinationem teſtantur *Concilium Agatenſe Can.* 30. & eſt in *Can. conuenit de conſecr. diſt.* 5. *Aurelianen.* 3. *Can.* 28. *Socrat. Sozomenus, & Nicephor.* Nil ergo mirum, ſi & veſpertinæ Miſſæ fuerint celebratę in Sabbatis quatuor temporum, ante Dominicam de Paſſione, & Sancto, in quibus ſacræ ordinationes ſolemniter peragebantur. Per plura ſæcula durauit in Eccleſia hoc inſtitutum adeò, vt tempore Innocentij III. adhuc liceat aliquod eius intueri veſtigium, dum ex eius reſponſo in *C. literas de tempor. ord.* ſupponi videtur adhuc ad veſperam Sabbati factam ordinationem, dum eum repræhendit, qui Sabbato ordinatus Diaconus, die Dominica immediatè ſequenti continuato ieiunio ſit factus Sacerdos; vix poteſt hoc intelligi factum, niſi veſperis, & noctu Sabbati ſupponatur factus Diaconus, vnde protracta vſque ad Dominicam ordinatione de mane eiuſdem ſit factus Sacerdos; non enim credere poſſumus, adeò inconſultum Epiſcopum, qui expleta ordinatione Sabbato de mane, ordinet Sacerdotem die Dominico, cum iam facta fuerat ordinatio; non ergo repræhendit Innocentius veſperi factam, aut etiam noctu continuatam ordinationem (ſicut factam in eo caſu veroſimile eſt) ſed id arguit, quod eodem die, ſaltem ex fictione Canonica, ad duos ſacros ordines quis promotus ſit; ait enim *propter continuationem ieiunij fictione Canonica, mane diei Dominicæ trahatur ad Sabbatum, ſiue veſpera Sabbati ad diem Dominicum referatur*; quod quidem expendere nolens indicat, tamen expreſsè veſpere fuiſſe Diaconatum collatum; nec alienum à conſuetudine ſupponit *Gloſſ. ad Can. quod à Patribus* 75. *diſt. in verbo Sabbato*, vt ordines veſpertinis horis conferantur.

5 Hic vſus demùm abolitus eſt, pluresque cauſæ ad id compulerunt; ceſſarunt nocturni conuentus præſertim præ ſolemnitate frequentiores, ipſosq; interdicendos hominum malitia coegit; deferbuit charitas, in dies facti delicatiores homines, ieiunij prolixioris, & laboris impatientes, & tandem inualuit, vt Sabbato de mane ordinationes fiant, à quo recedere priuato zelo nemini liceret. Hæc de ordinationum tempore, die, & hora, iuxta varias Eccleſiæ obſeruationes; ſolemnia hæc quatuor tempora non ſeruant Gæci, vt notat ad *C. cum ſecundum. & ad C. quod tranſlationem de temp. ord.* ſed quouis die ordines conferunt; an autem interſtitia ſeruent videbimus infra.

6 Spectandum verò illud maximè eſt, ne plures ordines ſimul eodem die conferantur; reſpicit hæc aſſertio interſtitia; attamen ſeparatim, ac in anteceſſum poteſt ipſa conſiderari. Separabimus igitur minores ordines à maioribus, & dicemus primò tonſuram cum aliquo, immò & cum omnibus minoribus poſſe conferri, & antiquitùs potuiſſe; nulla eſt enim Eccleſiaſtica lex, quæ id prohibeat, nec obſtat interſtitiorum ratio, quando Epiſcopus diſpenſare ſuper ipſis poteſt; & ſi quæ extet prohibitio, ne plures ordines eodem die conferantur, de maioribus tantùm accipienda eſt; adnuit *Alex. III.* in *C. de eo de temp. ord.* ſatis apertè, & ex eo quod exprimat indeterminatè *minores Gloſſ.* arguit, omnes ſimul die Dominico extra tempora poſſe conferri, ſed apertiùs *Cęleſtin. III. in C. cum H. 2. de eo, qui fuit ord. ſuſcep.* ex conſuetudine patriæ quatuor minores ordines ſimul collatos non improbat, vnde ſi contraria vigeret conſuetudo, quatuor minores ordines ſimul non poſſent eodem die conferri, vt *Panorm. & alij not. ad C. de eo.*

Mino-

Minores verò ordines cum Subdiaconatu eodem die recipi, aut conferri non poſſunt, & ſic ordinatus ſuſpenditur ab executione recepti ordinis maioris; ſic enim *Cæleſtin.* III. *in d. C. cum H.* 2. & notabile eſt in eo tex. nullam infligi pœnam ordinanti, quæ cum etiam à nullo alio Canone legatur inflicta, immunis ordinans ipſe abibit. Duo verò ordines maiores ſimul, & eodem die conferri, ac recipi adeò prohibetur, vt conferens, & recipiens ſuſpenſionis pœnam ipſo iure incurrat; ità expreſse *Innoc.* III *in C. literas. de temp. ord.* vbi de Epiſcopo, qui Diaconum in die Sabbati, Presbyterum verò in die Dominico continuato ieiunio eundem ordinauerat. Hic dies fuit vnus Canonica fictione propter continuationem ieiunij, vnde multò fortiùs idem ſtatuiſſet Innocentius, ſi eodem die vero, & naturali ijdem ſimul ordines collati eſſent, pœnam verò ſuſpenſionis tam ordinanti, quàm ordinato inflictam ſubdit ibidem expreſsè Innocentius; nec abſimiliter cenſuit *Honorius* III. *in C. delectus eod.* de Epiſcopo, qui prætexens mandatum Metropolitani ſui electum quemdam ad omnes tres ordines maiores eodem die ordinauerat, ſuſpenſum enim ipſum declarat vſquequò gratiam Apoſtolicam meruerit. De ordinato nihil ſtatuit, ſed eum certè in terminis iuris relinquit, nec de hoc ambigendum, de ipſo enim tacet, quia de eo non fuerat conſultus. Eccleſiaſticæ huius obſeruantiæ vltrà ſupradicta Pontificum decreta vetuſtiora agnoſcimus principia, ex Concilio 5. *Toletano* 4. *C.* 18. & habetur in *C. qui in aliquo diſt.* 51. vbi in inordinatè ordinatis ſtatuitur pœna, & præſertim ij recenſentur, *qui per gradus Eccleſiaſticos non aſcenderunt*; moxque omnibus præfinitur pœna, *cum ordinatoribus ſuis adepti honoris periculo ſubiacebit*. *Zoſimus* etiam ad Iſichium Salonitanum Epiſcopum; de malè ordinato. *Non ſolùm in eo ambitio ineffic ax habeatur, verùm etiam ordinatores eius careant eo ordine, quem ſine ordine contra præcepta Patrum crediderint præſumendum in C. qui Eccleſiaſticis* 36. *diſt.* & quia aut emendicata, aut mentita priuilegia Eccleſiaſticam hanc peruetuſtam diſciplinam in dies temerabant; occurrit nouiſſimè *Concil. Trid.* vetans. *Ne duo ſacri ordines eodem die etiam Regularibus conferantur, priuilegijs, ac indultis conceſſis non obſtantibus quibuſcumque*. Seſſ. 23. de Reform. c. 13.

Et per eundem diem intelligemus non ſolùm diem naturalem, ſeù artificialem, ſed & eundem accipiemus fictione Canonica propter continuationem ieiunij, vt ſtatuit *Innoc.* III. *in d. C. literas. de temp. ord.* ſic enim differit ibi, *ſiue mane diei Dominicæ trahatur ad Sabbatum, ſiue veſpera Sabbati ad diem Dominicum referatur, profectò manè cum veſpera, ſeu veſpera cum mane ad eundem diem pertinere dicetur &c.* & ideò ſi vnus ordo ad veſperam Sabbati, alter mane Dominicæ conferatur, continuato ieiunio, eodem die duo ordines collati intelligentur contra Canones.

Non tamen hoc impedit quò minùs ordinatus die Sabbati in Presbyterum poſſit die Dominico in Epiſcopum conſecrari; nullibi enim hoc legimus vetitum; & planè diuerſa eſt ratio Epiſcopatus collati cum Presbyteratu, & maiorum ordinum, ſi inter ſe comparentur; Epiſcopatus enim, & Preſbyteratus ſunt vnus ordo, & ille huius perfectio, vt ſupra obſeruauimus. Maiores verò ordines ſunt inter ſe diſtincti, immò diuerſi; Presbyteratui ſtatuta eſt Sabbati dies, Epiſcopatui Dominica, nec opus eſt continuatione ieiunij, aut fictione Canonica, vt vnus ſequen-

ſequenti die poſt alium conferatur, & ideò, ſi diebus diuerſis ſe inuicem conſequentibus immediatè conferantur, non dicentur eodem die conferri, præſertim hoc æuo, quo Presbyteratus, & Epiſcopatus de mane conferuntur. An autem ſi adeſſet conſuetudo, vt conferrentur quatuor minores cum Subdiaconatu, aut duo maiores eodem die, excuſaret à ſuſpenſione, & irregularitate dubitari poteſt. Affirmat allato S. Congreg. decreto *P. Franc. Suarez, & alij apud Barboſ.* nec eam eſſe ſublatam per Concilium Tridentinum. Hæc de tempore ad ſacram ordinationem ſolemniter peragendam conſtituto, à quo excludimus Pontificem Summum, cui nullæ datæ leges, ſicut nec cui voluerit ipſe indulgere, vt extra tempora, aut ordinetur, aut ordinet, & quia tempori proxima eſt circumſtantia loci, circa locum ſacræ ordinationis peragendæ non immorabimur, aut vnum afferemus Trident. decretum, cui nititur & Pontificale Romanum. *Ordinationes ſacrorum ordinum ſtatutis à iure temporibus, ac in Eccleſia Cathedrali; vocatis, præſentibuſque ad id Eccleſiæ Canonicis publicè celebrentur.* Contraria conſuetudo iam obtinuit, quæ non cenſetur inductiua peccati; ſic ſaltem nos fieri intuemur, nec querimur, ſed cum obſequio miramur. Iam ad tempus alterum, quod interſtitiorum dicitur.

*In 3. p. Diui Thom. tom. 5. diſp. 11. ſect. 1 n. 41. in collect. ad d. C. de eo de tempor. Ord. n. 7.*

*S ſſ. 23. de Reform. c. 8. de Ordin. confer.*

7 Fuit Eccleſiæ coæuum tanquam ſaluberrimum illud ſacræ diſciplinæ inſtitutum, vt ab vno ſuſcepto ordine ad alium rationabile aliquod ſpatium temporis intercederet, nec præceps, ac velut inconſulta fieret ad alium ordinem promotio; ſic enim *D. Paulus* Neophitos vetuit ordinari ſcribens Timotheo, & eidem, ne manum alicui citò imponat, prohibuit; ſic *Canone* 80. Apoſtolorum idem cautum, ratione reddita, *Iniquum eſt enim* (ait *Canon*) *vt qui ſui nondum experientiam oſtenderit, ſit aliorum magiſter, niſi fortè hoc diuina gratia fiat*. Sic demùm *Tertullian.* priſcæ diſciplinæ accuratiſſimus teſtis hæreticorum ordinationes tanquam leues, ac præcipites carpit temerarias, & inconſtantes, vt pote, quæ ſine vlla temporum mora, aut conſideratione fierent. Verba eius aliàs ſupra retulimus, nec repetimus iterùm. Pontificale Romanum Damaſi, & in Syluestro ſpatia ſua de vno ordine ad alium recenſuit. Concilium Romanum ſecundum ſub Syluestro *Act.* 2. *Can.* 11. Sardicenſe *Can.* 13. ſemper hanc eandem moram & commendarunt, & indixerunt, quibus inhærentes vetuſtiſſimi Romani Pontifices Siricius, Innocentius I. Zoſimus confirmarunt, ex quorum epiſtolis Canones mutuatus eſt *Gratian.* ex Siricio *C. quicumque.* 77. *diſt.* ex Zoſimo *Can. in ſingulis. diſt. ead.* vbi enumerata leguntur ſpatia pro tranſitu ad quemlibet ordinem præfixa; quæ generaliter firmauit *S. Leo Magnus* ſcribens ad Epiſcopos Africanos. *Salubriter conſtitutum eſt* ( ait *S. Leo* ) *ne primum, vel ſecundum, aut tertium in Eccleſia gradum quiſquam laicorum, quibuslibet ſuffragijs fultus aſcendat, priuſquam ad hoc meritum per legitima augmenta perueniat.* Sed omiſſis innumeris Conciliorum decretis, & Patrum teſtimonijs interſtitiorum menſuram exhibuêre *Capitularia Caroli Magni*; ex quibus hæc in omnium teſtimonium deſcribimus. *Qui ſe Diuinæ militiæ deſiderat mancipari ſiue inter Lectores, ſiue inter Exorciſtas quinquennio teneatur, exinde Acbolitus, vel Subdiaconus quatuor annis, & ſic ad benedictionem Diaconatus, ſi meretur, accedat, in quo ordine quinque annis, ſi inculpatè geſſerit, adhærere debebit, & poſtea ſi probus fuerit, Sacerdos efficiatur.*

*1. ad Timoth. c. 3. & c. 5.*

*De præſcrip. hæret. c. 41.*

*Ep. 1. ad Himer. tom. 1. ep. decretal. p. 2. Innocent. epiſt. 3. ad Felicem in fin. Zoſim ep. 1. ad Hiſich. Ep. 87. c. 1. in fin.*

*Lib. 7. c. 27.*

Perpe-

Perpetua igitur fuit hæc in Eccleſia obſeruatio, ſed modò laxior, modò ſtrictior extitit diſciplina pro temporum varietate mollita quidem, at nunquam extincta, vſquequò demùm ventum ad Concilium Tridentinum, quod addens ſupremam manum per ſingulos incedens ordines tàm ſalubre inſtitutum firmauit. Lubet referre decreta ſingula. De minoribus ordinibus ſic ſtatuit. *Minores ordines ijs, qui ſaltem latinam linguam per temporum interſtitia, niſi aliud Epiſcopo expedire magis videretur, conferantur, vt eò accuratiùs, quantum ſit huius doctrinæ pondus poſſint edoceri*. Mox circa eos ad maiores ordines promouendos ſic ſubdit. *Hi verò non, niſi poſt annum à ſuſceptione poſtremi gradus minorum ordinum, ad ſacros ordines promoueantur, niſi neceſſitas, aut Eccleſiæ vtilitas iudicio Epiſcopi aliud expoſcat*. Pro Subdiaconatu, & Diaconatu mox addit. *Subdiaconi, & Diaconi ordinentur, vt habentes bonum teſtimonium, & in minoribus ordinibus iam probati &c. Promoti ad ſacrum Subdiaconatus ordinem, ſi per annum ſaltem in eo non ſunt verſati, ad altiorem gradum, niſi aliud Epiſcopo videatur, aſcendere non permittantur*. De Presbyteratu tandem ſic decernit. *Qui piè, & fideliter in miniſterijs antedictis ſe geſſerint, & ad Presbyteratus ordinem aſſumuntur, bonum habeant teſtimonium, & hi ſint, qui non modò in Diaconatu annum integrum, niſi ob Eccleſiæ vtilitatem, ac neceſſitatem aliud Epiſcopo videretur, miniſtrauerint, ſed etiam &c.* Iam ergo fuit vniformis in vniuerſa Eccleſia, ſiue Orientali, ſiue Occidentali hæc interſtitiorum obſeruantia; neque enim de Orientali fas eſt ambigere, cum *Synodus Conſtantinopolitana VIII. Can. 5.* diſtrictiſſimè hanc ipſam diſciplinam ſanxerit, indeque & ex tota illa Synodo conſtat, quàm ægrè tulerit Orientalis ipſa Eccleſia Photij monſtruoſam promotionem ad Epiſcopatum, qui nullis ſeruatis interuallis de laico ſex dierum ſpatio ad ſacrorum ordinum culmen perueniſſet, quo nomine & Nicolaus I. Romanus Pontifex varijs epiſtolis ſuis conteſtatur, & præſertim *ep. 7.* Photium ipſum deponit, & Gregorium Syracuſanum eius ordinatorem omni carere, ac priuatum fore miniſterio pro eo, quod Photium laicum ſubitò conſecrare in Epiſcopum non formidauerit; latè hunc eundem Eccleſiæ Orientalis zelum proſequitur, & confirmat *Leo Allatius*, vnde & nos ab ea prolixiori cura temperamus. Vrgere non deſtiterunt pro ſarta, tecta hac diſciplina & Canones, & Pontifices plectentes depoſitionis pœna cum ordinatos, tùm ordinantes, vel ſaltem hos ſuſpenſionis ab eius ordinis collatione, quem temerè, ac inordinatè contuliſſent, vt ex Zoſimo reddit *Gratian. in C. qui Eccleſiaſticis 59. diſt.* quas quidem pœnas ſi non ipſo iure incurrerent, ſaltem à Metropolitanis, aut Prouincialibus Synodis eſſent infligendæ. Cœperunt ſubinde medijs temporibus hæc interſtitia poſthaberi adeò, vt doceant veteres Canonum interpretes nullam imminere cenſuram ordinato, aut ordinatori non ſeruatis interſtitijs. Nec magis vrgere pœnis viſum eſt Concilium Tridentinum, vtcumque interſtitiorum obſeruantiam iniunxerit, tùm quia arbitrio Epiſcopi diſpenſationem circa ipſa reliquit, tùm quia nullam comminatur cenſuram, vnde quotquot poſt Concilium ſcripſerunt vnanimes concludunt ordinantem non ſeruatis interſtitijs nullam incurrere pœnam, ordinatum nullam cenſuram, aut irregularitatem, vt apud *Barboſ.*

8 Diſpenſate poteſt Epiſcopus largiente

*Seſſ. 23. de Ref. C. 11.*

*Ead. ſeſſ. C. 13.*

*C. 14. eadem ſeſſ.*

*Epiſt. 7. 8. 9. tom. 3. ep. decretal.*

*De ætat. & interſt. in collat. Ordin. etiam apud Græcos. pag. 69. & ſeq. S. Leo ep. ad African. iam cit.*

*De Off. & poteſt. Epiſc. alleg. 18.*

*Et ad Concil. ſeſſ. 23. C. 13. n. 10. & 11. Barboſ. ubi ſupra n. 6.*

giente arbitrium Concil. Trid. iſque cenſendus Diœceſanus, & non ille, qui cum dimiſſorijs ipſius Diœceſani ordinauerit, qui arbitrium ſuum diriget, quantum in lege graui generalis Concilij ſoluenda prudentia & dictat, & exigit, vbi autem annum ab vno ordine ad alium præſcriptum legimus; annum ipſum non adeò rigoroſè computabimus, vt ex duodecim expletis menſibus debeat conſtare, ſed moralitèr, & iuxta ritum Eccleſiæ, & ideò ſi quis fuerit ordinatus in temporibus Quadrageſimæ, anno ſequenti in ijſdem temporibus annus completus intelligetur, quamuis fortaſſe tempora celeriùs, & anticipatis aliquibus diebus aduenian; annus enim Eccleſiaſticus attendendus eſt ex communi ſcribentium voto.

*Apud Barboſ. alleg. 18. n. 12 Proſp. de Auguſt. ad quarum. uerò or dio in fine.*

9 Facile autem eſt noſſe rationes, quibus inducta eſt Eccleſia ad hæc interſtitia ſancienda; neque enim credendum inutilitèr ea tranſigenda, & ſola expectatione ſuſpenſa. At ad profectum & vtilitatem impendenda, vt mora in Eccleſiæ, & ipſius ordinandi bonum commodè inſeruiat. Iam ergo intentionem triplicem & Canonum, & Summorum Pontificum interſtitia ſtatuentium fas eſt ſcrutari, & reddere; prima eſt, vt interim ordinati iam, moxque ordinandi ijdem, miniſterij cuiuſque ordinis exactam notitiam per frequentem muneris ſui vſum acquirant; ſecunda, vt ſæcularibus curis omninò depoſitis animum Clericalem induant, ac in Eccleſiaſtica diſciplina exerciti in dies progrediantur; tertia demùm, vt maiorum ordinum aſſumptionem congrua præcedat probatio, nec quis ad gradum Ducis adſpiret, qui tyrocinium non præmiſerit, ac per moras in gradibus inferioribus non meruerit.

Notitiam miniſterij acquirendam in vnoquoque ordine, eiuſque neceſſitatem ſenſit expertus *Ambroſ.* nouit

*Lib. 1. Offic. c. 1.*

*Auguſt.* & quàm ſit turbatus ordo priùs docere, quàm diſcere profitetur in ſe ipſo ingenuè *Sidon.* vt mittamus cæteros, quorum frequens turbati huius ordinis exaggeratio. Aſſumendos Clericalis diſciplinæ mores, dediſcendos laicales mutato vitæ inſtituto nemo non videt; repentinus tranſitus id non admittit; inſiſtendum exercitatione, vſu temporiſque ſpatium id expoſcit non exiguum, hacque omiſſa cura vix quidpiam boni in Eccleſia ſperare fas eſt, idque non alia roborandum auctoritate, quàm ipſius Synodi Tridentinæ verbis, quæ ideò per temporum moras ordines conferendos præcipit, *vt accuratiùs promouendi quantum ſit huius diſciplinæ pondus poſſint edoceri.* Demùm præmittendam probationem, priuſquam ordinum apices quis contingat, eleganter *S. Gregor. ad Syagr. nam cum ſcriptum ſit, vt priùs quis probetur, & ſic miniſtret; multò amplius ante probandus eſt, qui populi interceſſor aſſumitur, ne fiant cauſa ruinæ populi Sacerdotes mali.* Vtcumque autem pro interſtitijs vrgeant adeò auctoritates, & rationes, attamen ipſis non adeò religioſè inſiſtendum, quin nonnunquam ordines & ſumere, & conferre liceat celeriùs. Exempla plura eorum, qui à laicali ſtatu immediatè ad Epiſcopalem apicem ſunt euecti attulit Photius ordinationem ſuam propugnare ſtudens ad Nicolaum I. Ambroſij V. Faraſij Conſtantinopolitani, Nectarij, Nicephori; verùm hæc non eſſe in exemplum trahenda tanquam apprimè ſingularia docuit ipſemet *Nicolaus Romanus Pontifex* ſcribens, ac Photio reſpondens, in ſummamque contrahens ſic ait. *Ecce propter neceſſitatem, & inopiam Clericorum Nectarius. Ecce propter Eccleſiaſtica dogmata, & Hæreticorum expugnationem, qui venerandas deponere imagines præſumpſerunt,*

*Ep. 148. ad Valer.*

*Lib. 5. ep. 3. Apollinari.*

*Seſſ. 23. c. 11.*

*Lib. 7. In dic. 2. ep. 110.*

*Epiſt. 6. tom. 3. ep. decretal.*

*pſerunt*, *Taraſius*, *Ecce per miraculorum ſigna Ambroſius ad regendas Eccleſias promoti ſunt*. Extraordinaria hæc fuere, ſed quæ tamen cauſas ſpectandas exhibeant, ob quas permittatur à lege interſtitiorum receſſus, ſi tamen adſint, ac legitima auctoritas & cognoſcat, & approbet, vel Dei vocatio per prodigia inſinuata decernat, quæ tamen in miraculorum ſeriem facilè redigenda, vt idem Nicolaus vbi ſupra diſertè notauit, exemplaque alia plura *Vbi ſup.* congeſſit *Leo Allatius* ſingulis aptè reſpondens.

At frequentior, & ordinaria eſt recedendi ratio, quam conſtituit *Alex. III.* in Concilio Lateranenſi, & eſt in *C. cum in cunctis* 8. *de elect.* cuius deciſio in ſumma ea eſt; aſſumendus ad dignitates, & officia infra Epiſcopatum, & ad beneficia curata debet attingere 25. ſuæ ætatis annum, & eſſe moribus, & litterarum ſcientia idoneus, & ſi non habeat ordinem requiſitum, *ſtatuto à Canonibus tempore* (ait *Alex.*) *primis temporibus* exponit rectiſſimè *Gloſſ. debet ſe promoueri facere, aliàs monitus, & non obediens priuatur beneficio, appellatione non ſuffragante*. Quæ ſanè conſtitutio cum interſtitiorum mora non conſiſtit; & longè breuius rempus expoſcit. Neglectam, nec obſeruatam, vt decet, hanc Alexandri III. conſtitutionem queritur *Gregor. X.* in generali Concilio Lugdunenſi, eiuſque executionem vrgens, & augens ſtatuit in *cap. licet Can. de elect. in 6.* in ea verba de Parochialibus Eccleſiis loquens. *Is etiam, qui ad huiuſmodi regimen aſſumetur, vt gregis ſibi crediti diligentiùs curam gerere poſſit in Parochiali Eccleſia, cuius rector extiterit reſidere perſonaliter teneatur, & infra annum, à ſibi commiſſi regiminis tempore numerandum, ſe faciat ad Sacerdotium promoueri, quod ſi intra idem tempus promotus non fuerit, Eccleſia ſibi commiſſa nulla etiam præmiſſa monitione, ſit præſentis conſtitutionis auctoritate priuatus*. Notauitque ibi *Gloſſ.* annum huiuſmodi eatenùs imputandum, quatenùs nullum vigeat, aut obſtet impedimentum, quo ſtante excuſabitur non promotus ad ordinem intra annum; quod confirmauit & *Boniſac. VIII. in cap. commiſſa eod. in 6.* ait enim. *Annus autem huiuſmodi (qui à tempore illo incæpit, quo ipſius Eccleſiæ regimen commiſſum ſibi extitit, & poſſeſſionem eius pacificam habuiſti, vel per te ſtetit, quòminùs haberes eandem) tibi non currit ſi promoueri iuſto impedimento detentus infra tempus huiuſmodi nequiſti*; quam ſuam conſtitutionem locum non habere in Parochialibus Collegiatis declarauit *in C. ſtatutum* 22. *eod. in 6.* Pænam addidit *Clemens V.* in Concilio Vienenſi, & eſt in *Clem. vt ij* §. *illi verò de æt. qualit. & ord. præfic.* vt ſcilicet non ordinati intra annum habentes præbendas, dignitates, perſonatus, officia vocem in Capitulo non habeant; augendo veteres conſtitutiones non iis derogando, vt ibidem expreſsè declarat.

Has demùm omnes conſtitutiones innouauit *Concil. Trident.* non vno in loco, & confirmauit *ſeſſ.* 7. *C.* 3. *de reform. & C.* 12. *ſeſſ.* 22. *de reform. C.* 4. *& ſeſſ.* 24. *de reform. C.* 12. quænam autem ſint impedimenta, quæ ab ea promotione intra annum excuſent, ſuggerunt Summi Pontifices *Alex. III. in C. queris de æt. qualit. & ord. præfic. Bonifacius VIII. in C. cum ex eo de elect. in 6. vbi Io. And. Dom.* & alii de facultate, qua poſſit Epiſcopus diſpenſare de non promouendo. Hoc ratum igitur, quod cum anno præſcripto ad ordines ſuſcipiendos in caſibus iam ſupra expreſſis, non ſtat interſtitiorum obſeruantia, ſed ab ea iure receditur.

Hæcque

Hæcque ſatis de Tempore ad Sacram Ordinationem.

## CAP. VIII.
## De Effectu Sacræ Ordinationis.

1 *Sacræ ordinationis effectus geminus & primus, quod gratiam conferat, & de gratia ad rem.*

2 *Gratia gratis data ſacræ ordinationi adnexa, & de ea pro re aptè.*

3 *Character alter ſacræ ordinationis effectus, & quid character, quiue eius effectus.*

4 *Imprimi per ſacram ordinationem probatur Auguſtini auctoritate, & ſemper exiſtere.*

1 EFfectum geminum à ſacra ordinatione promanantem pro inſtituto noſtro conſiderabimus breuiter; alterum quilibet Sacramento nouæ legis communem; alterum verò proprium, ſed non adeò, quin & aliis duobus Sacramentis competat. A primo igitur, eoque omnibus communi exordientes ſicut certum ex Fide Catholica eſt, ſacram ordinationem eſſe vnum ex ſeptem nouæ legis Sacramentis à Chriſto Domino inſtitutis, ità certitudine eadem aſſerendum conferre donum ſupernaturale à Deo liberaliter datum, quod gratiæ nomine aptiſſimè nuncupatur, huncque eſſe eius effectum, diuinum autem, ac liberale donum, vtcumque in ſe vnum; pro variis tamen reſpectibus à Theologis diuiditur, ſed præcipuè, vt aliud ſit æternum, & aliud temporale, ſiue temporarium; æternum, ſiue gratia æterna eſt amor ille, quo nos Deus ante conſtitutionem Mundi ab æternitate dilexit, in cuius gratiæ laudem, & gloriam nos à Deo prædeſtinatos eſſe, atque electos in adoptionem filiorum ſcribit *Apoſtolus*; *prædeſtinauit nos in laudem gloriæ gratiæ ſuæ*. Gratia verò temporaria ſunt beneficia à Deo in tempore tributa, vt vocationis, iuſtificationis, quæ à gratia æterna, tanquam effectus à ſua cauſa producuntur, *quos prædeſtinauit, hos & vocauit, quos vocauit, hos & iuſtificauit*: inquit idem *Apoſtolus*. Subdiuiditur, ad rem noſtram iterum temporarium hoc donum, & temporaria hæc gratia in gratiam gratum facientem, & gratiam gratis datam, non quod ſit aliqua gratia, quæ non gratis detur, cui hæc gratis data tanquam contradiſtincta opponatur, ſed quia, cum proprio nomine careat, ſub nomine generis relinquatur. Gratia gratum faciens illa eſt, per quam (ait *D. Thom.*) homo Deo coniungitur, ſiue donum ſupernaturale, quod ſine vllo debito datur ad propriam accipientis ſalutem præcipuè ſpiritualem; *ſufficit tibi gratia mea*. Gratia verò gratis data illa dicitur, per quam (inquit *D. Thom.*) *vnus homo cooperatur alteri ad hoc, quod ad Deum reducatur*; vnde eſt idem donum ſupernaturale ad aliorum præcipuè ſpiritualem ſalutem collatum. *Diuiſiones gratiarum ſunt &c.* ſubdiuiditur iterum gratia gratum faciens in actualem, & habitualem, pròvt dicit ſcilicet actum tantùm, vel habitum; actualis, quæ & auxilium dicitur, eſt motio Dei, qua homo ad operationes, quæ naturam ſuam ſuperant, adiuuatur; habitualis verò, eſt donum animæ inhærens ipſam ſanctificans, & formaliter ipſam iuſtam reddens; breuis hæc terminorum notitia fuit præmittenda, qua ſuppoſita; primus effectus ſacræ ordinationis veriſſimè aſſignatur, vt ſcilicet non minùs, quàm quodlibet aliud Sacramentum gratiam conferat ſanctificantem, & ha-

*1. ad Epheſ.* — *Ad Rom. c. 8.* — *D. Thom. 1.2. quæſ. 111. artic. 1.* — *1. ad Corinth. c. 12.* — *Qu. 111. art. 1.*

& habitualem animæ ordinati inhærentem; vis eſt hæc,& virtus Sacramentorum, quæ à Deo inſtituta tanquam inſtrumenta ad diuinam gratiam conferendam; eſto igitur(vt certè eſt)ſacram ordinationem eſſe Sacramentum, iam de hoc effectu, non eſt ambigendum; vnde apertiſſimè Apoſtolus; *Noli negligere gratiam, quæ eſt in te, quæ data eſt tibi per prophetiam cum impoſitione manuum mearum, & admoneo te, vt reſuſcites gratiam, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum*. Diuinum quid conferri per ſacram ordinationem ſenſit S. *Dionyſius Areopagita*, dum ordinem ipſum, *habitudinem quamdam appellat*; *& rerum, vti par eſt, ſacrarum effectricem Diuini Sacerdotij virtutem*; & inferiùs; *omnis, qui à nobis deprædicatur ſacer ordo, vnam habeat, eandemque in omni ſacra ſua functione virtutem, vt & ipſemet ſacri ordinis Antiſtes, pro ſui ſtatus, dignitatis, atque ordinis ratione, diuinis initietur, ac Deo vniatur, ſubditoſque ſuos pro cuiuſque dignitate afflatæ ſibi diuinitùs ſacræ Deificationis participes reddat*. Quæ ſanè Dei participatio, & ſimilitudo non alia, quàm gratia, quæ velut informans, ac inhærens habitualis meritò dicitur; hæc ipſa quidem quamuis, & per alia Sacramenta conferatur, & præſertim per baptiſmum, & pœnitentiam, non tamen intentione eadem, & eodem effectu; nam duo hæc Sacramenta ea intentione dantur, vt accipientem de malo in bonum conuertant, cum ad delenda peccata ſint inſtituta; ordo verò hominem de bono meliorem reddit, eumque dignum, ac peccatis mundatum ſupponit, ſed conſecrat, perficit, ſublimiorique benedictione ſanctificat, ac proinde mundatum iam à peccatis exigit, ne ſanctitati detrahatur, obexque conferendæ gratiæ ponatur, quod ſi peccata adſint, indignè quidem, & illicitè ſuſcipitur Sacramentum, validè tamen ità, vt ſublato per pœnitentiam peccatorum obice exerat vim ſuam gratia, ne ordinatus gratia ſuſcepto ordini congrua fraudetur; conducit hoc gratiæ collatæ donum ad proprium cuiuſque Sacramenti finem aſſequendum tanquam à Deo impertitum auxilium non tranſiens, & per modum actus, ſed permanens, & concomitans ipſum Sacramentum, quod permanens eſt; vt enim baptiſmus, vltra originalis culpæ abolitionem, vires etiam præbet ad legem illam, & fidem profitendam, & aſſerendam, quam cum eo ſuſcipimus, & cui cum ipſo obligamur, vt confirmatio ſpiritum præbet ad fidem eandem profitendam alacriter inter hoſtium eiuſdem fidei minas, ac ipſius vitæ diſcrimina, & vt in vnoquoque Sacramento facilè conſideranti patere poteſt, ita & ſacra ordinatio gratiam, & robur præbet ad cœlibatus adnexi obſeruantiam, ad Eccleſiaſticarum legum cuſtodiam, ad ſacrorum munerum congruam adminiſtrationem; agnouit tantum virtutis S. *Leo Magnus* ea confortatus fide adeptum Pontificatus culmen horrens. *Vnde & ſi neceſſarium eſt* (inquit) *trepidare de merito, religioſum eſt tamen gaudere de dono, quoniam qui mihi honoris* (vel oneris) *eſt auctor, ipſe mihi fiet adminiſtrationis adiutor; & ne ſub magnitudine gratię ſuccumbat infirmus, dabit virtutem, qui contulit dignitatem*.

Margin notes: 1. ad Timoth. c. 4 — De Eccl. Hierarchia c. 1. §. 1. & 2. — §. 2. — Serm. 1. in anniu. ſuæ aſſump. die in med.

2 Gratiæ gratum facienti pauca adnectemus de gratia gratis data, quatenus ea ſacræ ordinationi adiungatur; cum enim conferatur ipſa, vt ordinatus legitimam poteſtatem habeat Sacramenta adminiſtrandi in aliorum vtilitatem eo ipſo, quo quis ipſa initiatur, iam gratias gratis datas cum eadem conferri dicendum eſt, neque enim deficit Deus in neceſſarijs, & cum voluntatem tribuit

buit ſacræ ordinationis ſuſcipiendæ, dare etiam facultatem ad eam rectè gerendam credendum eſt.

1. ad Corinth. c. 12.
1. 2. q. 111. art. 4.

Gratias gratis datas nouem ex *Diuo Paulo* enumerauit *D. Thom. Vnicuiq; autem datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem; alij quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ, alij autem ſermo ſcientiæ ſecundùm eundem ſpiritum, &c.* de quibus aliqua tetigimus ſupra, cum de Hierarchia ageremus; neque impenſiùs eadem ſunt repetenda. Ad rem igitur noſtram; conſtat primos illos Euangelij miniſtros electos, & miſſos gratijs gratis datis fuiſſe inſtructos, & vix quidem ſine ijs aut ordinatos, aut miſſos. Cum primùm enim miſſi ſunt Apoſtoli ante Chriſti Aſcenſionem miraculorum ipſis traditam legimus poteſtatem, Chriſtumque eos alloquentem;

Matth. c. 10. c. 8.
Marc. c. ult.

*Infirmos curate, mortuos ſuſcitate, leproſos mundate, Dęmones eijcite*; ac proinde vbi diſperſi fuere legimus, *eoſdem profectos prædicaſſe vbique Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis*. Verùm longè diuerſo modo tunc gratiæ gratis datæ concedebantur, ac nunc in ſacra ordinatione conferantur; tunc enim abſque vllo labore ſacram ordinationem ſuſcipientibus copioſè infundebantur, pròvt vnicuique opus erat; ſed duo pręcipuè dona erant frequentiſſima, ac fermè communia; alterum erat linguarum variarum peritia;

Act. c. 2.
1. ad Corinth. c. 14.

*loquebantur varijs linguis Apoſtoli magnalia Dei*, ait *D. Lucas*, & *D. Paulus*. *Gratias ago Deo meo, quod omnium veſtrum lingua loquor* immò & laicis cum confirmatione hoc ipſum donum communicabatur; vnde in Apoſtolorum actis,

Cap. 19.

*Et cum impoſuiſſet illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus ſuper eos, & loquebantur linguis, & prophetabant.* Alterum verò Dęmonum ciectio ab obſeſſorum corporibus; idque omnibus fidelibus commune æuo adhuc ſuo teſtantur *Iuſtin. Martyr, Tertullian. Arnobius, Lactantius, & alij*.

In Dial. cum Triphone. De corona milit. ad Scapul. De Spectaculis, & alibi. Lib. 8. cont. Gen. Lib. 1. inſt. c. 16. & 18.

Primum neceſſarium erat ad Euangelij prædicationem, & Fidei diſſeminationem; ſecundum, ad conteſtandam Chriſti de Dęmonibus victoriam, quæ cum perennis ſit, ideò in Eccleſia ſingulari ordini Exorciſtarum fuit hæc addicta poteſtas, ac tributum donum; nec mirum, vberiorem fuiſſe donorum largitionem in naſcente, ac erumpente Eccleſia, quàm nunc ſecum ferat ſacra ordinatio, quam ſecum non habere comitem hanc donorum, & gratiarum dotem intuemur; parata enim eſt Gregorij Magni reſponſio, & per paradigma aſſignata diſcriminis ratio; relatis enim ex Marci verbis chariſmatum donis. *In nomine meo Dęmonia eijcient, linguis loquentur nouis, ſerpentes tollent &c. Numquid nam fratres mei, quia iſta ſigna non facitis minimè creditis?* (inquit *Gregor.*)

Hom. 29. in Euangel. poſt princ.

*ſed hæc neceſſaria in exordio Eccleſiæ fuerunt; vt enim ad fidem creſceret multitudo credentium miraculis fuerat nutrienda, quia & nos cum arbuſta plantamus, tamdiu eis aquam infundimus, quòvſque ea in terra iam coaluiſſe videamus, & ſi ſemel radicem fixerint, irrigatio ceſſabit.* Iam non habet opus miraculis ſacra ordinatio, ipſa tota miraculum, ſiue quà panem in Corpus Chriſti conuertit, & ad id præſtandum confert incompræhenſibilem poteſtatem, ſiue quà peccata dimittit, quod opus quolibet miraculo eſt longè ſublimius, vel ipſo Chriſto atteſtante.

Matth. c. 9.

*Quid* (inquit) *eſt facilius dicere, dimittuntur tibi peccata tua, an dicere, ſurge, & ambula?* Conſecrationis Euchariſticæ mira ponderauit *Ambroſ.* eaque ab vno Dei operatorio verbo, ſed hæc iam vſitata non mirantur homines, & ſtuperent, ſi fierent, ad longè minora. Plura

Lib. 4. de Sacram. c. 4.

in

in principio Eccleſiæ ex gratia gratis data fidelibus, & præſertim ſacris miniſtris obueniebant, quæ, cum ſtudio, & labore poſſint comparari, non debuerunt ſemper miraculosè conferri, ſapientia, ſcientia, linguarum varietas, ſacræ ſcripturæ exponendæ peritia, ſacra elocutio ſtudio poſſunt acquiri, nec decuit ſemper tanquam conſectarias appendices cum ſacra ordinatione infundi, ſatis eſt per eam ad hæc omnia ordinatos aptiores fieri, neque enim deficit Deus in neceſſarijs, & multò minùs ijs, quibus ad munera ſua obeunda auxilium ſupernaturale promiſit. Proprium id habet hierarchica ſeries, vt ſuperiores illuminent inferiores, vnde præſertim Theologicæ veritates, ad quas ſolùm naturale lumen attingendas non ſufficit, lumen ſupernaturale requirunt, quod quidem cum à Sacramento ad illuminandos alios directò vi indita, ac connaturali habeatur, inde eſt quod ordinati ad ſacrorum, ac diuinorum explicationem, & communicationem aptiores appareant, & vice verſa meri laici, ad diuina, & ſpiritualia tractanda ſe attollentes, tanquam deſtituti diuino illo lumine, & auxilio, quod ſecum defert ſacra ordinatio, in errores facilè labuntur, ac proinde vetitum laicis, res Eccleſiaſticæ diſciplinæ tractare, & de rebus fidei diſceptare; ſic enim *Can. 64. Syn. 6. Conſtantinopolitanæ in trullo. Quod non oportet laicum publicè diſputare, vel docere docendi auctoritatem ex eo ſibi vindicantem, ſed ordini à Domino tradito cedere, & aurem ijs, qui docendi gratiam acceperunt, aperire, & diuina ab eis doceri. In vna enim Eccleſia diuerſa membra fecit Deus, vt eſt vox Apoſtoli.* Quem Canonem exponens *Theodor. Balſam.* appoſitè exorditur. *Populum Domini docere, & diuina decreta interpretari ſolis Antiſtibus à Diuina Spiritus gratia conceſſum eſt, & ijs, quibus ab illis permiſſum eſt.* Vtcumque igitur non intueamur gratias illas gratis datas, & chariſmatum illa dona, quę facilè adeò, & frequenter in Eccleſiæ primordijs effulgebant, non tamen per hoc deſtitutam ſacram ordinationem gratia gratis data cenſendum eſt, cum efficaciam ſupernaturalem in aliorum ſpiritualem vtilitatem, & ſpirituale bonum inuoluat, quam quidem virtutem non ſemel expreſſam habeas, & paſſim apud *S. Dionyſium Areopagitam* in ſua Eccleſiaſtica hierarchia. *C. 1. & c. 5.* Iam nunc ad effectum alterum tranſeamus trium tantùm Sacramentorum proprium.

3 Per ſacram igitur ordinationem præter gratiam, quam conferunt omnia Sacramenta, confertur & ſignum, vel ſignaculum in anima ordinati, quod dicitur character, ſicut & Sacramentum baptiſmi, & confirmationis eundem effectum operantur, licèt cum aliquo diſcrimine inter characterem, & characterem; eſt igitur character (vt eum definiuere *Tridentini Patres*) *ſignum quoddam ſpirituale, & indelebile, vnde Sacramenta, quæ ipſum conferunt, iterari non poſſunt.* *Seſſ. 7. Can. 9.* Communis aſſertio eſt characterem eſſe qualitatem abſolutam, & non relationem, qualem auctores grauiſſimi, licèt non multi, eſſe voluere; character enim per actionem Sacramentalem producitur, cum tamen relationes non producantur, ſed conſurgant ad productionem fundamenti proximè. Patres etiam de charactere loquentes dicunt ipſum imprimi, aut infigi, quæ voces quid abſolutum indicant, non conſurgentem relationem; diſputant hac de re ſcholaſtici, quæ diſceptationes noſtri non ſunt inſtituti. De characteris ſubiecto conueniunt ſcribentes ipſum animæ inhærere, & eſſe ſimpliciter in ſubſtantia animæ, ac proinde eſſe indelebilem, nihil

hil enim habet contrarium, à quo poſſit expelli, & eſt in ſubiecto incorruptibili, & euidentiſſimum huius indelebilitatis eſt argumentum, quod Sacramenta, quæ ipſum imprimunt iterari non poſſunt nulla certè alia de cauſa, niſi quia impreſſus character permanet ſemper; eſt enim conſecratio quædam, quæ tamdiù durat, quamdiù res conſecrata viget; generaliter tria operatur character ſeù propria munera; aptum facere ſuſcipientem ad Diuinum cultum, configurare Chriſto, & diſtinguere ab aliis. Hic igitur character, vt eſt effectus baptiſmi, & confirmationis, ità & ſacræ ordinationis; per hæc enim tria Sacramenta accipit homo nouam poteſtatem, & deputatur nouo miniſterio per nouam conſecrationem, ſtatum mutat, ideòque recipit nouum ſignaculum, nam per ordinationem adſcribitur ordinatus inter duces, & præpoſitos Chriſtianæ militiæ, & accipit poteſtatem diſtribuendi bona Domini ſui. Qualiſcumque hæc eſt ratio, quæ potuerit excogitari à priori, eſt & alia à poſteriori quidem, ſed vrgens, quod ſcilicèt Sacramentum ordinis, ſicut nec baptiſmus, & confirmatio, ſemel collata poſſunt iterari, & nulla certè alia de cauſa, niſi quia imprimunt characterem, cui quidem fieret iniuria, ſi iteraretur, aut ſuperueniente charactere iam impreſſus videretur deleri, vel ſi vterq; conſiſteret, alteruter abundaret, & otioſus, ac inanis eſſet, quam quidem rationem torquere hæreticos, exceptis Anabaptiſtis notat *Vazquez*, nec ab ea poſſe ipſos ſe expedire, vtcumque reſpondere nitantior; vt autem hoc characteris nomen Auguſtino tribuitur, quia, vt notat *Bellarmin.* antiquiores Patres ſigni, aut ſignaculi nomine tantùm ipſum indigitarunt, ità eiuſdem auctoritate confirmandus eſt.

*In 3. p. D. Thomæ tom. 2. diſp. 134. c. 1. n. 18.*

*Controu. tom. 2. lib. 2. de effec. Sacram. c. 19.*

4 Primùm igitur in libro ſuo de Bono coniugali contra Iouinianum hæc habet. *Quemadmodum ſi fiat ordinatio Cleri ad plebem congregandam & etiam plebis congregatio non ſubſequatur, manet tamen in illis ordinatis Sacramentum ordinationis, & ſi aliqua culpa aliquis ab officio remoueatur, Sacramento Domini ſemel impoſito non carebit, quamuis ad iudicium permanente.* En igitur quid ſtabile, & permanens ordinationis Sacramentum, quod ſanè alitèr intelligi non poteſt, niſi, vt aliquid poſt ordinationis actum impreſſum relinquat, hocq; ipſum dicimus characterem. Preſſiùs adhuc aduerſùs *Parmenianum*. *Neque enim vllo modo per deuotum militem, quod à priuatis vſurpatum eſt ſignum regale violabitur; ſi enim aliqui furtim, & extraordinariè non in monetis publicis aurum, vel argentum, ſed æs percutiendo ſignauerint, cum fuerit deprehenſum, nonne illis punitis, aut indulgentia libertatis, cognitum regale ſignum theſauris regalibus cogetur inferri, aut ſi quiſquam eſt ſiue deſertor ſiue qui nunquam omninò militauit, qui nota militari priuatum aliquem ſignet nonne vbi fuerit deprehenſus ille ſignatus pro deſertore punietur, & eò grauiùs, quo probari potuerit nunquam ſe militaſſe, ſimul ſecum punito, ſi eum prodiderit, audaciſſimo ſignatore? an ſi fortè illum militiæ characterem in corpore ſuo non militans pauidus exhorruerit, numquid homine liberato, atq; correcto, character ille repetitur, ac non potiùs agnitus approbatur? an fortè minus hærent Sacramenta Chriſtiana, quàm corporalis hæc nota? cum videamus nec Apoſtatas carere baptiſmate, quibus vtique per pœnitentiam redeuntibus non reſtituitur, & ideò amitti non poſſe iudicatur? an ducenda de militia ſimilitudo non fuit &c.*

*C. 24.*

*Lib. 2. c. 13.*

Agnouit *Auguſtinus* analogiam inter

ter monetalem characterem, ſeù militarem, & Sacramentalem, & ab vno ad alium adæquatiſſimè arguit, & quamuis loquatur de baptiſmali, idem tamen cenſendum, & de Sacramenti ordinis, conceſſo enim charactere baptiſmali non eſt difficile confiteri & illum confirmationis, & ordinis, cum ſint hæc Sacramenta eiuſdem rationis, vt conſiderat *Vazquez*, ſed demùm & de baptiſmi, & ordinationis charactere loquitur alibi *Auguſtin.* & rem, ac nomen in vtroque Sacramento agnoſcit. *Nos ergo* (ait) *ſic illos* (Hæreticos, & Schiſmaticos) *ſuſcipimus, vt ſunt; Abſit à nobis, nam hæretici ſunt, ſuſcipimus autem Catholicos mutantur, ſuſcipiuntur: ſed propter malum, quod habent non in eis poſſumus perſequi bona, quæ agnoſcimus; malum enim diſſenſionis, ſchiſmatis, hæreſis malum ſuum habent; bona verò, quæ in illis agnoſcimus non ſunt ſua, Domini noſtri habent bona, Eccleſia habent bona, baptiſmus non eſt ipſorum, ſed Chriſti, inuocatio nominis Dei ſuper caput ipſorum, quando ordinantur Epiſcopi, inuocatio illa Dei eſt, non Donati, non eum ſuſcipio Epiſcopum, ſi quando eſt ordinatus, ſuper caput eius Donatus eſt inuocatus; in errante, & deſerente milite, crimen eſt deſertoris, character autem non eſt deſertoris, ſed Imperatoris, ſed frater noſter non deſeruit, vbi adhuc nunquam fuit, ſiquidem in illo deſertore error eſt natus, quando eſt à deſertore ſignatus. Qui primò ſchiſma fecit, qui ſe ab Eccleſia Catholica ſeparauit, cum his, quos ſecum traxit deſertor fuit; cœteri à deſertoribus ſignati ſunt non ſigno deſertoris, ſed ſigno Imperatoris &c.* En igitur ex verbis Auguſtini characterem in baptiſmo, & ordine, en indelebilem, ac in transfugis manentem, poſſent & aliæ eiuſdem auctoritates cumulari, ſed res penès Auguſtinum certiſſima eſt, nec teſtimonijs inſiſtendum.

*Vbi ſup. n. 14.*

*Serm. de Geſtis cū Emerito.*

*Tract. 5. & 6. in Ioan. lib. 2. cont. lit. Petiliani. c. vlt. lib. 1. cont. Creſcen. cap. vlt.*

Claudat demùm *Gregor. Nyſſen.* de Sacerdote loquens. *Cum enim heri, ac tempore ſuperiori vnus è multitudine, ac plebe eſſet, repente redditur Præceptor, Præſes, Doctor pietatis, myſteriorum latentium Præſul, eaque contingunt ei, cum nihil, vel corpore, vel forma mutatus, ſed quod ad ſpeciem externam attinet, ille ſit, qui erat, inuiſibili quadam vi, ac gratia inuiſibilem animam in melius transformatam gerens &c.* Inhæret ergò quidpiam animæ, quod eam transformet, idque non aliud, quàm character, de quo, & effectibus ſacræ ordinationis ſatis.

*In Orat. de Bapt.*

## De Diaconiſſis. Excurſus.

CErtum non minùs, quàm compertum eſt ſacram ordinationem virili ſexui adeò propriè in Eccleſia competere, vt de ſexu ipſo ad ſacram ordinationem idoneo diſſertationem non duxerimus inſtituendam, vel hunc ipſum in dubium reuocandum. Quia verò nomina quædam occurrunt apud ſacros ſcriptores, quæ gradum Eccleſiaſticum in mulieribus etiam inſinuent, immò & ipſa ordinationis vox nonnunquam circa eaſdem legitur adhibita, ideò de hac ipſa vocum acceptione, & de gradibus hiſce fœmineo ſexui competentibus, ſaltem priſco Eccleſiæ æuo, ad coronidem materię quaſi per appendicem pauca adnectemus.

1 Fuit hæreticorum error exiſtimantium fœminas ſacræ ordinatonis capaces, qui ne dum mulieres in Diaconiſſas ordinarent, ſed & qui ex mulieribus Presbyteras, & Epiſcopas haberent, Cataphrigæ hic fuere, quo nomine alij ſingulares hæretici, tanquam generali titulo à loco deſumpto, continentur.

*Hæreſ. 49.*

tur. Ex *Epiphanio*, qui ſingularia ipſorum nomina recenſet à Montano proficiſcentium, & eius ſchola id colligitur error, quo & antea decepti Gentiles rectum cenſuerunt, vt maſculis Dijs Sacerdotes mares ſeruirent, Deabus verò Fœminæ in Sacerdotio obſequium præſtatent. Montaniſtarum inſaniam, & ſectarum inter eos multiplicem numerum innuit *Tertullian.* antequam infœliciter fieret & ipſe eorum aſſecla, & quòuſque ſe efferret fęminarum penès ipſos ordinatarum petulantia paucis deſcribit. *Ipſæ mulieres hæreticæ, quàm procaces! quæ audeant docere, contendere, Exorciſmos agere, curationes repromittere, forſitan & tingere*, hoc eſt baptizare, quia Sacerdotes habentur, vt ibi notat *Pamel.* Verùm, quidquid delirauerint hæretici, conſtans ſemper, eaque perpetua fuit in Eccleſia traditio, quæ non ſolùm ordinari mulierem aliquam vnquam permiſit, ſed & ſemper prohibuit, vnde fas eſt colligere Eccleſiam ipſam id ſemper tenuiſſe, iure diuino mulieribus interdictum ordinatione ſacra, nec huius Sacramenti eas agnouiſſe capaces. Grande enim argumentum illud, quod viuente Chriſto Sanctiſſima eius Mater, & Maria Magdalena tanti Sacramenti relictæ fuerint expertes, nec vnquam per tot ſubinde ſæcula mulierem aliquam legamus ordinis Sacramento initiatam, immò iniuſtè actum videretur con toto ſexu, ſi eo exiſtente capace nuſquam ad actum hæc capacitas, ſaltem in vna, eſſet redacta; facti hæc ſunt, ſed & congruum euincit ratio, ſexum muliebrem ab ordinatione alienum; cum enim Sacerdotes, & Epiſcopi ità per ſacram ordinationem à communi hominum conditione ſeparentur, vt eos longè longiùs excellant, eoſque docere, dirigere, ac ducere debeant, valde indecens eſſet, mulierem in adeò ſublimi

*De præſcrip. c. 52.*

*De præſcript. hæret. c. 41.*

gradu conſtituere, ac tantum auctoritatis, & muneris ipſi tribuere, quando *neceſſitas humilitatis cum muliere cenſetur*, ait *Tertullian.* & mulieri Apoſtolus vel loqui in Eccleſia interdixit. *Mulieres in Eccleſijs taceant, non enim permittitur eis loqui, ſed ſubditas eſſe, ſicut & lex dicit.* Reſpicit Apoſtolus ad legem Diuinam *Geneſ.* 3. qua dictum Euæ; *ſub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui*, vnde ſubdit; *ſi quid volunt diſcere domi viros ſuos interrogent; turpe eſt enim mulieri loqui in Eccleſia.* Abſit, vt credamus inſtituiſſe Chriſtum, quod turpe aſſerit & apertè Apoſtolus, vnde & *Tertullian.* nondum dementatus. *Non permittitur mulieri in Eccleſia loqui, ſed nec docere, nec tinguere, nec offerre, nec vllius virilis muneris, nedum Sacerdotalis Officij ſortem ſibi vendicare.* An autem quòad minores ordines, & tonſuram ſaltem cum Pontificia diſpenſationi idem ſit ſtatuendum dubitatum à Theologis, & provt variè ſentiunt, an ſint minores ordines Sacramenta, an verò Sacramentalia, variè etiam ſtatuunt de promouendis ad hos mulieribus. Temperamus ab ea diſquiſitione, de qua *Vazquez* exactè; nobis innuiſſe ſatis.

*De Virg. Velan. c. 9.*

*Vbi ſup.*

*In 3. p. tom. 3. diſput. 245. c. 2. n. 11. & 12.*

2 At verò vrgent in oppoſitum frequentia, ſaltem primis illis Eccleſiæ ſæculis, Subdiaconarum, Diaconiſſarum, Presbyterarum, immò & Epiſcoparum nomina, quæ ad eos gradus per ordinationem euectas mulieres indicant, ne nomen, aut ſine re, aut à re diſſonum velimus, & eſto, quod de nominibus alijs paratum ſit effugium, at de Diaconiſſis non adeo facilè. De ijs enim ſenſit Apoſtolus, dum Presbyterorum, & Diaconorum ordinandorum conditiones præſcribens immediatè eaſdem, & in mulieribus ſpectandas propoſuit. *Mulieres ſimiliter pudicas,*

*Concil. Turon. 2. Can. 12. 13. Antiſiodorenſ. Can. 21. Roman. ſub Greg. II. Can. 12. 3.*

*1. ad Timot. c. 3.*

*non*

*non detrahentes, ſobrias, fideles in om-*
Ibid. c. 5. *nibus*, & alibi. *Vidua eligatur non minùs ſexaginta annorum, quæ fuerit vnius viri vxor, in operibus bonis teſtimonium habens, ſi filios educauit, ſi hoſpitio recepit, ſi Sanctorum pedes lauit, ſi tribulationem patientibus ſubminiſtrauit, ſi omne opus bonum ſubſecuta eſt*. Contextus, quo de Diaconorum, & Viduarum electione agitur, Diaconiſſas haſce viduas indicat, & dum cernimus eaſdem penitùs conditiones in ipſis exigi, quæ in Diaconis, iam eundem gradum, & ordinem in ijſdem licet arguere, & ad idem vocatas miniſterium, quod ſit vnius viri vxor configurationem ſacri ordinis propriam indicat; & ſi nomen, ac officium ſacrum videmus cum Diaconis commune, non eſt cur, & communem ordinem negemus.

Quod attinet ad nomina *Epiſcopæ, & Presbyteræ* mulieribus tributa in ſupra allegatis Concilijs, in quem ſenſum ſint ipſa accipienda fundatè decla-
Tom. 1. Annal. anno 34. rat *Baron.* non enim fuere ità appellatæ, quaſi ſupra Diaconiſſas gradu poſitæ aliquo munere in Eccleſia fungerentur, ſed quia ſeniores viduæ ab ætate dicerentur Presbyteræ, vt indicat apertè *Laodicenum Concilium Can.* 11. quem tranſtulit *Gratian. in Can. mulieres, quæ* 32. *diſt.* & apud *Balſam.* breuior habetur, & ad intentum aptior. *Non oportere eæ, quæ dicuntur ſeniores*, grecè ibidem *λεγομένας πρεσβύτιδας viduas, vel præſidentes in Eccleſijs conſtitui*, vbi *Balſam. Antiquitùs mulieres quædam vetulæ in Catholicis Eccleſijs ſedentes reliquas fortè mulieres ad bonum, honeſtumque ordinem ſeruandum deducebant*. Erat igitur hoc ætatis nomen non muneris titulus; at frequentius hoc Presbyteræ nomen illis fuit iniunctum, quarum maritis in Presbyteros electis ipſæ ſeparatim vitam cęlibem ducebant, quo ſenſu & Epiſcopæ dictæ, quarum maritis in Epiſcopos conſecratis, ipſæ ſubinde ſpectata vitæ ſanctitate ſegregatæ viuerent, ſicut & Diaconiſſæ, & Subdiaconiſſæ potuere dici, quæ ab ordinatis Diaconis, aut Subdiaconis fuiſſent relictæ; denominationes à vulgato, & populari vſu potiùs deductæ, & non à miniſterio Eccleſiaſtico, cui per ordinationem eſſent addictæ. At prætèr hanc ſignificationem *Diaconiſſæ*, eſt & illa, qua munus in Eccleſia præcipuum indigitatur, ad quod certa quædam veluti ordinatio erat præſcripta, & de hoc nobis agendum. Creditum pleriſque Diaconiſſas eaſdem eſſe, aut fuiſſe cum viduis, at re attentiùs inſpecta notabile inter ipſas aduertimus diſcrimen, ipſumque multiplex.

3 Viduæ nomen ſe ipſum pandit ſed præter vulgatiſſimam hanc acceptionem mulieris poſt obitum viri ſine marito viuentis, ſtatim ab Apoſtolis fuere in Eccleſia viduarum collegia (quod notauit *Baron.*) ſiue ordo, in Tom. 1. Ann. 57.
quem promiſſa caſtitate illæ ſolummodò admittebantur, quæ præmiſſo diligenti caſtitatis experimento ab omni incontinentiæ diſcrimine procul aberant. Diaconiſſæ verò recipiebantur non ſolùm viduæ, ſed & virgines, nec ſolùm ad caſtitatem ſeruandam, ſed & alia munia in Eccleſia obeunda conſecrabantur. Vnde viduæ ſolo voto conſtabant, Diaconiſſæ certo ritu, qui ordinationem quamdam exhiberet, conſtituebantur. Vtriuſque recipiendæ formam, vel addicendæ continent *S. Clementis Romani Conſtitutiones*, nec de- Lib. 8. Apoſt. conſtit. c. 26. & c. 31. lib. 3. c. 7. lib. 3. paſſim.
ſcribendam inde cenſemus. Viduæ ſubijciebantur Diaconiſſis, iiſque obediebant, ex eodem Clemente; vbi loquuntur Apoſtolicæ conſtitutiones de viduis nullum eis officium tribuunt, at Diaconiſſis vtique varia munera, ſed præci-

præcipuè vidua domi quieta, tranquilla ſtatuitur, cui nefas per alienas circumcurſare domos. Diaconiſſæ è contra ad alienas domos mandata Epiſcoporum cautè perferentes mittebantur. Viduarum ordo ſemper ex iam nuptis, Diaconiſſæ nonnunquam ex virginibus, ac innuptis aſſumptæ, vt teſtantur eædem Clementis conſtitutiones, & lubet de Diaconiſſis accipere, quæ apud *Tertullian.* in hæc verba legimus. *Quantæ igitur, & quæ ordinari in Eccleſia ſolent, quæ Deo nubere maluerunt, quæ carnis ſuæ honorem inſtituerunt, quæque ſe iam illius pudoris filias dicauerunt occidentes in ſe concupiſcentiam libidinis, & totum illud, quod intra Paradiſum non potuit admitti.* Cum tamen idem alibi virginem inter viduas tanquam quid portentoſum ſtupeat in traditæ iam differentiæ argumentum; ſic enim de *virginib. veland. Planè ſcio alicubi virginem in viduatu ab annis nondum viginti collocatam, cui ſi quid refrigerij debuerat Epiſcopus, aliter vtique ſaluo reſpectu diſciplinæ præſtare potuiſſet, ne tale nunc miraculum, ne dixerim monſtrum, in Eccleſia denotaretur: virgo vidua hoc quidem portentuoſior, quod nec quà vidua caput texit, vtrumque ſe negans, & virginem, quæ vidua deputetur, & viduam, quæ virgo dicatur; ſed ea auctoritate illic ſedet intecta, quà & virgo.* Aut ergo ſibi contrarius *Tertullianus*, aut differentiam iam aſſignatam, vt ſupponit, ità & confirmat. Virgines etiam aliquando Diaconiſſas ſupponit *Iuſtinianus in l. raptores 42. C. de Epiſc. & Cler. & in nouella 6. C. 6. Balſam. & Zonar. ad Can. 19. Concil. Nicæni primi, & Balſam.* non ſine re dixit virgines *aliquando*, quia præcipuè, & frequentiùs huic muneri addicebantur viduæ, conſentitque apertè *Theodoſ. Imp. in l. 27. C. Theodoſ. de Epiſc. Eccleſ. & Cleric. & ibi Gothofred.* cuius ea verba. *Nulla niſi emenſis ſexaginta annis, cui votiua, domi proles ſit, ſecundùm præceptum Apoſtoli ad Diaconiſſarum conſortium transferatur, cum filijs ſuis curatore (ſi id ætas poſcit) petito bona ſua idoneis ſedulè religione gerenda committat*: virgines hìc non ſupponit *Theodoſ.* Hæc ætas nimia viſa eſt *Concilio Chalcedon. Can. 15. & Trullano C. 14.* ac proinde ad 40. redacta; Iuſtinianus mediam viam tenens ad 50. auxit primò, ſed demùm iterùm ad 40. redegit, vnde *Balſam.* (*vbi ſup.*) *Virgines aliquando ad Eccleſiam accedebant, & Epiſcopi ſuaſione ſeruabantur, vt pote Deo dedicatæ, ſed tum amictu laico, id enim eſt in habitu cenſeri; cum autem 40. annorum ætatis eſſent Diaconiſſarum quoque ordinationem recipiebant, ſi omninò dignæ inuenirentur.* Ideòq; viduarum nomen ipſis relictum, quod vel ab ipſis erumpentis Eccleſiæ cunabulis inditum fuerat, cum difficile tunc eſſet virgines reperire matura ætate, prudentia, & auctoritate pollentes, & ideò Diaconiſſæ plures viduæ, pauciores virgines; ſed receptæ tamen, quæ verò viduæ non Diaconiſſæ ad viduatum recipiebantur, vidualem veſtem induebant, & caſtitatem profitentes coram Epiſcopo velamen etiam recipiebant in Eccleſiæ ſacrario; *Concil. Chartagin. 4. C. 104. Arauſican. 1. in C. viduitatis 27. q. 1. Toletan. 4. Can. 55.* duas viduarum ſpecies diſtinguens, ſæcularium ſcilicèt, & ſanctimonialium, & demùm *Toletan. 10. C. 4. relatum in Can. vidua 20. q. 1.* quod ſi quæ objiciantur Pontificum, vt Gelaſij, aut Conciliorum auctoritates viduas velari vetantium, quadruplicis veli tradita diſtinctione occurrit *Gloſſ. ad Can. deuotis 20. q. 1.* verbo

*Lib. 6. c. 17. in fin. De exhort. caſtit. cap. vlt. in fin.*

*C. 9.*

*Ad l. raptores, & Nou. 6. c. 6. Nou. 123. c. 13*

*Act. Apoſtol. c. 6. Apoſtol. conſt. lib. 2. c. 18.*

*Epiſt. 1. Epaun. c. 21. Turon. 2. c. 21.*

*vela-*

*velamen*, eoque aſſignato, quod viduis æquè, ac virginibus competat; *ad c. Viduas 27. quæſt. 1.* diſcrimen etiam aſſignauit inter velationem viduarum, & virginum; At Diaconiſſarum benedictio fuit longè ſublimior ex Iuſtiniano, quæ proindè ab ipſo, ſed & longè antè à *Tertulliano* ordinationis nomine donata fuit; χειροτονίας nuncupant *Conſtitutiones Apoſtolicæ*, eaque ipſa voce vſus *Iuſtinianus*, *Chalcedonenſe Concilium*, & *Trullan.* quæ non aliud ſignificat, quàm ordinationem; non tamen Diaconiſſis ea tradita quæ Diaconis, id enim vetitum *Can. 19. Niceni 1.* ſed alio ritu, & alia manus impoſitio merè ceremonialis ipſis facta, quæ longè diuerſa à ſacra ordinatione, & ea, quæ Diaconi propria. Ordinationis Diaconiſſarum formulam exhibent Apoſtolicæ Conſtitutiones apud *Clementem Romanum.*

*d. Nou. 6. c. 6. de exhortat. caſt. cap. vlt. Nou. 123. c. 13. & ſup. Can. 15. c. 14. & c. 40.*

*Lib. 8. c. 26. 1. ad Timoth. c. 5.*

Non ignoramus agitari valdè inter Patres, an quæ ſcribit Apoſtolus ad Timoth. *vt Vidua eligatur non minus, quàm ſexaginta annorum, quæ fuerit vnius viri vxor &c.* vt & ſupra retulimus, ſint accipienda de viduis illis præciſè tantùm, quæ ſtipendijs, & prouentibus Eccleſiæ alebantur, & quarum extitiſſe collegium notauimus cum *Baron.* an verò etiam de Diaconiſſis; Hinc inde ſtant Patres; Pro ſolis viduis ſtant *D. Thom. Hieronymus Chryſoſtom.* de ijſq; volunt loqui Apoſtolum, quæ Eccleſiæ opibus ſuſtentabantur, cum ipſæ labore ſuo ſe alere non poſſent, vt ſupponit *Hieronym.* Pro Diaconiſſis, & quod de ijs accipienda ſint D. Pauli verba. *Idem Hieronym.* alibi. *Primas, Sedul. cum eo*, ſed magis literę cõſonat opinio prima; Viduas enim vt pote periculoſioris incontinentiæ, ſexaginta annorum eligi vult, tunc ſiquidem de continentia, quam promittebant, cautior, & tutior poterat eſſe ſecuritas; lubricum viduarum ſtatum magis, quàm virginum pulchrè deſcripſit *Tertullianus*; *tamen vidua habet aliquid operoſius, quia facile eſt non appetere, quod neſcias, & auerſari, quod deſideraueris nunquam, glorioſior continentia, quæ ius ſuum ſentit, quæ quid viderit nouit. Poterit virgo fœlicior haberi; at vidua laborioſior; illa quod bonum ſemper habuit, iſta quod bonum ſibi inuenit; in illa gratia, in iſta virtus coronatur.* Ac proinde addidit *D. Paulus. Adoleſcentiores autem viduas deuita. Cyprianus* exponit. *Præteri D. Thom. caue, ne recipias ad ſubſtentationem paſſim in Eccleſia.* Rationem ſubtexuit *Apoſtolus*; *cum enim luxuriatæ fuerint, in Chriſto nubere volunt, habentes damnationem, quod primam fidem irritam fecerunt*; quæ ſanè verba, vt de ſolis viduis ſunt, ità intentionem de viduis eſſe, & non de Diaconiſſis confirmant, quod ſenſit & *Baron.* circa Apoſtoli intentionem, præterquam quod ſupra attigimus cum eodem *Baron.* Diaconiſſas in Eccleſiam inuectas, & earum miniſterium receptum poſtquam deſierant viduæ à proprio officio. Vnde poſt Pauli æuum fortaſſe, etiam circa earum ætatem variatum, vt ſupra ex lege Theodoſij aduertimus.

*In 1. ad Timoth. c. 5. ſect. 2. Epiſt. 19. ad Saluianam. ep. 11. ad Ageruchianc. Ho mil. 14. in c. 5. 1. ad Timoth. ad c. 5. 1. ad Timot.*

*Lib. 2. ad vx. c. vlt.*

*Lib. 3. ad Quirinum. c. 74. vbi ſup. lec. 2.*

4 Iam igitur ad ipſarum munus, & materiæ coronidem. Diaconiſſæ itaque foribus Eccleſiæ præſidebant, per quas mulieres in Eccleſiam ingrediebantur, ſicut ianitores, ſiue oſtiarij præerant ianuis; per quas viris patebat ingreſſus, vnde *Martyr Ignatius* ipſas *ſacrorum veſtibulorum cuſtodes* appellat; ſicut enim in templo erant portæ pro fœminis, & loca orationis pro ipſis ſeparata, ità & mos idem laudabilis in Chriſtianorum Eccleſias fuit tranſlatus, & vtinam adhuc vigeret. In mulierum præcipuè miniſterijs operam ſuam

ſuam impendebant Diaconiſſæ, vt ex *S. Clemente* colligitur. Vbi enim Epiſcopus, quid perferendum mulieribus iniungeret, mittebatur Diaconiſſa, ne miſſo Diacono obtrectandi, ac ſuſpicandi infidelibus daretur occaſio; cum baptiſmus per immerſionem fieret perneceſſaria erat Diaconiſſæ opera, vt miſſa in fontem muliere modeſtiæ parceretur; cum mulierum frons vngeretur ab Epiſcopo, Diaconiſſa abſtergebat· non enim eſt neceſſe aſpici mulieres à viris, ait *S. Clemens*, ſed lubet omnia Diaconiſſarum munia, ipſis *S. Epiphanij* verbis reddere vberiùs. *Miniſtrarum quidem Diaconiſſarum appellatarum ordo eſt in Eccleſia, non ad ſacrificandum, neque vt quidquam aggredi permittantur, verùm reuerentiæ gratia muliebris generis, aut propter horam lauacri, aut viſitationis, affectionis, aut laboris, & quando nudatum fuerit corpus mulieris, vt ne à viris ſacrificantibus aſpiciatur, ſed à miniſtrante muliere, cui præſcribitur à Sacerdote, vt curam gerat ad tempus indigentis mulieris, in tempore denudationis corporis eius, ità, vt ordo bonæ diſciplinæ, ac Eccleſiaſticæ bonæ inſtitutionis valdè ſcientificè munitus ſit in menſura regulæ.* Hactenùs *Epiphanius*, cuius verbis ad rem perappoſitè ſubnectit *Baron. Quantumlibet prædicta Diaconiſſæ curent, non tamen erant eiuſmodi, vt ſicut Diaconi manus impoſitionem acciperent, vel aliquo Sacramento initiatæ eſſent, nam Sacroſancta Nicœna Synodus ea ex cauſa eaſdem inter laicas adnumerat.*

*Ap. ſt. Conſt. lib. 3. c. 15. in fine.* — *Hæreſ. 79.*

Nec vrget, quod ex *Græcorum Eucologio* Diaconiſſæ apud ipſos ordinentur ſolemni ritu, & dum ordinantur recipiant ab Epiſcopo manus impoſitionem, tùm quia ordinationis verbum nimis generale eſt, quàm vt tantùm ad veram, & Sacramentalem propriam ordinationem debeat reſtringi, tùm etiam quia (vt iam ſupra innuimus) non vna eſt manus impoſitio, nec continuò à cęremoniali ad Sacramentalem poteſt illatio fieri. Hæc per excurſum de Diaconiſſis, & de tota ſacra ordinatione ſatis, quæ aliquantò diutiùs conſueto nos detinuit, neque enim grauiſſima, & ampliſſima materia ad arctiores, & anguſtiores limites potuit reuocari, ac inter eos ſine diſpendio arctari.

*Tit. de Diaconiſſis pag. 263*

## CAP. IX.

## De Vita, & Honeſtate Clericorum, & eorum Cœlibatu.

1. *Partitione materiæ præmiſſa, à veſtitu ſumitur exordium, de cuius intentione agitur, & qualitate.*
2. *Veſtibus tonſura debet eſſe comes, & de ea latè, & congruè, ac de capillorum cultu.*
3. *Arma dedecent Clericos, & militaria indumenta, & de eorum temperantia in cibo, & potu.*
4. *De Clericorum honeſtate circa negotia, & circa ſtudia.*
5. *De Clericorum caſtitate, pudicitia, & cohabitione cum mulieribus.*
6. *Concubinæ vetitæ, & quatenùs liceat à Clerico ſic notato Sacramenta percipere.*

CVM ſit, quod (vt aliàs notauimus) Clerici per ſacram ordinationem *à communitate vulgi ſeparentur, & in Diuinorum miniſtrorum numerum cooptentur*; ſic enim ait *S. Greg. Nyſſenus*, vel vt loquitur *S. Greg. Nazianzenus, magnum hunc gradum aſſequantur, atque in eorum, qui appropinquanti Deo appropinquant,*

*Orat. de S. Baptiſmate.*

*quant, numerum adſcribantur*, Diuinamque quodammodò formam participent, iam qualis debeat eſſe ipſorum conuerſatio, quiue mores, conijcere, & inferre facile eſt. Attamen quanta debeat eſſe eorum vitæ integritas, quæ omnibus inſtar ſpeculi proponitur, quæ honeſtas, quodue inſtitutum differemus generalitèr, ſingularia tractantibus relinquentes; veſtitum ergo conſiderabimus, mores, & diſciplinam, quæ capita omnia neceſſariò exponenda facilè ſuggerent.

1 Veſtitus itaque ſeſe exhibet primò; proſpexit, præſcripſitque Eccleſia militantibus ſuis congruum habitum, ea planè intentione, qua veſtitus inſtitutus, non ſolùm ſcilicet vt tegat, & nocua arceat, ſed vt deſignet, ac diſtinguat; deſignet religioſæ vitæ inſtitutum, diſtinguat à laicis, & ſæcularibus, à quibus diſtare maximè debent Clericorum mores, vita, porfeſſio, vnde aſſumentes habitum probè etiam noſſent ingredi ſe vitam à ſæculi negotijs ſeiunctam, ac remotam, aſſumpti habitus hanc intentionem expreſſit *S. Dionyſ Areopagita*; *Prioris autem veſtis detractio, & alterius aſſumptio ſignificat à media ſancta vita ad perfectiorem traductionem, ſicut in diuina illa regeneratione veſtis immutatio declarabat expiatæ vitæ ad contemplandi, & intelligendi ſtatum, tranſmigrationem, & euectionem*; ac proinde qui aſſumit mutari ità debet, vt de ſæculari, & profano factus ſacer religionem vndique ſpiret, ac de eo dici poſſit, quod de Maximo facto Clerico ſcribebat *Sidon. Habitus viro gradus, pudor, color, ſermo religioſus*, iſq; demùm, qui vel tacente Clerico mutationem teſtetur, & loquatur ſicut de pallio ait *Tertullian.* acutè. *Verùm & ſi eloquium quieſcat, aut infantia ſubductum, aut verecundia retentum (nam & elingui philoſophia vita contenta eſt) ipſe habitus ſonat, ſic denique auditur philoſophus non videtur. De occurſu meo vitia ſuffundo; quis non æmulum ſuum cum videt patitur? quis oculis in eum poteſt, in quem mentibus non poteſt? grande pallij beneficium eſt, ſub cuius recogitatu improbi mores vel erubeſcunt*. A pallio ad Clericalem amictum nil aptiùs poſſit transferri, qui ideò religioſè ſuſcipiendus, ac religioſiſſimè geſtandus.

De Eccl. Hierarc. c.6. §.4. in theor.

Lib. 4. epiſt. 24.

De pallio c. 6.

Veſtis igitur propria cum ſit aſſignata, & conſtituta Clericis, ea indui ſemper debent tanquam propria, & officij ſui indice; ſic enim *Conſtantinopolitana Synodus in Trullo Can. 27. Nullus eorum, qui in Cleri catalogum relati ſunt, veſtem ſibi non conuenientem induat, neque in ciuitate degens, neque iter ingrediens, ſed vtatur veſtibus, quæ ijs, qui in Clerum relati ſunt, attributæ fuere*. Subtexuit rationem *Balſam. virtutis enim, & honeſtatis exemplum debent eſſe Clerici, non autem ſtolidæ, indecoræque, ac inhoneſtæ vitæ*. Adeo morum, & honeſtæ vitæ indices ſunt, argumentumque præbent congruæ, aut incongruæ adhibitæ veſtes. Clericales hæ veſtes dictæ, & veſtis Clericalis non alia, quàm illa, quam tunicam Sacerdotalem appellat *Zaccharias in C. Epiſcopi 24. q. 4. & Gloſſa* exponit talarem *ex Can. non liceat 23. diſt.* quæ proinde & *ſtola* dicta, nec impropriè, cum enim ſtola eſſet veſtis ad talos demiſſa, & pudicis, ac honeſtis matronis olim addicta, vt apud *Tertullian.* ità Clericis ex nomine documento eſſe debet *C. nullus. 21. q. 4.* vnde in capitularibus Caroli Magni. *Vt Sacerdotes ſtolas portent per ſignum caſtitatis, ſicut decretum eſt*.

De Pallio c.4.

Lib.6. c.169.

Puræ debent eſſe Clericales veſtes nullius ſpectati, aut variegati coloris, aut adiecto aliquo interſtinctę, quales appellauit *Sidon. Viridantia ſaga limbis*

Lib.5. ep.20.



Digitized by Google

*bis marginata puniceis*, ſed nigræ, vt cumque antiquitùs Clerici violaceo, ſeù caſtaneaceo vterentur colore, Monachi vero pullo. Humilitas maximè in Clerici veſtibus ſpectari debet tùm reſpectu coloris, tùm reſpectu pretij adeò, vt auro, aut argento non debeant eſſe intextæ, ſed quæ demùm honeſtatem, & modeſtiam ſpirent, cum animum geſtantis ſępè prodat amictus.

2 Veſtium decori reſpondere debet tonſurę geſtatio, de qua omnia notabiliora tradidimus ſupra de tonſura agentes. Hęc à Gręcis dicitur παπαλήθρα, tonſura, ſeù raſura in modum coronę, à πάπας, quod pater ſignificat, nomen non ſolùm maioribus, ſed etiam minoribus ordinibus commune, & λήθρα, quod circulum, ſeù cinctorium notat; corona latinis, & meritò, quia (vt inquit *Cęl. Rhodigin.*) *ex Romanæ Ecclesiæ inſtitutione regnum præfert, quod in Chriſto ſpectatur, capillorum verò deciſio temporalium indicat bonorum depoſitionem*. Nec ſatis Clerico geſtare coronam, ſed declinandus inſuper immodicus comę cultus, & ſtudioſa luxuries, inde in Concilio Chartaginienſi 4. C. 44. vnde compilator tranſtulit in *cap. Clericus 5. de vita, & boneſt. Cleric. Clericus nec comam nutriat, nec barbam*; quamuis in pleriſque editionibus Concilij Chartaginienſis non ità legatur *Can.* ſed *Clericus nec comam nutriat, nec barbam radat*; qua lectura admiſſa immò barbæ abraſio videatur interdicta, & adnuunt Apoſtolicę Conſtitutiones apud *S. Clementem* ità ſtatuentes; *Oportet præterea non barbam radere, neque formam hominis contra naturam mutare; ait enim lex, non radetis barbas veſtras, mulieres namq; vt deceret non eſſe barbatas fecit earum auctor Deus, viros contra, vt non deceret idem iuſtè ſtatuit*. Nihilominùs mos barbę radendę in Eccleſia Occidentali inualuit, contra Orientalium morem, pro qua obſeruatione diſtrictiſſimè imperauit *Gregor. VII. Rom. Pontif.* Verùm rem, & morem huiuſmodi tanquam indifferentem etiam in Eccleſia Occidentali immutauit vſus, cum pro tempore vario tum barbati, tum raſi inceſſerint Occidentales Clerici, & ęuo ſuperiori eruditè pro Sacerdotum barbis pugnauit *Pier. Valerian.* omiſit, aut ademit verbum *radat* compilator decretalium, ne anſam cauillandi relinqueret illis, qui abraſionem tanquam deteſtabilem damnant. Hoc certum, quod circa comam, & circa barbam nimium ſtudium damnatur; abraſio totalis excluditur, ne Sacerdotes, & Clerici Chriſtiani Ethnicos videantur imitari, ſic enim *D. Hieronym. Perſpicuè demonſtratur raſis capitibus, ſicut Sacerdotes, cultoreſque Iſidis, ac Serapis nos eſſe non debere*. Nimiùs, iſque ſtudioſus cultus, ſęcularis vanitatis index æquè damnatur; moderatus vſus admittitur, qui Clericum deceat. Ridenda plane illorum aſſentatio, qui publieæ diſputationi expoſuerunt, an geſtare capillos Clericis ſit peccatum mortale, & vt placerent inſectantibus capillos, diſputando; affirmantem ſententiam ſuſtinuere, ſed prudentia præſidentium typis obſtitit, ne hæc publicarentur, & ex angulo Clericorum reliquum, & Romana Curia tota ſub oculos Summi Pontificis nexibus peccati mortalis illaquearetur; ne quid nimis tum quòad capillos, tùm quòad barbam, dũ vtrobique modeſtia, & diſcretio appareat; qualem præſcribit *S. Ambroſ. Ipſe non ſit affectatus decor corporis ſed naturalis ſimplex, neglectus magis, quàm expetitus, non pretioſis, & albentibus adiutus veſtimentis, ſed communibus, vt honeſtati, vel neceſſitati nihil deſit, nihil accedat nitori*. Affectatum damnatur ſtudium, non appoſitus cultus.

*Antiq. lect. lib. 18. c. 38.*

*Lib. 1. c. 3. circa fin.*

*Lib. 8. epiſt. 10.*

*Hierogliphic. tom. 2. in prin.*

*In Ezechiel. c. 44*

*Lib. 1. offic. c. 19.*

3 Mili-

3 Militaria veſtimenta, & armorum vſus dedecent omninò Clericos, vt ex *Concil. Pictauienſi* ſtatuitur *in C. 2. h. t. C. Clerici. C. quicunque 23. q. 8.* Proſequitur *Nicetas Cartophilax* latè, ſed & adhibito moderamine in reſponſionibus ſuis adeò, vt genus quodam Apoſtaſiæ videatur, ſi quis veſtem mutauerit, quam, ſicut & tonſuram, in ſignum ordinis Clericalis aſſumpſit; arma enim Clericorum propria ſunt orationes, & lacrymæ, *Ambroſ. in C. conuenior 23. q. 8.* ferro enim ſanguis elicitur, quo Clerici maximè abſtinere debent. *Can. 27. Apoſt.* eoſque decet præcipuè lenitas, cui nil magis repugnat, quàm bellicus furor.

*Lib. 5. Iuris Græco Rom. p. 348.*

Temperantia maximè quòad cibum, & potum exigitur à Clericis, ac proinde damnatur crapula; diſtrictè *Innocentius III. in Concilio Lateranen. A crapula, & ebrietate omnes Clerici diligenter abſtineant, vnde vinum ſibi temperent, & ſe vino in C. à crapula. h. t.* ideò vetitæ paribus poculis inuitando potationes *C. nullus diſt. 43. C. nullus de conſec. diſt. 5.* & repotia, ſiue frequentia conuiuia, de quibus, & eorum græco nomine *Cuiac.* Hac ipſa ratione, & Tabernis interdictum tanquam perditi luxus, & ebrietatis officinis, niſi in itinere, & neceſſitate exigente. C. *Clerici 15. h. t.* nec minùs Clericis vetiti theatrales ludi, torneamenta, turpes ioci, & mimorum figmenta, hiſtrionum cœtus *d. C. Clerici* Nihilominus dubitatum ſcimus, num Clerici in ſacris conſtituti peccent mortaliter, ſi comedijs interſint ob ſolam curioſitatem abſque periculo probabili lapſus in peccatum mortale? Negat *Sanchez*, & aſſertores ſecum auctores grauiſſimos aduocat, ceſſante ſcandalo, quem ceſſare hodie credit, ex quo vſus iam obtineat, vt Clerici frequentent; circumſcriptis tamen circumſtantijs, quæ valeant peccatum inducere, & quamuis reſiſtant Canones, & præſertim *cap. Cleric. 15. h. t.* attamen eos eſſe de honeſtate ſcribit *Innocent.* vel (inquit *Caietan.*) non obligare ſub mortali dempto ſcandalo, & contemptu.

*Lib. 16. obſeruat. 19.*

*De Matrim. lib. 9. diſp. 46 num. 40.*

*Ad d. c. Clerici.*

*In ſum. verb. Cleric. peccata in fin.*

Alearum luſus à Clericis abeſſe longiſſimè debet *d. C. Clerici C. inter dilectos de exceſſib. Prælat.* nec admittitur curialitatis conſuetudo, quæ excuſet, vt ait ibi *Sum. Pontif.* non enim rem peſſimam poteſt iuſtificare, vnde corruptelam potiùs, quàm conſuetudinem ipſam appellat; ludus verò, in quo exercetur ingenium, dum tamen moderatus ſit; & animi cauſa, non auaritiæ fiat, permittitur ſecluſo etiam ſcandalo.

4 Circa negotia item, & exercitia honeſtas in Clericis ſpectatur; vetatur enim ipſis procurare, patrocinari, aut aduocare ad laica tribunalia *C. nullus 11. q. 1.* At coram Eccleſiaſtico Iudice eis permiſſum, & in cauſa Eccleſiaſtica. *C. 1. de poſtulando*; à contrario ſenſu procurare verò nullibi, procurator enim ſolum negocium in ſe ſuſcipit; aduocatus verò tantùm iura proponit, & ideò non decet negotia huiuſmodi aſſumere illum, qui ſoli Deo debet militare. *C. 1. ne Clerici, vel Monachi.* Permittetur nihilominùs aduocare coram Iudice laico in cauſa propria, in cauſa ſuæ Eccleſiæ, & in cauſa miſerabilium perſonarum, quæ proprias cauſas tractare non poſſunt *d. c. 1. de poſtul.* vbi & plures alij caſus penès ſcribentes. Tutelam, aut curam ſuſcipere niſi pietatis cauſa Clerici non poſſunt *C. 1. & C. fin. 88. diſt.* adeò, vt nec teſtamentarij, nec datiui valeant conſtitui. *C. Cyprian. 22. q. 3.* legitimam tamen tutelam ſuſcipere eis permittitur; *Gloſ. ad c. irreligioſum 87. diſt.*

Negotiari, & mercaturam exercere interdicitur Clerico lucri cauſa *C. negotiatio 88. diſt. c. ſecundum 6. ne*

Cler.

*Cler. vel Monachi c. ſed nec eod. tit. c. Clericus diſt.* 94. *c. Canonum* 14. *q.* 4. à quibus iuribus infliguntur pœnæ excommunicationis, ſuſpenſionis, & depoſitionis tanquam contra grauiter, & mortaliter peccantem; quemcumq; contractum celebret, dum tamen lucro inhiet *c.* 1. *ne Cler. vel Monachi*; nam ſi emat, vt domi conſumat, aut de bonis ſuis recolecta vendat, argui non poterit. Negotiationem vetitam Clerico intelligimus, quæ frequenter exerceatur, nam ſi ſemel, aut iterum id agat, non imputabitur; limitationes plures omittimus remittentes ad pragmaticos, qui dubia plura ad rem excitant; ſimpliciori Eccleſiæ æuo interdicebatur Clericis præſertim maioribus ſtudium Phyſices, & legum *c. fin. ne Cler. vel Monachi. c.* 1. *eod. in* 6. ſed demùm vſus obtinuit, vt ad exactiorem ſacrorum Canonum, & Theologiæ intellectam Phyſices, & legum ſtudia frequentent, nec ipſis imputetur, ſi Doctoratus gradum in vtroque iure accipiant, idq; factum cum ſuperiorum ſcientia, & patientia conceſſionem inducit, nec vllum vel minimum ſinit ex conſtitutionibus ſupradictis induci ſcrupulum, quæ vetuſtioribus conſtitutionibus circa vitam, & mores Clericorum fuere ſtatuta rata habuit, & innouauit *Concil. Trid. ſeſſ.* 22. *de reform. c.* 1. eorumque obſeruationem iniunxit.

Sed ſupereſt adhuc, quod maximè in Clericorum moribus, & vita tanquam in ſpeculo elucere debet, pudicitia, & caſtitas, qua vna tota morum integritas videtur contineri, & quæ potiſſima, ſed non vna, Eccleſiaſticorum virtus; non vna diximus, ne illorum foueamus errorem, qui vna pudicitia contenti auaritiam, ſuperbiam, cœteraque ſubtiliora peccata non horrent, nec bona opera curant, omnia ſe præſtitiſſe rati, ſi ſe pudicos iactent; laudamus, ſuſpicimus, quos continentiæ laus commendat, aut vna gemma non ornatur diadema, nec flore vnico conficitur ſertum; chorus debet eſſe virtutum, quæ ſe inuicem complectantur, foueant, exornent.

5 Rutilet igitur cum primis in Clerico caſtitas, & ab ea honeſta denominetur Clerici vita; *c. vt Clericum de vita, & honeſt. Cleric.* eamque, vt illibatam ſeruent, voluere Canones ſacri omnem ipſius temerandæ ſubmouere, immò longiùs abeſſe ſuſpicionem, vnde omnem frequentiam, & mulierum cohabitationē ipſis diſtrictiſſimè interdixerunt aſſignato ſingulari tit. in corpore ſacri iuris *de cohabit. Cleric. & mul.* & eò diſtrictiùs, & iuſtiùs, quò lapſus eſt periculoſior, & grauior in lubrico *c. oportet* 81. *diſt. c. mulieres de Iudic. in* 6. & quò demùm ſcandalizantur maximè fideles, quemque Deus ipſe in Sacerdotibus ſuis ſemper abhorruit. Ideòque non tantùm malum, ſed & quamlibet mali ſuſpicionem auertere volentes Summi Pontifices, vel ipſam cohabitationem cum mulieribus Clericis interdixerunt *c. præter hoc c. interdixit cum ſeqq.* 32. *diſt. c. ſec. cum ſeqq.* 34. *diſt.* nouiſſimè *Concil. Trid. ſeſſ.* 25. *de reform. c.* 24. fœmina enim *conſcientiam ſecum habitantis exurit* (inquit *Hieronym. in Can. Hoſpitiolum* 32. *diſt.*) qua de cauſa *in c.* 1. *de cohabit. Cler. & mul.* mirum! quàm cautè incedat Moguntinum Concilium quod aliàs à Canonibus conceſſas mulieres arcet, matrem, amitam, ſororem, quod tamen decretam mitigauit ibidem *Gloſſ.* non enim excluduntur mulieres illæ adeò Clerico coniunctæ, quaſi quid malæ ſuſpicionis ius concipiat, ſed quod timeat ab ipſarum pediſſequis, in quibus naturalis illa ſanctitas non viget; omne aliud mulierum genus à cohabitatione cum Clericis excluditur,

quo-

quocumque pietatis, aut charitatis colore detineantur.

6 Concubinæ Clericis omninò prohibentur *cap. ſicut cum duobus ſeqq. de cohabit. Cler. & mulier.* nec ſolùm concubina, ſed & quælibet alia fornicaria, ſiue focaria ſupra allegatis iuribus, certè Gregorij, & Nicolai conſtitutionibus *c. nullus c. Preſbyter* 32. *diſt.* Presbytero concubinam habenti Miſſæ ſacrificium fuit interdictum, omneque Eccleſiaſticum priuilegium ipſi ademptum *c. erubeſcant* 32. *diſt.* ſicut & fidelibus prohibetur, ne huiuſmodi Presbyterorum Miſſis aſſiſtant eò, quod ipſorum benedictio in maledictionem vertatur *Can. ſi qui ſunt Preſbyteri diſt.* 81. cum quo tamen Canone directè pugnare videtur alius Canon in *c. ſciſcitantibus* 15. *q.* 8. vbi *Nicolaus I.* reſpondens ad Bulgarorum conſulta, ita reſcribit. *Sciſcitantibus vobis, ſi à Sacerdote, qui ſit deprœhenſus in adulterio, ſiue de hoc ſola fama reſperſus eſt, debeatis communionem ſuſcipere, necne; reſpondemus. Non poteſt aliquis quantumque pollutus ſit, Sacramenta Diuina polluere, quæ purgatoria cunctarum contagionum exiſtant &c.* mox paulò inferiùs. *Proinde qualiſcunque Sacerdos ſit, quæ ſancta ſunt, conquinare non poteſt; idcircò ab eo vſquequò iudicio Epiſcoporum reprobetur, communio percipienda eſt.* Directè contra primum dictum, & allatos iam Canones, quos & conſiderat, & conciliat *Lucius III. in c. veſtra, & Gregor. IX. in c. fin. de cohabit. Cler. & mul.* tradita notorij, & occulti criminis diſtinctione, aſſignataq; triplici notorij differentia, vt aliud ſit notorium ſententia Iudicis, confeſſione in iure, & euidentia rei, quæ nulla tergiuerſatione poſſit celari, & quod ità publicum eſt, vt nulla ſit opus teſtium depoſitione *c. ſuper eo de teſtib. cogend.* quocumque ex hiſce modis ſit publicum crimen, vitandus erit Clericus, vt ſic confuſus ad pœnitentiam reſipiſcat, nec niſi grauiſſima vrgente neceſſitate, Sacramenta de eius manu erunt recipienda tanquam à publico fornicario. *Can. præter* §. *ad hoc* 32. *diſt.* Occultum verò crimen eſt, de quo nulla eſt facta accuſatio, aut condemnatio, licèt aliqua fama per hominum ora percrebuerit, & ab eo Sacerdote licite populus Sacramenta poterit percipere, quamuis quòad ſe ipſum ſit cenſendus ſuſpenſus, & grauiter peccet, ſi conficiat, aut adminiſtret Sacramenta, non nocet tamen ſanctitati Sacramentorum, quæ immediate à Deo ſanctificationem recipiunt: *c. non liceat* 1. *q.* 1. *cum ſeqq.* Hinc magnæ Nicœnæ Synodi *Can.* 3. vnde *tex. in Can. interdixit* 32. *diſt.* legimus. *Vetuit omninò magna Synodus, ne liceat Epiſcopo, nec Presbytero, nec Diacono, nec vlli penitùs eorum, qui ſunt in Clero introductam habere mulierem &c.* Ad quem Canonem teſtatur *Balſam. de introductis huiuſmodi* mulieribus diuerſis temporibus multum fuiſſe diſceptatum, volentibus alijs introductam mulierem eam eſſe, quæ pro legitima vxore introducta eſt, & cum aliquo fornicatorie cohabitat, Alijs verò eſſe mulierem cum aliquo externo cohabitantem, etiamſi ab omni ſuſpicione aliena ſit, quam ſignificationem commendat *Balſam.* Alijs demùm ex *Chryſoſtomo, & Nazianzen.* ſub introductas accipientibus pro puellis, quas Clerici pietatis ſtudio fouebant, à quibus tamen non aberat ſuſpicio. Hoc igitur, quod vetita ſemper fuit Clericorum, & mulierum cohabitatio. *In hoc enim* (inquit S. *Baſil.* *Epi. ad Greg. presbyt.* *Magn.*) *ſitum eſt cœlibatus decus, & honeſtas, quod ſeparatus ſit à conſuetudine, & conſortio mulierum.* Quod ſi Clero legitimum viri, & vxoris conſor-

fortium per matrimonium non fuit conceſſum, multò magis vetita eſſe debuit cohabitatio, quæ offendiculum alijs, quamuis ingenua, & inculpata ſit allatura, vt pulchrè conſiderat *S. Baſil.* & de hoc ſacrorum hominum cęlibatu opportunè excurremus potiora.

*Vbi ſupra.*

## De Cęlibatu Sacrorum Hominum. Excurſus.

1 *Caſtitas Eccleſiæ propria, & ab Apoſtolis cœlibatus initium.*

2 *Quo iure cęlibatus iniunctus, & vnde cęperit, & an omnes Apoſtoli vxorati.*

3 *Cęlibatus ad duo redigitur, ad vſum vetitum matrimonij iam contracti, & ad non contrahendum poſt ordinationem, & vtrumque probatur.*

4 *Non tamen omnibus ordinibus indictus pari modo, & primò de minoribus diſſeritur.*

5 *De Subdiaconatu idem inquiritur latè.*

6 *Subdiaconatus quando primùm inter maiores ordines connumeratus.*

7 *De Diaconorum cęlibatu.*

8 *De Presbyterorum item, & Epiſcoporum, ac de ratione ipſius cęlibatus inducendi.*

9 *Quando primùm cęlibatus in Eccleſia Orientali proſcriptus, & de Synodo Conſtantinopolitana in Trullo, ac eius rationibus.*

1 CAſtitatem virtutem Eccleſiæ propriam conteſtatus eſt *Diu. Paulus* Corinthijs ſcribens. *Deſpondi enim vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto*, ac de eorum Eccleſia loquens, indeque intulit *Chryſoſt. ſi omnis Eccleſia virgo eſt*, decet ergo Eccleſiæ miniſtros virtus tanta, quæ ſanè flos, & corona omnium aliarum virtutum, ſine caſtitate enim quaſi nitore deſtitutæ obſcurantur, & languent, ideòque *Hieronym. quacumque virtute polleas, quibuſcumque operibus niteas, ſi cingulo caſtitatis careas, omnia per terram trahes.* Hanc in Veſtalibus ſuis ſuſpexere Romani, nec cœlibatum abhorruere, *ſed captarunt, coluerunt*, vt inquit *Lipſ.* ex Seneca ſcribente. *In ciuitate noſtra plus gratiæ orbitas confert, quàm eripit*; idque donec exulare iuſſus cœlibatus auaritia, & ciuium defectu à ciuili bello, cui conſulendum indictis cœlibatui pœnis cenſuit lex Papia. Hunc igitur meritò in miniſtris ſuis optauit, inſpirante Deo, & conſtituit Eccleſia, & à ſui primordio in Apoſtolis commendauit. Hunc verbo, & opere impugnant hæretici; & in cęlibatu ijs fortaſſe nil magis diſplicet, quam quod Eccleſia Romana eum coluerit ſemper, & ſanxerit; in voto enim ipſis eſt, vt diſpliceat quidquid Eccleſiæ omnium matri, & placuit, & placet.

*Epiſt 2. c. 11.*

*Ep....*

*Ad lib. 3. Annal. Tacit. n. 57.*

2 At quamuis auctores non defuerint, qui cęlibatui, & puritati maxime addicti, cenſuerint iure Diuino præſcriptam ſacris Eccleſiæ miniſtris caſtitatem, attamen longe verius traditione, & Eccleſiaſtica lege tantùm indictam, praxique continua, licet non in tota Eccleſia, confirmatam, coluere cœlibatum Apoſtoli prima ipſius Eccleſiæ fundamenta ponentes non ſolùm qui cœlibes à Chriſto electi, & vocati, ſed & ſi qui matrimonio iuncti, propria dimiſſa vxore quoad thorum ab eiuſdem amplexibus ſemper in futurum abſtinentes; non ideò quia Eccleſiam fundantes nullo certo loco deberent conſiſtere, & Euangelium proſeminantes totum orbem eſſent peragraturi, vt Nouato-

rum

Digitized by Google

rum plerique volunt, quaſi non poſſent vxorem lateri adhærentem circumducere, ſed quia id decere Eccleſiæ Christi Sponſæ puritatem agnouere vnico verbo non tàm impotentia facti, quàm iuris.

Diſputationem hic non inſeremus, an Apoſtoli omnes vxorem habuerint, cum vocati fuere à Chriſto Domino? At pro certo aſſeremus, quod ex *Hieronymo, & Tertulliano* concludit *Baron.* (Tom. 1. Annal. ann. 57.) Vno ſcilicet excepto Petro, nullum Apoſtolorum fuiſſe matrimonio iunctum tempore vocationis ſuæ; teſtatur apertiſſimè *Tertullian.* (De Monogam. c. 8.) non adeò ab Apoſtolorum æuo remotus, quin tranſmiſſum quaſi per manus potuerit id accipere. *Petrum ſolum inuenio maritum per ſocrum, Monogamum præſumo per Eccleſiam, quæ ſuper illum ædificata omnem gradum ordinis ſuis de Monogamis erat collocatura; cęteros cum maritos non inuenio, aut ſpadones intelligendam neceſſe eſt; aut continentes*; ait *Tertullian.* & quamuis aſſertum nonnunquam legamus, Paulum Apoſtolum etiam vxorem habuiſſe; (Ibid. c. 3.) euincit id falſum idem *Tertullian. ad quem ſpectans* (inquit) *& Apoſtolus, propterea & ipſe caſtratus continentiam mauult*; ſed inane eſt cœlibatum Pauli ex aliorum auctoritate confirmare, quando ipſe de ſe ipſo pluries, & de ſtatu ſuo conteſtatur; ad *Corinthios* enim ſcribit; *Volo autem omnes homines eſſe, ſicut me ipſum*, nec contentus apertiùs explicat. *Dico autem non nuptis, & viduis, bonum eſt illis, ſi ſic permaneant, ſicut & ego: quod ſi non ſe continent, nubant, melius eſt enim nubere, quàm vri.* Quæ ſanè verba, *Baronio* teſte, ità exponunt omnes Patres, vt de cœlibatu ſuo apertè loquutum Paulum velint. Rem hanc (Ann. 57.) proſequitur latè *Baron.* notans vnum Clementem Alexandrinum, qui deceptus verbis Pauli malè per eum intellectis ipſum coniugatum credidit, (Strom. lib. 3.) locus eſt ex *Ep. 1. ad Corinth. cap. 9.* quem infra opportunè conſiderabimus. Quæſtionem hanc de cœlibatu Pauli non definit *Bellarminus*, & nos circa eam (Tom. 1. controu. lib. 1. de Cleric. c. 20.) non immorabimur vlteriùs. Hoc certum, quod excepto Petro, de cuius ſo- (Luca c. 4.) cru conſtat ex Euangelio, Apoſtoli reliqui, aut inuxorati fuere, aut ſi ante vocationem vxorem habuere, dimiſerunt ipſam, nec coniugale officium cum ea amplius exercuerunt; euincit id veriſſimum Euangelicum teſtimonium Petrus enim interrogauit Chriſtum. *Ecce nos reliquimus omnia, & ſequti* (Matth. c. 19.) *ſumus te, quid ergò erit nobis?* cui Dominus explicans, quæ ſint ea, quæ eſſent relinquenda ab illis, qui ipſum eſſent ſequturi. *Et omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem propter nomen meum centuplum accipiet &c.* quem locum ponderauit *Hieronym.* (Lib. 1. adu. Iouinian.) & in confirmationem allegauit eorum, quæ ibi ſcripſit; ait enim; *Iuxta quam regulam Petrus, & cęteri Apoſtoli habuerunt quidem vxores, ſed quas eo tempore acceperant, quo Euangelium neſciebant, qui aſſumpti poſtea in Apoſtolatum relinquunt officium coniugale*; moxque inferiùs, *quamquam excepto Apoſtolo Petro non ſit manifeſtè relatum de alijs Apoſtolis, quod vxores habuerint, & cum de vno ſcriptum eſt, ac de cęteris tacitum intelligere debemus, ſine vxoribus eos fuiſſe, de quibus nihil tale ſcriptura ſignificet.*

Vidit *Hieronym.* opponi poſſe huic (1. Ep. ad Corinth. c. 9.) de inuxoratis Apoſtolis ſententiæ ex *D. Paulo* illud. *Numquid non habemus poteſtatem mulierem ſororem circumducendi ſicut cęteri Apoſtoli, & fratres Domini, & Cephas?* Occurrit ideò & allata alia ex Græco lectura facilè, & adæquatè diluit. *Iungat & il-*

*lud* ( inquit) *quod in Græcis codicibus eſt*; *numquid non habemus poteſtatem ſorores mulieres, vel vxores circumducendi? ex quo apparet, eum de alijs Sanctis dixiſſe mulieribus, quæ iuxtà morem Iudaicum magiſtris de ſua ſubſtantia miniſtrabant ſicut legimus, & ipſi Domino factitatum*; idque appoſitè ex verborum Pauli contextu, cum præcedentibus confirmat; concludens; *perſpicuum eſt, non vxores debere intelligi, ſed eas, vt diximus, quæ de ſua ſubſtantia miniſtrabant*, & quod additur verbum *ſororem* omnem tollit ſerupulum, nec ſinit accipi dictum Pauli de vxore; *id quod additur ſorores* ( ſubdit *Hicronym.*) *tollit vxores, & oſtendit eas germanas in ſpiritu fuiſſe non coniuges*. Si Græcum verbum γυνὴ, quod mulieri, & vxori eſt commune, dubitationem aliquam ingerat, quam quidem obiectionem pari modo ante Hieronymum ſoluit & *Tertullian.* relatis enim Pauli verbis; *Numquid non habemus poteſtatem*, ſubdit. *At vbi ea ſubiungit, quæ de victuaria exhibitione abſtinentiam eius oſtendunt, dicentis; non enim poteſtatem habemus manducandi, & bibendi? non vxores demonſtrat ab Apoſtolis circumductas, quas, & qui non habent, poteſtatem tamen manducandi, & bibendi habent, ſed ſimpliciter mulieres, quæ illis eodem inſtituto, quo & Dominum, comitantes, miniſtrabant*. Intuens igitur Eccleſia Apoſtolos *diſciplinæ ſuæ Principes* ( vt eos appellat *Hieronym.*) & *Chriſtiani dogmatis duces* per totum Apoſtolatus æuum, aut ſine vxore omninò, aut ab vxoribus abſtinentes; impreſſa hæc cœlibatus ſectans veſtigia eumdem in miniſtris ſuis ſemper exoptauit, conſtitutionibuſque ſuis enixè ſanxit, tanquam ab Apoſtolis mutuatum ſucceſſiuè in vniuerſam Eccleſiam tranſmittendum, ſiue fuerit matrimonium ante aſſumptum ſacrum miniſterium contractum, ſiue agatur de matrimonio poſt ordinationem contrahendo; in illo enim ſeparationem ab vxore, in hoc omnimodam abſtinentiam voluit.

*De monogam. c. 8.*

*Lib. 1. adu. Iouinian.*

3 Continentia igitur ſacrorum miniſtrorum ipſis Eccleſiæ cunabulis coæua ad duo redigitur; primum, vt ſacro miniſtro iam vxorato ante ordinationem ſit interdictus matrimonij vſus, ſecundum, ne iam ordinato matrimonium ampliùs contrahere liceat. Hanc igitur antiquiſſimis auctoritatibus firmabimus, quæ obſeruantiam in vniuerſa Eccleſia ſiue Orientali, ſiue Occidentali confirment.

Non ambigimus vxoratum etiam hominem potuiſſe ſemper ad ſacrum miniſterium aſſumi; aſſumpſit enim ad Apoſtolatum Chriſtus vxoratum Petrum; & apertum, ac irrefragabile eſt *D. Pauli* teſtimonium, præſcribentis debere eſſe *Epiſcopum vnius vxoris virum*, quod tamen cum Nouatoribus non ità fas accipere, vt non aliter ſit ordinandus Epiſcopus, quam ſi vxorem habeat; ſed ità, vt ſi habeat, non habuerit niſi vnam. Accipiunt ità SS. Patres. *Clemens*. *Talem oportet eſſe Epiſcopum, qui vnam vxorem duxerit, qui vni tantùm nupſerit*. *Ambroſius*. *Vnius vxoris virum 1. ad Timoth. c. 3. ſi ad ſuperficiem literæ tantùm reſpiciamus prohibet Digamum Epiſcopum ordinari*. *Leo Magnus* haud abſimiliter. *Chryſoſtom. Hieronym.* & demùm *Sedulius* pauciſſimis. *Vnius vxoris viri, non vt haberent, ſed ne duas habuerint*. Aliàs enim, cur præceptum de nubendo Paulus non obſeruauit cœlebs ipſe, vt iam oſtendimus? Cur Ioannes virgo? cur innupti Ignatius, Polycarpus, cur Diſcipuli cœlibes? Cur Cyprianus, cur Chryſoſtom. Baſilius, Athanaſius, & alia Eccleſiæ lumina ſine vxore? At quamuis matrimonio

*Lib. 2. Apoſtol. Conſt. c. 2.*

*De Dignit. Sacerd. c. 4.*

*Ep. 1. c. 3.*

*Homil. 2. in ep. ad Tit. epiſt. 2. aduerſ. Iouin. c. 3. 1. ad Timoth. c. 3*

monio

monio iunctos pro ſacro miniſterio non abhorruerit Eccleſia, quæ in ſui cunabulis non adeò de facili ſolutos, ac cœlibes, quos ordinaret, potuit habere, continentiam tamen, ac ſeparationem ab vxore ſemper exegit, ſanctionibuſq; ſuis religioſiſſimè indixit. Prodeant iam vetuſtiſſimorum Patrum teſtimonia, & Conciliorum æque antiquorum Decreta. *Clemens Romanus* ad Iacobum fratrem Domini ſcribens inter alias ſacrorum miniſtrorum conditiones hanc recenſet præcipuam. *Ad Dominica autem miniſteria tales eligantur, qui ante ordinationem ſuam coniuges ſuas nouerint, quodſi poſt ordinationem miniſtro altaris contigerit proprium inuadere cubile vxoris, ſacrarij non intret limina, nec ſacrificij portitor fiat, nec altare contingat*. Hæcque non ex mente ſua præſcribit *Clemens*, ſed à B. Petro Magiſtro ſuo in fine eiuſdem epiſtolę conteſtatur accepta. *Hæc præcepta à Sancto Petro Apoſtolo accepi, & tibi (frater chariſſime) inſinuare curaui, vt ſeruari omnia præcipias fine macula*. *Siricius* Romanus Pontifex. *Præterea quod dignum, & pudicum, & honeſtum eſt ſuademus, vt Sacerdotes, & Leuitæ cum vxoribus ſuis non coeant, quia in miniſterio diuino quotidianis neceſſitatibus occupantur*: & paulò inferiùs; *fortè creditur quia ſcriptum: Vnius vxoris virum; Non permanenti in concupiſcentia generandi dixit, ſed propter continentiam futuram; Neque enim integros non admiſit qui ait; Vellem autem omnes homines eſſe, ſicuti ego, & apertiùs declarat dicens; qui autem in carne ſunt Deo placere non poſſunt; Vos autem iam non eſtis in carne, ſed in ſpiritu*. Omittimus *Canon. Presbyteris* 27. *diſt.* vt cumque apertiſſimum, quia Romani correctores non Calliſti I. vt hactenus creditum, ſed Calliſti II.

*Ep. 2. c. 2.*

*Ep. 4. ad Epiſcop. Afr. circ. med.*

eum detexerunt, adeòque non tantæ vetuſtatis, vt auctoribus longè vetuſtioribus veniat addendus. *Baſilium Magnum* ſubdemus, qui Paregorium presbyterum alioqui ſenem, & decrepitæ iam ætatis acritèr repræhendit; quod mulierem ſecum habitantem teneret; comminatus excommunicationem, niſi eam dimitteret, quam contra Canones haberet, Patres alios omittimus *Origenem, Euſebium, Epiphanium Chryſoſtom. Gregor. Nyſſen.* Apoſtolorum exemplo infixa adeò fuit ſemper ſacrorum miniſtrorum continentia, vt vel Hæretici ipſi eam impugnantes euellere omninò deſperauerint; nam impuriſſimus Iouinianus fateri id ipſum fuit coactus *Hieronymo* teſte, qui ſic Iouinianum alloquitur. *Certè confiteris non poſſe eſſe Epiſcopum, qui in Epiſcopatu filios faciat: alioqui ſi depræhenſus fuerit, non quaſi vir tenebitur, ſed quaſi adulter damnabitur*. Tantum valuit Eccleſiaſticæ diſciplinæ inflexa conſtantia, vt hanc confeſſionem ab hæretico pudicitiæ infenſiſſimo expreſſerit; ſaluberrimam hanc obſeruantiam Sacra Concilia cùm in Oriente, tùm in Occidente pari zelo firmarunt. *Concilium* enim *Ancyranum* celebratum circa annum Domini 302. *Can.* 10. vnde *Gratian. c. Diaconi*. 28. *diſt. Diaconi quicumque ſanè tacuerunt, & ſuſceperunt manus impoſitionem profeſſi continentiam, ſi poſtea ad nuptias venerint, miniſterio ceſſare debebunt*. *Neoceſarienſe* anno 316. *c.* 1. *Presbyter, ſi vxorem duxerit, ab ordine ſuo illum deponi debere*. *Nicænum primum*. *Can.* 3. *Omnibus modis interdixit Sancta Synodus neque Epiſcopo, neque Presbytero neque Diacono, neque vlli Clericorum omninò licere habere ſecum mulierem extraneam, niſi fortè mater, aut ſoror, aut auia, aut amita, aut matertera ſit*.

*Ep. ad Greg. apud Balſam.*

*Hom. 13. in Numer. lib. 1. dem. eu. c. 9. In fine lib. contr. hæreſ. Homil. 2. de patien. Iob. Lib. de virginit. c. vlt.*

*Lib. 1. adu. Iouinian.*

Eludere nituntur Nouatores accipientes Canonem de Clerico ſponte cœlibi, non de vxorato, quem non prohibeat ſecum habere vxorem; at fruſtra; cum generaliter loquatur Canon, & aliquas nominatim excipiat mulieres, inter quas, cum non numeret vxorem, & eam debemus cenſere excluſam; vnde inter alia *Concilium Arelatenſe* 2. ad eandem Nicœnam Synodum reſpiciens *Can.* 3. apertè vxorem quidem conceſſit cohabitantem, ſed conuerſam, quæ ſcilicet caſtitatem fuerit profeſſa. *Si quis de Clericis à gradu Diaconatus in ſolatio ſuo mulierem præter auiam, matrem, ſororem, filiam, neptem, vel conuerſam ſecum vxorem, habere præſumpſerit, à communione alienus habeatur*; reſpexit eodem ſenſu, & ad Nicœnum Canonem *Magnus Baſilius* ad Gregorium, ſiue Paregorium ſcribens, *Nec primi, nec ſoli, Paregori, ſanciuimus non debere mulierculas cohabitare viris*. Ex Africa *Carthaginienſe* 2. *ſub Cæleſtino I. Can.* 2. *Omnibus placet, vt Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi, vel qui Sacramenta contrectant, pudicitiæ cuſtodes etiam ab vxoribus ſe abſtineant*; & in propoſitione ante Decretum facta per Aurelium Epiſcopum appoſitiſſima ad rem aſſignatur ratio; *Vt quod Apoſtoli docuerunt, & ipſa ſeruauit antiquitas, nos quoque cuſtodiamus*. Irrefragabile teſtimonium continentiam ſacrorum miniſtrorum ab Apoſtolis cœpiſſe. Decretum idem confirmauit *Concilium Carthaginienſe* 5. *c.* 3. *& eſt in c. placuit* 32. *diſt. & Africanum c.* 37. vnde apud *Gratian. c. cum de quorumdam* 84. *diſt.*

Iam in Eccleſia Occidentali, cui tamen adſcripta & Africana, *Concilium Romanum ſub S. Sylueſtro I. c.* 8. *nullum autem Subdiaconorum ad nuptias tranſire præcipimus, ne aliquam præuaricationem ſumpſerit*. In Gallicana Eccleſia præter Arelatenſe vetuſtiſſimum, cuius canonem iam ſupra dedimus, aliæ ſynodi eandem continentiam ſanxere; *Turonenſe* 1. C. 1. *&* 2. *Turonenſe* 2. *Can.* 20. *Agathenſe* C. 9. *Aurelianenſe* 3. C. 2. cuius verba *Vt nullus Clericorum à Subdiacono, & ſupra, quos vxores accipere in propoſito ſuo inhibetur, propriæ (ſi fortè iam habeat) miſceatur vxori*. Ex Eccleſia Hiſpanica *Concilium Eliberinum anno circiter* 305. *celebratum*. *Placuit in totum prohibere Epiſcopis, Presbyteris, Diaconibus, & Subdiaconibus poſitis in miniſterio abſtinere ſe à coniugibus ſuis, & non generare filios, quod quicumque fecerit ab honore Clericatus exterminetur*. Decreuere conſimiliter *Toletana ſecundum c.* 1. *quartum c.* 26. *octauum c.* 6. Subdiaconis etiam vſum vxorum interdicendo. Demùm nec Germanica Eccleſia diſſenſit, *Aquiſgranenſe enim Concilium ſub Ludouico I. cap.* 6. Subdiaconis ab vxoribus iam habitis continentiam conſtituit, & *Vuormatienſe c,* 9. eam ipſam indixit repetitio aliorum Conciliorum decreto. *Placuit, vt Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi abſtineant ſe à coniugibus, & non generent filios, quod ſi hoc decretum violauerint, ab honore Clericatus pellantur*.

Iam ergo aſſerere conſtanter fas eſt cum Apoſtolis vniuerſam Eccleſiam Comitijs ſuis, cùm generalibus, tùm Prouincialibus in ſacrorum miniſtrorum continentiam omni æuo conſenſiſſe.

4 Quamuis autem eam ſic exoptauerit ſemper, & decreuerit, attamen diſcretè admodum inceſſit, nec parem, aut eandem ab omnibus exegit; ſeparauit ſiquidem minorum ordinum miniſtros, à maiorum, & variam continentiæ legem in vtriſque conſtituit; licuit

cuit enim ſemper, & licet in minoribus conſtitutis vxorem ducere, eaque vti, ſic enim cautum Apoſtolicis conſtitutionibus apud *Clementem*. *Item miniſtros, cantores, lectores, & ianitores monogamos, ideſt vnumquemque eorum vnius vxoris virum eſſe præcipimus ſin verò ante coniugium ad Clerum acceſſerint, permittimus eis, vt vxores ducant, ſi eis cordi eſt*. Quod ipſum ratum etiam habuit *Concilium Chalcedonenſe Can.* 14. *& eſt in c. quoniam in quibuſdam diſt.* 32. *& Carthaginienſe* 3. *Can.* 19. *in cap. lectores eadem Trullani Patres in c. ſi qui verò eadem*. Probarunt & Summi Pontifices *Siricius, Gregorius in c. ſi qui verò* 3. *ead.* 32. *diſt. & Leo IX. in Can. ſeriatim ead. vbi & Vrban. II. in c. nemo*; ſed cum eo moderamine, vt quamdiu cum vxore ſunt à miniſterio abſtineant, & ſi quod habeant, Eccleſiaſticum beneficium dimittant. Ità conſtitutum in *Synodo Melphitana* ſub *Vrbano II. c.* 13. legimus apud *Gratian. in cap. eos, qui* 32. *diſt.* hocque ipſum ſancitum ab *Alexandro III. in Concil. Lateranenſi c.* 2. 3. 6. cum enim laxata admodum eſſet in Anglia Eccleſiaſtica diſciplina quòad continentiam præſertim, Cantuarienſi Archiepiſcopo, & ſuffraganeis indixit. *Si qui autem Clericorum ipſorum infra Subdiaconatum accipiant vxores, ipſos ad relinquenda beneficia Eccleſiaſtica, ſi quæ habent, & retinendas vxores ſuas Eccleſiaſtica diſtrictione compellatis*, *c.* 1. *de Cler. coniug.* quod ſubinde, & ſubſequentes Pontifices decreuerunt, *Innocent. III. in c. diuerſis eod.* adeò, vt nec tonſuram Clericalem deferre, nec vllo priuilegio frui poſſint *c. Ioannes c. fin. eod. de Cler. coniug.* Vt autem de minoribus ordinibus ſingulariter hæc ſunt à nobis diſertata, ità de maioribus ſingilatim aliquid ſubdendum eſt, vt exacta Eccleſiæ obſeruatio in hac parte habeatur.

Lib. 6. c. 17.

Ep. 1. c. 9.

Par. 18.

5 Circa Subdiaconatum igitur non defuere, qui ſcripſerint Subdiaconis continentiam iniunctam à ſola Romana Eccleſia, per Romanam intelligentes non vniuerſalem, ſed caput vnius Prouinciæ, intra quam lex hæc cœlibatus in Subdiaconis obtinuerit, quam prodijſſe à Sergio primùm Summo Pontifice, eamque ſeueriorem, ſed temperatam, ſubinde, redditamque mitiorem à Gregorio eius ſucceſſore contra Subdiaconos Siculos, in quos aliquantò acriùs inſurrexerat Pelagius, ſicque demùm legem de cœlibatu Subdiaconorum à Gregorio, & latam, & promulgatam, quæ pridem intra fines Romanę Prouinciæ continebatur. Verùm excogitata hæc fuere ab ijs, quos pungit Romanum nomen, quoſque perſtringit Romanæ amplitudinis fulgor. Non ergo intra vnius Prouinciæ fines reſtrictus Subdiaconorum cœlibatus, ſed ante Pelagij, & Gregorij Magni tempora lex Eccleſiæ viguit, quæ tam in Oriente, quàm in Occidente Subdiaconos ad continentiam obligaret. Ex Oriente teſtatur *Epiphanius*, ex cuius verbis pauca hæc excerpimus, alijs omiſſis. *Atque iſtud ipſum Sancta Dei Eccleſia cum omni prouiſione, diligentiaque ſeruat, quin eum inſuper, qui adhuc in matrimonio degit, ac liberis dat operam, tametſi ſit vnius vxoris vir, nequaquam tamen ad Diaconi, Presbyteri, Epiſcopi, aut Hypodiaconi ordinem admittit*. Ex Occidente verò relatus iam ſupra Concilij Eliberini Canon hic iterum non repetendus? ſed ſubdenda vtique *S. Leonis Magni verba ad Anaſtaſium Archiepiſcopum Teſſalonicenſem* Legatum Apoſtolicæ Sedis, qui centum, & quinquaginta circiter annis S. Gregorium anteceſſit. *Nam quum extra Clericorum ordinem*

Hæreſ. 59.

Ep. 84. c. 4

nem

*nem conſtitutis nuptiarum ſocietati, & procreationi filiorum ſtudere ſit liberum, ad exhibendam tamen perfectam continentiæ puritatem, nec Subdiaconis quidem carnale connubium conceditur, vt & qui habent ſint tanquam non habentes, & qui non habent permaneant ſingulares.* Quæ quidem ſcripta à Romano Pontifice Legato ſuo in partibus Orientis diſciplinam inibi ſanctè conſeruandam, & cuſtodiendam præſcribunt, tanquam non eſſet vnius Romanæ Prouinciæ propria, ſed Romanæ Eccleſiæ omnium aliarum matris, & vniuerſalis magiſtræ longè ante quamcumque Pelagij, ſiue Gregorij legem. Vt autem in carnis decliui labilis eſt humanitas, negari non poteſt, quin hæc lex cælibatus facilem transgreſſionem paſſa fuerit, alicubi, ſed præſertim in Sicilia, vbi Subdiaconi ab vniuerſali Romanæ Eccleſiæ & obſeruatione, & lege exorbitantes vxoribus, quas iam ante ordinationem duxiſſent, ex inolita conſuetudine liberè vtebantur. Ex finitima Apulia, & Calabria, quæ magna Græcia dicta, migrauit mos in Siciliam, qui in conſuetudinem adoleuit, radiceſque egit, Græcorum ſiquidem ritus in ijs Prouincijs ſeruabatur, vt ductas vxores in minoribus, in maioribus conſtituti retinerent cum libero earumdem commercio, vt apertiſſimè indicat *tex. in c. cum olim 6. de Cleric. coniug.* quo exemplo Subdiaconi in Sicilia vxores etiam à ſe in minoribus ductas retinebant, iiſque vtebantur liberè. Diſplicuit hoc Pelagio Summo Pontifici Gregorij præceſſori, qui aliquantò ſeueriùs in prauam conſuetudinem inſurrexit, optione data coniugatis Subdiaconis in Sicilia, vt aut ab vxoribus abſtinerent, aut altaris miniſterio omninò renunciarent, & quia durius hoc decretum difficultatem in vincenda conſuetudine non modicam offendebat; mitiſſimus charitate Magnus Gregorius temperandum prudentiſſimè cenſuit; æquum enim ipſi non videbatur, vt nacti legitimas vxores ante Subdiaconatum, nec in ordinatione continentiã polliciti ad continentiam adigerentur. Expreſſit Sanctiſſimus Pontifex in ea verba. *Ante triennium Subdiaconi omnium Eccleſiarum Siciliæ prohibiti fuerant, vt more Romanæ Eccleſiæ nullatenùs vxoribus miſcerentur, quod mihi durum, atque incompetens videtur, vt qui vſum eiuſdem continentiæ non inuenit, neque caſtitatem ante promiſit, compellatur à ſua vxore ſeparari, atq; per hoc, quod abſit, in deteriùs cadat. cap. ante triennium 31. diſt.* At quamuis Decretum Pelagij ſuſtulerit Gregorius, non tamen paſſus eſt conſuetudinem obtinere in futurum, at moderatè agens ſtatim remedium adhibuit; ſubdens immediatè. *Vnde videtur mihi, vt à præſenti die omnibus Epiſcopis dicatur, vt nullum Subdiaconum facere præſumant, niſi qui ſe victurum caſtè promiſerit*; mox infra rationem attexens. *Quia nullus debet ad miniſterium altaris accedere, niſi cuius caſtitas ante ſuſceptum miniſterium fuerit approbata.* Circumſcripto igitur abuſu Siculæ Eccleſiæ, quem expunxit congruo remedio Gregorius, fuit Romanæ, adeòque vniuerſalis Eccleſiæ obſeruatio, vt Subdiaconi continentiam obſeruarent, vel à primis Apoſtolorum inſtitutis repetito initio, præſtatque tutò ità aſſerere, & credere, quàm ſuſtinere, fuiſſe aliquandò, cum Subdiaconi non obligarentur ad continentiam, ſed ignorari, quandonam hoc continentiæ vinculum fuerit ipſis adiectum.

*Lib. 1. ep. 42. poſt med.*

*Ibidem.*

6 Induxit in hoc aſſertum plures *Innocent. III.* reſcriptum in *c. à multis de æt. qualit. & ord. præfic.* qui innixus

xus auctoritate *Vrbani II. in c. nullus 4. 60. diſt.* teſtatur in primitiua Eccleſia Subdiaconatum non fuiſſe ordinem ſacrum, ſed mox habitum, ac connumeratum inter ſacros, idque factum per ſuperadditum continentiæ votum. Pugnat hoc cum allatis iam auctoritatibus, quæ continentiam Subdiaconis ſemper annexam exhibuerunt, at ſacrum dictum hac ratione credendum non eſt, numquam enim fuit Subdiaconatus, qui non fuerit ſacer, ſed non item inter maiores ordines recenſitus, idque ideò, quia olim Subdiaconis non permittebatur ſacra vaſa tangere. Vetitum id enim *Concilio Laodiceno Can. 21. Quod non oportet miniſtros locum habere in Diaconis, & ſacra vaſa tangere*; ait Canon, vbi per miniſtros Subdiaconos exponit *Balſam.* & cum eo *Zonar.* qui & pro *in Diaconis* legit *in Diaconico*; & *Concilio Romano* ſub S. *Syluestro cap. 9. in c. nullus 24. diſt.* vbi Romani Correctores nomen Subdiaconi ſupplent, quod deeſt *in cap.* Concilij, quod demùm ipſis conceſſum ex *Concilio Bracharenſi 1. cap. 18.* vnde *cap. non liceat 23. diſt.* & exinde maioribus ordinibus adcenſitus Subdiaconatus, qui per excellentiam ſoli ſacri appellantur, quod quidem longè rationabilius, quam aſſerere tunc demùm factum Subdiaconatum; & maiorem, & ſacrum, cum ei additum continentiæ votum, quod quandònam factum ignorari fatetur *Vazquez*, & ideò monemus nonnumquam Subdiaconos Diaconorum nomine compræhenſos, & Leuitarum, quia vnà cum Diaconis altari aſſiſtunt, & Sacerdoti miniſtrant, licèt non eodem gradu, idque ne quem turbet *Concilij Carthaginienſis 5. Canon. 3.* vnde *cap. de quorumdam 84. diſt.* quatenùs ibi decretum. *Placuit Epiſcopos, & Presbyteros, & Diaconos, ſecundùm propria ſtatuta, etiam ab vxoribus continere.* Quaſi Subdiaconi ab ea lege cenſeantur excluſi, neq; enim vnum Carthaginienſe Concilium alteri antiquiori debet cenſeri contrarium; nam ſecundùm Carthaginienſe, cuius iam ſupra citauimus Canonem *Can. 2.* apertè nimis, ac generaliter ſtatuit proponente Aurelio Epiſcopo, ac reſpondente Fauſtino pariter Epiſcopo, *Placet, vt Epiſcopus, & Presbyter, & Diaconus, & omnes, qui ſacra contrectant* (itique non alij certè, quàm Subdiaconi) *pudicitię cuſtodes ab vxoribus abſtineant*; & demùm ab omnibus dictum. *Placet, vt in omnibus, & ab omnibus pudicitia cuſtodiatur, qui altario deſeruiunt.* Fatemur varias viguiſſe conſuetudines, ac in exigenda cœlibatus obſeruantia mitiùs actum cum Subdiaconis tanquam in infimo ordine maiorum poſitis, at ijs non iniunctam continentiam ante Gregorium I. iam euicimus falſum. Quæ de Subdiaconis ſatis.

*Tom. 3. in 3. par. D. Thom. diſp. 248. c. 3.*

7 Pauca de reliquis ordinibus ſuperſunt, de quorum caſtitate ſolicita magis, magiſque accurata fuit ſemper Eccleſia. De Diaconis ergo cautum legimus ex *Concilio Ancyrano* apud Martinum Bracharenſem *Can. 39.* mentem Concilij perappoſitè exprimentem. *Diaconus, qui eligitur, ſi conteſtatus fuerit pro accipiendo matrimonio, & dixerit, non poſſe in caſtitate permanere, hic non ordinetur. Quod ſi in ordinatione tacuerit, & ordinatus fuerit, & poſtea matrimonium deſiderauerit, alienus ſit à miniſterio, & vacet à Clero*, & eſt in *c. 1. 27. diſt.* non eſt cur aggeremus cumulatas iam ſupra auctoritates pro generali ſacrorum miniſtrorum continentia, quæ maximè Diaconos compræhendunt, quos ab Apoſtolica auctoritate ad cœlibatum obſtrictos vult *Concilium*

*Cod. Con. Eccl. Afric.*

*lium Carthaginienſe* 2. de quo iam ſupra.

8 De Presbyteris, & Epiſcopis res eſt certiſſima. Non enim permiſſum ipſis iam ordinatis matrimonium contrahere, nec conceſſum poſt ſuſceptam ordinationem vti ante contracto matrimonio, ſed ad exactiſſimum cœlibatum verè adacti, ſicut Conciliorum ſupra allegata decreta, & SS. Patrum allata teſtimonia apertè nimis confirmant. Fuit ergo primitiuæ Eccleſiæ circa cœlibatum ſacrorum miniſtrorum ſanctiſſima diſciplina ſine vllo Orientalis, aut Occidentalis diſcrimine, eaque obſeruata vſque ad tempus, de quo ſtatim ac rationes inducti, & obſeruati cœlibatus reddiderimus. Rationem potiſſimam, licèt non finalem, dicemus Apoſtolorum auctoritatem, qui re, & verbo cęlibatum in Eccleſiam inuexerunt. *Tertullian.* appoſitè. *Diſciplina igitur Apoſtolorum propriè quidem inſtruit, ac determinat principaliter ſanctitatis omnis erga templum Dei antiſtitem, & vbique de Eccleſia eradicantem omne ſacrilegum pudicitiæ ſine vlla reſtitutionis mentione.* Dimittentes igitur vxores, ſi qui vxorati ſtatim poſt vocationem, vt liberiùs Chriſto inſeruirent, facto cœlibatum docuerunt; verbo, nam quod frequenter adeò, & inſtanter ingeſſit Paulus, & alios docuiſſe non eſt ambigendum. Caſtitatem autem in Epiſcopo, & cœteris Eccleſiæ miniſtris præſcripſit in Epiſtolis ſuis ad Titum, & ad Timotheum; ad Titum, Epiſcopum ſobrium, & continentem debere eſſe ſtatuit, idque de omnimoda continentia accepit ibidem *Hieronym. Qui vnam vxorem* (inquit) *habuerit, non habeat, pudicum, ornatum, & caſtitate, & moribus*; ad Timotheum, dum eum hortatur, *vt exemplum ſe præbeat fidelibus in caſtitate*; non qualibet, ſed excellenti, & eximia, *& inſtar ſit Archetypi*, ait *Hieronym.* ac *primariæ formæ, ex qua viua continentiæ ſimulacra exprimantur.* Traditio Eccleſiaſtica id ipſum Apoſtolicum exemplum confirmat, quam obtendunt Patres Concilij Carthaginienſis 2. *Canone* 2. à nobis ſupra allato &c.

*Lib. de pudicit. c. 20.*

*C. 1.*

*1. ep. c. 4.*

*Ad eum locum.*

Exemplari huic cauſæ conſonat & finalis, quæ cœlibatum indicendum ſacris miniſtris ſuaſit, cum actus matrimonij impedire, ac turbare omnia miniſtrantiū ſacrorum officia videatur, ſi enim munus primum, quod eſt ſacrificare reſpicias; mirum! ac vix imaginabile, quam puritatem in offerente requirat! exaggerauit ampliſſimè *Chryſoſtom.* cuius pauca verba ex plurimis aliorum erunt argumentum de Sacerdote loquens poſt alia ait. *Quæro ex te, quoto illum in ordine collocabimus? quantam autem ab eo integritatem exigemus, quantam religionem? conſidera enim quales manus illas adminiſtrantes eſſe oporteat, qualem linguam, quæ verba illa effundat, qua deniquè re non puriorem, ſanctioremue eſſe conueniat animam, quæ tantum illum, tamque dignum ſpiritum receperit.* Dicat qualis debeat eſſe Sacerdos *Tertullian. Quis enim* (inquit) *Corpus Domini dignius initiaret, quam eiuſmodi caro, qualis & concepit illud, & peperit?* Hæc omnium ſumma, nec pluribus opus, ab omni voluptatis ſenſu non eſt immunis, qui vtitur quantumuis licito connubij actu, nec tanta in eo poteſt cogitari puritas, quanta ad ſublime opus vero Deo verum Chriſti Corpus in ſacrificium offerendi.

*Lib. 6. de Sacerdot. c. 4.*

*De Monogam. c. 8.*

Si ſecundum ſacri miniſtri officium expendas, quod eſt orare, vxorium impedimentum procul abeſſe debere omninò concludes, quando *D. Paulus* laicis coniugibus ſuſpendendum dictat coniu-

*1. ad Corinth. c. 7*

coniugale commercium, vbi vacandum ſit orationi, & ad tempus; miniſtri ergò altaris, quibus orandi iugis cura, & iugiter erit, & erat à coniugio abſtinendum; ſic enim arguit *Hieronym. Si laicis imperatur, vt propter orationem abſtineant ſe ab vxorum coitu, quid de Epiſcopo ſentiendum eſt, qui quotidie pro ſuis, populique peccatis, illibatas Deo oblaturus eſt victimas?*

In Epiſt. ad Tit. 5.

Si tertium conſideres, quod eſt aſſidua diuinæ legis meditatio, ab eo nil magis abeſſe debeat, quàm connubialis operis vſus, qui munus tantum, diſtrahendo, in immenſum turbat, & impedit. *Qui cum vxore eſt* (inquit *Apoſtolus*) *ſollicitus eſt, quæ ſunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuiſus eſt.* Meditationi nil magis repugnans, quàm diuiſio; è contra, *Et mulier innupta, & virgo cogitat, quæ Domini ſunt, vt ſit ſancta & corpore, & ſpiritu. Cœlebs* ( addit *Cyprian.*) *ea cogitat, quæ ſunt Dei, quomodo placeat Deo, id vnum quærit, ac ſatagit, vt ſe Deo probet, eiuſque gratiam ineat.*

Vbi ſup.

De habit. Virgin.

Si demùm quartum ſacri miniſterij officium intuearis, quod eſt diuini verbi prædicatio, Apoſtolicum ſanè munus, quod & Apoſtolicam puritatem exigat, quomodo enim continentiam ſuadere alijs audeat, qui continens ipſe non ſit? neque enim ſe ipſum præbere poterit in exemplum, & dicere cum Apoſtolo. *Volo vos eſſe, ſicut me ipſum.* Quod reſpexit *Ambroſ. Inoffenſum exhibendum, & immaculatum miniſterium, nec vllo coniugali coitu violandum cognoſcitis, qui integro corpore, incorrupto pudore, alieni etiam ab ipſo conſortio coniugali, ſacri miniſterij gratiam recepiſtis*; idque ipſum proſequitur fuſiùs. Quam autem à toto munere abſtraheret vxoris, & filiorum amor, quam turbaret anxia ſollicitudo ditandi filios; quantas radices in animis ageret acquirendi, & habendi cupiditas! quot mala inde pullularent, ad quæ auertenda, & vt diuino operi foret impenſiùs conſultum, diuinum planè fuit conſilium cœlibatum pro ſacris miniſtris inducere, qui ſanè ſeruatus vniuerſaliter fuit in Eccleſia, quamuis non ſine ſingulari aliqua exceptione tranſgredientium, quæ tamen non impedit, quin generale dici poſſit inſtitutum.

Vbi ſup.

Lib. 1. offic. cap. vlt.

9 Perdurauit illud in Eccleſia vſquedum rima fieri cœpit, qua Orientalis Eccleſia ab Occidentali, & Romana ſalua tamen adhuc fide diſſideret, quæ ſubinde in patentiſſimum oſtium ſub Photio dilatata eſt. Celebrata ſiquidem eſt ſexta Conſtantinopolitana generalis Synodus, quæ concluſa fuit Anno 681. vt refert *Baron.* poſt decem annos expletos peractum eſt Concilium ſeù veriùs Conciliabulum Conſtantinopoli ſub Iuſtiniano iuniore, in quo nomine antecedentis Synodi ſextæ ſanciti ſunt duo, & centum Canones, quot nunquam pridem in alio quocumque Concilio, & quia habitum fuit in Palatio Imperatorio, & in loco concamerato, qui dicitur Trullus, indeque appellatum Concilium Conſtantinopolitanum in Trullo. Hæc Synodus dicta eſt etiam *Pentectes*, hoc eſt quiniſexta, quaſi appendix, & ſupplementum quintæ, & ſextæ Synodi, quæ nullos Canones ediderunt, ſic enim exprimunt Patres illi in allocutione ad Iuſtinianum præliminari. *Quoniam ſanctæ, & vniuerſales Synodi, quinta ſub Iuſtiniano Auguſto, ſexta ſub Conſtantino Patre tuo Auguſto de myſterio fidei pleniſſimè diſputantes Canones non fecerunt, ſicut cæteræ quatuor vniuerſales Synodi, propterea nos conuenientes in hanc Imperialem Vrbem ſacros Canones conſcripſimus*, & *Balſam.* eandem Synodum extollens, quam & ſuis commentarijs illuſtrauit.



Digitized by Google

*De ſex. ætat.* Verùm hanc Synodum erraticam appellauit *Beda*, eiuſque defectus, & *Tom. 8. ann. 692.* nullitates exactiſſimè recenſuit *Baron.* quas hìc referre longum nimis eſſet, & cum eo *Melchiorcano*. Hoc certum, *De loc. theol. lib. 5. de auct. concil. ad 6. arg.* quod Summi Romani Pontifices, & præſertim Sergius, qui tunc è Romana Sede Eccleſiæ præerat, & ſi qui Pontifices aliquo ex hiſce Canonibus aliquando ſuut vſi, ità id præſtiterunt, vt aduerſarios proprijs armis confoderent & confunderent. De hac Synodo haud plura. *Canone* igitur 13. *quicumque* Patres illi ità ſanxerunt, & totus Canon reddendus eſt.

„ Quoniam Romanæ Eccleſiæ pro „ Canone traditum eſſe cognouimus, „ vt Diaconi, vel Presbyteri, qui digni, qui ordinentur exiſtimandi ſunt, „ profiteantur, ſe non ampliùs ſuis „ vxoribus coniungendos, nos antiquum Canonem Apoſtolicæ perfe„ ctionis, ordiniſque ſeruantes, homi„ num, qui ſunt in ſacris, coniugia „ deinceps ex hoc temporis momento „ firma, & ſtabilia eſſe volumus, ne„ quaquam eorum cum vxoribus co„ niunctionem diſſoluentes, vel eos „ mutua, tempore conuenienti, con„ ſuetudine priuantes. Quamobrem „ ſiqui dignus inuentus fuerit, qui Hy„ podiaconus, vel Diaconus, vel Pre„ sbyter ordinetur, is ad talem gra„ dum aſſumi nequaquam prohibea„ tur, ſi cum legitima vxore cohabitet. „ Sed neque ordinationis tempore ab „ eo poſtuletur, vt profiteatur ſe à le„ gitima cum vxore conſuetudine ab„ ſtenturum, nec ex eo à Deo conſti„ tutas, & ſua præſentia benedictas „ nuptias iniuria afficere cogamur „ Euangelica voce exclamante. Quæ „ Deus coniunxit homo ne ſeparet, „ & Apoſtolo docente, honorabiles „ nuptias, & thorum immaculatum; „ &; Alligatus es vxori, ne quære ſo„ lutionem. Scimus autem, ſicut & „ qui Carthagine conuenerunt, & mi„ niſtrorum grauitatis, honeſtatiſque „ curam gerentes dixerunt, vt Subdia„ coni, qui ſacra myſteria contrectant, *Sed Can. Carthag. ait ſecundum propria ſtatuta.* „ & Diaconi, & Presbyteri proprijs „ terminis à conſortibus abſtineant, „ vt & quod per Apoſtolos traditum „ eſt, & ab ipſa vſque antiquitate ſer„ uatum, nos quoque ſeruemus tem„ pus in omni re ſcientes, & maximè „ in ieiunio, & oratione. Oportet „ enim eos, qui diuino altari aſſident „ in ſanctorum tractandorum tempore „ eſſe omninò continentes, vt poſſint „ id, quod à Deo ſimpliciter petunt „ obtinere. Si quis ergo præter Apo„ ſtolicos Canones incitatus ſit ali„ quem eorum, qui ſunt in ſacris, Pre„ sbyterorum, inquimus, vel Diaco„ norum, vel Hypodiaconorum, co„ niunctione cum legitima vxore, & „ conſuetudine priuare, deponatur. „ Similiter & ſi quis Presbyter, vel „ Diaconus ſuam vxorem pietatis pre„ textu eiecerit, ſegregetur, & ſi perſe„ ueret, deponatur.

Huc vſque Canon, qui quantæ auctoritatis ſit iam dicta indicant, cum Concilium illud nulla legitima auctoritate fuerit conuocatum, & ne dum generalis Synodi, ſed neque Synodi nomen mereatur. Qui ergo potuerit contra Romanæ Eccleſiæ, adeòque vniuerſalis, & Canonem, & obſeruantiam ſtatuere? vt cumque & quintæ, & ſextæ Synodi titulum prætexuerit; quintæ, quæ centum ante annis, & vltra; ſextæ, quæ decem, iam concluſæ fuerant?

Non igitur poſt ſuſceptos ordines, voluere Patres iſti, licitum eſſe Hypodiaconis, Diaconis, & Presbyteris matrimonium contrahere, ſed matrimonio ante contracto vti. Epiſcopis tanquam in ſublimiori gradu id non conceden-

cedendum cenſuere, ſed nec contrahere de nouo, nec contracto vti ipſis eſſe licitum ſanxere *Can.* 12.

Eleuatur tota Canonis auctoritas ex ſtatu Synodi, vel conuentus, vnde manauit; liceat nihilominus & expendere fundamenta, quibus Patres illi auctores Canonis vtuntur, vel veriùs abutuntur. Nituntur primo Canone Apoſtolorum: *Nos antiquum Canonem Apoſtolicæ perfectionis, ordiniſque ſeruantes*. Is Canon eſt 5. quo ità ſtatutum. *Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus vxorem ſuam prætextu religionis non abijcito, ſi abijcit, ſegregator à communione, ſi perſeuerat, depo-nitor*. Quem Canonem *Zonar.* tan-
Ad Can. 4 Cōc. Carthagin. quam clypeum aſſumit, dum ſe vrgeri ſentit à Canone illo 4. *Carthaginienſi*, quam enim continentiam tribus gradibus Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi conſtituunt Patres Carthaginienſes, accipit ipſe de temperantia, non de cęlibatu, ſicque optimè aſſerit conciliari tradita ab Apoſtolis, & ſancita legibus, ac moribus obſeruata. Verùm non hic Apoſtolici Canonis ſenſus, quem affingunt Trullani Epiſcopi, & ſupponit *Zonar.* vt ſcilicet Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi vxorem non *abijciant*, hoc eſt retineant, & eius liberè vtantur conſortio, ſed *non abijciant*, hoc eſt non ità dimittant, vt quaſi diuortio facto, mulier omninò ſoluta alteri nubere valeat, vel non *abijciant*, hoc eſt, non ità deſerant, vt neceſſaria omnia ei non ſuggerant, ſed ſubueniant, ac foueant, tanquam vxorem, vno excepto maritali iure; ſic enim expoſuit *S. Gregor. Magn.* ſcribens. *Sicut Canonica decreuit auctoritas vxores, quas certè debent regere, non relinquant*; & ſanè *Theod. Balſam. ad Can.* 48. *Trullan.* reſpectu Epiſcopi ità Canonem ipſum Apoſtolicum expoſuit; ſed Canonis intellectum ipſi Trullani Patres confirmant, quid *Can.* 12. Epiſcopos cœlibatui addicunt, ipſiſque vxoris commercium interdicunt, aut ergo non ità accipitur Apoſtolicus Canon, aut ipſi Canoni non conſentiunt, quem tamen in fronte Canonis ſui 13. præmittunt; pergunt in eodem Canone ſuo Patres ijdem, prætexuntque Chriſti Domini effatum. *Quod Deus coniunxit homo* Matth. c. 19.
*non ſeparet*, & dum vrgent, ſe ipſos confodiunt, vt quid enim Epiſcopos *Canone ſuo* 12. ab vxoribus ſeparent? At iam communis Patrum conſenſus Chriſti dictum accipit de vinculo, non de thoro, nec impedit ex conſenſu coniugum ſeparationem in habitando. Addunt & D. Pauli aſſertum. *Honorabiles nuptias, & thorum immaculatum*. At ſi ità intelligamus, cur excluduntur Epiſcopi? cur ſi honorabiles nuptiæ inter proximos conſanguineos, & affines non permiſſæ? Verùm dum hæc enunciat Apoſtolus, nihil non laudabile in matrimonio oſtendere intendit, ſiue fidem; ſiue prolem, ſiue Sacramentum. Nec fas eſſe virginitatem contenti matrimonium carpere, aut nubentibus inſultare, vt exponit *Fulgentius*; De fide ad Petr.
& ſi mallis non enunciare tantùm Apoſtolum, ſed & præcipere, legemque ſancire, vt coniugatis ſanctum, ac intemeratum matrimonij vſum præcipiat. At quid hoc ad excludendum ſacrorum miniſtrorum cœlibatum? ſi honorabile matrimonium, ergo idem ipſis licitum, & poſt ſuſceptos ordines? excluſit, & damnauit hanc conſequentiam *Chryſoſtom.* Monachum enim al- Ep. 6. ad Theodor.
loquitur, & claudit. *Stupere deſiſte, ſi nuptiæ peiores adulterio iudicantur, cum Chriſtus offenditur*. Nec magis eoſdem iuuat citatus ab ipſis Pauli locus. *Alligatus es vxori, noli quærere* 1. ad Corinth. c. 7.
*ſolutionem*. Iam enim eandem recurrit inſtantia, & cur ipſi Epiſcopos poſt ordinationem ab vxoribus ſegregant?

At verò Apoſtolus reformandis, vel veriùs informandis Corinthiorum moribus intentus ea verba iiſdem ſcripſit, vt diuortia inter ipſos prohiberet, ac impediret, quæ quidem ſine legitima cauſa, nec adeò frequenter ſunt permittenda. At mutuo conſenſu interueniente licitum eſt diuortium, ſed quòad thorum, nunquam quòad vinculum. Nil ergo iuuant Trullanos Patres auctoritates, quibus Canonem ſuum fundant, vtpote perperam intellectæ, & acceptæ. Detorſerunt etiam iidem à vero ſenſu *Canonem 3. Concilij 3. Carthaginenſis*, niſi forte excuſare eos velimus, quod decepti errore interpretis, longè aliter, quàm eſſet intentio Carthaginienſium Patrum Canonem ipſum intellexerunt. Græci enim interpretes, quod in Canone legebatur κατὰ τοὺς ἰδίους ὅρους verterunt, *proprijs terminis*, in hunc ſenſum, vt ſcilicèt non ſemper ab vxoribus abſtinere, ſed tempore vicis ſuæ tantùm, vt exponunt *Balſam. & Zon.* continere teneantur, quod Nouatores niſi ſunt confirmare *Eliberitani, & Taurinatenſis Concilij* Canone, quatenus vtrobique iniungitur continentia *poſitis in miniſterio*, quod accipiunt ipſi pro eodem, ac tempore vicis ſuæ. At non eam fuiſſe mentem Carthaginienſis, Eliberitani, & Taurinatenſis Conciliorum, indicant Canones ipſi, Carthaginienſis enim generaliter, & indefinitè pudicitiam exigit. Alia verò duo Concilia per poſitos in miniſterio, ordinatos intelligunt; *Eliberitanum* enim dixit. *Placuit in totum prohibere Epiſcopis &c.* Hanc excuſationem per vices excluſere *Ambroſ. & Hieronym. Si ſemper orandum eſt* (inquit iſte) *ergo ſemper carendum matrimonio*. Ille verò. *Inoffenſum, & immaculatum miniſterium, & ab vxorum etiam conſortio purum*. Seruatæ hæ vices in antiquo legali Sacerdotio, cum & connubium Sacerdotibus iniunctum, ſed quæ ratio propria hoc illis indulſit, ceſſat omninò in Clericis ordinatis maioribus Euangelicæ legis; Leuiticum enim Sacerdotium ex vna Tribu, & ſtirpe Aaronis erat propagandum, nec extra aut progeniem illam, aut Tribum fas erat Sacerdotes, aut aſſumere, aut ſperare, & ideò tempus aliquod erat largiendum, quo liberis ex matrimonio operam dare poſſent. At poſt Euangelium nulli ſtirpi eſt addictum Sacerdotium, & ideò longè diuerſum miniſterium, longè diſpares mores, nec vices concedendæ, quibus non per vices, ſed iugis oratio, iuge Sacrificium.

Quæ contra ſacrorum hominum cœlibatum afferantur colligunt ſacrarum controuerſiarum tractatores; & præſertim *Bellarmin.* ad eos remittimus, ne noſtrum egrediamur inſtitutum, & claudimus excurſum, & cum eo Caput.

# TRACTATVS VIII.

## De Incruento, & Auguſto Miſſæ Sacrificio.

### CAP. I.

1 *Tractationis introductio, & partitio.*
2 *De generali Sacrificij acceptione, quæ à vera Sacrificij ratione exploditur.*
3 *Traditur vera Sacrificij definitio ex Bellarmino, & per partes declaratur.*
4 *Proponitur doctrina P. Vaſquez pro definitione Sacrificij, quæ traditur, & fundatur latè.*

SAcra Ordinatio, ſicut & ſacrorum hominum ex cœlibatu puritas, non aliò dirigitur, quàm ad ſacrificium, quod non inſpiratum, ſed à veræ Fidei Auctore inſtitutum Eccleſia veneratur, ſuſpicit, ac legitima auctoritate frequentat.

1 Vt vera religio, ità veriſſimum ſacrificium, cum vtriuſque idem ſit Auctor, & ab eodem fonte & hoc, & illa in perennem hominum ſalutem proceſſerit; ſacrificium, cuius & in lege naturæ, & in lege ſcripta præceſſere figuræ, & quod Summus Sacerdos Chriſtus in carne inſtituit, & obtulit, ac per illud Eccleſiam Sponſam ſuam pretioſiſſimo ſui Corporis, & Sanguinis pignore in certiſſimam indefectibilis gloriæ ſpem, & ad redemptionis peractæ participationem liberaliſſimè ditauit. De hoc igitur ſacrificio tractaturi ſumma hæc Capita percurremus.

Vt conſtet primò, quàm verè & dicatur, & ſit hoc ſacrificium, ſacrificij in genere notionem præmittemus; nomen ſubinde ſacrificij noſtri trademus, & ponderabimus; veritatem ipſius ſacrificij confirmabimus, conditiones omnes ſacrificij in ipſo aſſignantes, veramque, & propriam eius rationem detegentes, ac demùm virtutem, & effectus proponentes, quæ ſatis erunt ad intentum tanti ſacrificij explicandi per omnes eius partes.

2 Non morabimur opinionem illam, qua ſectarij nedum, ſed & Catholici plures ſacrificium ex *Auguſtino* (*Lib. 10 de Ciuit. c. 6. in pr.*) cenſuere eſſe omne opus bonum, ad hoc factum, vt Deo in ſancta ſocietate adhæreamus; ſunt verba *Auguſtini*. *Proinde verum ſacrificium eſt omne opus, quod agitur, vt ſancta ſocietate inhæreamus Deo, relatum ſcilicet ad illum finem boni, quo veraciter beati eſſe poſſimus*. Non (inquam) eam moramur, tùm quia generalior, & latior eſt ea ſacrificij acceptio, quàm vt proprio, & vero ſacrificio congruat, tùm etiam, quia plura ſunt, quæ huiuſmodi ſacrificij aſſignationem falſitatis reuincant; ſacrificium enim propriiſſimus actus eſt religionis, quatenùs virtus eſt, vt docet *D. Thom.* (*2. 2. q. 81. art. 3 in corp.*) qua veritate attenta, quilibet actus alterius virtutis non poteſt eſſe ſacrificium, cùm immò plures alij ſint actus eiuſdem virtutis religionis, qui tamen non ſunt ſacrificia, vnde multò minùs actus aliarum virtutum propriè ſacrificia dici poſſunt. Idque maximè in vera Eccleſia obtinet, quæ vnicum tantùm agnoſcit ſibi traditum ſacrificium, Corporis ſcilicet, & Sanguinis Chriſti; iam enim ſi admitteremus omne opus bonum eſſe ſacrificium, tot numerarentur ſacrificia, quot opera, & tamen niſi vnum ſacrificium admittit Eccleſia, quæ Sacerdotalem publicam poteſtatem inſtitutam habens, & publicam certam perſonam requiri agnoſcit, quæ illam exerceat, nec omnibus indiſtinctè competere poſſe fidelibus certò ſcit. Idque vt obſeruatum in veteri lege ſpectamus, ità confirmatum Apoſtoli teſtimonio intuemur. *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur in ijs, quæ ſunt ad Deum, vt offerat dona, & ſacrificia pro peccatis*; (*2. Paralipom. c. 26. ad Hebr. c. 5.*) & inferiùs. *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron*. Iam ergò publicum Sacerdotij munus adrogare ſibi nemo priuatus audet, nec ſacrificium propriè dici poſſunt opera bona à priuato homine, ſine auctoritate legitima, quantumuis in Dei honorem, facta. Addas, Altare, & ſacrificium ità inuicem relatiua, vt vnum ſine altero, nec apud barbaras gentes, reperias. Altare autem non ad quodlibet opus aptum, ſed ad vnum ſacri-

ſacrificium ; non ergò omne opus bonum ſacrificium propriè ; nec ſanè quid amplius voluit *Auguſtinus* in redditis ſupra verbis , aut enim de ſacrificio loquens illud latiùs , & non cum omnimoda proprietate accepit , & licèt dixerit verum ſacrificium per *verum* non intellexit proprium,ſed(vt appoſitè expoſuit *Bellarmin.*) nobilius, & excellentius, habito reſpectu ad ſacrificia carnalia,de quibus in capite præcedenti fuerat locutus, eo modo planè , quo in Euangelio Chriſtus de ſe ipſo dicit. *Ego ſum vitis vera* , non *vera*, hoc eſt propria, ſed vera, hoc eſt perfectior , & excellentior , quæ perfectiores etiam fructus proferat , aut per *verum ſacrificium* intellexit ſpirituale , quod tanquam per figuras à ſacrificijs Moſaicæ legis præſignabatur, quem ſenſum apertè confirmat connexio illius capitis cum præcedenti. Miſſa igitur hac latiori ſacrificij acceptione , cui quidem plauſerunt ſectarij , vt verum ſacrificium, quod agnoſcit vera,& Catholica Eccleſia , quaſi extenuando, ſubuerterent; ad proprium ſacrificium definiendum accedamus.

*Tom. 2. contrau. lib. 1. de Miſſa c. 2.*

*Ioann. cap. 15*

3 Definitiones Nouatorum varias propoſuit *Bellarmin.* iiſque reiectis, demùm attexuit ſuam tanquam adæquatam, & in eam conſenſiſſe recentiorum plures teſtatur *Vaſquez*, licèt ſuppreſſo *Bellarmini* nomine, & eſt. *Sacrificium eſt oblatio externa ſoli Deo facta, qua ad agnitionem humanæ infirmitatis,& profeſſionem Diuinæ Maieſtatis à legitimo miniſtro res aliqua ſenſibilis, & permanens ritu myſtico conſecratur, & tranſmutatur*. Explanandæ ex mente, & doctrina auctoris ſunt partes ſingulæ definitionis, vt adepta vera ſacrificij notitia, ſubinde veritatem ſacrificij , quod eſt in Eccleſia, intueri poſſimus.

*Vbi ſupra.*

*in 3. p. D. Th. diſp. 220. c. 2. num. 11.*

Ait ergo definitio, quod ſacrificium ſit *Oblatio*, idque loco generis ; accipitur enim hic ſacrificium pro actione ſacrificandi,non pro victima, aut re oblata, aut ſacrificata , quamuis & hæc ipſa ſacrificium dici ſoleat; propriè enim ſacrificium ſtat pro actione ſacrificantis cuius eſt offerre. *Omnis Pontifex* ( ait *D. Paulus* in redditis ſupra verbis ) *ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur, vt offerat dona &c.* Frequentiſſimum eſt in ſacris monumentis verbum *offerre* pro ſacrificare , & inter Patres *Tertullian.* eodem vtitur paſſim in eundem ſenſum , nec oblatio quælibet ſacrificium, ſed *externa* , cui maximè competit , vt ſit ſacrificium ; internam enim oblationem priuatus quilibet facere poteſt,eamque cum *Auguſtino* dixetis ſacrificium , ſed late ſumptum,& non quale definitur modò hoc enim à perſona publica, & publica auctoritate fit. Additur *facta ſoli Deo*, ad differentiam eius , quæ fit , aut ſoli homini , aut homini , & Deo, qualis eleemoſina pauperi facta propter Deum hæc enim & Deo, & homini fit, at non eſt ſacrificium niſi improprium ; verum autem,& proprium dicit cultum latriæ, quod vni Deo debitum , nec alij poteſt tribui ſine crimine , eoque grauiſſimo. Externa ſigna reuerentiæ, & cultus , vt genuflexio , corporis proſtratio poſſunt etiam hominibus tribui , at neutiquam ſacrificium. Vnde *Auguſtinus* egregiè ad rem. *Multa de cultu diuino vſurpata ſunt , quæ honoribus deferuntur humanis , ſiue humilitate nimia , ſiue adulatione peſtifera ; quis verò ſacrificandum cenſuit , niſi ei , quem Deum aut ſciuit , aut putauit , aut finxit?* pergit definitio;*ad agnitionem humanæ infirmitatis , & profeſſionem Diuinæ Maieſtatis*. Hæc enim eſt tota, & principalis intentio ſacrificij, conteſtari ſcilicet , & agnoſcere ſupremum Dei in cuncta dominium, & noſtram ſubie-

*Ad Heb. c. 5.*

*Gen. c. 4. & c. 8. De Virg. vel. cap. 9 Vbi Pamel. n. 68*

*De Ciuit. lib. 10. c. 5. & 6.*

*Lib. 10. de Ciuit. cap. 4.*

ctionem

ctionem, indeque ſpecificationem ſuam recipit actus ſacrificandi, nam mactare, comburere ſunt actus ex ſe indifferentes, at directi ad conteſtationem, & agnitionem ſupradictam ſortiuntur religionis rationem, & dicuntur religionis opera, & ideò bona, & laudabilia. Subditur *à legitimo miniſtro*; non enim cuiuslibet eſt ſacrificium offerre, ſed addicti ad id hominis, & auctoritate publica agentis, idque perenne omni æuo, nam in lege naturæ fungebantur Sacerdotio Principes familiarum, primogeniti, vel ij, quibus Deus inſpirabat; in lege ſcripta, Aaron, & ab eo venientes; in lege gratiȩ Epiſcopi, & Presbyteri, vt ex traditis iam de ordinatione apertiſſimè conſtat, & per hoc excluduntur à veri ſacrificij denominatione oblationes, quæ à priuatis hominibus pro cuiuſque pietate fiunt, quamuis ſoli Deo fiant, & pro Dei cultu.

Adijcitur; *res aliqua ſenſibilis, & permanens*, & excluduntur ideò à definitione actiones tranſeuntes, quæ fiunt à Sacerdotibus in Dei cultum, & laudem, quæ, cum non ſint permanentes, rationem veri ſacrificij nequeunt aſſumere. Proſequitur definitio; *ritu myſtico conſecratur*; nam per ſacrificium res oblata de profana fit ſacra, & Deo
2.2.q.85. art.3. ad 3. dicatur, ait *S. Thom. Sacrificium dicitur ex hoc, quod homo facit aliquod ſacrum*, indeque deſumit ibidem *Angelicus* differentiam inter oblationem, & ſacrificium non alijs reddendam verbis, quam ſuis. *Oblatio autem directe dicitur, cum Deo aliquid offertur, etiam ſi nihil circa ipſum fiat, ſicut dicuntur offerri denarij, vel panes in altari, circa quos nihil fit, vnde omne ſacrificium eſt oblatio, ſed non conuertitur.* Hactenùs *S. Thom.*

Clauditur demùm definitio, ſubdendo, *& tranſmutatur*; id enim maximè requirit ſacrificium, vt ſcilicet res oblata immutetur adeò vt deſtruatur, & deſinat eſſe, quod ante erat; quod nunquam factum videmus in oblatione ſimplici, circa quam, vtcumque aliquid fieret, non tamen deſtruebatur, niſi cum ſacrificabatur; idque potiſſimùm expoſcit ratio ipſa ſacrificij, quod cum ſit maxima proteſtatio ſubiectionis noſtræ ad Deum, & maximus cultus, qui poſſit præſtari, exprimi meliùs non poteſt, quàm non ſolùm exhibendi vſum, ſed & ſubſtantiam ipſam in Dei honorem deſtruendo; ideòque cum prima ſacrificia Deus hominibus inſpiraſſet, vt per ea ſub vmbra proluderet ſacrificio omnium maximo, quod iam præſtituerat morte Vnigeniti ſui aliquandò implendum, hoc intuitu peragi ſemper voluit ſacrificia, cum rei oblatæ deſtructione. Hucvſque *Bellarmini* definitio, quam approbant ex recentioribus plerique, & eorum aliæ etiam leguntur ſacrificij definitiones; quibus illa, quod ſit *oblatio facta per immutationem alicuius rei in ſignum legitimè inſtitutum diuinæ excellentiæ, & reuerentiæ*; vel illa, quod ſit *ſignum ſenſibile ad Diuinam excellentiam, & cultum illi debitum immediatè ſignificandum impoſitum, per alicuius rei immutationem*; & illa demùm quod ſit *externus actus religionis continens ſupremum latriæ cultum, ſolique Deo debitum*.

4 Verùm *Vaſquez* definitionem & ipſe ſuam aſſignaturus, prædictas definitiones non leuiter carpſit ex eo præſertim, quod per ipſas ſufficiens differentia non conſtituatur inter ſacrificium, adorationem, & oblationem. Nam adoratio à nobis tanquam inferioribus Deo tribuitur tanquam ſummè excellenti, & nihil ampliùs tribuit ſacrificium, ſi primam, & ſecundam definitionem ſpectemus, & licèt ſit dictum, in ſacrificio rem oblatam debere immutari, attamen ſi per immutationem

*Gabr. lect. 22. in Canon. litt. A. in fin. & lect. 85. litt. D.*

*Vbi ſup. tom. 3. diſp. 220. c. 3. num. 17.*

nem

nem illam nihil aliud ſignificetur, niſi Diuina excellentia,& infirmitas noſtra, iam nil amplius habebit ſacrificium, quàm adoratio, quæ tribuitur ab hominibus tanquam demiſſis, & inferioribus Deo tanquam ſummè excellenti, immò ſuffituum, & odorum exhalatione, in qua res aliqua immutatur, & tranſit, aliquando dicimur Deum adorare, & aliquandò rem, quæ ſic conſumitur ſacrificare, & ideò non videtur rectè aſſignata ratio ſacrificij à *Diuo Thoma* in eo,quod fiat in Diuinam reuerentiam, aut in teſtimonium Diuinæ ſubiectionis,hoc enim competit & adorationi, illa verò & pluribus operibus religionis;quo nomine factum, vt neq; tertia definitione rectè ſit aſſignatum ſacrificium;nam non minùs adoratione & oblatione, quàm ſacrificio tribuitur Deo ſupremus latriæ cultus, & adorantes,aut offerentes maximam eius excellentiam conteſtamur. Et quamuis ſit ſupra differentia aſſignata inter oblationem, & ſacrificium, quod in oblatione res non immutetur, ſed maneat eadem, at in ſacrificio immutetur, attamen hæc differentia merè materialis eſt vnde alia, quæ ſe teneat ex parte rationis formalis vtriuſque aſſignanda eſt, & cum tam oblatio, & adoratio, quàm ſacrificium ſint in genere ſigni, iam ratio à re ipſa ſignata deſumenda eſt.Differentia igitur eſt inter adorationem, oblationem, & ſacrificium, quia adoratio eſt ſubmiſſionis nota,cum ſcilicet re aliqua indicamus,nos Deo ſubmitti, ac ſubijci tanquam Domino, ac ſuperiori, ſicque eadem nota, & ſubmiſſionem noſtram,& diuinam excellentiam conteſtamur. Per oblationem verò ſimpliciter nec ſubmiſſionem noſtram, nec Diuinam excellentiam conteſtamur, ſed tantùm vniuerſale eius dominium, res enim aliquas ipſi offerendo cum magis rerum noſtrarum Dominum, quàm nos ipſos profitemur. At ſacrificium eſt nota Diuinæ Omnipotentiæ,qua eſt auctor vitæ, & mortis,& à cuius nutu res omnes quòad eſſe, & conſeruari dependent, & ideò ex parte rei, quæ in ſacrificium offertur requiritur immutatio, vt per eius deſtructionem pari modo nos etiam ab eius nutu, & poteſtate pendere quòad eſſe,& conſeruari proteſtamur,qui ſanè conceptus ſola oblatione, ſiue immutatione non exprimeretur; ſicque formali ratione differunt oblatio, adoratio, & ſacrificium, quatenus per eorum quodlibet diuerſum aliquod Diuinum attributum agnoſcimus, colimus, & conteſtamur, vnde quamuis eadem re & ſacrificare, & adorare poſſimus, attamen formalis intentio, & conceptus ſemper eſt diuerſus, indeque tota ſpecificatio oritur, & licèt in prima præſertim definitione ſacrificij ſit dictum, quod ſit *à legitimo miniſtro*, attamen hæc conditio non videtur neceſſaria ad ſacrificium abſolutè ſumptum; ſtando enim in mero iure naturali, à quo primitùs ſacrificium proceſſit,vnicuique liceret Deum colere eo ſigno, quod tanquam congruum ipſe ſibi aſſumeret ad Deum colendum, & agnoſcendum tanquam Dominum vitæ,& necis,& hoc ſignum eſſet aptum,ac ſufficiens donec aliquod proprium ſtatueretur,& miniſter certus aſſignaretur; igitur hæc conditio eſt ſacrificij vt ſic,non vt abſolutè ſumpti,& abſtrahendo à quocumque ſingulari ſacrificij modo. Hiſce ſic præmiſſis definitionem ſuam concipit *Vaſquez*,& ſacrificium aſſignat,cum ex parte formæ, ſeu ſignificationis, tum ex parte materiæ; ex parte formæ. Sacrificium eſt *nota exiſtens in re, qua profitemur Deum auctorem vitæ, & mortis*; per *notam* intelligit ſignum, quod eſt in re,ad differentiam notæ,quæ eſt in verbis,vnde æquè dici poſſet, quod ſacrificium

*Num. 25 & 26.*

ficium ſit *res,qua profitemur Deum autorem vitæ, & mortis*, ex parte verò materiæ ſic; ſacrificium eſt *res,quæ per ſui immutationem Deo offertur*, vel, *eſt mutatio rei,quæ Deo offertur*, rectè vtraque; altera enim materiam,& rem oblatum indicat; altera verò ipſam actionem ſacrificandi; at per primam, eamque formalem æquè comprehenditur tam res oblata, quàm actio, quarum vna in facto eſſe, & alia in fieri,& per vtramque,quàm rectè diſtinguatur, & differat ſacrificium ab adoratione, & oblatione ſimplici facilè conſideranti patere poteſt. Verùm cum tanquam quid neceſſarium ad eſſentiam ſacrificij ſit in definitione traditum,vt res oblata immutetur,inſtari poſſet,dari ſacrificia, in quibus nulla ſit aſſignabilis immutatio,& tamen vera fuere ſacrificia, cuiuſmodi fuit ſacrificium panis, & vini, quod obtulit Melchiſedech, & panum propoſitionis, qui in veteri lege offerebantur; immò in ipſo veriſſimo ſacrificio, quod offert vera, & ſancta Eccleſia nulla cernitur circa rem oblatam immutatio, quam quidem non valentes aſſignare auctores aliqui, eò confugerunt,vt dixerint poſſe eſſe verum ſacrificium etiamſi non fiat immutatio,ſed ſatis eſſe,ſi circa rem oblatam aliquid ſacrum fiat, parum conſtanter ad definitionem ſacrificij, quam & ipſi tradiderunt inferentes eidem, immutationem rei oblatæ fieri debere, non enim ſatis eſt ſacrum aliquid circa rem oblatam fieri, quia aliàs Sacerdos cum conſecratur,templum,calix,& ſi quæ huiuſmodi dici poſſent propriè ſacrificari, quod tamen nemo admiſerit. Quod attinet ad panis, & vini oblationem à Melchiſedech factam, ſicut & oblationem aliorum panum, qui ex Dei præſcripto in lege offerebantur, certum eſt in huiuſmodi ſacrificio, quod non erat commemoratiuum alterius alicuius ſacrificij,ſed abſolutum, aliquam immutationem circa panes fuiſſe factam,quam quidem teſtantur apertiſſimè verba in d.c.2.*Leuit.cum autem obtuleris ſacrificium coctum in clibano deſimila, panes ſcilicet, abſque fermento*; immutabatur igitur res oblata in hoc ſacrificio coctione in clibano facta, & Sacerdotes ijdem coctioni incumbebant eadem cura,qua mactationi,&occiſioni eorum, quæ in ſacrificium offerebantur, eiuſdem ſacrificij in clibano meminere c.7. & 24. *Leuit.* ibi enim legimus. *Et omne ſacrificium ſimile, quod coquitur in clibano, & quidquid in craticula, vel in ſartagine præparatur*. Vnde per hæc inſtrumenta fiebat immutatio; ſicut & quæ ſolida erant, & ſicca per contuſionem immutabantur, idque immolatio dicebatur, quia molæ ſupponeretur, & quamuis immediatè tunc cum aut in ſartagine frigebatur, aut cum molæ ſubijceretur non fieret ſacrificium, nec legamus panem huiuſmodi alio modo tunc conſumptum, iam vtique dicendum eſt ſacrificium eorum in clibano fieri conſueuiſſe; certè de panibus propoſitionis nullam aliam aſſignare poſſumus mutationem præter eam, quæ fiebat in clibano. *Leuit. c.* 24.comedebantur quidem à Sacerdotibus, ſed nemo prudens dixerit,comeſtionem illam factam poſt ſacrificium ipſum fuiſſe immutationem in ſacrificio, aut ad ſacrificium neceſſariam,igitur in panibus ipſis facilè immutationem aſſignamus, quæ ſanè & panibus à Melchiſedech oblatis poteſt aptari;quod verò ad vinum,quod idem obtulit, quomodo immutatum illud fuerit,non conſtat; in leuitico quoties vini fiebat ſacrificium, eo aſpergebatur victima, tuncque vinum erat pro libamine, & ideò dictum libamen, vnde cum toto ſacrificio ſic immutabatur, at de Melchiſedech nihil tale ab eo peractum legimus, ſicut nec apparet vinum

*Leuit. c. 23.24.& c. 2.*

*Num.4.*

per ſe, ac citra libamen fuiſſe oblatum; coniectari ergo fas eſt alterutro modo fuiſſe vinum ab ipſo oblatum, aut per ſe,& tunc ante oblationem fuiſſe aliquo modo immutatum, ſicut in ſacrificio farris per contuſionem hordeum antea mutabatur,aut tanquàm libamen ipſum fundendo ſuper re oblata, quod patentem immutationem inducit ad ſacrificium requiſitam, quod quidem ſacrificium, quamuis dicatur cultus ſoli Deo debitus, hoc non ità accipiendum eſt, vt Deo tantùm,qui verus ſit, offeratur, ſed ad rationem ſacrificij ſat erit ſi offeratur etiam Deo,qui verus Deus credatur, ſicut enim adoratio, quæ eſt actus latriæ ſoli Deo debitæ, exercetur erga Deum, quem quis appræhendit tanquam verum, ità & ſacrificium, ad ſui rationem ſatis habebit, ſi offeratur ei, quem quis tanquam verum Deum colit; ideòque verum numen requiritur, vt ſacrificium rectè fiat,non vt ſit ſacrificium,eo modo planè, quo & legitimus miniſter dicitur requiri, id enim obtinet, ſuppoſita aſſignatione, ac deſtinatione proprij miniſtri, cum aliòqui iure ſuo poſſet quilibet actum hunc latriæ in Deum, quem verum Deum credit, exercere; eòque reuocamus iterum tanquam peropportunum dictum illud *Auguſtini*. *Quis verò ſacrificandum cenſuit,niſi ei,quem Deum aut ſciuit, aut putauit, aut finxit*? *Lib.10 de Ciuit.c.4 in fine.*

Hæc de ſacrificio ſic præmiſſa, iam nunc tanquam regulam ſacrificio Catholicæ,& veræ Eccleſiæ applicemus, vt inde eius veritatem contra negantes euincamus.

## De Nomine, & Veritate Incruenti Sacrificij.

### §. I.

1 *Variæ ætimologiæ vocis* Miſſa *proponuntur*, & *reijciuntur*, & *rationabilior probatur*.

2 *Inquiritur exactè, an Miſſa ſit verum*, & *proprium ſacrificium*; *aſſeritur*, & *probatur*.

3 *Proponitur præcipuum fundamentum ex ſacrificio Melchiſedech*, & *expenditur*.

4 *Rationes ad idem confirmandum traduntur, prima à religionis*, & *ſacrificij nexu*.

5 *Secunda à comparatione legis Euangelicæ cum lege Moſaica*.

QVod Iureconſulti veteres ſtoicorum doctrina imbuti (vt obſeruauit *Cuiac.*)circa ſcrutandam nominum originem præſtitere, ſacram Iuriſprudentiam tractantes haud dedecebit, acturique de incruento in Eccleſia ſacrificio primùm nomen, & nominis notionem, ſiue originem ſcrutabimur ad rem ſubinde, & opportunè tranſituri. *Miſſa* appellatur ſacroſanctum Eccleſiæ ſacrificium, cuius vocis origines varias referunt ſcribentes de materia, eaſque ſedulò examinant.

1 Ludens igitur exploſit primò *Bellarmin.* æthimologiam,quam huic voci *Miſſa* aſſignarunt Lutherani,qui ad ſua de Antichriſti ſede ſomnia reſpicientes, & impetentes ſemper Romanum Summum Pontificem, nomen *Miſſa* deriuarunt à nomine *Mahuzim* Hebraico, de quo *Daniel Propheta*; *Deum autem Maozim colet in loco ſuo*, loquens de Antichriſto, quem eſſe Papam Romanum volunt,vnde non ſine re, & præcipua Dei cura factum dicunt, vt ſacrificium,quod offertur ſub Papa Romano alludat voci Idoli Antichriſti, *Maozim*, à qua vocem *Miſſa* deductam, concludunt. Frigidum ſanè commentum, cui nec reſpondeat ipſa nominis adluſio, quid enim Maozim, cum Miſſa? retor- *Lib.1. de Miſſa c.1.* *C.11.34.*

ſit ridens *Bellarmin.* ſed & ſeriò confutauit ratione non vna, quas tranſcribere ſuperſedemus, cum facilè apud eundem Cardinalem Eminentiſſimum poſſint legi. Exiſtimarunt alij & Catholici, & pij maieſtatis quidpiam Miſſæ ſacrificio acceſſurum, ſi nomen ab Hebraico fonte deducant, & ideò Miſſam ab Hebraico verbo *Miſſah* deriuatam volunt, quod ſpontaneam oblationem exprimit *Deuteron. c. 16. 10.* Hanc ſententiam grauiſſimi auctores probarunt, qui rem pertractarunt, & à quorum nomenclatura temperamus, ne actum agere videamur, probabilem ſatis cenſuerunt, & præſertim *Baron.* & *And. Alciat.* Verùm, vt optimè obſeruat *Bellarmin.* ſi hoc nomen Apoſtolis primitùs fuiſſet in vſu, ipſum retinuiſſent Græci, Syri, aliæue nationes, ſicut in diuinis officijs alias plures Hæbraicas voces retinuerunt, vt *Alleluia, Paſcha, Sabaoth, Oſanna,* & ſi quæ ſint huiuſmodi, & tamen eius apud ipſos nullum veſtigium. Alij Græcam hanc ipſam vocem dixere, vt *Albericus,* ſed eum lapſum Græcæ linguæ imperitia notat *Couaruu*; nullam enim apud Græcos videre eſt adluſionem ad hanc vocem *Miſſa*, pro qua Λειτουργίαν ipſi dicunt, quæ idem ſignificat, quod Hebraicè *Miſſah*, ſi *Alciato* credimus, munus ſcilicet perſonale publicum tributi, cenſuſque offerendi; vnde latiùs patet vox Λειτουργία, quàm *Miſſa*, quæ ad ſola ſacra ſe reſtringit. Hæc fuſiùs, & exactiùs proſequi puderet poſt Eminentiſſimum, & Eruditiſſimum Cardinalem *Bona*, cui faſces ſubmittimus, nec propinare audemus, quod à tanto fonte poſt vetuſtiores poteſt vberrimè hauriri. Dicemus ergò hanc vocem *Miſſa* eſſe latinam, qualem agnouere *Alciat. Couar. Bellarmin.* eamque indubitatam appellat idem Eminentiſſimus *Bona*, & eandem eſſe, ac *Miſſio*, pro qua dicatur *Miſſa*, ſicut pro remiſſione *remiſſa*, vt ex *Cyprian.* & *Tertullian.* confirmat *Couaruu*, qui originem ex facto magis, quàm ex lingua Græcorum, & Aegyptiorum deſumit, quibus mos ille erat, vt cum Sacris operati eſſent miſſum populum facerent, nec abeundi facultas erat, niſi ſacrificulus proclamaſſet λαοῖς ἄφεσις hoc eſt *populis miſſio*, eſtque illud ipſum *Ilicet*, quo re Diuina peracta, expletiſque ceremonijs Sacerdos apud Romanos populum ſolemniter dimittebat, qui ſacris interfuiſſet, idque nedum in ſacrificijs, ſed & in iudicijs à præcone adhibitum teſtatur *Briſſon.* poſt *Seruium*, ſed propiùs accedere ad intentum notat *Couar.* ritum illum, qui in Eccleſiæ primordio obſeruabatur, vt ſcilicet poſt confeſſionem, cantationem lectionem Euangelij, & exhortationem, antequam ad auguſta myſteria accederetur, & ante præfationem Catecumeni dimitterentur, tanquam rudes, & inhabiles, cum nondum eſſent baptizati, vt tanto ſactificio intereſſent, & ab ipſa hac Catecumenorum miſſione dicta eſt hæc pars ſacrificij Miſſa Catecumenorum; quæ ſanè miſſio cum poſt conſumatum ſacrificium, omnibus fidelibus alta voce fieret, per verba illa *Ite Miſſa eſt*; iam inde adeptum eſt ſacrificium, vt à ſuprema ſui parte *Miſſa*, hoc eſt *miſſio* ſit appellatum, ſicut & adluſione eadem dici poteſt Miſſa, quaſi tranſmiſſa, ex eo, quod oblationes, & vota fidelium ad Deum per Sacerdotem ſint tranſmiſſa. Alludunt hæc omnia appoſitè, nec circa ipſa immoramur impenſiùs; hacque nominis notione contenti, iam ad rem ipſam accedimus.

*Tom. 1. Annal. Ann. 34.*

*Lib. 7. Parerg. c. 10.*

*Var. reſol. lib. 4. c. 22.*

*Rer. Liturg. c. 1.*

*Vbi ſupra.*

*De formul. & ſolem. p. Rom. Verb. lib. 5.*

*Ad lib. 6. Æneid. ad Nouiſſima verba.*

2 De hoc igitur ſacro, & de hoc Myſterio, quod celebrat Eccleſia ad Corpus, & Sanguinem Chriſti conſecrandum ſub panis, & vini ſpeciebus ſtatim inquirendum ſe exhibet, an ſit verum, & pro-

proprium ſacrificium? de ſacrificio enim ſic ſumpto controuerſiam fecere, & faciunt Hæretici, nam ſi de ſacrificio in latiori ſignificatione accepto loqueremur, ceſſaret omnis contentio; vltrò enim fatentur ſacram Cœnam, & Miſſæ officium aliquo modo ſacrificium dici poſſe, prout de quolibet bono opere iam ſupra obſeruauimus; ſed nec proprium, nec verum; vnde nihil offerri in actione Miſſæ contendunt niſi orationes puras, & Chriſtum non offerri à nobis, ſed ſe ipſum miro modo nobis offerre. Auctores ſingulos cum Luthero, & Caluino ſentientes, Miſſamque ipſam ſacrificium negantes exactiſſimè congeſſit *Bellarmin.* ad quem remittimus. Vbi ſup. c. 5.

At è contra Catholica, & perpetua veritas eſt. Miſſam eſſe verum, & proprium ſacrificium, & in eo Chriſtum verè, & propriè offerri. Ità Catholici omnes, quos recenſet *Bellarminus*, Vbi ſup. hancque Catholicam veritatem confirmant fundamenta quamplura, ex quibus potiora ſeligemus.

3 Primum igitur, ac ſuper omnia celebre deſumitur ex *Geneſ. c.* 14. *Melchiſedech Rex ſalem protulit panem, & vinum, erat enim Sacerdos Dei Altiſſimi*. Pſal. 109. Atqui & à Dauid in ſpiritu, & à D. Paulo agnoſcitur non tantùm Melchiſedech Chriſti Domini typus, aut figura, ſed dicitur Chriſtus ipſe Sacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech; Ad Hebr. c. 7. igitur ſi Sacerdos Melchiſedech, Sacerdos Chriſtus; ſi ille panem, & vinum obtulit, obtulit & iſte, & ſi illud verum ſacrificium fuit, & verum ſacrificium fuit, & eſt iſtud; igitur Miſſa verum, & proprium ſacrificium. Nodus autem præcipuus in eo ſtringit, vt cum Melchiſedech fuerit Chriſti figura, & Chriſtus Sacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech, aſſignetur præcisè, in quo potiſſimùm hæc aſſimilatio conſiſtat, & quæ ſit vera ſimilitudinis ratio; vt igitur eam aſſignemus; ſupponemus, Melchiſedech verum fuiſſe Sacerdotem, quamuis nec defuerint aſſerentes dictum fuiſſe Sacerdotem non propriè ad ſacrificandum inſtitutum, ſed quia Princeps eſſet, & Rex, quos dictos etiam Sacerdotes probari videtur ex 2. *Reg. c.* 8. vbi filij Dauid dicuntur Sacerdotes, hoc eſt Principes, eo modo planè, quo & 1. *pet.* 2. dicitur *Gens ſancta, & regale Sacerdotium*, ſed non in eo ſenſu quo nunc Sacerdotem ſumimus, ſi enim diceretur Sacerdos, quia Princeps, non enuntiaretur de Chriſto. *Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech*; Pſal. 109 non enim magis diceretur Sacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech, quàm alterius cuiuſcumque Principis, aut Regis; ſed euidenter nimis repugnat hæc interpretatio ipſi Diuinæ Scripturæ, quæ Melchiſedech ſeparatim, & primo nominauit Regem, ac ſubinde contradiſtinctè Sacerdotem, quod ſanè non feciſſet, ſi nomine Regis eundem, & Sacerdotem intellexiſſet, ſed nec nominauit ſimpliciter Sacerdotem, at dicto, quod *proferens panem, & vinum* ſtatim adiecit in ſenſu cauſali per parentheſim (*erat enim Sacerdos Dei Altiſſimi*) quaſi muneris omninò diuerſi à munere regio rationem redderet, cuius virtute, & protulerit panem, & vinum, & benedixerit.

Cum non fuerit ergo Melchiſedech Rex ſolùm, ſed & Sacerdos, iam licet inferre hoc ipſius Sacerdotium fuiſſe figuram Sacerdotij Chriſti, & Chriſti Sacerdotium fuiſſe, & eſſe illi ſimile, idque in pluribus, & primò in eo, quod ſe habeat vtrumque hoc Sacerdotium tanquam figura, & figuratum, quæ ſanè relatio ſimilitudinis eſt, per quam Chriſti Sacerdotium Sacerdotio Melchiſedech omninò aſſimilatur, & ità ſecundùm ordinem Melchiſedech Sacerdos meritò dicitur. Eſt & ſecundò Sacer-

dotium

dotium Chriſti ſecundùm ordinem Melchiſedech, iuxtà explicationem Apoſtoli, vbi multa tribuit Melchiſedech, quæ ſublimi, & admirabili modo in Chriſto verificantur, & implentur, eaque elegantiſſimè confert, ac in Chriſto ipſo aſſignat. *Epiſt. ad Hebr. c. 7.*

*C. 9.* Conſiderat enim Melchiſedech fuiſſe Regem ſalem, hoc eſt Regem pacis, & Chriſtus Princeps pacis dicitur ab Iſaia, qui mirabili nexu pax noſtra facit vtraque vnum *ad Epheſ. c. 2.* & ſicut Melchiſedech vtramque dignitatem, nempe Regalem, & Sacerdotalem ſimul geſſit, ità Chriſtus fuit & Rex, & Sacerdos. Tertiò ſimile fuit Chriſti Sacerdotium, quod Melchiſedech fuit ſine Patre, ſine Matre, ſine genealogia, quia nullibi deſcripta ea legitur, & *quia non recenſetur eius genealogia* (inquit *Chryſoſtom.*) *dicitur ſine genealogia*, vnde Sacerdotium ſuum nec hæreditario iure accepit, nec per ſucceſſionem in alium tranſmiſit, qua ratione maximè diſtat à Sacerdotio Aaronico, quod ſanguine, ac ſucceſſorio iure acceptum, & in filios protendebatur. Et Chriſti Sacerdotium huiuſmodi planè fuit, nec per generationem receptum, nec per ſanguinem propagandum; reliquit quidem ſui Sacerdotij Vicarios Euangelicos Sacerdotes, ſed qui verè ſuccedere non dicantur, niſi quatenùs Chriſtus Sacerdotium ſuum in terris deſijt exercere, & quia manet Sacerdos in æternum; ideò Sacerdotes deriuatam ab ipſo poteſtatem tanquam eius Vicarij exercent, & ipſi in hunc ſenſum dicuntur ſuccedere. Similem etiam Melchiſedech in genealogiæ defectu Chriſtum notauit *Epiphanius*, quia ſecundùm diuinitatem non habuit Matrem, & ſecundùm humanitatem non habuit Patrem; quod ipſum paulò alitèr expreſſit *Chryſoſtom. quia Chriſtus* (inquit) *non habet vel in cœlo matrem, vel in terra patrem abſq; genealogia dicitur*. Vnde meritò Sacerdotium nec per ſucceſſionem accipiens, nec poſteritatem habens, in quam ſucceſſiuè Sacerdotium ipſum tranſmittat, dicitur Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech, & in æternum, quia non ad vitam, vt Leuitici Sacerdotes habuere, & quamuis Apoſtolus in pluribus comparet Chriſtum cum Melchiſedech at in nulla re magis, quàm in perpetuitate; ait enim. *Deinde autem & Rex ſalem, quod eſt Rex pacis, ſine patre, ſine matre, ſine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens, aſſimilatus autem filio Dei, manet Sacerdos in perpetuum.* Moxque iam ſupra traditam differentiam inter Sacerdotium Chriſti, & Leuiticum confirmat. *Et alij quidem* (nempe Leuitici) *plures facti ſunt Sacerdotes, id circò, quod morte probiberentur permanere, hic autem eò, quod maneat in æternum, ſempiternum habet Sacerdotium.*

*Hæreſ. 55.* *Hom. 35. in c. 14. Geneſ. circa med.* *Ad Hebr. c. 7.* *Ad fin. cap.*

Simile eſt adhuc Sacerdotium Chriſti Sacerdotio Melchiſedech in excellentia, in qua Sacerdotium huius, illius fuit figura; quæ ſanè excellentia in pluribus emicuit, in eo primùm, quod Abraham decimas obtulit Melchiſedech, & in lumbis Abrahæ, in quibus erat Leui, obtulit etiam ipſa Tribus Leui, ſicque Sacerdotes omnes Leuitici. Secundò, quia Leuitici Sacerdotes decimas accipiebant à fratribus ſuis, qui eundem patrem Abraham habebant, at Melchiſedech ab alijs; ſic enim Apoſtolus. *Et quidem de filijs Leui Sacerdotium accipientes mandatum habent decimas ſumere à populo ſecundùm legem, ideſt à fratribus ſuis, quamquam & ipſi exierint de lumbis Abrahæ, cuius autem generatio non annumeratur in eis, decimas ſumpſit ab Abraham*; quę quidem ſi non abſoluta, at non modica ſaltem excellentia eſt. Tertiò demùm ſumitur excellentia ex eo, quod Melchiſe- *d. c. 7.*

chiſedech Abraham benedixerit, quod maioritatis eſt argumentum. *Sine vlla contradictione*(ait Apoſtolus)*quod minus eſt à meliore benedicitur*.

Sed demùm fuit potiſſimùm figura Sacerdotij Chriſti Sacerdotium Melchiſedech in eo,quod panem,& vinum obtulit,qua oblatione ſacrificium Chriſti in pane,& vino peragendum præſignauit;idque agnoſcens Eccleſia canit. *Sacerdos in æternum Chriſtus Dominus ſecundùm ordinem Melchiſedech panem, & vinum obtulit*, & in Canone Miſſæ; *& quod tibi obtulit Summus Sacerdos tuus Melchiſedech*, cuius orationis meminit *D. Ambroſius* in iiſdem verbis. Obtuliſſe autem, & ſacrificaſſe Melchiſedech panem, & vinum euincunt ſacræ ſcripturæ verba, ſi ritè expendantur, ſicut ſupra percurrimus. *At verò Melchiſedech Rex ſalem proferens panem, & vinum ( erat enim Sacerdos Dei Altiſſimi ) benedixit ei*. Non enim ſine re commemoratur, & introducitur Sacerdotium,nec alia ſanè ratione, niſi vt inſinuetur ſacrificium. Hoc quidem negant Nouatores volentes panem protuliſſe Melchiſedech, ſed ad refectionem Abrahæ, & puerorum eius. At reſiſtit Patrum Eccleſiæ conſenſus vnanimis, qui panem,& vinum oblatum primùm Deo,& ſubinde cum benedictione porrectum pueris aſſerunt, neque enim alibi in ſcriptura legitur ſacrificium oblatum,cum eſſet Sacerdos,aut ergo nullum obtulit,& tunc ad quid eum memorare Sacerdotem? aut panem, & vinum illud obtulit, moxque tanquam Sacerdos pueris manu propria porrexit, ſed cur Apoſtolus commemorans, & conferens Sacerdotium Melchiſedech cum Sacerdotio Chriſti oblationis panis, & vini non meminit? Reſpondemus intentionem Apoſtoli non eam fuiſſe, vt ſacrificium cum ſacrificio adæquatè componeret, ſed vt excellentiam vnius ſacrificij,cum excellentia alterius conferret, indeque maiorem ſacrificij Chriſti euinceret, reſpectu ſacrificij Leuitici,quo tota eius comparatio collimabat, ad quod intentum non erat, cur rem oblatam commemoraret; idque fortè nec præſtitit, ne tantum Myſterium Iudæis proderet, quibus tunc ſcribebat,vt innuit *Hieronym.*& ſi obijcias adhuc,non poſſe rectè dici ſacrificium Melchiſedech figuram ſacrificij Chriſti, qui cruentum ſui ipſius obtulit ſacrificium, cum ille nil cruentum legatur obtuliſſe; ſicut obtulit Aaron, qui proinde Sacerdotium Chriſti magis propriè videtur præfiguraſſe; occurret obiecto *D.Thom.* qui in Chriſti Sacerdotio duo conſideranda diſtinguit, oblationem ſcilicet ipſius Chriſti, & illius participationem; ſi oblationem conſideres, hæc expreſſiùs repræſentata fuit in ſacrificio Leuitico, quod erat cruentum, & mactatione celebrabatur; ſi verò participationem huius ſacrificij, & eius effectum, in quo præcipuè ſpectatur excellentia ſacrificij, adæquatiùs repræſentatur per ſacrificium Melchiſedech ſacrificium Chriſti, obtulit enim ille panem,& vinum,quibus figurabatur vnitas Eccleſiæ, vt ait *S. Auguſtin.* cum panis ex multis granis,vinum ex multis acinis conficiatur.

Addas,quod in denominando ſacrificio ſecundùm Aaron, aut ſecundùm Melchiſedech attenditur potiſſimùm excellentia ipſius ſacrificij,quæ quidem fuit maior in Sacerdotio Melchiſedech, quàm in Leuitico; vt pluribus nominibus *D. Paul.* conſiderat,& ideò quamuis ſacrificium Crucis, attento modo, videatur magis ſimile ſacrificio Leuitico,ſpectata tamen excellentia ex quocumque capite, eſt magis ſimile Sacerdotio Melchiſedech, & ideò Chriſtus etiam quòad ſacrificium Crucis denominandus eſt Sacerdos ſecundùm ordinem

*In Off. Corp. Chriſti in pr. Veſp.*

*Lib. 4. de Sacram. c. 6.*

*Geneſ. c. 14.*

*Ad Hebr. c. 7.*

*Ep. 126. ad Euagrium.*

*3. p. q. 22. ar. 6. ad 2.*

*d. c. 7.*

nem

nem Melchiſedech, non ſecundùm Aaron, quam quidem denominationem confirmat Patrum Nubes à *Bellarmino* congeſta, indeque tandem concluditur argumentum, quod neceſſariò debuit eſſe diffuſum, Miſſæ ſcilicet ſacrificium veriſſimum eſſe ſacrificium, præfiguratum in Sacerdotio Melchiſedech, ſecundùm quod Chriſtus dictus eſt Sacerdos, & tanquam veriſſimus Sacerdos veriſſimum obtulit, & offert quotidie in Eccleſia ſacrificium.

*d. tom. 2. lib. 1 de Miſſ. c. 6.*

4 Non cenſemus hic addenda nobis argumenta, quæ deſumpſit aptiſſime *Bellarminus* à quocumque fonte, ex quo peti poſſit confirmatio, quod Miſſa verum, & proprium ſit ſacrificium, & quæ à *c. 6.* vſque ad *c. 20.* exactiſſimè proſequitur, ſed rationes ſubnectemus; quarum prima erit ab indiuiſibili nexu religionis, & ſacrificij, vt enim homo ſine religione ſtare nequit, ità nec ſine ſacrificio, quare aut nulla erit inter homines fideles religio, *aut ſi eſt*, ſtatuendum & ſacrificium, quod non aliud, quàm Miſſa, aut nullum. Pro religionis neceſſitate, & ſacrificij clamat ipſe naturæ inſtinctus. Natura enim per inſitum Diuinum lumen hominem religionem edocuit, ipſique tanquam aptiſſimum medium ad Dei cultum inſpirauit ſacrificium, quod quamuis pro naturæ corruptæ ſtatu varijs ſuperſtitionibus fuerit pollutum adeò, vt ſeducti homines, & in veri Dei cultu aberrauerint, & in ſacrificiis, ac eorum ritu, ſeu victimarum genere cæcutierint, attamen non fuit error in religionis, & ſacrificii generali ſenſu, quem naturæ, quamuis corruptæ, reliquum lumen indicauit, indeque emicat aſſumptus religionis, & ſacrificij nexus. Si verò Miſſam tollas iam nullum futurum in Catholica religione ſacrificium, facilis euincet enumeratio. Nam ſi aliud aſſignare nitamur, certè nullum niſi ſacrificium Crucis; verùm, vtcumque fuerit hoc, & ſit veriſſimum ſacrificium, attamen non quale ad tuendam, & conſeruandam religionem vſq; ad conſummationem ſæculi requiritur; idque oſtendimus primò, quia ſacrificium Crucis non eſt adeò proprium Chriſtianæ religionis, quin etiam alijs religionibus veris à principio mundi extiterit commune; quotquot enim fuere ſacrificia ſiue in lege naturæ, ſiue in lege ſcripta ad ipſum ſacrificium Crucis proſpiciebant, & quotquot iuſti extitere à mundi primordio per hoc ipſum Crucis ſacrificium iuſti fuere, ſicq; cuicumque veræ religioni ſub diuerſa temporis differentia fuit commune. Vnde differentia Chriſtianæ religionis ab antiqua à ſacrificio deſumi non poteſt; immò ipſum Crucis ſacrificium fuit actio merè tranſiens, & nunc iam præterita, & completa non remanet niſi quòad fructum; aut effectum; ſacrificium autem ſemper debet eſſe præſens religioni, & in ea iugiter exerceri, cum ſit eiuſdem actus potiſſimus, & excellentiſſimus, ad quem peragendum religionis cultores conuenire debent, & illud frequentare, quod nequit fieri circa ſacrificium Crucis iam tot ab hinc annis perfectum, & conſummatum, & quamuis in Miſſa fiat quotidie, & repetatur ſacrificium Crucis, ſit tamen inuiſibiliter, & cernitur tantùm oculis fidei, vnde non poteſt dici ſacrificium Crucis viſibiliter, & ad ſenſum phyſicè repetitum, quod nec fieri ità deceret, vt ſcilicet Chriſtus quotidie interficeretur. Demùm Chriſtianæ religionis ſacrificium debet eſſe ritus à Deo præſcriptus fidelibus, & ad cultum latriæ pertinens. Huiuſmodi dici non poteſt ſacrificium Crucis, quod non fuit ritus, ſed veritas, nec fuit à Deo imperatum, ſed permiſſum, vnde nec Chriſtianis poteſt imperari, aut ad latriæ cultum pertinere,

*d. tom. 2. lib. 1. de Miſſ. c. 4.*

ſum-

ſummum enim crimen actus latriæ eſſe non poteſt, igitur ſacrificium Crucis iam peractum non poteſt eſſe perſeuerans ſacrificium in Eccleſia, & in Chriſtiana religione, ſed vtique ſacrificium Miſſæ, ſicque aut nullum in ea erit ſacrificium, quod à vera religione maximè abhorret, aut non aliud, quàm ſacrificium Miſſæ, quod veriſſimum, in quo Chriſtus ſe ipſum perpetuò ſacrificat per miniſtros ſuos ſub ſpeciebus panis, & vini.

5 Secunda ratio ad idem confirmandum planè efficax deſumitur ex comparatione legis Euangelicæ cum lege ſcripta Moſaica,non enim debet illa eſſe hac inferior, aut deterior, ſi hæc itaque ſacrificia ſua habuit, & illa debet habere; Chriſtus enim ea, quæ erant in veteri lege non ſuſtulit, aut extinxit,ſed aut impleuit tanquam figuras, aut perfecit tanquam infirma elementa; *non enim legem venit ſoluere, ſed adimplere. Math. c.* 5. addiditque conſilia, quæ ad præceptorum perfectionem proficerent. Vnde Sacramenta, vt circumciſionem, agnum paſchalem, non abſtulit in totum,ſed in faciliora,ac perfectiora commutauit, idemque ſentiendum de ſacrificijs, quæ, cum eſſent carnalia,& imperfecta, in longè perfectius commutauit, neque enim concipi poteſt, Chriſtum fraudare voluiſſe æternum Patrem ſuum eo cultu, qui ſummus omnium eſt, & qui ipſi præſtabatur in veteri lege; cum nec deſint in populo fideli, & in Eccleſia rationes, & cauſæ, quæ ſtatuenda ſacrificia in populo Iudaico, & Synagoga indicauere; ſi enim ideò populus ille ſacrificia externa,& viſibilia habere debuit, quia & ipſe erat viſibilis, & carne, ac ſpiritu conſtabat,& non ſpiritu ſolo; & populus fidelis externus, & viſibilis eſt, & carne,ac ſpiritu conſtans, ſi habuit ille ſacrificia, vt Chriſti mortem, quæ eſt vnicum humanæ ſalutis & pretium, & medium,licèt futuram, haberet præſentem, & populus fidelis eandem mortem,licèt iam præteritam, debuit habere præſentem per ſacrificium, & demùm ſi habuit populus ille ſacrificia, vt Deum ſummo honore, ipſique ſoli debito, coleret, cumque aut ſibi placaret pro peccatis,aut beneficia poſceret, aut pro obtentis gratias ageret; haud minùs debuit & fidelis populus propter hæc ipſa motiua, immò & maiora, quò maiora ſunt beneficia,quibus fruitur, & cumulatur quotidie, ſuum habere ſacrificium; & quamuis cultus in ſpiritu ſit perfectior, & maior cultu merè externo, attamen internus ſimul, & externus eſt ſolo interno longè perfectior, & excellentior, & ideò fidelis populus adorat quidem, & colit Deum in ſpiritu,ſed tamen externo cultu,cum interno coniuncto carere non debuit, qui aptiſſimè per ſacrificium exhibetur,quod non fuit legis Moſaicæ adeò proprium,quin & in lege naturæ viguerit,ideòque,eſto, quod Chriſtus ſacrificia Moſaica expungere voluerit, non tamen & ea, quæ legis naturæ, debere voluiſſe credendum eſt, quæ eſt lex immutabilis. His omnibus ſi addas communem conſenſum totius Eccleſiæ à mille annis, & vltra, immò ab ipſius exordio Miſſam verum, & vnicum ſacrificium agnoſcentis,vel fatentibus ipſis Nouatorum Coripheis apud *Bellarm.* iam erit omnium probationum ſumma,& cum ea meritò claudi poterit tantæ veritatis confirmatio. *d. lib. 1. de Miſſa c. 23.*

Cum igitur Miſſa ſit veriſſimum Sacrificium, & in ea plures actiones concurrant, ex quibus ſacrificium ipſum, pròvt dicit actionem ſacrificandi, conſtituitur, iam inquirendum neceſſariò ſupereſt, in qua parte potiſſimùm, & in qua actione vera ratio huius ſacrificij conſiſtat, idque §. ſequenti.

Hac

Hac ſiquidem aſſignata, vera etiam, & propria ratio ipſius Sacrificij conſtabit

## In qua parte, ſeù actione Miſſæ vera Sacrificij ratio conſiſtat.

### §. II.

1 *Actiones numerantur conſiderabiles ad intentum difficultatis, & partitio inquiſitionis traditur.*

2 *Oblatio panis, & vini expenditur cum reſpectu ad Corpus, & Sanguinem Chriſti, & oblatio facta poſt conſecrationem.*

3 *Eſſentia huius ſacrificij tota in conſecratione oſtenditur vtriuſq; ſpeciei auctoritate, & ratione.*

4 *Ratio formalis, quæ in conſecratione ſacrificij eſſentiam conſtituit, inquiritur, & opiniones variæ redduntur.*

5 *Quod in conſecratione conſiſtat oſtenditur exactè.*

6 *Et præcipua ratio aſſignatur, & cur niſi in vtraque ſpecie poſſit fieri conſecratio.*

7 *Conſumptio ad eſſentiam ſacrificij incruenti non pertinet.*

1 ACtiones, quæ in Miſſa adhibentur, & quæ ad intentum poſſunt conſiderari, hæ ſunt; Oblatio panis, & vini, conſecratio, oblatio poſt conſecrationem, fractio, & commixtio Sacramenti, & diſtributio, ſiue conſumptio eiuſdem; quæ licèt omnes actiones interueniant, non tamen in omnibus ratio ſacrificij ſpectari poteſt. Vt igitur breuiter, & citra diſceptationem rem aperiamus, ſegregabimus primò ſacrificium Miſſæ, pròvt dicit rem, quæ in ſacrificium offertur, & pròvt dicit ipſam actionem ſacrificandi, vtraque enim nomine ſacrificij venit, ſecundò diſtinguemus ſacrificium in abſolutum, & commemoratiuum. Abſolutum illud eſt, quod non eſt alicuius ſacrificij commemoratiuum, vt eſſet mactatio ouis, aut alterius rei conſumptio. Relatiuum verò, ſeù commemoratiuum illud eſt, quod aliud ſacrificium repræſentat, cuius exemplum aſſignare poſſumus in ſolo ſacrificio Miſſæ, quod commemoratiuum re vera eſt, ac repræſentatiuum cruenti ſacrificij in cruce peracti, & hęc relatiua repręſentatio nil tollit, vel minuit de ratione veri ſacrificij, quando non minus, quàm abſolutum eſt, nota, & ſignificatio Diuinæ omnipotentiæ, in qua ſignificatione præcipuè tota intentio ſacrificij in genere poſita eſt.

2 His ergò ſic præmiſſis. Olatio panis, & vini ad rem pertinet, quæ ſacrificatur; cum ſit extra dubium panem, & vinum in Miſſa aliqualiter, offerri, id enim verba Sacerdotis offerentis conteſtantur, & dicentis. *Suſcipe Sancte Pater hanc immaculatam hoſtiam*, quæ non alia tunc, quàm panis firmat ſimilitudo ſacrificii à Chriſto oblati cum ſacrificio Melchiſedech, quam quidem in oblatione panis, & vini poſitam ſupra oſtendimus. At verò quod verè, & propriè offertur, & ſacrificatur in Miſſa eſt Corpus, & Sanguis Chriſti, idque tanquam certum ex iam dictis ſupponimus, nec confirmandum vlteriùs cenſemus ità, vt panis, & corpus Chriſti, vinum, & ſanguis vnum conſtituant, & integrent ſacrificium, & non duo ſint, aut dici poſſint ſacrificia; non enim offertur in Miſſa panis ſimpliciter, ſed panis conſecrandus, & immutandus in corpus Chriſti, neque offertur corpus Chriſti abſolutè, quia tunc

aut ſacrificium deberet eſſe cruentum, aut nullum eſſet ſacrificium, ſed offertur corpus Chriſti ſub ſpecie panis, ſicq; vnum eſt ſacrificium, quod eſt panis in corpus Chriſti conuerſus, & corpus Chriſti ſub ſpecie panis oblatum, qua vnitatem diſertiſſimè expreſſit *S. Leo Magnus* Chriſtum ipſum ſic alloquens. *Hunc carnalium ſacrificiorum varietate ceſſante omnes differentias hoſtiarum vna corporis, & ſanguinis tui implet oblatio*. Et *Chryſoſtom. quæ omnia noua gratia ſuperueniens vno complectitur ſacrificio, vnam, ac veram ſtatuens hoſtiam*. Iam ergò hæc panis, & vini oblatio ad conſecrationem præuia integritatem, & perfectionem ſacrificij reſpicit non eſſentiam. Hæc magis ad eſſentiam pertinet oblatio, quæ conſecrationem ſubſequitur, tum quia eam adhibitam à Chriſto Domino non legimus, immò nec ab Apoſtolis, quos vltra conſecrationis verba nil aliud addidiſſe, quàm orationem Dominicam teſtatur *Gregor.* tùm etiam quia non fit hæc oblatio in perſona Chriſti, in qua fit ſacrificium, ſed in perſona Sacerdotis offerentis, & totius Eccleſiæ, quæ in oblationem à Chriſto factam per ea verba ſe teſtatur conſentire; ſat fuerit, ſi ad integritatem, & perfectionem ipſa pertineat, quando, ſicut & oblatio præcedens legitur in antiquiſſimis Liturgijs.

*Serm. 8. de paſſ. Dom. circa fin.* — *Homil. in Pſalm. 95. poſt princ.* — *Lib. 7. ep. 63. Indict. 1.*

3 Itaque tota eſſentia huius ſacrificij ponenda omninò eſt in conſecratione Sacramenti, quæ ſanè eſſentia tota cum conſiſtat in repræſentatione Mortis Chriſti, quæ fuit ſacrificium cruentum, ideò non in vnius tantùm ſpeciei, ſed vtriuſque conſecratione ſtatuenda eſt.

In conſecratione totam eſſentiam ſacrificij agnoſcit *S. Thom.* percurrens enim, & exponens ſingulas Miſſæ partes poſt conſecrationem, ait *Tertio (Sacerdos) excuſat per obedientiam ad mandatum Chriſti, cum dicit; vnde & memores &c. Quartò petit hoc ſacrificium peractum eſſe Deo acceptum, cum dicit, ſupra quæ propitio, ac ſereno vultu*. At verò nil aliud præceſſit niſi ſola verbalis oblatio, de qua iam conſtat, eam ad eſſentiam ſacrificij non pertinere, cum ergo ſupponat iam peractum ſacrificium, certè niſi per conſecrationem potuit eſſentialiter conſtitui.

*3. p. q. 83. art. 4. in corp.*

Suppetunt plurimæ Patrum idem ſentientium auctoritates, à quibus deſcribendis pro inſtituto temperamus, vna contenti ratione, Euchariſtiæ enim Sacramentum eatenus rationem ſacrificij aſſumit, & habet, quatenus mortem Chriſti repræſentat, idque tum *Chryſoſtomus*, tum *Cyprianus* luculenter confirmant, ſic enim ille. *Hoc autem, quod facimus in commemorationem quidem fit eius, quod factum eſt. Hoc enim facite* (inquit) *in meam commemorationem. Non aliud ſacrificium ſicut Pontifex, ſed ipſum ſemper facimus, magis autem recordationem ſacrificij operamur*. *Hic verò, & quia paſſionis eius mentionem in ſacrificijs omnibus facimus ( paſſio eſt enim Domini ſacrificium, quod offerimus) nil aliud, quam quod ille fecit, facere debemus*.

*Hom. 17. in Epiſt. ad Hebr. in fin.* — *Lib. 2. ep. 3. verſ. fin.*

Repræſentatio autem tunc verè fit, cum panis, & vinum in corpus, & ſanguinem Chriſti conuertit, quod ſanè non per aliud fit, quàm per conſecrationem, indeque tota ſacrificij ratio in ipſa conſecratione poſita eſt.

4 Certum id quidem, at non adeò apertum, qua potiſſimum cauſa ipſa ſacrificij ratio in conſecratione conſiſtat. Ad ſacrificium ſiquidem tria requiri iam diximus, vt ſcilicet res offeratur, immutetur, & conſumatur. Quo ad oblationem non eſt difficultas, eo enim ipſo; quo res, quæ ſacrificatur ſuper

per

per Altari ſiſtitur, offertur. Redigitur ergo res tota ad immutationem, nam de conſumptione infra loco ſuo. Circa immutationem difficilis admodum eſt aſſignatio, quia cum corpus, & ſanguis Chriſti offeratur in hoc Sacramento vix percipi poteſt circa ipſum facta immutatio, qualis ad verum ſacrificium requiritur, ideòq; itum in varias ſententias circa rationem, ob quam tota ſacrificij ratio in ſola conſecratione ſtatuitur tangemus hac de re opiniones varias, vt verior faciliùs appareat.

*In expoſit. liturg. c. 32. tom. 4. aut 6. Bibliotb. Patrum.* *Nicolaus* ergo *Cobaſilas* rationem ſacrificij in conſecratione ideò poſuit, quia per illam ex pane non mactato in Corpus Chriſti mactatum fit immutatio, ſicut per ſacrificium ouis ex oue non mactata in mactatam fit conuerſio. Dixere alij in ſacrificio Miſſæ non fieri propriè immutationem, ſed potiùs productionem, indeque differre Miſſæ ſacrificium à ſacrificijs antiquæ legis, quæ in occiſione, & immutatione rei oblatæ conſiſtebant, & ideò res, quæ occidebatur, & immutabatur erat etiam illa ipſa, quæ offerebatur. At ratio ſacrificii incruenti in productione poſita eſt, & ideò longè diuerſa in ipſo etiam fit immutatio. Alij, & tertiò, in conſecratione totam ſacrificii rationem ponunt, quia per eam panis in corpus, vinum in ſanguinem Chriſti mutatur, quæ ſanè ratio ſi admittatur iam non corpus Chriſti, & ſanguis in Miſſa, ſed potiùs panis, & vinum diceretur offerri, ſicque ſacrificium crucis, & ſacrificium Miſſæ non eſſet idem reſpectu rei oblatæ, quod abſit vt dicatur.

5 Hæque rationes difficiles planè ſunt, nec poſſunt adeò facilè ſuſtineri. Illa ergo ſolidior habito ſemper reſpectu ad ſupra traditam ſacrificii definitionem, vt ſcilicet tota ratio ſacrificii in ſola conſecratione conſiſtat, quia in ipſa eſt actio immolandi, cum hęc ipſa actio operetur, vt conſecrato corpore, & ſanguine Chriſti, eoque realiter ibi contento repræſentetur ſacrificium cruentum ſemel in cruce oblatum. Luculentiſſimum pro hac ratione eſt iam ſupra allatum *Cypriani* teſtimonium iterum ſub oculos exhibendum. *Lib. 2. ep. 3.* *Et quia paſſionis eius mentionem in ſacrificijs omnibus facimus (paſſio eſt enim Domini ſacrificium, quod offerimus) nihil aliud, quàm quod ille fecit facere debemus.* In ſacrificio igitur noſtro fit memoria paſſionis Chriſti, & ipſa Chriſti paſſio in ſacrificium offertur myſtico, & incruento modo, ſed tamen vero. Nec abſimiliter *Chryſoſtom.* *d. Homil. 17. in Epiſt. ad Hebr. verſ. fin.* *Nonne per ſingulos dies* (inquit) *offerimus? offerimus quidem, ſed ad recordationem facientes mortis eius, & vna eſt hæc hoſtia non multæ*, idque apertius declarat ſubdens, *quomodo vna eſt, & non multæ? quia ſemel oblata eſt in Sancta Sanctorum, hoc autem ſacrificium exemplar eſt illius id ipſum ſemper offerimus*; quę ſanè verba totam rationem ſtatuunt ſacrificii in repræſentatione; moxque ſubdit inferiùs homiliam claudens. *Pontifex autem noſter ille eſt, qui hoſtiam mundantem nos obtulit, ipſam offerimus, & nunc, quæ tunc oblata quidem conſumi non poteſt. Hoc autem quod facimus in commemorationem quidem fit eius, quod factum eſt. Non aliud ſacrificium, ſicut Pontifex, ſed ipſum ſemper facimus, magis autem recordationem ſacrificij operamur.* Operamur igitur idem, at non eodem modo, quod enim in cruce fuit phyſicè, & ſenſibiliter peractum, in Miſſa myſticè, & repręſentatiuè, ſed veriſſimè gerit.

Relata mox ſupra Chryſoſtomi verba licèt tanquam ex Ambroſio regeſta leguntur *in Can. in Chriſto 4. de conſecrat diſt. 2.* Conſonanter cum Chryſoſtomo ſcripſit & *D. Thom.* *3. p. quæſt. 83. art. 1. in corp.* *Celebratio*

*tio autem huius Sacramenti imago quædam eſt repræſentatiua paſſionis Chriſti, quæ eſt vera eius immolatio, & ideo celebratio huius Sacramenti dicitur Chriſti immolatio*. Eatenus ergo Miſſa ſacrificium quatenùs repræſentat paſſionem Chriſti, idque non alibi niſi in conſecratione. Neque tamen ex eo quod dicatur imago credas non eſſe Miſſam verum ſacrificium, ſed potiùs ſimilitudinem ſacrificii, quia quamuis ſit imago mortis, nomen tamen ſacrificii ipſi proprijſſimè competit; Chriſtus enim in Miſſa in imagine moritur, & myſticè, ſed tamen re ipſa in ſacrificium offertur, & immolatur.

*Lib. 1. de Miſſa c. vlt.* Dura viſa eſt hæc doctrina Card. Bellarmino nec intellectum dixit ipſi acquieſcere, quia verum, & reale ſacrificium veram mortem, & deſtructionem rei immolatæ exigit, cum tamen conſecratio myſticam tantùm, & non veram, ac realem mortem exhibeat; ſi enim realis mors eſſet, & vera ea fieret in Cœlo vbi Chriſtus ante conſecrationem exiſtit, & non in altari, quod eſt abſurdum, & ſi myſtica ſit occiſio, non erit verum, & proprium ſacrificium; ſi vera, horrent aures audientes Chriſtum à Sacerdote in Altari mactari, & occidi.

Sed diſgregantur hæ nubes, ſi iuxta præmiſſa ſegregetur ſacrificium commemoratiuum, adeòque reſpectiuum ab abſoluto. Quod nullum aliud reſpicit ſacrificium, ſed per ſe, & ex ſe Deum auctorem vitę, & mortis conteſtatur, qualia erant ſacrificia antiquæ legis. At commemoratiuum aliud ſacrificium ſupponit, ad quod refertur, & quod commemorat, idque in ſolo Miſſæ ſacrificio poteſt aſſignari.

Neque admittendum, quod etiam ſacrificia cruenta antiquę legis eſſent commemoratiua, quia ſacrificium Chriſti futurum ſignificarent. Nam miſſo, quod memoria, & commemoratio non ſit futurorum, certè ſacrificia illa eſſe formale ſacrificii non habebant ex eo, quod futurum Chriſti ſacrificium ſignificarent, ſed ex eo, quod per ſe, & per immutationem propriam Diuinam Omnipotentiam conteſtarentur, & ideò eſto, quod Chriſti ſacrificium non ſignificaſſent, adhuc fuiſſent vera ſacrificia. At ſacrificium commemoratiuum eſſentialiter, & per ſe ſupponit aliud ſacrificium, & dicit ad illud eſſentialem reſpectum, quo dempto non eſſet ſacrificium, & non ſolùm debet eſſe ſignum mortis alicuius, ſed vlterius debet continere rem ipſam, cuius mors repræſentatur, aliàs enim non eſſet ſacrificium, ſed imago potiùs, & fictio ſacrificii, & res ipſa, cuius mors reprę ſentatur, debet eſſe ſignum mortis ſui ipſius.

Ideòque cum Chriſtus adſit verè ſub ſpeciebus panis, & vini, & per actionem, quam modo ſingulari Sacerdos ipſe conſecrando exercet, reprę ſentet cruentam, & realem mortem ſui ipſius, eaque reprę ſentatione indicet Deum auctorem vitę, & mortis, hinc eſt, quod quamuis non dicatur phyſicè, & realiter mori, ſed in ſola figura dicitur, tamen re ipſa immolari, & ſacrificari, quod dici non poterat de ſacrificijs veteris legis, quę ita ſignificabant Chriſtum, vt non eſſent Chriſtus, quem ſignificabant, cum Sacramentum Euchariſticum ſit illud ipſum, quod ſignificat, quòad veritatem carnis, & ſanguinis Chriſti, licèt non quòad dolores, & mortem Chriſti ipſius quam ſignificat, non ſit id, quod ſignificat, quia Chriſtus in Sacramento nec moritur, nec patitur, vt doctiſſimè aduertit Hoſius Cardinalis, ſicq; in ſacrificio Miſſę merè commemoratiuo reprę ſentatio huiuſmodi eſt intrinſeca, & eſſentialis, eaque ſublata tota ratio ſacrificii commemoratiui concideret, quod non eſſet *In Confeſſ. catholica c. 41. poſt med.*

in

in ſacrificiis veteris legis, quę ſublata repræſentatione adhuc (vt ſupra tetigimus) eſſent vera ſacrificia, & ratio ſacrificij in ipſis eſſet ſalua, indeque conſtat, corruere illationes *Card. Bellarmini*, quæ vt concluderent in ſacrificio abſoluto, ita omninò deficiunt in merè commemoratiuo, & reſpectiuo quale ſacrificium Miſſæ.

Et ex his omnibus argumentum conficimus à priori, quo ratio Euangelici ſacrificii in ſola conſecratione poſita demonſtretur poſt auctoritates.

Ratio formalis, & propria ſacrificii non conſiſtit in immutatione rei oblatæ ſed in conteſtatione, & ſignificatione Omnipotentiæ Dei auctoris vitæ, & mortis. Vnde ſi daretur oblatio aliqua, quæ ſine vlla immutatione rei oblatæ, apta eſſet conteſtari Deum auctorem vitæ, & mortis, hæc ipſa veriſſimum ſacrificium dici poſſet, & eſſet.

Atqui conſecratio corporis, & ſanguinis Chriſti abſq; reali immutatione ipſius Chriſti aptiſſimè conteſtatur Deũ auctorem vitæ, & mortis per ſolam repræſentationem mortis ipſius Chriſti. Ergo ſola conſecratio inducit in Miſſa rationem ſacrificii, & in ea tota ratio Euangelici ſacrificii poſita eſt.

Illud ſupereſt adhuc vnum firmandum per ſolam conſecrationem ita commemorari paſſionem, & cruentam Chriſti mortem, & in ea ſic exactè repræſentari, vt in conſumptione non conſiſtat.

6 Supponimus planè indubium, conſecrationem vtriuſque ſpeciei panis ſcilicet, & vini requiri diuino iure. Potuiſſet Chriſtus Dominus, ſi libuiſſet, in vna tantùm ſpecie hoc Sacramentum inſtituere, ſed de facto ſub vtraque ſpecie inſtituit, & idem nos facere in ſui commemorationem præcepit, ideòque ſuppoſita Diuina Inſtitutione conſecratio ſub vna ſpecie fieri non poteſt, nec alicui datum in hoc diſpenſare tanquam contra Ius Diuinum. Afferri poſſent *tex. in Can. Illud, & in Can. Nihil 7. q. 1. ex Concil. Toletano 2.* ſed vix eſt, vt inſtitutio Iuris Diuini in vtraque ſpecie poſſit inde deſumi. Aptius ex *Concil. Trid.* & apertiùs proponens enim huius ſacrificii inſtitutionem ait, Chriſtum Dominum Sacerdotem ſecundùm ordinem Melchiſedech corpus, & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis, & vini obtuliſſe ſubdens. *Ac ſub earundem rerum Symbolis Apoſtolis, quos tunc noui teſtamenti Sacerdotes conſtituebat, vt ſumerent tradidit, & eiſdem, eorumque ſucceſſoribus, vt offerrent præcepit per hæc verba. Hoc facite in meam commemorationem.* Et preſſiùs *Can. 2.* idem repetiit, & re vera Iuris Diuini nullum potentius poteſt proferri argumentum, quam ex factis, & verbis ipſius Chriſti Domini, dum poſt conſecrationem vtriuſque ſpeciei dixit. *Hoc facite* (quod ſcilicet ego feci) *in meam commemorationem* vtramque conſecrationem vtroque præcepto coniungens. Seſſ. 22. c. 1.

Auctoritati adnectemus huius coniunctæ conſecrationis rationem ex *D. Thom.* qui obſeruat huius Sacramenti vſum eſſe manducationem, quæ per panem, & vinum regulariter efficitur, vnde & in vtraque ſpecie meritò fiat ſeparatim conſecratio, ſed & eam addit rationem, quæ rem noſtram proximè tangit. Hoc Sacramentum ſiquidem eſt memoriale paſſionis Chriſti, ad quam exhibendam vtriuſque ſpeciei conſecratio perappoſitè inſeruit. In paſſione enim ſanguis fuit à corpore ſeparatus, & in conſecratione panis eſt Sacramentum corporis, in conſecratione vini Sacramentum ſanguinis, & cum vtraque ſeparatim fiat, ſeparationem etiam ſanguinis à corpore exhibet. Vnde Angelicus Doctor non ſemel 3. p. q. 74. 3. p. q. 8. a. 12. ad 3.

mel hoc idem confirmat, & præcipuè ſcribens.

*Ad tertium dicendum, quod repræſentatio Dominicæ paſſionis agitur in ipſa conſecratione huius Sacramenti, in qua non debet corpus ſine ſanguine conſecrari*. Perinde ac ſi dicat mortem Chriſti conſecratione vtriuſque ſpeciei repręſentari, quam vnius tantùm ſpeciei conſecratio adæquatè non ſignificaret.

Eſto enim, quod in conſecratione panis ex vi verborum ponatur Chriſti corpus, & non omnia in cuius ſeparatione à corpore mors eiuſdem poſita fuit, non tamen ſignificatur modus mortis, qui fuit per ſanguinis effuſionem, & quo fuit ſeparata anima à corpore. Vnde cum ad adæquatam ſignificationem cruenti ſacrificii Chriſti non ſit ſatis repræſentare mortem, niſi & repræſentetur modus mortis, qui fuit per effuſionem, & ſeparationem ſanguinis à corpore per vulnera, & hic modus non exhibeatur per vnius tantùm ſpeciei conſecrationem, ideò non debuit ſacrificium incruentum ſub vna tantùm ſpecie inſtitui, ſed Chriſtus Dominus de facto non ſub vna, ſed ſub duplici ſpecie inſtituit, vt ſacrificium eſſet perfectè commemoratiuum, & repræſentatiuum non ſolùm mortis, ſed & modi eiuſdem mortis.

Ad quam ſeparationem myſticam ſanguinis à corpore in ſacrificio tanquam ad actionem ex veritate verborum prouenientem, eamque non phyſicam, ſed moralem concurrunt verba, & ſunt neceſſaria quaſi cultrum, ſeù gladius ad immolationem victimæ. Vnde ſicut in ſacrificio cruento ratio ſacrificii non conſiſtit in cultro, ſeu gladio, ſed in actione, qua victima immolatur, ita in incruento ratio eius poſita eſt in actione illa morali à verbis manante, tanquam à cauſa efficiente inſtrumentali, quæ demùm alia non eſt, niſi myſtica ſeparatio ſanguinis à corpore Chriſti, vel repræſentatio eius ſeparationis, quæ in paſſione facta fuit, & quæ ſignificatio à verbis ipſis tanquam à cauſa maximè dependet.

Res oblata in hoc ſacrificio eſt Chriſtus ipſe, qui in cruce immolatus fuit, qui diuerſo modo in vtroque ſacrificio cruento, & incruento offertur, & ante oblationem abſtrahit à modo exiſtendi ſiue ſub cruento, ſiue ſub incruento ſacrificio, ſpecies verò panis, & vini non pertinent eſſentialiter ad rem oblatam, aliàs enim duæ res offerrentur in eodem ſacrificio, nempe ſpecies ipſę, & Chriſtus, aut non eſſet idem ſacrificium factum in cruce, & in Miſſa, quod aſſerit *Concil. Trid.* ſed pertinent ad oblationem, quia oblatio incruenta conſiſtit potiſſimum in ſignificatione per modum actionis, & ſpecies ipſæ ad hanc ſignificationem maximè pertinent & ad immolationem, ac oblationem, quamuis ſpecies panis, & vini non dicantur immolari, & offerri, ſed Chriſtus ipſe ſub ſpeciebus panis, & vini. *Seſſ. 22. c. 2.*

Poſita igitur ratione incruenti ſacrificij, & commemoratiui in ſola conſecratione, in qua tota, & vera eius ratio continetur, & ſaluatur, iam fit conſequenter conſumptionem ad eſſentiam eius non pertinere, ſuppoſita ſemper diſtinctione ſacrificii abſoluti, & commemoratiui; eſto enim, quod in abſoluto neceſſaria ſit immutatio ad ſignificandam Diuinam Omnipotentiam, & conteſtandum Deum Auctorem vitæ, & mortis. At in commemoratiuo Miſſæ ſacrificio ſola conſecratio corporis, & ſanguinis Chriſti ſine vlla immutatione ipſius Chriſti per ſolam repræſentationem eius mortis ſine vlla conſumptione ſaluat rationem veri ſacrificii, præcipuè cum non ſit merè commemoratiuum tanquam ſignum, ſed

rem

rem ipſam contineat, quæ & offertur in ſacrificium, & cuius mors repræſentatur ſine alia conſumptione.

7 Neque tamen per hoc dicenda eſt inanis fractio Sacramenti, & eiuſdem conſumptio facta à Sacerdote, licèt ad eſſentiam ſacrificii non pertineat, quia fractio fit ad myſterium, eaque longè differt ab illa, quam fecit Chriſtus Dominus in Cœna, quia aut fregit ante conſecrationem, vt plerique volunt, & indicant Euangelij verba, aut fregit poſt conſecrationem, & tunc ideò fregit, vt diſtribueret Apoſtolis ſecum diſcumbentibus, ijſque communicaret. At verò fractio, quæ fit in Miſſa, non fit immediatè poſt conſecrationem, ideòq; nec ad eſſentiam, nec ad integritatem ſacrificii iam per conſecrationem peracti poteſt pertinere.

Myſterium autem, quod hæc fractio continet, illud eſt, vt per tres partes, in quas hoſtia conſecrata diuiditur, deſignentur tres hominum ſtatus. Beatorum in Cœlo, In purgatorio, & in mundo exiſtentium, vt ſcribit *Durand.*

*Lib. 4. ration. diuin. offic. c. 51. n. 9.*

Sacerdos verò aſſumit, & conſumit, vt de ſacrificio iam peracto ſuo, & populi nomine participet, id enim neceſſarium ſtatuit *Concil. Toletan.* 12. *Can.* 5. vnde mutuatus eſt *Gratian. Can. relatum* 11. *de conſecrat. diſt.* 2. innixum verbis Apoſtoli. *Non ne qui edunt hoſtias participes ſunt altaris.* moxque ſubdit. *Nam quale erit illud ſacrificium, cui nec ipſe ſacrificans particeps eſſe cognoſcitur? Ergò modis omnibus eſt tenendum, vt quotieſcunque ſacrificans corpus, & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti in Altario immolat, totiès participationis corporis, & ſanguinis Chriſti participem ſe præbeat.*

*1. ad Corinth. c. 10.*

Conſumptionis igitur, & manducationis hęc eſt ratio. Indeque tota eſſentia, & veritas huius ſacrificii conſtat, à qua ad effectum eiuſdem rationabiliter inferemus.

## Qui Effectus Sacrificij Miſſæ.

## §. III.

1 *Confertur Miſſæ ſacrificium cum ſacrificio Cœnæ, & vnum oſtenditur, & ſubinde inter vtrumq; aſſignantur differentiæ præcipuæ.*
2 *Confertur cum ſacrificio Crucis, & eadem ſpecie oſtenduntur.*
3 *Infertur ad principalem effectum huius ſacrificij, vt ſit propitiatorium, & auctoritate, & ratione probatur.*
4 *Secundus effectus deducitur, vt ſit impetratorium, & diſtinguitur virtus ex opere operato, & ex opere operantis.*
5 *Qualis ex opere operato ſacrificij incruenti virtus.*
6 *Valor Miſſæ an finitus, an infinitus, & vnde.*
7 *Effectus ſacrificij Miſſæ recenſentur.*

PRO aſſignatione effectus tanti ſacrificii id ſemper ſupponemus, Miſſæ ſacrificium non eſſe abſolutum, ſed reſpectiuum, & commemoratiuum gemini ſacrificii, & à Chriſto peracti in Cœna, & ab eodem oblati in cruce, cum quo vtroque facta collatione effectus aſſignabimus.

1 Primò igitur ſe ſe exhibet ſacrificium Cœnę, cum quo vnum ſpecie ſacrificium Miſſę non ambigimus; quod enim eſt idem morale obiectum earumdem virtutum eaſdem virtutes vnius, & eiuſdem ſpeciei conſtituit, non attenta aut materię, aut agentium

tium diuerſitate, quæ vbi idem eſt obiectum, ſpeciem non immutat, ſacrificium autem Cœnæ, & ſacrificium Miſſæ vnum, & idem reſpiciunt obiectum, quod eſt Dei cultus, & ad ipſum vtrumque immediatè dirigitur, ſunt ergo actus vnius, & eiuſdem virtutis religionis, atque adeò vnius, & eiuſdem ſpeciei, atque naturæ, neque enim ſpecificam differentiam poteſt inducere, quod in Cœna Chriſtus fuerit oblatus paſſibilis, & mortalis, in Miſſa offeratur immortalis, & impaſſibilis, hæc enim eſt ſola differentia rei oblatæ, quæ ſpecificam differentiam actus nequit inducere, aut immutare ſacrificij naturam; præterquam quod qui fuit oblatus, & offertur fuit, & eſt idem Chriſtus præſcindendo à quocumque ſtatu, vnde vtrobique idem, & ratione rei oblatæ idem eſt ſacrificium.

Cum hac tamen identitate ſpecifica ſtant differentiæ quamplures; prima, quia licèt tam in Miſſa, quàm in Cœna offerens idem ſit Chriſtus, attamen in Cœna obtulit immediatè, & per ſe. In Miſſa offert quidem, ſed mediatè, & remotè, quia ſcilicet ſacrificium ipſum inſtituit, iuſſit illud offerri, nomine ſuo, & ex meritis ſuis virtutem, & efficaciam ipſi impertitur, qua ratione eſt etiam offerens immediatus, & principalis, quia ſub hoc reſpectu nemo medius eſt principaliter offerens.

Secunda, quia per ſacrificium Cœnę meruit nobis redemptionem noſtram, at per ſacrificium Miſſæ, quod opera Sacerdotis offertur, nihil meretur, non eſt enim proximus, & immediatus offerens, ſed ſacrificium eſt tantùm morale medium, quo nobis applicat fructum paſſionis ſuæ. Vnde Sacerdos immediatè offerens poteſt quidem mereri, ſi dignè, & in gratia offerat, cum ipſe ſit, qui actum elicit, & affectum immolandi, & ſacrificandi exerceat, at Chriſtus non item, à cuius affectu immolatio, quæ fit in Miſſa, non pendet.

Tertia, quia ſacrificium Cœnæ præſignabat ſacrificium cruentum futurum at ſacrificium Miſſæ repræſentat præteritum, & etiam factum. Ideòque totum hoc diſcrimen à temporis diuerſitate eſt, & à diuerſo ſtatu rei ſignificatæ.

Quarta, quia ſacrificium Cœnæ non fuit imago alterius ſacrificij incruenti, ſed fuit potiùs figuratum in ſacrificijs veteribus, & præſertim in ſacrificio Melchiſedech, qui panem, & vinum obtulit. At ſacrificium Miſſæ, vtcumque præfiguratum ab antiquis ſacrificijs, eſt etiam imago ſacrificij incruenti à Chriſto Domino oblati.

Quinta demùm, ac poſtrema differentia ſumitur à loco, tempore, & diuerſitate cæremoniarum; hæc enim in vtroque ſacrificio ſunt omninò diuerſa, & cum alijs differentijs merè accidentalem diuerſitatem inducunt, at neutiquam ſpecificam, ſed cum tot differentijs ſtat ſpecifica identitas vtriuſque ſacrificij.

2 Haud impar erit collatio, ſi Miſſæ ſacrificium cum ſacrificio Crucis componamus; eadem enim in vtroq; emicabit ratio ſpecifica in genere ſacrificij, quodlibet ſiquidem ex hiſce ſacrificijs eandem inſpicit rationem Diuini cultus, & ea cuiuslibet eſt intentio, Deum conteſtari Dominum vitæ, & mortis. Vnde quæ in generali hac ratione conueniunt, non poſſunt niſi & eandem ſpecificam rationem ſortiri, qua ratione ſacrificium Crucis, & ſacrificium Miſſæ idem dici poſſunt, ſicut & ratione rei oblatæ, quam vtroque eadem, eandem identitatem obtinent; idem enim vtrobique oblatus eſt, & offertur Chriſtus, indeque præcipuè vtriuſque ſacrificii identitatem arguit *Tridentina Synodus* ſic docens. *Et quoniam in Diuino hoc ſacrificio, quod in Miſſa peragitur* Seſſ. 22. c. 2.

*idem*

*idem ille Chriſtus continetur, & incruentè immolatur, qui in ara Crucis ſemel ſe ipſum cruente obtulit &c.* & inferius. *Vna enim, eademque eſt hoſtia, idem nunc offerens Sacerdotum miniſterio, qui ſe ipſum tunc in cruce obtulit ſola offerendi ratione diuerſa.* Totum igitur diſcrimen inter Crucis, & Miſſæ ſacrificium in ritu, & modo offerendi poſitum eſt, cum alioqui ratio, & intentio ſacrificij ſit eadem; quamuis enim modus exiſtendi, quem habuit Chriſtus in Cruce, & modus exiſtendi, quem nunc habet in ſacrificio Miſſæ differant, non tamen operantur, quòminùs ſit eadem res oblata, eaque eadem in vtroque ſacrificio exiſtente, differentia primùm eſt in actione ſacrificandi, quæ enim actio fuit in Cruce, non eadem eſt in Miſſa, vnde & ritus diuerſus, ſicut & diuerſus offerens. Obtulit enim ſe ipſum in Cruce, offert & in Miſſa, ſed ibi ipſe per ſe ipſum, ac proximus, & immediatus offerens, hic verò ſe ipſum offert, ſed per Sacerdotes, quibus præcepit inſtituens, vt offerrent, & licet in Cœna immediatè, & per ſe obtulerit, ſicut & in Cruce, modus offerendi fuit omninò diuerſus, quia in Cœna obtulit incruentè, in Cruce verò cruentè. Igitur tam in Crucis, quam in Miſſæ ſacrificio eſt eadem formalis ratio conteſtandi Deum Dominum, & auctorem vitæ, & mortis; eadem victima, & res oblata, adeòque idem vbique ſacrificium, licèt actio, & ritus omninò diuerſus.

3 Iam ergò hac indicata identitate, & differentia facile erit ad effectus huius incruenti ſacrificij inferre.

Potiſſimus ergo, & auguſtiſſimus eius effectus eſt, vt ſacrificium Miſſæ ſit propitiatorium. Concedunt hæretici eſſe Euchariſticum, (εὐχαριϛικον.) ſeu gratiarum actionis; fatentur eſſe latreuticum, (λατρευτικον.) laudis ſcilicet & honoris, ſic enim lato modo, & improprium ſacrificium aſſerunt, at eſſe propitiatorium omninò negant, ne ſimul verum, & proprium ſacrificium agnoſcere cogantur, & fateri. At propitiatorium agnouit ſemper, & agnoſcit Eccleſia, & non ſolùm ſumenti, ſed & lijs tam viuis, quàm defunctis pro eorum peccatis, pœnis, & ſatisfactionibus, alijſque neceſſitatibus, pro quibus offertur, quod ſanè eſt veriſſimi, & propitiatorii ſacrificii. *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus* (ſcribit *D. Paulus*) *pro hominibus conſtituitur in his, quæ ſunt ad Deum, vt offerat dona, & ſacrificia pro peccato.* (Ad Hebr. cap. 5.) Si igitur eſt in Eccleſia Sacerdotium, & Sacrificium, vt eſt & vera religio, erit & munus Sacerdotis, ac intentio ſacrificii, vt ſcilicèt offeratur pro peccato, adeòque demùm propitiatorium. *Vbi autem horum remiſſio iam non eſt oblatio pro peccato;* (Ibid. cap. 10.) ſubdit idem *Apoſtolus*. Vbi enim ſunt peccata debet eſſe ſacrificium, ipſumq; propitiatorium, neque hoc in Eccleſia aliud, quàm Miſſa. In ſacrificio Cœnæ pronunciauit Chriſtus ore ſuo. *Hic eſt Sanguis, qui pro vobis effundetur in remiſſionem peccatorum*, & tunc verè obtulit pro peccatis Apoſtolorum; idem fieri ſacrificium præcepit. *Hoc facite in meam commemorationem*, ergo ad eundem fructum, & ad idem intentum; ſi itaque idem & Cœnæ, & Miſſæ ſacrificium, & hoc ſicut illud propitiatorium. Et ideò in vetuſtiſſimis *Iacobi, Baſilij, Chryſoſtomi* liturgiis, hæc adhuc, aut conſimilia leguntur verba: *Offerimus tibi incruentum ſacrificium pro peccatis noſtris, & ignorantijs populi*. Conſentiunt Eccleſiæ Patres *Cyprianus, Auguſtinus, Beda, Ambroſ.* (Serm. de Cœn. Dñi lib. 20. de Ciuit. cap. 25. lib. 4 Hiſt. Git. Ang. lib. 1. off. cap. 48.) confirmatque ratio. Nam in lege naturæ, & in lege Moſaica fuere ſacrificia propitiatoria. Iob enim, qui in lege naturæ viuebat, quotidie pro peccatis filiorum ſuorum ſacrificaſſe legimus,

*Iob. cap. 1.* gimus, & Amicis eiuſdem Iob Deus imperat, vt ſacrificent pro peccato ſuo, *Iob. cap. vlt.* *cap. 4. 5. & 6.* & in Leuitico præſcribuntur varia ſacrificia pro peccato; ergo & Miſſæ ſacrificium, quod vnicum eſt ſacrificium nouæ legis Euangelicæ, debet eſſe propitiatorium, tum quia ſacrificia illa fuere typi, & figuræ ſacrificii Miſſæ, tum etiam quia ſacrificium Crucis, quod veriſſimè fuit propitiatorium ſicut non impediit, quòminus ſacrificia illa legis veteris eſſent propitiatoria, ita neque impedit, quòminus Miſſa ſit & ipſa propitiatorium ſacrificium; cum enim ab initio mundi ſacrificium Crucis vim habuerit, & ſit habiturum vſq; ad conſummationem ſæculi, non eſt maior ratio, vt impediat Miſſæ ſacrificium eſſe propitiatorium, ac impediat fuiſſe ſacrificia illa vetera ſiue legis naturæ, ſiue legis ſcriptæ. Et ſi illa figuratiua ſacrificii Crucis fuere propitiatoria, & Miſſa debet eſſe propitiatorium ſacrificium, cum inter ſacrificium Crucis, & vetera ſacrificia, ac ſacrificium nouæ legis alia non intercedat relatiua differentia, niſi temporis, futuri ſcilicet, & præteriti, neque enim fas eſt credere ſacrificia illa, quæ erant meræ figuræ, & media ad tollendas irregularitates à peccato prouenientes fuiſſe propitiatoria, & tamen ſacrificium Euangelicæ legis, quod eſt longè perfectius, & excellentius, non eſſe propitiatorium.

4 A ſublimi hoc propitiationis effectu, ex quo Miſſæ ſacrificium iuſtè denominamus propitiatorium inferimus ad alium ipſius ſacrificii maximè proprium, in quo tota poſita eſt eius efficientia, & per quem ipſa propitiatoria virtus & competit, & exercetur; ſecundum hunc effectum ſacrificii dicimus; vt ſit impetratorium, eaque dici poteſt ſumma, & propria eius virtus.

In huius autem efficientiæ elucidationem reuocanda huc eſt celebris illa Theologorum diſtinctio, qua virtutem aliquam agnoſcunt ex opere operato, & ex opere operantis. Primo modo ſignificatur virtus indita ex ſe agens nulla attenta qualitate, aut dignitate miniſtri. Secundo verò modo æſtimatur opus, ſeu actio à conditione, aut qualitate agentis, aut operantis, & pro meritorum eius valore cenſetur etiam opus ipſum magis, aut minùs efficax, vel etiam nullius virtutis, ſi in operante nullum ſit meritum, ſed improbitas potiùs, ſeu malitia.

Iam igitur tota ſacrificii Miſſæ virtus eſt impetratoria, & quidquid operatur impetrando operatur. Hæc enim virtus propria eſt ſacrificii in genere, cum ſit actus orantis, & ſupplicantis, & ſit oratio excellentiſſima, quæ actu potiſſimum ſit. Oratio autem vtcumq; poſſit eſſe meritoria ex dignitate orantis, ſatisfactoria, vt eſt opus laborioſum, tamen ex ſua, & innata vi eſt impetratoria, & tota eius efficacia in impetrando conſiſtit; ideò & ſacrificium, vt oratio quædam realis, & impetratorium, & tota eius vis eſt in impetrando. Virtutem ſiquidem, quam habet, mutuatur à Chriſto principali agente, & offerente, qui nunc à dextris Patris ſedens nec mereri, nec ſatisfacere poteſt, ſed tantùm impetrare, neque igitur poteſt aliam virtutem ſacrificio impertiri, quàm impetratoriam, quæ ſanè ratio differentiam confirmat inter ſacrificium Crucis, & ſacrificium Miſſæ, quatenùs vtrumque à Chriſto eſt oblatum. Sacrificium enim Crucis fuit meritorium, ſatisfactorium, & impetratorium, Chriſtus enim tunc mortalis, & mereri, & ſatisfacere poterat. At ſacrificium Miſſæ eſt tantum impetratorium, quia Chriſtus nunc immortalis, nec mereri, nec ſatisfacere poteſt. Neq; videatur contradictio, quod nunc dica-

mus

mus merè impetratorium, quod iam diximus propitiatorium. Nam hoc ipſum, qud ſit propitiatorium non aliunde habet niſi ex hoc, quod ſit impetratorium. Propitiatorium enim eſt, quia impetrat remiſſionem culpæ, qua ratione dixeris, & ſatisfactorium, quia impetrat remiſſionem pœnæ, nec minùs dixeris meritorium, quia impetrat gratiam, & auxilium benefaciendi, & merita acquirendi; quamuis poſſit inſuper dici ſatisfactorium, quia ex Chriſti inſtitutione per ipſum applicatur Chriſti paſſio ad pœnas tollendas cum viuentium, tum mortuorum, quæ poſt remiſſionem culpæ remanent luendæ & in hac vita, & poſt mortem in Purgatorio.

5 Inde ergo virtutem agnoſcimus in Miſſæ ſacrificio ſibi propriam, quam iuxta Theologorum ſenſum dicere poſſumus ex opere operato, at longè diuerſam, atque minorem illa, quam ex opere operato habent Sacramenta nouæ legis, quæ vi ſua immediatè hominem iuſtificant, & tanquam Dei ad hoc inſtituta inſtrumenta iuſtificationis opus operantur. Non ſic Miſſæ ſacrificium, cuius operandi modum expreſſit aptiſſimè *Concil. Trid.* in ea verba de ſacrificio Miſſæ loquens. *Huius quippe oblatione placatus Dominus gratiam, & donum pœnitentiæ concedens crimina, & peccata etiam ingentia dimittit*; qui modus operandi eſt omninò alius ab eo, quo baptiſmus, & pœnitentia remiſſionem peccatorum operantur, quam ſanè doctrinam longè anteà ſcholaſtico ſtylo expreſſerat *D. Thom.* ſic ſcribens. *Et ideò ſi eos diſpoſitos inueniat eis gratiam obtinet virtute illius veri ſacrificij, à quo omnis gratia in nos influxit & per conſequens peccata mortalia in eis delet, non ſicut cauſa proxima, ſed in quantum gratiam contritionis eis impetrat.* Meritò quidem; non enim maiorem vim tribuere debemus ſacrificio Miſſæ, quàm ſacrificio Crucis, cum ab hoc totam vim ſuam, & efficaciam habeat. Sacrificium autem Crucis non efficienter, aut immediatè iuſtificauit, ſed meritoriè tantùm, & impetratoriè, aliàs enim homines omnes fuiſſent iuſtificati cum pro omnibus fuerit oblatum, non ergò directè, & immediatè poterit hanc eandem iuſtificationem ſacrificium Miſſæ operari; ſed placando Deum, & impetrando, ſicut placando, & impetrando per ſacrificium peccatores iuſtificauit; idque indita, & propria virtute, quam ex opere operato appellamus, & iis verbis indicauit eadem *Tridentina Synodus*. *Et hæc quidem illa munda oblatio eſt, qua nulla indignitate, aut malitia offerentium inquinari poteſt*; quæ verba de actione offerentis intelligi non poſſunt, quam pollui malitia operantis non ambigimus, ſed vtique de indita illa virtute, quæ eſt ex inſtitutione Chriſti, & (vt dicebamus) ex opere operato, & quæ effectum aliquem certò, & certa lege, licèt non omnes effectus infallibiliter operetur. Non tamen per hoc excluditur, quòminùs Miſſæ ſacrificium vim aliquam habeat ex opere operantis; offertur enim à Chriſto, indeque vim conſequitur ab operante ineffabiliter; placet enim oblatio ex bonitate offerentis Chriſti, quæ ſemper eſt eadem, nec augeri, minuiue poteſt; tuncq; vbi offertur à Sacerdote vim habet ex opere operato, placet enim Deo etiamſi homo, qui offert, Deo non placeat, & ideò in ſacrificio licèt non ſit neceſſaria bonitas miniſtri, eſt tamen neceſſaria bonitas alicuius offerentis, cum enim ſacrificium per modum impetrationis, & orationis operetur, non poteſt placere, aut impetrare niſi offerens placeat. Neque ſat eſt, quod res, quæ in Miſſa offer-

*Seſſ. 22. c. 2.*

*In 4. ſent diſt. 12. quæſ. 2. art. 2. ad 4.*

*Seſſ. 22. c. 1.*

offertur ſit Deo gratiſſima, quia non res oblata, ſed oblatio eſt propriè ſacrificium, cum ſacrificium non ſit res permanens, ſed tranſiens, quæ in actione conſiſtit.

6 Hinc grauiſſima emergit difficultas, quam perobſcuram apellauit *Melchior Cano*, de valore ſcilicèt huius ſacrificij, an ſit infinitus, an verò finitus, hinc inde namque vrgent rationes, ſtantque grauiſſimi Auctores. Finitum, qui aſſerunt; conſiderant, quod quantitas valoris ſacrificij à duplici reſpectu deſumitur, rei ſcilicèt oblatæ, & perſonæ offerentis, & ideò cruentum Crucis ſacrificium valoris fuit infiniti non ſolùm ratione rei oblatæ, ſed etiam perſonæ offerentis, quæ Deus erat, & infinitè grata. In Miſſa purus homo eſt, qui offert, nec virtus illi collata eſt eadem; immò ſacrificium ipſum Crucis fuit quidem virtutis infinitæ quòad ſufficientiam, non itèm quòad efficaciam, pro omnibus enim oblatum, omnes ſaluaſſet, ſi fuiſſet efficax in infinitum, at verò applicatur finito modo per Sacramenta, quæ ſunt cauſæ particulares, & finitæ, indeque efficacia ſacrificij cruenti; cum ſit ergo, quod Euchariſtia, vt ſacrificium eſt, ſit cauſa particularis applicans vniuerſale Crucis ſacrificium, iam applicat finito modo, eiuſque valor non poteſt eſſe niſi finitus. Qua ratione ductus eſt *Melchior Cano*, vt aſſerat Miſſæ valorem eſſe infinitum, quòad ſufficientiam, ac finitum, quòad efficaciam, cum effectum finitum ſemper operetur.

*Lib. 12. de locis c. 13. §. decimum.*

*Durand. in 4. diſt. 45. q. 3. Soto de iuſt. lib. 9. q. 2. art. 1. concl. 2. Gerſ. Alphab. 3. lit. C. Pelbartus lib. 2 de Miſſa c. 4.*

*De locis lib. 12. c. 13. §. decimum vero.*

At vndenam hæc infinitas Miſſæ ſacrificio, variatum inter Theologos: Tribuunt aliqui rei oblatæ, offertur enim Chriſtus, qui eſt infinitè gratus; vltra rem oblatam offerentem etiam alii conſiderant, qui idem Chriſtus cum Sacerdote offerens, à quo, & non à Sacerdote valori Miſſæ obueniat infinitas, & non ſolùm quia offerat Chriſtus, ſed & quia mereatur adhuc nobis ſpiritualia bona, abſque eo quod alijs à ſe contractis meritis derogetur; quod tamen negant alij, acceptam ferentes infinitatem ſacrificij rei oblatæ, & Chriſto infinitè digno non in genere meriti, ſed virtute impetrandi, cum idem offeratur, & offerat proximè cum Sacerdote, & quia viator non eſt, ſed compræhenſor non adeſt merendi facultas, ſed impetrandi vtique, & hæc ipſa infinita. Rectè quidem, ſed meliùs; agnoſcimus vtique cum *Vaſquez* in Miſſæ ſacrificio valorem infinitum ex opere operato, ac vi quadam ipſi indita ad omnes effectus, de quibus infra, at infinitatem mutuatam non à dignitate rei oblatæ, non à proximo offerente, ſed à Chriſti inſtitutione largitam. At verò non ab opere operantis aliqua obuenit ſacrificio Miſſę infinitas, ea enim non aliunde accederet, quàm à Sacerdote, qui proximus offerens, is autem nullam infinitatem poteſt impertiri; tota igitur infinitas ab opere operato eſt, hancque ratione gemina demonſtrat *Cano*. Prima, quia ſi non infinitus, ſed finitus eſſet Miſſæ valor, quò plures, aut celebrarent, aut ad ipſum laici accederent, eò minorem fructum quiſque perciperet. Vnde cum plures Sacerdotes cum Epiſcopo celebrant, quò plures eſſent, eò minorem fructum conſequerentur, quod tamen falſum, & abſurdum cenſuit *Cano*, qui in eo caſu tantùm percipere omnes, quantum ſi eſſet vnus concelebrans aſſeruit, quod ſanè valorem infinitum, & non finitum arguit. Secunda ratio, quia virtus huius ſacrificij ea eſt, vt quò maior fuerit diſpoſitio ex parte offerentis, aut ex parte eius, pro quo offertur, maior etiam ſit fructus, aut effectus; quod ſanè non poſſet eſſe, ſi virtus eius eſſet finita. Et ſi inſtes. Si virtus ſacrificii eſt infinita, cur nunquam

*In 3. par. diſp. 130. c. 3. n. 9.*

*Vbi ſup.*

producit

producit effectum infinitum? Reſpondebimus non id eſſe neceſſarium; nam & ſacrificium cruentum fuit infinitum in genere meriti, & tamen in nobis nullum effectum infinitum operatur, vt ergo dici poſſit infinita virtus, ſat eſt ſi nullum habeat determinatum effectum ſiue quoàd intenſionem, ſiue quoàd extenſionem, qualem neceſſariò haberet, ſi eſſet finita. Meritò igitur infinitatem, quam habet Miſſæ ſacrificium quoàd valorem tribuimus Chriſti inſtitutioni, qui vim tantam indidit. Non item rei oblatæ, quæ quamuis ſit infinitè grata, attamen quia in Miſſa offertur à perſona finita, actio huiuſmodi, in qua conſiſtit ſacrificium, non poteſt eſſe infinita, aliàs enim ſacrificium Miſſæ ex opere operantis eſſet infiniti valoris, quod dixerit nemo, & ideò ſacrificium Crucis fuit valoris infiniti cum ex opere operato, tum ex opere operantis, quia immediatus offerens Chriſtus erat infinito modo gratus, & acceptus, qua ſanè doctrina ſaluatur excellentia ſacrificii Miſſæ, & detegitur ratio, cur Eccleſia pro eadem re plura ſacrificia offerat, cum enim virtus à proximo offerente, qui eſt Sacerdos ſit finita, & finita eius applicatio, hinc eſt, quod multiplicari poſſunt vtiliter ad idem intentum ſacrificia, qua ratione inductus eſt *Bellarminus*, vt aſſereret, virtutem, & valorem ſacrificii Miſſæ eſſe finitum, cum tamen reſpectu diuerſo, & infinitas, & finitas æquè verè poſſit competere. Voluit enim Chriſtus, vt virtus paſſionis ſuæ, quæ eſt infinita, non infinito modo, ſed qualibet applicatione certa menſura quoàd fructum communicaretur, tum, vt hoc ſacrificium impenſiùs frequentaretur ad religionis conſeruationem, tum, vt pretium infinitum ſingulis pro meritorum qualitate aptaretur, ac diſtribueretur.

*Lib. 1. de Miſſ. c. 4.*

7 Hincque à virtute huius ſacrificii ad eius effectus facile eſt inferre. Offertur enim pro omnibus fidelibus, qui ſint membra Eccleſiæ, nec ab ea per excommunicationem reciſi; *c. à nobis el. 2. de ſent. excommun.* ſic enim *Concilium Cabilonenſe in C. viſum de confeſ. diſt.* 1. & apertiſſimè *Trid.* Offertur & pro defunctis, at non pro iis, quos ſcimus, aut certo credimus eſſe damnatos, *c. pro obeuntibus* 13. *q.* 2. nulla enim ſpes eorum redemptionis eſt; ſicut nec pro iis, qui iam regnant in Cœlis cum Chriſto, nec vllo habent opus ſuffragio, quo iuuentur, ipſis multò minùs poteſt offerri hoc ſacrificium, quod cum ſit actus latriæ competit ſoli Deo, non creaturæ, & in hoc ingenti fraude agunt Nouatores Catholicis id imputantes. In martyrum, & Sanctorum honorem offertur ſacrificium, quod tamen variè accipiunt, & explicant auctores; *Lindanus* pro martyribus offerri aſſeruit, quia in gratiarum actionem pro ipſorum martyrio, & pro collata ipſis gloria Deo immolatur. Hunc ſenſum excluſit *Pamelius*, qui expoſuit, quod dicatur in martyrum honorem offerri ſacrificium, quia pro commemoratione martyrum offeratur; rationabilis vtraque expoſitio. At hoc certum inuocari, & commemorari martyres, & Sanctos in ſacrificio, non quod ipſis offeratur, aut quod ab eo iuuamen aliquod ipſis obueniat, aut adeptæ à principio gloriæ aliquid accreſcat, quamuis in hominum exiſtimatione gloria ipſis augeatur, ſed in ipſorum honorem, & gloriam dicitur offerri ſacrificium, quia in ipſo commemorantur, & pro eorum victoria Deo offertur; ſic enim *Concilium Trid.* ex *Diu. Auguſtino*. *Et quamuis* (inquit *Concil.*) *in honorem, & memoriam Sanctorum nonnullas interdum Miſſas Eccleſia celebrare conſueuerit, non tamen illis ſacrificium offerri docet, ſed Deo*

*Seſſ. 22. cap. 2. & can. 3.*

*Panopl. Euãg. cap. 53. & 55. ad Cyprian. lib. 4. ep. 5. ad verba ſacrificia pro eis ſemper offerimus.*

*Seſſ. 22. de ſacrif. Miſſ. c. 3. De Ciuit. lib. 8. cap. 27.*

*Deo ſoli, qui illos coronauit. Vnde nec Sacerdos dicere ſolet: offero tibi ſacrificium Petre, vel Paule. ſed Deo de illorum victorijs gratias agens, eorum patrocinia implorat, vt illi pro nobis intercedere dignentur in Cœlis, quorum memoriam agimus in terris.*

At & pro defunctis in Purgatorio exiſtentibus offerri ſacrificium Miſſæ docet Sancta Eccleſia, & ipſa à Spiritu Sancto, & Apoſtolis edocta; iuuarique eorum animas Eccleſiæ ipſius, & piorum ſuffragijs, quorum omnium efficaciſſimum Miſſæ ſacrificium. Acerrimè inuehuntur in hanc Eccleſiæ obſeruationem hæretici, nullo magis innixi fundamento, quàm quod Chriſtus inſtituens Euchariſtiæ Sacramentum dixerit. *Accipite, & manducate*; quod neutrum præſtare poſſunt defuncti, nec eò detorquendum aſſerunt Euchariſtiæ vſum, cum nec ea ſit tanti Sacramenti intentio; quidquid latrent, iuuari defunctorum animas in Purgatorio exiſtentes Eccleſiæ ſuffragijs latè probat *Bellarmin.* ſed ea præſertim ratione à Petro Cluniacenſi mutuata; Eccleſia enim eſt corpus myſticum, ipſumque vnum, cuius caput eſt Chriſtus. Inter corporis membra, mediante influxu à capite debet eſſe conſenſus, quem ſuppoſuit, & expoſuit egregiè *D. Paulus*. *Et ſi quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra ſiue glorіatur vnum membrum, compatiuntur omnia membra. Vos autem eſtis corpus Chriſti, & membra de membro.* At verò iuſti defuncti ſunt adhuc membra huius corporis iuncti adhuc Deo, & Eccleſiæ per Fidem, Spem, & Charitatem, aſſerente *Auguſtino*. *Neq; enim piorum animæ mortuorum ab Eccleſia ſeparantur, quæ eſt regnum Chriſti*; igitur inter hæc membra debet eſſe conſenſus, nectente præſertim charitate, & per communicata ſuffragia, ac

*Tom. 1. cõtrou. lib. 2. de Purgat. cap. 15. Ep. contra Petrobruss.*

*1. ad Corinth. c. 12. 27.*

*Lib. 20. de Ciuit. c. 9.*

præſertim per incruentum Miſſæ ſacrificium, quod vt virtutem ſuam pro fidelibus viuis impendit, eandem & pro pijs defunctis exercere, non poteſt rationabiliter negari. Vetuſtiſſimam hanc Eccleſiæ obſeruationem, & ab Apoſtolis deriuatam teſtatur *Chryſoſtom.* de ſuffragijs defunctorum perorans. *Non temerè ab Apoſtolis hæc ſancita fuerunt, vt in tremendis myſterijs defunctorum agatur commemoratio; ſciunt enim illis inde multum contingere lucrum, vtilitatem multam, cum enim totus conſtiterit populus, extenſis manibus Sacerdotalis plenitudo, & tremendum proponatur; quomodo Deum non exorabimus pro his deprecantes?* & *Auguſtinus* poſt deſcripta mox ſupra verba. *Alioqui nec ad Altare Dei fieret eorum memoria in communicatione corporis Chriſti*; & alibi demùm. *Orationibus Sanctæ Eccleſiæ, & ſacrificio ſalutari, & eleæmoſynis, non eſt dubium mortuos adiuuari*; ſint omnium inſtar geminæ hæ tantorum Patrum auctoritates.

*Homil. 69 ad Pop. Antioch. poſt principium.*

*Serm. 32. de verb. Apoſt.*

Quamuis autem auguſtum hoc ſacrificium iterabile ſit vſque ad ſæculi conſummationem, & eodem die frequentetur ſæpius, non tamen ijdem Sacerdoti eodem die iterare fas eſt, non quidem præcepto aliquo naturali, aut Diuino vetante, de quo nullum ex ſcriptura, aut traditione monumentum, ſed Eccleſiaſtico, & poſitiuo, quod deſumitur ex *Can. ſufficit de conſec. diſt.* 1. qui canon fragmentum eſt *epiſt. Alexand. II.* Summi Pontificis. Ante enim fas erat pluriès in die celebrare, idque factum à Leone III. Summo Pontifice, & à Gregorio in tribulationum ſolatium teſtatur *Baron.* innixus Vvecalfridi Strabonis auctoritate, ex cuius verbis, quid indifferens videtur pluriès in die Miſſam agere, cum & ipſe Alexander Secundus in eodem, quo ſupra, Canone

*Tom. 9. Annal. anno 816.*

Digitized by Google

none geminam eodem die celebrationem permiſerit. Præceptum ſtrinxere magis præcisè Pontifices Summi *Innocent. III. in cap. conſuluiſti & Honor. III. in c. te referente de celebrat. Miſſ.* Primis Eccleſiæ temporibus vix erat, vt idem Sacerdos bis Miſſam celebraret, cum in vna Eccleſia vnica tantùm Miſſa celebraretur, quod Græci maximè obſeruarunt. Aucto in dies fidelium numero Miſſæ multiplicari cœperunt, quæ ideò peculiares, ſeu priuatæ appellatæ ſunt; *Can. et hoc de conſec. diſt. 1. c. quidam de celebrat. Miſſar.* Miſſæque iterationem eodem die ob populi frequentiam ſanxit S. Leo
*Epiſt. 81. cap.* Magnus ad Dioſcorum ſcribens. Miſſam priuatam in alium ſenſum accipiunt, & abominantur hæretici, contra quos egregiè pro ea ex Catholico vſu
*Lib. 1. de Miſſ. c. 9.* pugnat *Bellarm.* Nec expectet lector, vt hìc diſſeramus de ritu Azymi, aut fermentati in Miſſæ ſacrificio; quid ſeruet Eccleſia Latina, quid Orientalis, ſeu Græca iam notum eſt, & quid ſeruatum ab initiò Eccleſiæ, & per ſubſequentia ſæcula nouiſſimè, & dum hæc iam exarata percurrimus prodiere ſcripta ab Eminentiſſimo Card. Bona, qui pro ſumma eruditione ſua quid ſentiat, in opere de ritibus Liturgicis videre eſt; quid è contra probet *Reu. P. Franciſcus Macedo à S. Auguſtino in diſquiſitione ſua Theologica de ritu azymi, & fermentati*, intueri lector facilè valet, ac fundatè edoceri, ſicut & de tempore, ritu, cæremonijs, indumentis, cæteriſque ad Miſſæ celebrationem ſpectantibus, plura quidem poſſent ex Eccleſiaſticæ eruditionis penu ſuppetere. At quia proſtat opus ſupradictum de rebus Liturgicis, in quo de ijs omnibus tractatur vberrimè, ſuſpendere ſtylum, quaſi territi, compellimur, ad fontem illum lectorem horum auidum remittentes. Iam ergo tranſeamus ad Monachos, quorum conſideratio non modicam Sacræ Iuriſprudentiæ partem noſtro præſertim æuo expoſcit.

# TRACTATVS IX.

## De Monachis, Monialibus, Regularium origine, ſtatu, votis, & eorum Prælatis.

### CAP. I.

1 *Introductio, & partitio materiæ.*
2 *Inquiritur Monachorum origo, & progreſſus ſucceſſiuè indicatur.*
3 *Quod ſit legitima, & publica eorum inſtitutio.*
4 *Monachi medium quid inter Clericos, & Laicos in Eccleſia.*
5 *Subtexitur Monialium origo.*
6 *Inde & religionum (vt nunc vocamus) indicantur primordia, vnde & regularium generale nomen.*

1 Monachi, ſiue quà benedictionem peculiarem conſequuntur, ſiue quà per ſacram ordinationem ad Clericalem ſtatum ſunt aſſumpti, ſiue demùm quà ſtatum proprium in Eccleſia conſtituunt ſingularem etiam conſiderationem in Sacra Iuriſprudentia exigunt; ideò appoſitè poſt Clericorum, & Clericalis ordinis tractationem de Monachis ipſis, & Regularibus, ſecundùm

cum

eum ſtatum, & gradum; quem probitatis, & doctrinæ merito in Eccleſia ſibi compararunt, agendum aſſumimus, hęc de ipſis pro inſtituti noſtri ratione tractaturi. Originem altiùs repetitam ſcrutabimur, progreſſum, & propagationem indicabimus, ſtatum eorundem, & vota examinabimus. Prælatorum, qui ijs præſunt auctoritatem, & reſpectum, quem ad Eccleſiæ ordinarios pręſules habeant expendemus, qua occaſione, & de ipſorum priuilegijs opportunè diſſeremus. Omnia ad theoriam, praxim, & practicabilia circa regulares dimittentes ijs, qui ampliſſimè hæc, & ſimilia pertractarunt. Vt igitur ab origine exordiamur,

2 Qualis eſſet nedum Apoſtolorum, ſed & omnium fidelium vita in erumpentis Eccleſiæ primordio graphicè deſcripſit, ac ſpectandam exhibuit *S. Lucas* in ijs, quæ conſcripſit, Apoſtolorum actis. *Cap. 4. 32.* *Multitudinis autem credentium erat cor vnum, & anima vna, nec quiſquam eorum, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia.* Feruebat tunc maximè charitas, & aurea ipſiùs Eccleſiæ tunc à Chriſto recentis hæc ætas dici poterat, qua innocentia, virtutumque omnium cultus maximè florebat, fidelium quiſquam nihil proprium habebat, ſed quilibet immobile habens vendebat, pretiumque deferebat ad pedes Apoſtolorum, & ex eo Apoſtoli ipſi, ac totus fidelium cœtus alebatur, & ſua cuique neceſſaria commodè ſuppetebant. Vnde *D. Lucas*. *Vbi ſupra.* *Nec enim quiſquam egens erat inter illos; quotquot enim poſſeſſores agrorum, aut domorum erant, vendentes offerebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apoſtolorum. Diuidebatur autem ſingulis prout cuique opus erat.* Propagata fide, & ampliata Eccleſia cœpit apparere incommoda communis hæc omnium fidelium vita, non enim ſingulis neceſſaria omnia poterant ſuppeditari, ideò cœptum laicis permitti bona propria retinere, & ex ijs ſeparatim ſe alere, vita communi penès Clericos tantùm remanente tanquam perfectiori. Cum igitur ſic facta laicorum à Clericis ſeparatione diſciplinæ vigor langueſceret in laicis, & à perfectionis norma iam ipſi deflecterent, inſpirante Numine, ac maiora in dies pro Eccleſia ſua moliente, cœperunt fidelium aliqui à turba reliquorum ſecedere, ac vitam iuxta Apoſtolorum inſtitutum aſſumere, cœleſtibus meditationibus in ſyluis, abditioribuſq; locis aſſueſcere; qui ſubinde ab eo, quod à coniugijs abſtinerent, & à parentum ſe conſortio, mundique iſtius conuerſatione ſecernerent, Monachi, ſiue Monazontes ſingularis, ac ſolitariæ vitæ diſtrictiſſimè nominati ſunt, inquit *Caſſian.* *Collat. 18 cap. 5.* Nec ſine exemplo ab ipſis id factum, vt enim mittamus Eliam, & Eliſæum, qui licèt ad Synagogam pertinuerint perfectioris vitæ, & à conſortio hominum ſeiunctæ ſpecimen præbuere, certè Ioannes Baptiſta præiuit, ac vitæ Monaſticæ fundamenta iecit, vt inquit *Baron.* Vnde *Chryſoſtom.* Monachorum principem eum appellauit. *Tom. 1. Annal. Ann. 64. Homil. 1. in Marc. verſ. fin.* *Sicut Sacerdotum Principes ſunt Sacerdotes Apoſtoli, ſic Monachorum Princeps Ioannes Baptiſta eſt.* Ait, & confirmat alibi. *Homil. de S. Io: Baptiſt. in pr.* *Conſiderate, Monachi, dignitatem veſtram; Ioannes Princeps veſtri eſt dogmatis, ipſe Monachus, ſtatim vt natus eſt, in Eremo viuit, in Eremo nutritur, Chriſtum expectat in ſolitudine.* Hoc ipſo Principis Monachorum titulo eum donauit etiam *Hieronym.* *Ep. 22. ad Euſtoch.* Hunc igitur ſecuti Principem, qui inſtitutionis Apoſtolicæ impreſſa premebant veſtigia, ſecretiora loca petentes, vel in ſuburbijs, ſed ſolitarij commorantes, ad perfectionem per

con-

congrua media, & adſpirabant, & tendebant, & quidquid ab Apoſtolis per vniuerſum corpus Eccleſiæ meminerant inſtitutum priuatim, & peculiariter exercere cœperunt. Non tamen ita ſolitarij, vt conſortium inuicem non haberent, ſed ſimul conuiuentes communi etiam vterentur conſortio ſub vno ſeniore, ac proinde (vt inquit *Caſſian.*) à communione conſortij cœnobitæ ſunt appellati, cellæque, ac diuerſoria eorum cœnobia dicta; fuit hoc antiquiſſimum, & omnium primum gratia, & tempore Monachorum genus, quod inuiolabile, & immutabile permanſit ad finem vſque tertij ſæculi; tunc enim ab hoc hominum perfectorum numero tanquam à fœcundiſſima radice aliud ſeuerioris vitæ genus germinauit, cuius extitere Principes Paulus, vel Antonius (ſic enim alternatiuè loquitur *Caſſian.*) qui non puſilanimitatis cauſa, aut impatientiæ morbo, ſed aſtro ſublimioris vitæ, ac Diuinæ contemplationis ſolitudinis ſecreta petierunt, Eremique cultum ſibi delegerunt, Anachoretæ dicti quaſi ſucceſſores, & exactiſſimi Io: Baptiſtæ imitatores, qui tota ætate ſua in Eremo permanſit. His adiecit idem *Caſſianus*, & tertium Monachorum genus, quos à corruptione Monaſticæ diſciplinæ profectos tanquam degeneres filios, Aegiptio nomine *Sarabaitas* appellat, eoſq; ibidem deſcribit fuſiùs, nec nos circa eos immorandum impenſiùs cenſemus.

*Collat. 18.c.5.* — *Vbi sup. c. 6.* — *Cap. 7.*

3 Quæ ſanè ſic retecta hiſtoricè Monachorum origo ab Apoſtolorum inſtituto apertè refellit eorum opinionem, qui Monachiſmum priuata, & ſingulari ſecedentium voluntate fuiſſe inſtitutum autumant, ſine vlla Eccleſiæ auctoritate propter priuatum, & ſingulare cuiuſq; bonum, nullamque ipſius Eccleſiæ vtilitatem niſi indirectam, quatenùs ſcilicet ſingularium fidelium virtutes in ipſius ornamentum redundant; eſto ſiquidem, quod Monachorum vitæ ratio vnum tantummodo propoſitum habeat, animæ ſcilicèt ipſius Monachi ſalutem cum *Baſilio*; quod ad pœnitentiam peragendam pro delictis iam perpetratis, & ad fugienda perpetranda tàm propria, quàm aliena Monachi auſterum vitæ genus aſſumant cum *Gregorio* quod Monachus non habeat docentis, ſed plangentis officium, quippe *cui oppidum carcer, eſſe debet, & ſolitudo Paradiſus* cum *Bernardo* quæ omnia priuatum, & proprium bonum teſtantur non quidpiam in Eccleſia commune; non tamen ſine auctoritate legitima inſtitutum Monachiſmum ideò fas eſt aſſerere; nam fatemur quidem non præcepiſſe Chriſtum, non Apoſtolos, non Eccleſiam, vt quis Monaſticam vitam aſſumeret, ſed conſilia ad perfectionem apta propoſuit, quibus ſtatum à Clero, & Laicis diuerſum induceret, quem arripientes tutiùs perfectionem aſſequerentur. Propoſitum à Chriſto per conſilia inſtitutum obſeruarunt Apoſtoli, & ab ipſis edocta amplexata eſt Eccleſia, ſtatumque Monaſticæ vitæ in ſinum ſuum lubens excepit, ac ſemper retinuit *Magiſter bonus* (inquit *Auguſtin.*) *mandata legis ab iſta excellentiore perfectione diſtinxit*; & *Chryſoſtom.* Monachiſmum Chriſti Philoſophiam appellauit; deſcripta enim Monaſtica vita per partes ſingulas, commemorata virtute, ac nauiter in tumultu præſtita à Monachis opera, in Epiphonema conſurgit; *tanti eſt* (inquit) *Philoſophia à Chriſto in genus humanum introducta*; cui impenſiſſimè ſtuduerunt, & incubuerunt Apoſtoli, ac ipſorum exemplo ſemper frequentauit Eccleſia. Abſit ergo, vt Monaſticam vitam priuato tantùm hominum ſtudio, ac priuata pietate abſque vlla publica inſtitutione credamus in Eccleſiam inuectam.

*De instit. Monach.* — *Lib. 1. ep. 63. Indic. 11.* — *Ep. 323.* — *Ep. 89. ad Hil.* — *Vbi sup.*

4 Confutant ſecundò reddita iam Monachiſmi primordia aſſertionem illam, quæ Monachos merè, & purè laicos autumat pœnitentes tamen, & arctiorem vitam ſub regula in communitate ducentes, & à Clericis, & Clero omninò ſeparatos; Monachi enim medium quendam, & ſtatum, & gradum conſtituunt inter laicos, & Clericos; vnde ſi non dicere queas Clericos, nec laicos abſolutè cum veritate enuncies. A laicis enim eos omninò diſtinxit *Dionyſius Areopagita*. *Summis verò* (ait) *eorum omnium, qui perficiuntur eſt ordo ſacer Monachorum, cum & omni piaculo, & tota vi, omnique actionum ſuarum ſanctimonia ſit expiatus, & omnis myſterij, quod quidem ei fas ſit aſpicere, ſpectator, particepſque ſit factus*. Sacrum non appellaret niſi à laicis omninò Monachiſmum diſtingueret; nec ſatis appellaſſe ſacrum, ſed & addidit peculiarem Monachalis conſecrationis ritum, qui à laicorum ordine Monachum eximit, & in gradum ſublimiorem transfert; Eccleſiaſticum ordinem non adeò arctandum aduertimus, vt ſolos ſacris ordinibus initiatos contineat, ſed ampliorem eius ambitum agnoſcimus, qui ſacras quaſcumq; perſonas contineat, qualem teſtatur Monaſticam vitam *Iuſtinianus* ſic præfatus. *Solitaria vita, atque in ea contemplatio res planè ſacra eſt, & quæ ſuapte natura animas ad Deum adducat, neque ijs tantùm, qui eam incolunt, commodet, ſed etiam omnibus alijs puritate ſua, & apud Deum interpellatione competentem de ſe vtilitatem præbeat*.

*De Eccleſiaſt. Hier. c. 6. §. 3.*

*Nouell. 133. c. 1.*

5 Quod de Monachis hactenus dictum non eſt de viris tantùm ità accipiendum, quin idem circa mulieres, & præſertim virgines credamus obſeruatum; ſeceſſiſſe namque & mulieres Dei cultum propè templum exercentes in veteri lege tradit, & exemplis confirmat *Baron.* & ipſo Apoſtolorum æuo virgines Deo dicatas, ſacroque velamine donatas teſtatur ex *Tertulliani* auctoritate. *Hodie denique Virgines ſuas Corinthij velant: quid docuerint Apoſtoli, qui didicerunt, approbant*, ait *Tertullian.* Nec intra Corinthiorum fines hæc obſeruatio ſe continuit, ſed vltra per vniuerſam Græciam, & Barbaricas etiam regiones fuit fœliciter propagata; ſic enim idem *Tertullian.* *Conſuetudini etiam conſuetudinem opponam per Græciam, & quaſdam Barbaricas eius plures Eccleſiæ virgines ſuas abſcondunt; eſt & ſub hoc cœlo inſtitutum iſtud alicubi, ne qui gentilitati Græcanicæ, aut Barbaricæ conſuetudinem illam adſcribat, ſed eas ego Eccleſias propoſui, quas & ipſi Apoſtoli, vel Apoſtolici viri condiderunt, & puto ante quoſdam. Habent igitur & illæ eandem conſuetudinis auctoritatem, tempora, & anteceſſores opponunt magis, quàm poſteræ iſtæ*. Hactenus ibi *Tertullianus*, & paſſim conſimilia toto eo libro. Ex quibus colligit demùm *Baron.* *Statim igitur, vt Eccleſia fertiliſſimus ager ſanctum virginitatis, & continentiæ ſemen excepit Apoſtolis ſeminantibus; mox ampliſſimo fœnore multiplicata ſemina reddidit, nam ſtatim in Eccleſia ſanctarum virginum, ac viduarum collegia, quæ nos monaſteria dicimus, eſſe cœperunt*; idque confirmat adiectis Ignatij Martyris teſtimonijs virginum, & viduarum collegia ſalutantis; quæ quidem omnia, ſicut & alia plura, quæ conſultò omittimus, ſtatum arguunt in Eccleſia à laicis omninò diuerſum.

*In apparatu ad Annal.*

*De virgin. vel. c. 9.*

*Ibid. c.*

*Ep. 8. & 10.*

6 Quia verò tota perfectio Chriſtiana à charitate eſt, per quam homo Deo coniungitur, ideò vt charitas ipſa varios gradus admittit, ac in ſe continet, ſic & varij ad perfectionem gradus, ſiue modi

ſeſe

ſeſe exhibuere,quos ſectantes perfectionem ipſam homines conſequerentur; non vno enim modo,ſed triplici Deum diligere poſſumus; primò per contemplationem, diligendo Deum ipſum in ſe, ipſique conſtanter inhærendo; ſecundo per actionem ſeruiendo Deo mediatè, in membris ſcilicet eius, vt alendo pauperes, ſuſcipiendo peregrinos. Tertiò vtrumque in Dei obſequium præſtando contemplationem ſcilicet cum actione coniungendo, idq; fęliciter præſtant, qui concionando, & Sacramenta miniſtrando proximum iuuant, quos gradus agnouit, & diſtinxit *Abas Neſteros* apud *Caſſianum*, exempla, & praxim vel ab ipſa naturæ lege in Abraham, & Lot, & ſucceſſiuè in Helia, & Heliſeo ſuggerens; indeq; poſt Monaſticem manauit religionum (quas vocamus) in Eccleſia origo, per quas tanquam per congrua media, variaſque vias ad perfectionem tendere vnicuique liceret, & quæ demùm multiplicatæ ſunt, provt Dei ſpiritus, qui vbi vult ſpirat, homines excitauit, qui contemplationem, & actionem variè temperantes ad eandem ſemper charitatis perfectionem adſpirarent. Libertatem ſpiritus libertas etiam inſtituendi religiones conſequebatur, donec euentus edocuit compeſcendam hanc eandem libertatem,nec cuilibet relinquendum,vt pro ſui voto religiones,& noua inſtituta religioſæ vitæ excitaret; ſpiritui enim non eſt fidendum. *Nolite omni ſpiritui credere.ſed probate ſpiritus,ſi ex Deo ſint*. Anno circiter 1170. prodijt religioſorum ordo, qui dicti pauperes de Lugduno, quorum inſtitutum pluribus ſuperſtitionibus, & hæreſibus fœdatum, à Lucio III. & Alexandro III. Summis Pontificibus fuit damnatum, & quamuis ſub Innocentio III tentaſſent, vt reconciliarentur,& ipſorum ordo confirmaretur,impetrare tamen nunquam potuerunt, & ideò Sanctiſſimi Viri ſubinde Dominicus, & Franciſcus nouos Religioſorum ordines inſtituere volentes, proprio ſpiritui non crediderunt, ſed confirmationem inſtituti ſui à Summo Pontifice tanquam Dei in terris Vicario,& totius Eccleſiæ capite, & petierunt, & impetrarunt. Vnde Innocentius III. in Generali Concilio Lateranenſi ſanctiſſimè ſtatuit Vvaldenſium exitu edoctus, ne cui liceret nouum ordinem inſtituere ſine Apoſtolicæ Sedis approbatione. *C. fin. de relig. domib.* idemque diſtrictiùs interdixit Gregorius X. in generali Concilio Lugdunenſi. *C. vn. de relig. domib. in 6*. A regula autem, quæ pro cuiuſque vitæ inſtituto ſeruanda præſcribitur multiplicatis religionum obſeruantijs poſt Monachos denominati ſunt generaliter ſic addicti homines *Regulares*; *Rub.de regularib. & tranſeuntib. ad Relig.* Vbi dum religionem legis, caue, ne virtutem religionis intelligas, ſed religionem pro ſtatu accipias, quo homines ſpecialiter Deo ſe addicunt, ſingularique vitæ inſtituto Deum colunt, ad declinandam Nouatorum æquiuocationem,qui malignè Catholicis imponentes,tot eos religiones habere dictitant, quot ſunt varia, & colore, & forma,hominum profitentium indumenta. A regula igitur, hoc eſt, à vitæ norma, regulares dicti, ſicut Canonici regulares dicti Clerici, qui inſtaurata à D. Auguſtino præſertim, communis vitæ, & Apoſtolicæ diſciplina, ab alijs Clericis ſingularem vitam ducentibus diſtinguuntur.

Collat. 14.c.4.

Ioann. c.4.

## De Monachorum, & Regularium Votis.

### §. I.

1 *Regularis vitæ ſumma proponitur*; *& ex-*

*& explicatur, & indicatur votorum conſtitutio, ac diuiſio.*

2 *Vnde nam, & à quo iure votorum regularium ſolemnitas?*

3 *In quo poſita ſit votorum ſolemnitas, opiniones variæ redduntur.*

4 *Vera opinio traditur, & aſſeritur.*

5 *Quare inducta hæc ſolemnis profeſſio.*

6 *Clericatus an, & quatenùs Monachis poſſit competere, & negantes rationes tanguntur.*

7 *Oſtenditur non pugnare Clericatum cum Monachiſmo, & ſatisfit oppoſitis.*

8 *Quandonam primùm Monachi ad Clericatum admiſſi.*

1 REgularis vitæ eſſentia, totaque ſumma in triplicis voti obſeruantia poſita eſt, cui quidem pro luſere Apoſtoli Canonicæ vitæ caput in tribus ſtatuentes, vt inquit *Petrus Bleſenſis*. *In communi ſcilicet ſubſtantia, in communi obedientia, in communi dilectione ſuperna*, quibus reſpondent communia omnibus regularibus vota tria, Paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ; fatendum quidem eſt in Dei dominio eſſe omnia, & cum omnibus hominem etiam ipſum communi primùm titulo creationis, ſubinde & proprio, ac peculiari redemptionis. At verò non impedit pleniſſimum hoc Dei dominium, quin poſſit homo arctiori aliquo nexu ſe ijdem vincire, non enim vtitur Deus ſummo illo iure, quod ſibi competit, & quo omnia omninò iure ſuo ſibi vindicare poteſt, ſed largita homini libertate, poteſtateque rerum, quæ penès ipſum ſunt relicta, indulget, vt hac ipſa libertate, quæ ſibi conceſſa eſt, abdicata, ſe totum ipſi Deo voluntariè mancipet, quod quidem opus Deo gratiſſimum, & acceptiſſimum eſt.

Quamuis autem voti eſſentia in firmo, ſtabili, ac planè deliberato voluntatis actu conſiſtat, attamen diuiditur in ſimplex, & ſolemne, ſiue priuatum, & publicum.

Votum à propoſito diſtinguimus non ſolùm in eo, quod propoſitum (vt voluit *Ponce*) ſit actus voluntatis, promiſſio verò ſit intellectus, ſed & in eo, quod promiſſio dicat aliquid maioris obligationis erga eum, cui fit. Votum ſimplex eſt, quod quiſque pro piæ voluntatis arbitrio maius aliquod bonum Deo promittit; ſolemne verò, quod in manu legitimi ſuperioris in approbata religione emittit. Vnde factum, vt non defuerit, qui aſſerat, duo hæc vota eſſentialiter coram Deo non differre, adeò, vt ſi quis vitam Monaſticam promittat Deo, eamque de facto arripiat, nulla alia profeſſio ſit neceſſaria, quæ demùm non niſi ad maiorem cautelam & ſecuritatem promiſſionis requiratur. Verùm nimis hoc eſt; ſimplici mentis propoſito, voluntateque, vtcumque deliberata, ac nulla profeſſione adiecta, fieri quem Monachum, immò & profeſſum. Contradicunt apertè nimis ſacrorum Canonum auctoritates, quæ regularem, aut Monachum, quantumuis firmo voluntatis propoſito vitæ inſtitutum arripuerit, intra probationis annum ad profeſſionem vetant admitti. *C. Gonſaldus* 27. *q.* 2. *c. Monaſterijs* 19. *q.* 3. *c. Puella* 20. *q.* 2. & ſi probatione aſſumpta eum pœniteat, tanquam nulla voti lege vinctum, liberè ad ſæculum redire poſſe concedunt. *c. Apoſtolicam c. poſtulaſti. c. ſtatuimus de regularibus*; ſit quidem, quod votum ſimplex, & ſolemne in ratione promiſſionis eſſentialiter non differant, negari tamen non poteſt, quin ſit longè aliud, atque omninò diuerſum ſolemne à ſim-

*De matrim. lib. 12. c. 1. n. 1.*

Digitized by Google

ſimplici, vnde & longe diuerſum, longèque maiorem effectum pariat.

2 Vndenam autem hæc ſolemnitas voto obuenerit, & obueniat inquirunt tum Theologi, tum ſacri iuris interpretes, iure Diuino ineſſe voluere non pauci vetuſtiores Theologi, quibus adnuere videtur & *D.Thom.* At Pontificij iuris interpretes, & recentiores Theologi vnanimes ſuſtinent ſolemnitatem voto acceſſiſſe poſitiua auctoritate, & ſolo Pontificio iure, idque ſentire omninò ſe innuit *Cœleſtin. III. in c.rurſus qui Cler.vel vot.* quatenus enunciat ibi, quòad Deum non minus obligare votum ſimplex, quàm ſolemne, & apertè *Bonifac. VIII. in c. quod votum de voto, & voti redemp. in 6.* dum ait. *Nos igitur attendentes, quod voti ſolemnitas ex ſola conſtitutione Eccleſiæ eſt inuenta.* Quæ verba totidem reaſſumpſit nouiſſimè *Gregor. XIII.* eos carpens, qui contra vota ſimplicia Societatis Ieſu aſſerebant votorum ſolemnitatem eſſe de iure Diuino; ait enim. *Non conſiderantes ſolemnitatem voti ſola Eccleſiæ conſtitutione inuentam eſſe.* Neque tamen inferre inde licet ſtatum religioſum eſſe humani, & Eccleſiaſtici iuris, quem à Chriſto Domino in terris inſtitutum, prædicatum, & erectum in Apoſtolis, qui eum aſſumpſerunt, & per totam vitam ſeruarunt, adeòque Diuini iuris; euincunt Patrum auctoritates *Athanaſij, Baſilij, Euſebij, Cæſarienſ. Chryſoſtom. & Bernardi.* Diſtinguendus ſiquidem eſt ſtatus ipſe religioſus in ſubſtantia ſua à voti ſolemnitate adiecta, quæ poſitiuo, & Eccleſiaſtico iure acceſſit; continet quidem religioſus ſtatus votorum ſubſtantiam, ſed ſolemnitas, rituſque eius explicandæ totus ab Eccleſiaſtico iure eſt.

*2.2.q.88. art. 7.*

*In extrau.g. Bulla Aſcendente Domino. tom. 2. Bullar. noui. §. 18.*

*Ep. 9. ad Amnum Monach. Sermon. aſcetico. epiſt. ad Marinū Hom. 17. ad Popul. epiſt. ad Fratres de monte Dei.*

3 In quo autem hæc ſolemnitas conſiſtat, variæ proſtant auctorum ſententiæ, quas doctrinæ, & curioſitatis ergo lubet breuiter commemorare, & excurrere. *Ferdinand. Rebello* inquirens, quomodo ſolemne votum religionis dirimat matrimonium ſequens, ait, voti ſolemnitatem conſiſtere in irreuocabili acceptatione Eccleſiæ, quæ votum ipſum caſtitatis acceptat, non ſolùm quòad promiſſionem in voto à profitente factam, ſed etiam quòad renunciationem ſpontè factam habilitatis ad dominium tàm directum, quàm vtile, quod in corpus coniugis habere poteſt, & ideò votum ſolemne caſtitatis dirimere matrimonium ſequens non ſolùm iure Diuino, ſed etiam Eccleſiaſtico; verùm hæc opinio facili, eaque vnica ratione refellitur; quia quodlibet votum hoc habet ſibi proprium, vt inducat inhabilitatem ad actum oppoſitum voto, eo enim ipſo, quo quis vouet ſtatim impeditur, quòminus poſſit operari actum contrarium ipſi voto; ergo aut votum quodlibet erit ſolemne, aut in hoc non conſiſtit ſolemnitas voti; & ſi dicatur, quod in alijs votis hoc operetur promiſſio, vt operari actum oppoſitum licitum quidem non ſit, ſed tamen fiat ſi non licitè, ſaltem validè, quo caſu de facto fiat, at in voto ſolemni ità tollatur habilitas, vt non fiat licitè, nec validè; facilè replicabitur, quod nemo poteſt vouere inhabilitatem ſuam, ſed hæc inhabilitas debet ab alio induci, & ab aliena poteſtate oriri, & non à ſe ipſo vnde nec in eo poteſt aſſignari voti ſolemnitas.

*2. p. de obligat. iuſtitiæ. lib. 3. q. 4. sec. 2. & sec. 3. n. 28.*

*Gabriel Vazquez* ad ſententiam ſuam adſtruendam plura præmittit, ſupponit, & probat, vtcumque ad intentum non omnia ſint neceſſaria, primò ſolemnitatem voti ex natura rei, ſiue iure naturali non requiri ad ſtatum religionis; ſecundò, iuriſdictionem, quæ omninò neceſſaria eſt ad ſtatum religioſum, & ſine qua nemo verè poteſt

*In 1.2. tom. 2. diſp. 165. c. 2. & ſeqq.*

teſt eſſe religioſus, cum religioſus debeat eſſe ſuperiori ſubiectus, non eſſe pariter à iure naturali, aut à voluntate religioſi inductam, ſed à iure Eccleſiaſtico,& poſitiuo; facta ſiquidem rerum diuiſione non eſt in alicuius priuati hominis arbitrio tribuere iuriſdictionem *l. priuatorum c. de iuriſd. omn. iud.* & ideò cum tota iuriſdictio tradita ſit à Chriſto Domino,& Deo Summo Pontifici eius Vicario ab hoc in quemlibet religionis ſuperiorem dimanat; indeq; infert religionis ſtatum, & eius inſtitutionem eſſe à mero Eccleſiaſtico iure,& poſitiuo, ſi inſtituere ſumamus non pro excogitare, aut inuenire,quia (vt ſupra vidimus) religio à Chriſto Domino fuit inſtituta, docta, & demonſtrata, nam ſi ſumamus pro ſtatuere ſub certa lege, & ſub certo ſuperiore,& ſub certo vitæ modo, ſanè à mero humano iure eſt; ſubdit demùm ex vi, & natura voti paupertatis, aut caſtitatis, vel ſolo religioſo ſtatu, neminem reddi inhabilem ad temporalia bona poſſidenda, ad teſtamentum,aut contractum, aut matrimonium contrahendum, niſi ius, aut conſtitutio aliqua Eccleſiaſtica accedat; de bonorum enim dominio, & teſtamentis apertiſſima ſunt iura, quæ dominium penès Monachos, & religioſos ſupponunt, ac liberam penès eoſdem teſtamenti factionem,& ſunt in *l. generali c. de ſacroſ. Eccleſ.* & in *l. ſi quis. c. de Epiſ. & Cler.* quæ iura obtinuere, vſquequò per Iuſtinianum fuere correcta, omneque dominium, ac teſtamenti factio Monachis adempta, & ius omne per ingreſſum in Religionem in Monaſterium ipſum tranſlatum *§. illud quoque auth. de Monachis Nouel.* 5. vnde deſumptæ *Auth. ingreſſi c. de ſacroſ. Eccleſ. & Auth. hoc autem. c. de Epiſ. & Cler.* vt optimè ad *d. Nouell.* 5. notauit *Cuiac.* & ratio addi poteſt verè ſtringens; quia nemo priuata voluntate ſua poteſt ſe reddere inhabilem ad actus legitimos, ſed auctoritas Principis,aut legiſlatoris tantùm id facere poteſt adeò, vt ſi quis iuramento, aut contractu contendat ſe reddere inhabilem ad actus legitimos, operabitur quidem, Vt actus huiuſmodi faciat illicitè,at non inualidè, & peccet contra promiſſum, & iuramentum veniens, verum actus ſubſiſtat, & ſumma omnium ratio illa eſt; quia ſcilicet voluntas cuiuſlibet priuatæ perſonæ, quantumuis determinata,poteſt retractari ab eadem perſona per voluntatem contrariam,reuocata autem priori voluntate, qua ſe reddebat inhabilem,iam efficitur habilis, & ceſſat inhabilitas ipſa, quæ tota in eo poſita erat, vt reddens ſic ſe inhabilem nollet adhibere conſenſum ad contractum, mutata autem voluntate iam conſenſum adhibet, quo nihil amplius naturali iure ad contractum requiritur; ideòque voto naturali iure nemo inhabilis ad dominium, aut contractum reddi poteſt. Idemque dicendum de matrimonio; fuit ſiquidem aliquod tempus in Eccleſia, quo Religioſorum matrimonia rata firma extitere, quamuis poſt emiſſum votem contracta; quod probat *Innocentij I. auctoritas, & S. Leonis Magni*, nec non ſacrorum Conciliorum plura Decreta, quibus adnectitur & ratio; ſi quid enim eſſet, quod Religioſum inhabilem ad matrimonium redderet,certè nil aliud, niſi traditio, quia res eadem ſemel vni tradita alteri tradi non poteſt; cum igitur Deo per religionem fiat traditio,hęc ipſa vxori per matrimonium fieri non poteſt; rectè quidem; ſi traditio facta per religionem pugnaret, & eſſet incompatibilis cum traditione, quæ fit per matrimonium,quod tamen eſt falſum,nam matrimonio contracto ex conſenſu alterius poteſt vir fieri religioſus, & alteri ſic ſe ipſum tradere per

*Cap. 5.*

*c. 6. & 7.*

*In epiſt. Decret. 2. c. 2. ep. 92 ad Ruſticũ Narbonenſe. Arelaten. ſe 2. c. 33. Toletan. 1. c. 16. Calcedonenſ. act. 15. c. 16. Roman. ſub Innocent. 2. c. 7. §. 2 lex 27. q. 1. Can. vt lex.*

votum

votum caſtitatis; & iure quidem; cum traditio, quæ fit per religionem (& an fiat Deo, an fiat præpoſito religionis non inquirimus modò) ſit diuerſæ rationis ab ea, quæ fit per matrimonium, igitur per aſſumptam religionem non fit religioſus inhabilis intrinſecè, & ex natura rei, aut naturali iure ad matrimonium. Hiſque omnibus ſic præmiſſis deducit conſequenter *Vaſquez* ſolemnitatem voti religioſi, & profeſſionis conſiſtere in traditione perpetua, quæ fiat per profeſſionem ſub certa, & ſolemni forma emiſſam in manibus ſuperioris, & eius perpetua acceptatione; vnde ſicut hæc certa forma humano, & poſitiuo iure eſt inducta, ità ſolemnitas profeſſionis tota à iure Eccleſiaſtico eſt, & poſitiuo; proſequitur latiſſimè *Vaſquez*, nobiſque hæc ad rem delibaſſe ſatis.

Communis opinio interpretum Pontificij iuris aſſerit quidem ſolemnitatem profeſſionis in traditione poſitam eſſe; ſicque differre votum ſimplex à voto ſolemni, quod in ſimplici ſit ſola promiſſio, at in ſolemni interueniat etiam traditio, quæ arctiùs ſtringit; verùm rectiſſimè *Vaſquez* nullum agnoſcit diſcrimen inter traditionem, quæ fit per votum ſolemne caſtitatis, & eam, quæ fit per votum ſimplex eiuſdem virtutis, vtrobique enim traditio illa fit per promiſſionem, in qua eſſentialiter votum conſiſtit; præterquamquod traditionem eſſe quidem conſummationem, & perfectionem contractus admittendum eſt, at eandem eſſe ſolemnitatem vix admitti poteſt, ſolemnia iuris ſunt; ſicque ea denominat Papinianus *in l. 1. ff. de iniuſto rup. irr. teſt.* traditio facti, & ſtare poteſt contractus ſolemnibus omnibus inſtructus, quamuis nulla adhuc ſit ſubſecuta traditio.

*Vbi ſup. n. 71. & 72.*

4 Itaque placet maximè ſententia *Io: Dartiſ.* qui profeſſionis ſolemnitatem in ſtipulatione, quæ inter acceptantem, & profitentem adhibetur, conſtituit, eamque in ipſis verborum ſolemnibus agnoſcit perappoſitè ad rem, quando Iuriſprudentiæ Romanæ, ſiue Ciuilis auctores ſolemnitatem ſtipulationis, ſeu verborum paſſim enunciant, *Paulus lib. 5. ſent. tit. 7. in pr. Obligationum firmandarum gratia ſtipulationes inductæ ſunt, quæ quadam verborum ſolemnitate concipiuntur*; *ſic Diocletian. & Maximianus Ceſſ. in l. pen. c. de rer. permut. Si placitis citra ſtipulationis ſolemnitatem non exhibeant fidem*; & demùm ſolemnitatem acceptilationibus, & verborum obligationibus tributam teſtantur apertiſſima iura; *tex. in l. 7. c. commun. vtriuſq; iud. l. ſi in rem 12. Iunc. l. mutuæ 14. c. ſi cert. pet. l. 1. c. de acceptilat. l. omnes ſtipulationes 10. c. de contrab. & committ. ſtipulat.* indeque, & meritò votum denominatur ſolemne ex eo, quod certa formula, ac ſolemni verborum conceptione promittente eo, qui profitetur, & acceptante ſuperiore inducatur; quam quidem profeſſionem, ſeu voti ſolemnem emiſſionem *S. Baſil. Magnus* Græcè ὁμολογίαν appellat ſemper ac de ea loquitur, ſed præſertim in *Epiſtola ſecunda ad Amphilochium* eò quod eſſet confeſſio, ſiue conformis reſponſio ad interrogationem, quæ fiebat, an vellet vitam retinere, & exercere religioſam, & ideò ſi quæ poſt profeſſionem emiſſam non obſeruaſſent, eas *pacta conuenta infirmaſſe* inquit, & ſubiude de Viris loquens Monachiſmo addictis, ait: *ſed in illis quoq; illud exiſtimo præcedere oportere, vt ipſi interrogentur, & euidens ipſorum accipiatur profeſſio* αὐτῶν ὁμολογίαν *in Synodo Ancyrana* Profeſſio dicitur ἐπαγγελία, quæ vox ſignificat promiſſionem, & repromiſſionem, ad quam

*Comment. in Decretum 17. quaeſt. 1. col. 13. in fin.*

*Can. 18. 19. 20.*

*Can. 18.*

*Can. 19.*

*Can. 19.*

quam reſpexit & *Clemens III. in c. Porrectum* 13. *de Regular.* Sub hac autem ſtipulationis ſolemnitate, quæ promiſſione, & acceptatione conficitur, continetur perpetuitas extrinſeca ex parte acceptantis, poſito enim perpetuo obligationis vinculo liberum ei amplius non eſt dimittere profeſſum, & ex parte eiuſdem profeſſi illegitimatio quædam à lege Eccleſiaſtica adiecta votis ipſis, qua vouens redditur inhabilis, & ad matrimonium contrahendum, & ad acquirendum rerum dominium, quod vtrumque tanquam extrinſeca ſolemnitas, legitima tamen, in ipſo ſtipulationis ſolemnis contractu inuoluitur, & in ipſo profeſſionis actu, in quo etiam eſſentialiter compræhenditur, tanquam ſolemnitas eſſentialis, traditio, atque donatio ſui ipſius, & acceptatio Superioris, cui ſubinde quæritur ſtatim poteſtas, & iuriſdictio in profitentem, ſine qua religioſus ſtatus conſiſtere non poteſt; & ideò cum ſtatus religioſus à Chriſto, quòad eſſentiam ſuam, ſit ità inſtitutus, vt eſſentialitèr inuoluat traditionem, ſiue donationem ſui ipſius, & acceptationem Superioris, cui adijcitur & votorum emiſſio, iam per donationem, & traditionem fit profeſſus alieni iuris, ſeque in alterius dominium transfert; per votum verò adiectum fit promiſſio, per quam operas ſuas promittit in abſtinentia à venereis in vſu bonorum externorum, & propriæ voluntatis, cum ſe obtulerit occaſio; donatio tanquam contractus quidam reſpicit religionem; promiſſio verò per votum reſpicit Deum; votum enim eſt actus religionis, quæ ſolum Deum reſpicit, & per vtrumque hunc hunc actum & donationis, ſeu traditionis, & voti perfectioni comparandæ incumbit profeſſus, & in ſtatu perfectionis conſtituitur, & præcipuè per donationem, quæ ſanè eſt doctrina *D. Thom.* 2. 2. q. 88. art. 7. ex quo fundamento immobilitas etiam ſtatus ipſius religionis conſtituitur, qui ſtatus dicit conditionem immobilem, & ad hanc inducendam aptiſſima eſt donatio, quæ ex vi ſua eſt tranſlatiua dominij, & iuris in donatarium; votum autem obligat Deo, & tanquam promiſſio reſpicit futurum, ideòque à donatione ipſa, & traditione inducitur ſtatus, non formaliter à voto, & inde efficitur, quod iuriſdictio, quam habet Prælatus Superior in Religioſum non eſt ab Eccleſiaſtico, & poſitiuo iure, ſed à iure naturali, & Diuino, à quo etiam ſtatus ipſe religioſus proceſſit; cum enim hæc iuriſdictio ſit adeò neceſſaria, vt ſine ipſa ſtatus religioſus nequeat conſiſtere, iam qui ſtatum induxit, & iuriſdictionem, ſiue poteſtatem inſtituit, in quam conſentit, qui ſe tradendo, & donando ſtatum ipſum amplectitur; vnde ſuppoſita ſtatus inſtitutione à Chriſto conſurgit ſtatim ex eadem auctoritate iuriſdictio naturaliter, quæ proinde & naturalis, & Diuini iuris ex ſuppoſitione meritò eſt; & ideò non rectè dicetur hanc ipſam iuriſdictionem prælati in religioſum eſſe à poteſtate Clauium, quia per pœnam ſpiritualem poteſt compellere ſubditum ad regulæ obſeruationem; nam hæc ipſa eſt poteſtas longè diuerſa à poteſtate clauium, cum ſit poteſtas dominatiua conſurgens à donatione ſui ipſius, cuius veritatis irrefragabile illud eſt argumeneum, quod merè laicus poteſt eſſe Prælatus religionis, quemadmodum re vera erat, antequam Monachi, & cæteri Regulares in Clerum per ſacram ordinationem aſſumerentur, qua de re vberiùs diſſeremus infra; in lege enim naturæ, vt plerique volunt, potuiſſet, & poſſet ſtatus religioſus conſiſtere, qua naturæ lege attenta nulla fuiſſet, aut eſſet clauium poteſtas, quæ cum ſit ligandi, & ſoluendi facultas, eſt

planè

planè extrinſeca ſtatui religioſo, nec ab eo naſcitur,ſed pendet, aut à Pontificis auctoritate,aut immediatè à Deo; Moniales enim verè religioſæ ſunt, & tamen earum Abbatiſſa nullam clauium poteſtatem aut habet,aut exercet; & ſi quando legatur D. Benedictum Monachos ſuos à communione arcuiſſe, non erat illa propria excommunicatio, quam infligere ſanctiſſimus ille Pater, tanquam ſæcularis homo, iuxta tamen ſupra à nobis tradita non potuiſſet, ſed erat quædam ſeparatio de facto, qua Monachum punibilem à communione à conuictu, à menſa ſegregabat, qualem obſeruare ſæpius licet apud *S. Baſilium Magnum* tam pro viris, quàm pro Regularibus mulieribus.

*In Conſtit. exercitator. in fin.*

Iam ergo ſic ſtabilita votorum ſolemnitate,& vera eius ratione,ſtatus religioſus, ſiue Monaſticus, quis ſit apparet,ſi non omninò ſæcularis propter benedictionem, & ſeparatæ, ac diuerſæ vitæ formam, ac certè non Eccleſiaſticus, aut Clericalis.

5 Quare autem ſit inſtituta hæc votorum ſolemnitas, & publica hæc profeſſio; iam indicat rationem *Iuo Carnotenſis*; non eam tamen vnam, hominum ſcilicet cautelam, & prudentiam, vt ficti Monachi, & Monaſteria faſtidientes à veris diſcernerentur,& ad conſtantiam publicis hiſce profeſſionibus adigerentur, ſed illam præcipuam magis, vt nimirum Monaſticus ordo, quantò firmiùs in conſpectu Dei,& hominum,& ſolemniùs ligatur, tantò robuſtiùs, & deuotiùs ab ipſis ſeruetur; niſi addere velimus, excellentius, & ſublimius reddi opus ex ſolo humano propoſito aſſumptum, ſi per votum ad actum latriæ eleuetur,& immediatè, ac proximè in Deum dirigatur.

*Epiſt. 41.*

6 Fuit ſtatus Monaſticus, aut regularis à Clericali omninò nedum diſtinctus,ſed & diuerſus adeò,vt non defuerit,qui Clericatum pugnare cum Monachatu abſolutè aſſeruerit; Clericus enim totus ad alium, & alterius eſt, Chriſti ſcilicet,& Eccleſiæ,ad inſeruiendum proximo inſtitutus; Monachus verò ſolitarius,& ſolus, non quia non cum alijs Monachis, nam in cœnobio cum alijs conuixit, & conuiuit,ſed quia ſibi vni vacat, proximi vtilitati non incumbit, procul ab omni officio Clericali ſeiunctus; vnde *Caſſianus* illuſionem,& tentationem in Monacho aſſignat, ſi prætextu charitatis ad Clericatum adſpiret. *Quæ omnia*(inquit)*cum ſint noſtræ ſaluti,profeſſionique contraria,tamen velamine quodam miſericordiæ,ac religionis obtecta facilè imperitos, incautoſque decipiunt*. Videre eſt, Monachos in cœnobio degentes Sacerdotem non habere, & S. Gregorium Magnum conſultum reſpondere quid agendum; ſic enim teſtatur *Hieronym.* & eſt in *c. Hinc eſt 16. q. 1. Monachos Scithiæ conueniſſe in vnum, vt Sacerdotem ſibi inuenirent,qui eis Miſſarum ſolemnia celebraret*; & ne pluribus in re compertiſſima inſiſtamus; ipſe *Sanctus Gregor. Magnus*, quàm implicet cum vita Monaſtica Clericatus apertiſſimè expreſſit in *c. 2. 16. q. 1. Nemo enim poteſt, & Eccleſiaſticis obſequijs deſeruire, & in Monachica regula ordinatè perſiſtere, vt ipſe Monaſterij diſtrictionem teneat,qui quotidie in obſequio Eccleſiaſtico cogitur permanere*; quaſi ſint vitæ iſtæ duæ inuicem contrariæ, non ſe compatientes in eodem ſubiecto, & vnius aſſumptio ſit alterius corruptio; immò inhabilem omninò Monachum ad Clericatum euincere videtur, quod pœnitentes perpetuò ſunt irregulares; cumque Monachi ſint in perpetua pœnitentia, irregulares etiam quodammodo videntur, & ad Clericalem ſtatum inhabiles.

*Collat. 1. c. 20.*

*Lib. 5. Ind. 14. epiſt. 41.*

*Epiſt. 1. lib. 4.*

7 Fatemur Monachos à primæua ſui inſti-

inſtitutione, nec Eccleſiaſticos, nec Clericos fuiſſe, & vtcumque ſingularis ipſis, & propria impertiretur benedictio, non tamen per eam Eccleſiaſticum ſtatum adeptos, quamuis à puris laicis ſegregarentur. At pugnaſſe, & pugnare Monachiſmum cum Clericatu tam falſum eſt, quam quod falſiſſimum, damnauitque aſſertum *Bonifacius Papa* relatus à *Gratiano in c. ſunt nonnulli* 25. 16. *q.* 1. *Sunt nonnulli nullo dogmate fulti, audaciſſimè quidem zelo magis amaritudinis, quàm dilectionis inflammati aſſerentes Monachos, qui mundo mortui ſunt, & Deo viuunt, Sacerdotalis officij potentia indignos; ſed omninò labuntur*; moxque rationibus redditis claudit. *Decertantes igitur Monaſticæ profeſſionis Presbyteros Sacerdotalis potentiæ arcere officio omni modo præcipimus, vt ab huiuſcemodi nefandis auſibus reprimantur in poſterum, quia quantò quis eſt celſior, tantò eſt & in his potentior*; cuius au-
2. 2. qu. 187. art. 1. in corp. ctoritate innixus *S. Thom.* egregiè tutatus eſt, non pugnare quidem, vt Monachus Clericale munus præſertim prędicandi, aut ſacrificandi exerceat, quaſi habeat in ſe aliquid contrarium, quod munera huiuſmodi à ſe excludat, ſicut peccator, aut irregularis, tanquam poſitiuè impeditus, arcetur, ſed id pugnare tantùm in eo, quod ipſi deficiat conditio, quæ ad hæc munera obeunda requiritur, ſacra ſcilicet ordinatio, qua legitimè aſſumpta, ipſique collata iam habilis eſt Monachus, nec vlla remanet pugna, aut implicantia, quia nil poſitiuum in ipſo erat quod à ſtatu, & munere Clericali eum excluderet, ſit quidem Monachi inſtitutum ſolitudo, & luctus; Clericus verò ſit totus ad alium, in frequentia miniſter, & populi inſtructor, attamen vtriuſque huius vitæ mutuum ſemper fuit commercium, & frequens ab vna ad aliam tranſitus, quem Canones ſacri ſemper commendarunt; Clerici ad Monachiſmum in *c. duæ* 2. 19. *q.* 2. *c. Gonſaldus* 1. 17. *q.* 2. Monachi ad Clerum in *c. doctos* 16. *q.* 1. *Can. ex auctoritate c. ſicut nonnulli. c. ſi Clericatus c. ſi quis Monachus c. in Parochia c. ſi quem, c. cum pro vtilitate, ead. cauſa, & quæſt.* qui ſanè Canones vel à primis Eccleſiæ cunabulis id obſeruatum teſtantur, quod & teſtatur *Hieronym. Sic viue in Monaſterio, vt Clericus fieri merearis*, & inferiùs. *Quod ſi populus, vel Epiſcopus in Clericum te elegerit, age ea, quæ Clerici ſunt*. Ad Ruſtic. Monach. ep. 4. Nihil minùs, quàm implicantiam inter Clericatum, & Monachiſmum agnouit *Hieronym.* quod ſi Caſſianus, quod ſi Baſilius tentationi adſcripſere, ſi Monachus ad Clericatum adſpiret; in humilitatis tutelam id voluere, quæ omnium virtutum eſt baſis, & quam periclitari, ſi Monachus ad altiora, & extra ſe tendat, credidere. Pœnitentes ex inſtituto ſunt Monachi, at abſit, vt ideò dicamus irregulares, & ad ſacros ordines inhabiles; latet fallacia ſub pœnitentiæ nomine, alia enim eſt pœnitentia, præſertim publica, qua peccantes grauiter Eccleſia notat, & hæc irregularem reddit; alia eſt pœnitentia, quam quis ſponte aſſumit, & qua ad æterna præmia, quaſi ſe purgans, diſponere intendit, amplectendo excellentia Chriſti conſilia, quam aſſumit Monachus, & hæc perficit magis, quàm notet, & per purificatæ vitæ merita ad excelſiora promerenda diſponit, & iniurioſi planè ſimus, ſi ſic pœnitentem dixerimus irregularem. Iam non comparamus Monaſticum ſtatum cum Clericali, cuius apex, Epiſcopatus, hominem in ſtatu perfectionis conſtituit, *c. licet de Regular.* attamen nec omninò poſthabendum Monaſticum credimus, qui in aſſidua omnium virtutum exercitatione verſatur, ſed ſua cuiq;

ſtatui

ſtatui aſſerta præſtantia, ſcrutari breuiter aggredimur; quandònam primùm Monachi ad Clericalem ſtatum fuerint promoti?

T. 3. Annal. ann. 328 8 *Baron.* Athanaſio in Oriente id primùm factum tribuit; qui Monachorum inſtituta in Clerum Eccleſiarum Ciuitatis, ne dum tranſtulerit, ſed & ſanctitate inſignes Monachos, quos ipſe noſſet; in Epiſcopos aſciuit, quos Arianæ hæreſi, & Meletiano ſchiſmati atletas fortiſſimos opponeret; ſubinde magis, ac magis propagatum Monaſticæ vitæ cultum, & in Clerum tranſlatum obſeruat, in Occidente per Euſebium Epiſcopum Vercellenſem Ambroſio atteſtante; per S. Martinum Epiſcopum Turonenſem in Gallijs, & per SS. Auguſtinum in Africa, ſicque fæliciſſimo nexu Clericatus, & Monachiſmus in ſummum perfectionis ſplendorem coaluit. At longè primum factam hanc ipſam vtriuſque vitæ coniunctionem, & in vtriuſque primordio fas eſt aſſerere, Apoſtoli enim, & plures Apoſtolorum diſcipuli non ſolùm Monaſticæ vitæ obſeruantiam coluere, atq; adeò Monachorum Principes noui teſtamenti extitere, ſed & Sacerdotij Euangelici primitias tulere, vnde & in ipſis prima Clericatus, & Monachiſmi coniunctio agnoſcenda eſt. Sæuientibus ſubinde in Eccleſia perſecutionibus interrupta eſt hæc vnio vtriuſque vitæ, ſed tandem reddita pace Eccleſiæ inſtaurata eſt cùm in Oriente, tùm in Occidente, vt iam ſupra dictum, vſquequò generalitèr Eccleſiaſticis Conſtitutionibus fuerit ſancita. Clemens enim Quintus in Concilio Viennenſi Conſtitutionem edidit, qua Monachorum vitam reformauit, & informauit, & poſt plura ſtatuta *Clem. ne in agro*; *de ſtatu Monachor. in* §. *pen.* decreuit, vt quilibet Monachi admonitionem Abbatis ſe faciant ad ſacros ordines promoueri, & ad eorum exemplar idem ſeruatum in regularibus omnibus cum non modico populi fidelis prouentu, & animarum commodo, quidquid latrent in contrarium regularibus infenſi, quorum regulæ, ac directiuæ leges ab Apoſtolica Sede, & Summis Pontificibus confirmatæ fuere; decuit enim per ſupremum Caput Eccleſiæ proſpici, ne illegitimi conuentus, & illicita Collegia fiant, indeque ſacra Reſpublica detrimenti aliquid patiatur, vt in Albigenſium, Valdenſium, pauperum de Lugduno monſtruoſis cætibus olim factum intuemur, & quæ approbatio pridem etiam Epiſcopis competebat, demùm eandem Apoſtolica Sedes ſibi auocauit, nec vltra ab alio approbationes huiuſmodi fieri voluit. Ab hiſce principijs Monaſtica vita proceſſit, quę ſubinde fæliciter propagata, ac per totum Chriſtianum orbem ampliata, & ad eius exemplar, inſpirante, qui conſilia perfectionis in Euangelio dictauit, ſancti viri ſubinde ad perfectionem tendentes, varia vitæ inſtituta cumulando contemplationem cum actione non ſolùm ad propriam, ſed & ad proximi ſalutem in Eccleſiam inuexere, indeque variæ exortæ regulæ, variæ religioſorum hominum familiæ habitu externo, & legibus varijs diſtinctæ, quæ tamen omnes in eſſentia trium votorum, à quibus tota perfectionis ſumma dependet, in fine perfectionis ſcilicèt, & æternæ gloriæ obtinendæ conueniunt.

## CAP. II.

## De Monachorum, & Regularium Politia.

1 *Monachorum, & Cænobitarum cętui vnus præerat, & qui dictus.*

2 *Regularibus itidem reliquis, & quomodo appellatus; ſic & Mo-*

*nialibus*, *de quibus remiſſiue*.

3 *De Monachorum*, *& Regularium ſubiectione reſpectu Epiſcopi*, *ſeu ordinarij*.

4 *Exemptionum occaſio*, *& origo*, *ac rationabilitas*, *& iuſtitia*.

5 *De Monachorum*, *& Regularium profeſſione*, *& ſingulis ad eam requiſitis*, *veteri*, *& nouo iure vſq; ad finem Cap.*

1 Monachi, & Cœnobitæ conuiuentes vni ſuberant, & ab vno regebantur, qui, vt notarunt *Tholoſan.*
*Synt.iur. lib. 15.c.13. n.1.* *Duaren*, & alij, Syriaca, & Hebraica lingua, ſiue alterutra, & præſertim Hebraica, vt voluit *Alciat.*
*De Sac. Eccl. min. & Benef. lib. 1.* *Abba* dicebatur, cuius vocis ſignificationem
*Ad l. 1. c. de in ius voc.* (nec alium quæremus interpretem) expreſſit *D. Paul.* cùm ad Ro-
*Cap. 8.* manos, tùm ad Galatas ſcribens; illis
*Cap 4.* enim ait. *Sed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum*, *in quo clamamus Abba* (*Pater*) his verò, *miſit Deus ſpiritum filij ſui in corda veſtra clamantem Abba* (*Pater*) Poteſtatis æquè, ac amoris nomen; aliàs etiam Cœnobiarca, hoc eſt Cœnobij Princeps, & à Iuſti-
*Nouella 133.* niano Archimandrita dictus, & ſub eius poteſtate, & directione in aſſidua rerum Diuinarum contemplatione, virtutum exercitatione, addita etiam operis, & ſudoris aſſuetudine (vt in-
*Lib. 1. Inſt. c. 3.* quit *Caſſian.*) verſabantur, & verſantur, vel verſari debent; cuius Abbatis
*Ibid.* conditiones idem *Caſſianus* pauciſſimis verbis complexus eſt. Hic idem intra Monaſterij ſui ſepta præfectum, qui Prior clauſtralis dicitur, conſtituit, cuius vicaria opera in ijs, quæ ad ſodalitatis regimen ſpectant, vtitur.

2 Ad Monachorum exemplar & Regulares reliqui, ex quibus nonnulli Mendicantes dicti, ſuos etiam habent Præfectos, qui Priores, aut Guardiani pro vario eorum inſtituto appellantur, qui tùm Generales ſunt, tùm Prouinciales, tùm locales, per quos, velut quædam Reſpublica, tota eorum congregatio adminiſtratur, ſub quorum dominatiua poteſtate, & iuriſdictione totam vitam viuunt. Eadem politia vtuntur & Moniales. Antiſtitam enim habent ſuam, quæ Abbatiſſa dicitur, cui ſubſunt, & à qua reguntur, & diriguntur congrua poteſtate, & quæ mulierem deceat. De his extant aliquot Iuſtiniani Conſtitutiones, quibus vetat, ne duplicia Monaſteria, virorum ſcilicèt, & mulierum conſtruantur, & vt Eunuchi in ſingulis Monaſterijs aſſignentur, qui ipſarum negotia gerant, harumque vitæ normam ſtatuêre Pontifices Summi *Bonifacius in c. periculoſo de ſtatu Regular. in 6.* & *Clem. V.* in Concilio Viennenſi, *in Clem. Attendentes de ſtatu Monachor.* & ius tandem vniuerſum, quod reſpicit Abbatum, & Abbatiſſarum regimen nouiſſimè complexus *Aſcanius Tamburinus* in luculentiſſimo opere ſuo de iure Abbatum, & Abbatiſſarum, vnde quidquid theoriam, & praxim attingit facilè mutuari, & cognoſcere licet.

3 Primitùs, vt Religiones, & Religioſorum hominum inſtituta à proprio cuiuſlibet Diœceſis Epiſcopo approbabantur, cuius rei euidens illud eſt argumentum, quod non legitur priſcis temporibus religio aliqua à Summo Pontifice Romano approbata, id enim primò factum ab Alexandro III. videtur, vt ait *Petrus Sutor*, qui ordinem Carthu- *De Vita Carthuſianorum lib. 2. tract. 3. c. 2.*
ſianorum confirmauit, cum tamen centum ante annis idem ordo cœpiſſet, & veræ religionis ſtatum habuiſſet, ità & proprio Epiſcopo Monachi, & religioſi quicumque ſubiecti erant, à quo & eorum ſuperiores iuriſdictionem conſequebantur. Citatur ad id confirmandum

dum *Can.* 56. *Nicæni Concilij*, qui nonniſi inter Arabicos Canones eſſe poteſt,cum vulgati Canones ſint tantùm viginti, eo enim præcipitur,vt qui electus fuerit in præpoſitum alicuius Monaſterij,ter in anno compareat coram Epiſcopo, & ſe illi tradat; quod ſanè apertiſſimum ſubiectionis indicium; ſed apertè hæc ſancita ſubiectio in Aurelianenſi Concilio 1. *Can.* 20. & eſt in *c. Abbates* 16. 18. *q.* 2. *Abbates* (ait *Can.*) *pro humilitate religionis in Epiſcoporum poteſtate conſiſtant, & ſi quid extra regulam fecerint, ab Epiſcopis corrigantur, qui ſemel in anno in loco, vbi Epiſcopus elegerit, accepta vocatione conueniant*; & in Arelatenſi, *ex Can. Monaſteria ead.* 18. *q.* 3. immediatè ſequenti. *Monaſteria, vel Monachorum diſciplina ad eum pertineant Epiſcopum, in cuius ſunt territorio conſtituta*, & iure quidem; nam quantumuis adſpirantes ad perfectionem homines regulam aſſumant, non deſinunt eſſe oues proprio Paſtori ſubiectæ, qui cum iuriſdictionem à Deo habeat, licèt ſubordinatam poteſtati ſupremæ Romani Pontificis, ideò donec eadem à ſupremo non fuerit impedita, aut limitata, eam exercere in oues ſuas vtique liberè poterit. Verùm, vt eſt hominum immodicus, aut imperandi, aut adepti iam imperij exercendi æſtus, quo corrumpi, ac tranſuerſos agi, qui perfectionis leuitam coemutet ſibi, ſæpiùs intuemur, exorbitare aliquando contigit Epiſcopos, & plus iuſto Monachos, & eorum Abbates vexare, ſicut antea Archiepiſcopos in Epiſcopos ſibi ſubiectos excedere diſcretionis limites nonnunquam, & frequenter viſum, ideò quod remedium exorbitanti Archiepiſcopo in Epiſcopum fuit adhibitum, hoc ipſum & oppreſſis Abbatibus, vexatiſque Monachis adhibendum Pontificum vigilantia, & prudentia agnouit.

4 Ea eſt exemptio ipſorum ab Epiſcoporum iuriſdictione, & Pontificiæ ſupremæ ſedi immediata ſubiectio; & ne imaginaria habeatur hæc ratio; atteſtantem liceat referre Magnum Gregorium tranſlatum à *Gratiano in Can. frater* 16. *q.* 1. vbi legitur Epiſcopus alterius Epiſcopi odio laborans, idemq; contra ius ab Archiepiſcopo depoſitus, à cuius iuriſdictione fuerat cum Eccleſia ſua per Summum Pontificem ſubtractus; & confirmata eadem exemptione tranſlatum ius vniuerſum, totaque iuriſdictio in Apoſtolicam Sedē, vel eius eius reſponſales pro cauſæ varietate; & in puncto Monachorum, & Monaſterij propter præiudicia, & grauamina, & ad quietem Monachorum tutandam exemptionem largitur idem S. Gregorius *in c. luminoſo* 18. *q.* 2. Obliquus fortaſsè aliquis ad commodum magis Romanę Sedis has exemptiones tribuerit; Vnde & arcanum Papatus quiſpiam eas appellauit; quaſi propriæ auctoritatis propugnatores, eximendo à poteſtate Ordinarij, ipſa ſibi conſtituat; eſto quidem; At ſi Apoſtolica Sedes ſupremam in totam Eccleſiam gerit poteſtatem, nec dedecuit, nec dedecet præeminentię tantæ ius ipſam ſibi per ea media tueri, ac ſuauitèr propagare, muniendo auctoritatę propria hominum cętus, terrena omnia poſt habentium, morum integerrima probitate illuſtrium, & quos nil niſi iuſtum, & legitimum tuituros nefas eſt credere, ideòque intereſt, & fauor ſanctæ ſedis exigit plures immediatè ſubditos habere. *Clem. Paſtoralis de re iudic.* Acceſſit ſpectatiſſima Abbatum virtus, quos habuiſſe opus omnimoda auctoritate norunt Pontifices, vt ad excelſa pro Dei obſequio eorum opera exerceri vtiliter poſſet; Immò Eccleſiæ vnitas impenſiùs ſuadere exemptionum vſum eſt viſa; cum enim

*Lib.* 2. *Ep.* 7.

enim Religioſi Ordines per totum Chriſtianum Orbem eſſent diffundendi; ijque ſub vna, & eadem regula eſſent dirigendi, iam non adeò facilè potuiſſent id aſſequi, ſi à vario Epiſcoporum arbitrio, quibus pro locorum diuerſitate ſubiecti fuiſſent penderent; ideò eximendi fuere, & ſub ſuorum ſuperiorum regimine relinquendi, quorum ſubordinata ſeries demùm in ſupremum Romanum Pontificem terminaretur, à quo tota fidelis, & religioſa reſpublica pendet, ſic enim fit etiam, vt ſuprema eius auctoritas vbiq; ſentiatur, & per eius præſentiam exardeſcens imperandi, & affrænis libido, quæ in diſſitis Epiſcopis excitaretur, reprimatur, & coerceatur, idque ad Eccleſiæ vnitatem mirificè proficit. Diſplicuit nihilominùs hic exemptionum vſus Sanctiſſimo Viro Bernardo, ſuperbiæ ſpiritum in eis exoptandis, & procurandis timenti; ſed tamen hoc iure, eoque ampliſſimo vſi ſunt, & vtuntur adhuc fęlicitèr Monachi, & Regulares, quod ijs confirmauit Concilium Tridentinum, ratum, conſuluiſſe Epiſcoporum dignitati, & auctoritati, eamque ſatis aſſeruiſſe, ſi nonnumquam animaduertere in Regulares, & Monachos ipſis detur tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatis, caſuſque omnes diligentiſſimè recenſuit, *Aug. Barboſa*, & Monachorum, & Regularium ſingulorum origines, ipſiſque largitas, & à quibus Pontificibus, exemptiones ſpectandas diligentiſſimè exhibuit.

*Iur. Eccl. Vniu. lib. 1. c. 11 n. 112. & ſeq.*

*Vbi ſup. c. 41. per tot.*

5 Hoc igitur eſt Monachorum, & Regularium inſtitutum, cuius ſumma, iam diximus, in trium votorum profeſſione, & obſeruantia conſiſtit, ad quam quidem profeſſionem emittendam duo maximè conſiderantur, voluntas ſcilicet, & ætas, quorum alterutro deficiente nihil actum cenſetur, neque vlla inducitur obligatio. *C. 1. de Regular. c. Illud autem 20. q. 1. c. præſens 20. q. 3.* neque enim alitèr deceat ſolemnem ſtipulationis contractum celebrari *l. 1. ff. de verb. oblig.* quæ ab Abbate ſtipulante, & à ſpondente diuinitùs exigitur, vt inquit *Nicolaus Papa I.* Neque enim ſatis cenſeri debet paterna deuotio, qua genitor offerens filium Monaſterio irreuocabilitèr ipſum addicat; quamuis priſcis temporibus id maximè ſeruaretur, vt indicat *Concil. Tolet. 4. can. 48.* quo ſic cautum legimus, & eſt *in cap. Monachorum 3. 20. q. 1. Monachorum, aut paterna deuotio, aut propria profeſſio facit; quidquid horum fuerit, alligatum tenebit; Proinde his ad mundum reuertendi intercludimus aditum, & omnes ad ſęculum interdicimus regreſſus.* Verùm ius quæri Monaſterio, & conſurgere dominatiua poteſtas non intelligebatur niſi oblatus etiam ipſe filius conſenſiſſet, quo præſtito conſenſu tacitè profiteri intelligebatur, eoque circumſcripto filium inuitum ad religioſam vitam obligari iniquum nimis fuiſſet. Vigebant adhuc tunc temporis ampliora patriæ poteſtatis veſtigia, cuius patrij iuris virtute, & offerre filium poterat pater, & filius ſine illius conſenſu religionem amplecti vix, & rarò admodum nequibat. At non ità, vt ipſius filij conſenſus excluderetur, quo præſtito de receſſu ei deſperandum erat. Aetas voluntati conſideranda etiam acceſſit, cuius defectus votum irritum faciebat, & facit adhuc, quæ pubertatis menſura definitur, nempe anno duodecimo in fœmina, decimoquarto in maſculo; *c. illud 20. q. 1.* quam quidem diſcretionis ætatem appellat *Cæleſtinus III. in c. cum ſimus, de regular.* ante quam nemo etſi doli capax, obligatur, quamuis proximus pubertati, vt notat *Gloſ. ad d. c. illud*,

*In reſp. ad cóſul. Bulgar. 1 c. 87. &c.*

quod

quod tamen non extitit ſemper adeò certum,quin ſcripſerit Innocentius III. Epiſcopo Lingonienſi. *Niſi fortè prudentia in illis ſuppleuerit ætatem, vt ſaltem tranſire debeant ad regulam laxiorem*; ſed tamen nuſquam fuit hoc probatum,nec nouiſſimè Concilio Tridentino, quod vota huiuſmodi, vtpote præcocia, ac præmatura diſtrictè damnauit. Niſi quis maior factus ratum habuerit, *c. ſignificatum de regular.* vnde & ſublata eſt ætatis differentia, quæ antiquitùs obſeruabatur, & quæ pro regularum varietate, varia aſſignabatur. In Monaſterijs enim, & Congegationibus ſtrictioribus decimus octauus annus ſtatutus erat, *c. quia in Inſulis 6. de regular.* In Inſulis enim, & locis aeris impurioris conſtruebantur ſæpius Monaſteria ad reprimendam impenſiùs ſenſuum, & carnis petulantiam, & tunc expleto decimo octauo anno emiſſa profeſſio omnem reditus ſpem ad ſæculum excludebat. Profeſſio autem emitti non poterat, niſi poſt annum, quo quis factus eſſet ætatis legitimæ, qui ideò vocatur annus probationis, *c. ſtatuimus b. t.* cum ante eſſet triennium *ex Can.* 5. *Concil.* 8. *Conſtantinop.* annumque ipſum probationis, & decimum ſextum ætatis firmauit preſſiùs, *Concil. Triden.* quod etiam differentiam ſuſtulit tacitæ, & expreſſæ profeſſionis. Si quis enim non expectato probationis tranſacto anno profeſſionem emiſiſſet renunciaſſe anni beneficio cenſebatur, & ſubſiſtebat profeſſio, *c. ad Apoſtolicam b. t.* Immò non emiſſa etiam profeſſione, ſi quis habitum profeſſionis ſumpſiſſet, ac geſtaſſet per triduum profeſſio ipſa facta cenſebatur, & ſubſiſtebat, *c. ad noſtrum, & c. ſequenti, iuncto cap. ex parte de regular.* quæ etiam nonnunquam ſine habitu ſuſceptione rata cenſebatur *c. porrectum, eod.* non

*Seſſ. 25. de Regul. c. 15.*

*Vbi ſup.*

tamen in vim voti ſolemnis *c. conſuluit qui Cler. vel Vou.* Tacitè fieri profeſſio intelligitur cum idoneis coniecturis apparet, quem perpetuò velle Deo in religione ſeruire, & Monaſticam vitam ducere, cum ſcilicet habitum poſt annum retinet, quando idem habitus eſt Nouitijs, & profeſſis. *c. eos eod.* vel ſi ſit diuerſus, profeſſorum habitum aſſumat liberè, ſcienter, & cum perſeuerantia; olim enim veſtes Monachorum non induebant, qui annum probationis agebant, ſed tunc ſolummodo cum profitebantur, *c.* 35. *in Capitular. Caroli Magni. Ipſe verò nec tondeatur, nec veſtimenta priſtina immutet priuſquam obedientiam promittat.* Profeſſionem hanc tacitam expunxit *Concil. Trid.* & ſolam expreſſam approbauit expleto tantùm decimo ſexto anno faciendam, irritam declarans, ſi quæ ante eam ætatem fieret, ne facilis daretur à vita regulari aſſumpta receſſus, ſtatuto etiam certi temporis ſpatio, quinquennij ſcilicèt, intra quod reclamare debeat, qui ſe per vim, & metum ad profeſſionem adactum probare velit, & valeat, alijſque præfixis, quæ profeſſionem ipſam antecedere debeant, vt ritè, & rectè ea fiat, ijs enim impletis de receſſu à religione deſperatum, vt & olim fuit, excepto duplici caſu. Primus, ſi zelo perfectioris vitæ, & religionis quis trahatur. Secundus, ſi religio ipſa à ſui perfectione deflectat *c. ſanè, c. licèt de regular.* & quia tranſitus huiuſmodi iurgia inter ordines excitabat, conſultum fuit à Summis Pontificibus, ne Mendicantes ad alium ordinem tranſire valeant, præter Carthuſienſem. Largitum etiam nonnunquam, vt ab aſperiori vita ad mitiorem tranſire liceat, ſicut olim conceſſum videmus, vt à vita Eremitica ad Cœnobiticam migrare quis poſſet tanquam mitiorem *c. qui verè* 16. *q.* 1. à

*Seſſ. 25. de Regul. c. 15.*

*C. 19. Ibid*

Cœno-

Cœnobitica verò ad Eremiticam neutiquam, niſi cum Abbatis licentia, *c. Monachum* 20. *q.* 4. Hodie tamen tranſire à religione arctiori ad mitiorem nemini licèt ſine Romani Pontificis permiſſione, ex Decreto *Concilij Trid.* De qua vniuerſa materia pluribus in ordine ad praxim egit *Auguſtin. Barboſa* congeſtis auctoribus, ad quos recurrere lector poteſt *à n.* 52. latiſſimè, & ad eum remittimus.

*Seſſ. 25. de Regul. c. 19.*

*Iur. Eccleſ. Vniuerſ. lib. 1 cap. 42.*

Decuit huiuſmodi tranſitum interdici, vt ambitioſis, & inconſtantibus via præcludatur, & ne Monaſtica vita ad eos declinet, quos Sarabaitas appellat *Caſſian.* & de quorum corrupta vita fusè ibidem differit. Hæc de Monachis, & Regularibus quoàd theoriam dixiſſe ſatis; iam ad Eccleſiaſtica beneficia tranſeamus, quorum tractatio præcipua Sacræ Iuriſprudentiæ partem meritò occupat.

*Collat. 18 cap. 7.*

---

*Libri Quinti Finis.*

---

# IVRISPRVDENTIA SACRA
## LIBER SEXTVS.
## DE BENEFICIIS ECCLESIASTICIS
# TRACTATVS X.

---

### CAP. I.

### De Origine, Nomine, Definitione, & Diuiſione Eccleſiaſtici Beneficij.

1 *Origo Beneficij Eccleſiaſtici aliùs repetitur.*
2 *Beneficium Eccleſiaſticum quatenus iuris naturalis.*
3 *Vnde Beneficij nomen, & quæ eius ratio.*
4 *Quid Beneficiũ, & quæ eius definitio, quæ declaratur, & expenditur.*
5 *A definitione deducuntur nonnulla, quæ Beneficium magis elucident.*
6 *Diuiditur Beneficium in varias ſpecies.*

AMpliſſimam Beneficij Eccleſiaſtici materiã aggredimur tot inſignium virorum commentarijs, & tractationibus illuſtratam, nec tamen nos terrent celebres eorundem, ac immenſæ, fas ſit dicere, lucubrationes, quin rem iam luculentiſſimè actam agere iterum audeamus, ſed

ſtylo, ac intentione planè diuerſa, vt iuxtà inſtitutum breui ambitu, ſic eam contrahamus, vt nil tamen, quod ſiuè theoriam, ſiuè praxim principalitèr tangit, deſideretur.

Ab origine, auſpice Numine, exordiemur, quam, vt altiùs petitam detegamus, cunabula primùm Eccleſiaſtici patrimonij reuelabimus, indeque ad beneficij Eccleſiaſtici primordia ad oculum inſpicienda manuducemur.

1 Surgentem, & à Chriſto proximam ſi reſpiciamus Eccleſiam nulla penès ipſam prædia, nullaue intuebimur immobilia, ſed totam miniſtrorum, & pauperum alimoniam non aliundè, quam à fidelium oblationibus petitam ſpectabimus, quæ quidem *Irenæo* teſte vberes adeò erant, vt decimam redditunm partem excederent, ne minor fidelium; quàm Iudçorum appareret pietas; Et ſi fidelium ipſorum quiſpiam immobilia poſſideret, vendebat, ac pretium indè extractum deferebat ad pedes Apoſtolorum ad hoc, vt per Diaconos, & alios Eccleſiæ miniſtros in pauperes fideles erogaretur; Nulla autem iuris, aut facti neceſſitate fiebat hæc alienatio, quaſi nefas eſſet accedentem ad Eccleſiam poſſidere immobilia, quod *Io: Vuiclef*, & alij huius æui ſectarij malignè ſomniarunt, vt eos confutans teſtatur *Bellarmin.* ſed voti cuiuſdam inſtar, quod emittere liberum cuique eſt, at emiſſum fallere impium omninò, vt indicat celebre factum Ananiæ, & Saphiræ, quem vtrumque morte damnauit Apoſtolorum Princeps; *Nonnè manens tibi manebat*, (inquit Petrus) *& venundatum in tua erat poteſtate?* En libertatem, & vendendi, & offerendi. *Non es mentitus hominibus, ſed Deo*. En cauſam propter quàm venit ſuper eum indignatio, vt aduertit *Chryſoſtom.* Vagiebat tunc in cunis Eccleſia, & ſumma ſimplicitate conuiuebant fideles omnes nil proprium habentes, & tanquam vna familia Eccleſia ipſa regebatur. *Aurea verè ætas, qua erat omnibus cor vnum, & anima vna, nec quiſquam eorum, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia; Diuidebatur autem ſingulis prò vt cuique opus erat.* Propagata fide, auctiſque fidelibus ità, vt tanquam in familia viuere non poſſent, nec omnia neceſſaria cuiq; facilè ſuggeri, cçptum permitti fidelibus laicis immobilia bona, ſi quæ haberent, aut obuenirent ſeparatim habere, & ex ijs ſe alere, manentibus clericis in vita communi, ijſque ex fidelium pijs oblationibus alimenta ſumentibus; donec Conſtantinus Imperator Chriſtianæ fidei nomen dedit, ac vera pietate ſuccenſus, Numineque afflante conſtitutionem edidit, quæ proſtat in vtroque *Cod.* cum *Theodoſ.* tum *Iuſtinianeo*, & in hoc eſt *l. 1. c. De Sacroſ. Eccleſ.* qua liberum cuique fecit Clerum, & Eccleſiam facere bonorum ſuorum hçredem; *Habeat vnuſquiſque licentiam Sanctiſſimo Catholico, venerabilique Concilio decedens bonorum, quod optauerit relinquere, & non ſint caſſa iudicia eius.* Ait Conſtitutio; Vbi per venerabile Concilium Clerum plerique intelligunt, ſed meliùs fortaſsè *Gothofred.* cuiuſlibet loci Eccleſiam expoſuit; Et ex tunc, quarto ſcilicet ſæculo, cœptum, inter redditus Eccleſiæ ordinarios computare fructus, & prouentus, quos ex relictis latifundijs perciperet, nec vendebantur ampliùs, ſed retinebantur prædia ſub adminiſtratione Epiſcopi, vt inquit *Antiochena ſynodus Can. 25.* ſtatuens, vt prouentus huiuſmodi Decreto Epiſcopi, & ſententia Presbyterorum, & Diaconorum impendantur ad alendum Epiſcopum ipſum, Clerum, & pau-

*Tom. 1. Controu. lib. 1. de Cleric. c. 26.*

*Act. Apoſtol. c. 5.*

*Homil. 12. in Act.*

*Act. c. 4. in fin.*

*Ad l. 4. Cod. Theod. de Ep. & Cler.*

& pauperes; & ad hunc Eccleſiæ ſtatum reſpiciunt canones *in c. videntes*; *in c. expedit in c. duo ſunt* 12. *q.* 1. cum ante ex oblationibus ſpontaneis, licèt percommodè viuerent, feruente adhuc charitate, & fidelium pietate. Viuebant in communi cum Epiſcopo ſuo tanquam cum capite, qui prouentus Eccleſiæ colligens, & adminiſtrans omnia neceſſaria clericis ſuis ſuppeditabat; quam curam abhorruere ſanctiſſimi viri Auguſtinus, & Chryſoſtomus, qui viribus omnibus ab eadem ſe ſubducere contenderunt; & præſertim
*Homil. 86. in Matth.* *Chryſoſtom.* graue nimis hoc onus exaggerans, vt ſe liberet, populum obteſtatur. Vt autem perfectiſſima erat hæc vita communis, ſic non admodum
*Lib. 21. Nat. hiſt. c. 1.* diuturna fuit eius duratio, *Quæ enim ſpectatiſſimè florent* (inquit *Plinius*) *celerrimè marceſcunt*, ſed inter clericos ipſos facta fuit ſegregatio; Aliqui enim in vitæ communis perfectione permanſerunt *d. c. videntes c. habebat c. certè ego* 12. *q.* 1. aliqui verò à communione recedentes ſingularem, & priuatam vitam aſſumpſerunt, ſibi quique viuentes; Qui in communione permanſerunt Canonici ſunt appellati, & in ijs conſeruatum collegium, quod tanquam ſenatus cum ſuo Epiſcopo Eccleſiam regebat, & de quo nos ſupra, Canonici dicti à canone, hoc eſt à regula, quam ſeruabant, & ſecundùm quam à reliquis diſtinguebantur moribus, & norma viuendi. *Iuo*
*Ep. 204.* *Carnotenſis*. *Ideò Canonici appellati eſtis, quod Canonicas regulas vos velle obſeruare cœteris arctiùs deuouiſtis*.

Hi ergo in communi, & Canonica vita degentes, certiſque regulis adſtricti in menſam communem quotidiè aduocabantur, & ſub vna matricula, ſiue pictacio continebantur, quotidiè ſuas portiones recipiebant, quæ dicebantur canonicæ portiones apud eundem
*Iuonem Carnotenſem*, & ex eo, quod *Ep. 219.*
in pictacio eſſent deſcriptæ, *pitanciaſ* fuiſſe appellatas voluit *Innocent. Ciron.* *Lib. 2. obſeru. iur. can. c. 13.* Hæ ipſæ præbendæ etiam ſunt dictæ, quod pro modo, & menſura præberentur, & qui eas percipiebant Canonici præbendarij, ſicut & Eccleſiæ, ſiuè Cathedrales, ſiuè Collegiatæ, in quibus clerici iſti viuebant, dictæ ſunt
præbendales à *Petro Bleſenſi* ad diffe- *Ep. 78.*
rentiam aliarum, quas ipſe vocat clericales, & de hac clericorum vita communi *Baron.* *Tom. 1. Annal. an. 57.* & luculentèr ex Inſtituto ſuo *Anton. Auguſtin.* *Epiſt. in Pontif. vet. lib. 8 c. 17.* ſiuè tunc cum ex ſolis fidelium oblationibus alerentur clerici, ſiuè cum iàm ditari immobilibus bonis cœpit Eccleſia; Clerici verò, qui, vt ſupra innuimus, à vita communi receſſerant ſtipendia ſua ſeparatim recipiebant, quæ ſingulari, & proprio nomine ſportulæ dicebantur
*D. Cyprian.* *Lib. 4. Ep. 5.* *cæterum presbyterij honorem nos illis contuliſſe iam ſciatis, & vt ſportulis ijſdem cum præsbyteris honorentur, & diuiſiones menſurnas æquatis quantitatibus partiantur*; Hique à ſportulis, quas recipiebant, fratres ſportulantes dicti, vt ex eodem *Cypriano* notat *Baron.* *Lib. 1. Ep. 9. vbi ſupra* ſed demùm proceſſu temporis eò redacta res eſt, vt ſiuè vſurpatiuè ſiuè per antonomaſiam canonici nomen ijs ſolis clericis remanſerit, qui ſimul cum Epiſcopo communem vitam ducebant, eodemque refectorio, & dormitorio vtebantur, Præbendariorum verò nomen clericis inferioribus fuerit datum; vt aduertit *Ioan: Molan.* *Lib. 1. de canon. c. 6.* quibus Canonicis ſubinde dimiſſa vita communi ſuæ cuique ſunt aſſignatæ præbendæ, de quibus ſingularitèr dicemus infra loco ſuo. Iam inde videmur ſpectare prima beneficiorum Eccleſiaſticorum primordia; clericos enim aliquos ſeparatim, & ſingularitèr viuentes intuemur; conſideremus in dies propaga-

pagatam Eccleſiam, proſeminatum vberrimo fructu Euangelium, temporalibus bonis Conſtantini Imperatoris, & aliorum fidelium pia liberalitate nec vno modo auctam, ac locupletatam Eccleſiam, vt indicat *Sozomenus*, demùmque meſſem multam operarios expoſcentem, & paſtores, qui oues & cognoſcant, & paſcant, & prouida Pontificum cura naſcentia Eccleſiaſtica beneficia intuebimur; Hiſce enim impellentibus rationibus Euariſtus Summus Romanus Pontifex, qui toti præfuit Eccleſiæ ab anno 112. vſq; ad 121. vt apud *Baron.* titulos in Vrbe Roma diuiſit presbyteris, vt quiſque animarum ſibi aſſignatarum curam impenſè exerceret, ſuaſque oues quilibet paſtor agnoſceret, aſſignatis fontibus baptiſmalibus, & cœmeterijs cuique titulo; Quod fecerat Euariſtus in vrbe idipſum exequi tentauit per vniuerſum Orbem Dionyſius Summus Pontifex, qui prefuit Eccleſiæ ab anno 260. vſque ad 271. iuxta *Baronij* cronologiam; & diuiſit parochias, ſeu terminos Eccleſiarum Parochialium per vniuerſum Orbem, ſingulisque aſſignauit propria cęmeteria, & intra certos terminos excreſcentes decimas; ſic enim diſſeruit abſolutè *Tholoſan. ex tex. in c. vn. 13. q. 1.* qui deſumptus eſt ex Epiſtola ſecunda S. Dionyſij Papæ ad Seuerum Epiſcopum; quamuis verba Dionyſij id præſtitiſſe ipſum indicent in Vrbe; ſic enim ſcribit in *cit. c. vn. Eccleſias ſingulas ſingulis presbyteris dedimus; parochias, & cæmeteria diuiſimus, & vnicuique ius proprium habere ſtatuimus, ità videlicèt; vt vnus alteriùs parochiæ terminos, aut ius non inuadat, ſed ſit vnuſquiſq; ſuis terminis contentus &c.* quæ verba ità accepit *Baron.* vt quod præſtiterant Euariſtus, & alij Pontifices, & quod ob Valeriani perſecutionem erat ferme abolitum, ex quo interdictum fidelibus cęmeteria adire, & præsbyterorum plerique, quibus aſſignatæ fuerant parochiæ Martyres deceſſerant; reſtituta per Gallienum Valeriani ſucceſſorem pace Eccleſiæ Dionyſius innouauerit parochias iterum diſtribuendo, & cęmeteria denuò aſſignando; Quod igitur geſtum in Vrbe, & Eccleſia omnium Principe, & matre, & reliquæ Eccleſiæ prout propagabantur, ſunt imitatæ ità, vt Eccleſijs erectis pro animarum cura vltra ſacerdotum collegia, præficeretur Præsbyter, qui Eccleſiæ præeſſet, gereret animarum curam, & ea ratione certos redditus; atque prouentus perciperet, hæcque fuit beneficiorum Eccleſiaſticorum veriſſima origo, ad quorum exemplar & alia erecta, varijſque titulis inſignita, prout de diuiſione agentes indicabimus,

*Hiſt. Eccleſ. lib. 1. cap. 8. verſ. fine*

*In inſtitut. rei Benef. c. 10.*

*Tom. 1. Ep. Decretal. 1. Ep. 2. p. 45.*

*Tom. 2. Annal. ann. 270. in fin.*

2 Quæ quidem ſic retecta Eccleſiaſtici beneficij origo non excludit, quò minùs, & vera, beneficium ipſum iuris naturalis eſſe aſſeramus; quod confirmarunt auctores grauiſſimi *Barboſa*, *Tholoſan.* & nouiſsimè *Io: Dartis* ea ſic breuitèr contracta ratione Religio iuris naturalis gentium eſt *l. 1. §. fin. ibique poſt vetuſtiores Cuiac. ff. de iuſt. & iure*, & quæ ergo religionem proximè, & immediatè tangunt eiuſdem iuris ſunt cuiuſmodi eſt ſacrificium, quod iuris naturalis agnouit, & aſſeruit *Ariſt.* ait enim *Sacrificare oue, vel capra iuris proprij cuiuſque Ciuitatis eſt*; iuris ſcilicèt ciuilis, nos diceremus iuris poſitiui *ſacrificare autem in genere* (hoc eſt ſimplicitèr, & abſolutè, ac præſcindendo à quacumque victima) *iuris gentium naturalis*. Quod ipſum firmauit & *D. Thomas* Quod dictum de Sacrificio, & de Sacerdotibus accipiendum ſine quibus non eſt ſacrificium, & demùm de

*Iur. Eccl. Vniuerſ. lib. 3. c. 4. n. 3. Inſtit. rei beneſ. iur. c. 2. Opuſc. de benef. ſec. 1. c. 1.*

*Lib. 5. Ethic. c. 7.*

*2. 2 q. 85. Ariſt. corp. & ad 1.*

de Decimis, primitijs, & oblationibus; ſine quibus ſacerdotum vita nequit ſuſtentari; Hæc omnia itaque nexu indiuiduo ſubordinata inuicem, vnius, & eiuſdem naturalis iuris ſunt; Sacrificium, Sacerdotium, decimæ, primitiæ, oblationes, & beneficia, ſic enim Apoſtolus; alludunt & aperiſſima iura *in c.Dilectus. c. Relatum. c.Vacante. c. Cum ſecundum. De præbendis*. Cur autem huic reddituum, & bonorum portioni addictæ in compenſationem ſpiritualis operæ ſit inditum beneficij nomen inquirendum, recta ſeries proponit;

*1. ad Corinth. c. 9.*

3 Abhorruere id nominis tanquam planè barbari *Duaren*, *&* *Coras*, ſubſtituendumque ſacerdotij nomen voluere; At verendum, ne fortè propter elegantiam excludamus proprietatem; Non ergo ſine cauſa addicta ſic bona, dicta ſunt beneficia ex analogia, cui iuris auctoritas patrocinatur; veteribus fuit illud obſeruatum, vt militibus, & præſertim emeritis certa prædia aſſignarent, vt ea liberalitate excitati alacriores reliqui ad vitam pro patria impendendam redderentur. Ad rem *Iuuenal.*

*De Sac. Eccl. miniſt. & benef. lib. 2. c. 1. In Paraphr. de Sacerdot. 8. 1.*

*Satyra 15.*

*Tandem pro multis vix vigera bina dabantur.*
*Vulneribus, merces ea ſanguinis, atque laboris,*
*Nullis viſa vnquam meritis minor.*

Commemorat, *&* *Cuiac. ex Higino*, *&* *Siculo Flacco*; quibus ſimilia & bona illa, quæ ob fidem, & obſequium fruenda conceduntur non ſolùm à Longobardorum gente, à quia hic fruitionis modus proceſſit, ſed & ab alijs gentibus, apud quas bona huiuſmodi dicta ſunt beneficia; in capitularibus Caroli Magni dicuntur beneficia regalia, & ea poſſidentes beneficiarij ſicut & beneficium dicitur quidquid à liberalitate, & indulgentia Principis procedit *l. 3. ff. de conſtit. Princip.* quo ſenſu *Tertullian.* dixit *Aliena tripliciter ſumi; iure, beneficio impetu*, nec abſimiliter *beneficium* interpretati ſunt *Thodor. Balſam. &* *Zonar.* ad Nicœnum Concilium quod ait, vt *beneficijs militiam aſſequerentur*. vulgaris iam, & probata eſt illatio à milite armatę militiæ ad militem cæleſtis militiæ *l. Sacroſ. Auth. Presbyt. c. de Ep. & Cler.* ſicut ergo bona militibus ex liberalitate collata dicta ſunt beneficia, & bona ex affectu, & liberalitate remunerantis dici meruerunt appoſita alluſione beneficia; & eo veriùs, quò ſicut feudum non pretio, non æſtimatione acquiri debet, ità & Eccleſiaſticum beneficium eſt penitùs ineſtimabile, & ſine pretio pretioſum; Vnde & iuſtè in nomine conueniunt. Iam à quid nominis ad quid rei, & ad definitionem Eccleſiaſtici beneficij procedimus.

*Lib. 3. feud. c. 1 tit. Quib. modis feud. amit. de limit. Agror. de cod. Agror.*

*Lib. 1. c. 132.*

*Lib. aduerſ. Hermog. c. 9*

*Ad Can. 12. Concil. Nicæn. 1.*

4 Vt adæquatam concipiamus totamque definiendæ rei eſſentiam aſſequamur, beneficium tanquam totum in partes conſtituenter reſoluemus, indeque faciliùs totum ipſum in ſui ratione concipiemus. Tria igitur in Eccleſiaſtico beneficio ſunt diſtinguenda; Titulus ſiuè officiũ, ius percipiendi redditus, ſiuè fructus, & fructus, ac redditus ipſi, quæ tria, tanquam compoſitũ, Eccleſiaſticum ipſum beneficium conſtituunt.

Titulus nil aliud eſt, niſi obligatio ad munus aliquod in Eccleſia obeundum, & cuius virtute functionem aliquam in Eccleſia præſtare quis tenetur; vt horas Canonicas recitare, Sacramenta miniſtrare, curam animarum gerere, Sacrificium offerre; Hic titulus in ſe eſt quid ſpirituale, nec propriè eſt beneficium, ſed cauſa, & origo ipſius beneficij, iuxta vulgatum proloquium illud, quod beneficium datur propter officium *c. fin. de reſcrip. in 6.* De titulo eius origine, & vocis notione plura dedi-

dedimus cum de titulo ipſo tanquam ad ſacram ordinationem requiſito ageremus; & exinde venient repetenda, quæ percommodè huc poſſunt transferri. Hic titulus igitur tanquam pars principalis ad beneficium requiritur; Eccleſia ſcilicèt, cui quis addicatur, ſpirituale miniſterium, in cuius executionem quis operam ſuam impendat, non habitu reſpectu ad redditus, ſiuè prouentus, ſiuè Eccleſiaſticos, ſiuè temporales; verùm quia opus fuit, vt qui Eccleſiæ inſeruiret haberet vnde ſe alere poſſet, ideò cum miniſterio, & titulo Alimonia, prouentus, & beneficium debuit conferri; Quam eſſe rationem voluit *Duaren.* cur clerici tutelæ aliarumq; functionum perſonalium vacationem habuerint, ne ſcilicèt ob munera huiuſmodi ab Eccleſiaſtico miniſterio diſtrahantur, & auocentur, *l.Presbyteros c. de Epiſ. & Cler.*

*Alia de titulo, vbi ſupra.*

Titulo ad conſtitutionem beneficij accedit ius percipiendi redditus, atque prouentus; & adijciendum ſuaſit ius, æquitas, & ratio, quo triplici fundamento nititur vulgatum axioma, quod qui altari ſeruit de altari viuere debet *c.ex his 12. q.1. c. cum ſecundum de præbend.* Ius percipiendi redditus tanquam planè correlatiui conſequuntur fructus, & redditus ipſi, qui percipiuntur ex bonis Deo dicatis, & oblatis, & ſunt quid merè temporale, ac dici poſſunt materiale ipſius beneficii. Ex hiſce tribus conſtitutum, tanquam compoſitum, beneficium ipſum habeas, ſed tamen conſideranda adhuc veniunt nonnulla, ſine quibus verum beneficium non habeas; Primum, illudque præcipuum, vt ſcilicet beneficium ſit perpetuum; quod ſenſu non vno accipimus; Aut enim perpetuum, quia inſeparabilis debeat eſſe nexus iuris percipiendi cum redditu perceptibili; Aut (quod veriùs) quia ſtatutum Calcedonenſi primùm, mox ex Placentino Concilio, *vt in qua Eccleſia quis intitulatus eſt, in eadem perpetuò perſeueret c. ſanctorum. 70. Diſt.* Ordinari ſi quidem (vt aliàs vidimus) nemo poterat, quin alicui addiceretur Eccleſiæ, cui ſemel addictus eam deſerere nunquam poterat *Can. 15. Apoſtolor. can. 16. Nicænæ Synodi* 1. ad inſtar adſcriptiorum, & conditionalium hominum *l. Defenſiones c. de iure fiſci l. ſcripturas c. qui pot. in pign. hab.* de quibus latè, & eruditè *Connan.* & ſi receſſiſſet tanquam transfuga redire compellebatur. *C. non oportet c. ſi qui verò 7. q. 1.* Matrimonium enim inter ordinatum, & Eccleſiam contrahitur quod nequit vnius tantùm arbitrio diſsolui *c. niſi cum pridem de renunciat.* indiuiduam enim vitæ conſuetudinem continere debet; Perpetuum demùm dixeris beneficium, quia vtcumque moriatur beneficiarius, vacat quidem, at non intercidit beneficium ſed tanquam perenne venit alteri conferendum, quod non eſt in Eccleſiaſtica penſione, quæ vita functo penſionario extinguitur; Neque obijcias dari beneficia regularia, quæ ſolis regularibus poſſunt conferri, qui ad nutum ſuperioris quandocumque poſſunt remoueri; Nam perpetuitas in beneficio, vt iam diximus, non vna ratione ſpectatur, vnde eſto, quod in beneficio regulari perpetuitas eſt parte beneficiarij non adſit, aderit tamen alio reſpectu; Obſeruauit enim *Lother* perpetuitatem in beneficio non dicere propriè connexionem inter beneficium ipſum, & beneficiarium, vt voluit *Gonzales*, ſed oneris, vel officij cum emolumento compenſatiuo, & ideò quantumuis remoueatur beneficiarius regularis non tamen diſſoluitur nexus beneficium conſtituens; Addidit prætereà

*Comm. Iur. ciu. lib. 2. c. 10*

*De re benef lib. 1. q. 7. nu. 14.*

*Ad reg. de menſ. Gloſſ. 5. §. 6. n. 21.*

*De re beneſ. lib. 1.*

tereà *Lother.* perpetuitatem in beneficio conſiderari prout habitu, & potentia quadam ità, vt nemo prouideatur beneficio ad certum aliquod tempus puta ad annum, aut biennium, quo ſenſu cum manualitate conſiſtit adhuc ipſius beneficij perpetuitas, & demùm in regulari, & Monacho accipiente beneficium amouibilitas non eſt per ſe ipſi beneficio, ſed per accidens ratione perſonæ, quæ cum iure voti ſit ſub poteſtate dominatiua ſui Prælati ab eius nutu pendere debet, & eo iubente dimittere beneficium, cum nihil in perpetuum ipſi poſſit committi *c. cum ad monaſterium de ſtatu Monach.* cum igitur hæc amouibilitas ſit per accidens ratione Perſonæ nil immutat, aut alterat perpetuitatem beneficij.

Quod conſiderandum etiam in beneficio venit reſpicit collatorem ipſius beneficij, vt ſcilicet Epiſcopus ſit, vel alius Eccleſiæ Prælatus ad quem de iure huiuſmodi collatio ſpectet; Laicus enim non niſi ex indulgentia beneficium Eccleſiaſticum conſerre poteſt. *c. Dilectus de præb. c. fin. de conceſſ. præb. c. Sacroſanta c. Meſſana de elect.* plura ad rem *Ant. Auguſtin.* & ideò ſæpius in Eccleſia celebrata concilia, & conditi canones in eos, qui beneficia, & Eccleſias de manu laicorũ Principum acciperent per inueſtituras, prout nos etiam ſupra, & latè egit *Baron.* & demùm circa beneficium ipſum illud obſeruandum, vt ſcilicèt ſit canonicum, & legitimum, & publica Eccleſiæ auctoritate annuente Prælato conſtitutum, *c. nemo c. nullus de conſec. diſt.* 1. fac enim, quod laicus ſuper prædio ſuo annuum redditum perpetuum conſtituat in remunerationem ſpiritualis officij, non erit tamen per hoc beneficium propter deficientem Eccleſiaſtici ſuperioris auctoritatem; Hiſce ſic præmiſſis facile erit Eccleſiaſtici beneficij adæquatam definitionem, aut traditam examinare, aut exactam aſſignare. Plures regeſſit definitiones vetuſtiorum *Io: de Selua* circa quarum cenſuram non ducimus immorandum; Vnam percurremus Franciſci Duareni, quę auctoris ſui dignitate momenti aliquid habere videtur. Is ergo Eccleſiaſticum beneficium definiuit, quod ſit *res Eccleſiaſtica, quæ ſacerdoti, vel Clerico ob ſacrum miniſterium vtenda in perpetuum conceditur.* At verò plura ſunt, quæ admitti hanc definitionem non ſinant; Quod enim ait primò, loco generis, quod beneficium ſit res; hic terminus tanquam traſcendentalis latior eſt quàm vt vicem generis ſuppleat; Et vtcumque exceptionem declinare ſtudeat *Duaren.* aſſerens rationem beneficij non in miniſterio, ſed in redditibus, & fructibus conſiſtere, de quibus veriſſimè dicatur, quod ſint res; At non proficit; nam falſum omninò eſt, quod aſſumit, cum beneficium, nec in ſolo miniſterio, nec in ſolis fructibus conſiſtat, ſed ex miniſterio ipſo, & redditu ſimul coaleſcat; neque enim miniſterium ſine fructibus, nec fructus ſine miniſterio beneficium dixeris. Addit *Duaren. vtenda*, illud ſupponens, quod beneficiarius nudum, & ſimplicem vſum ex prouentibus beneficii habeat ità, vt neceſſaria ſibi, ſuiſque poſſit percipere, & ſi quid vltrà ſuperſit, erogare in pauperes teneatur; quę ſententia placuit *Nauarro*; Verùm pro vſufructu ſtat *D. Thom.* cum aliis, & ſtat tota praxis hodierna Eccleſiæ, quæ ſi non omninò falſam, at certè dubiam reddit ſententiam oppoſitam, qua de re dicemus aliquid opportunè; At verò in definitione nil debet poni incertum, nil dubium; vel ergo hoc nomine inſubſiſtens redditur *Duareni* definitio, vtcumque prætèr duas iam datas exceptiones reliquæ partes rationabi-

*Iur. Pontif. vet. lib. 8. c. 34.*

*Tom. 11. Annal. an. 1078.*

*Trac. de benef. in princ.*

*De ſac. Eccl. min & benef. lib. 2. c. 4.*

nabiles, & iuſtæ ſint. Mittimus definitiones *Azor. Coraſ. Lotherij, Barboſæ,* & iuxta præmiſſa fundamenta beneficium Eccleſiaſticum ità videtur aptiſſimè definiri. *Beneficium eſt ius legitimum, atque perpetuum percipiendi fructus annuos ex bonis Eccleſiæ collatis clerico ob ſacrum aliquod miniſterium ab Eccleſiaſtico ſuperiore indultum.* Percurramus definitionem, & reſpondere ſingula beneficia requiſita apparebit. *Eſt ius*, generale verbum ad omnes res incorporales, & ſtat meritò loco generis, §. 1. *inſt. tit. de reb. corporal.* ſuccedit *legitimum*; hoc eſt Epiſcopi, aut Eccleſiaſtici Prælati, & ſuperioris auctoritate erectum; Additur *perpetuum*; quæ præcipua Eccleſiaſtici beneficii conditio, quocumque ſenſu perpetuitatem accipias ex iis, quos ſupra tradidimus; ſubditur, *percipiendi fructus annuos ad ſacrum miniſterium*, qui ſunt duo iam aſſignati cardines Eccleſiaſtici beneficii; per verbum *Clerico*, perſona Eccleſiaſtici beneficij capax deſignatur; & per verba ab *Eccleſiaſtico Superiore indultum* Perſona conferentis indicatur, quæ Eccleſiaſtica eſſe debet, laica enim, niſi ex priuilegio, & indulgentia Eccleſiæ, conferre non poteſt. Iam inde confirmatur beneficiarium titulum eſſe quid ſpirituale *c. dilecto de præbend.* quod enim in beneficio principale eſt, ſpirituale eſt, ius ſcilicet ſacri miniſterii, & ab ipſo tota denominatio deſumitur; quę enim adiicitur fructuum percipiendorum facultas, meri acceſſorii rationem habet, non apta denominare, cuius reſpectu dicitur beneficium dari propter officium, fructus ſcilicet, ſiuè redditus propter miniſterium *c. fin. de reſcript.* qua acceſſoria adnexione, & inſeparabili facultas percipiendi fructus ſpiritualitatem participat, vtcumque ſit ipſa in ſe quid temporale, quæ enim religioſis adhærent religioſa ſunt *l. quæ religioſis ff. de rei vindic.* & hoc eodem reſpectu præbenda æquè quid ſpirituale, & quid temporale dici poteſt, ratione diuerſa denominationem etiam diuerſam operante.

*Inſt. moral. p. 2. lib. 3. c. 2. q. 2. Paraphraſ. de ſacer. c. 2. n. 1. De re benef. l. 1. q. 3. nu. 1. Iur. Eccl. Vniu. lib. 3. c. 4. n. 8.*

5 Hac autem aſſumpta definitione tanquam regula facile erit beneficium Eccleſiaſticum dignoſcere. Apparebit ſi quidem primò coadiutoriam, quæcumque ea ſit, ſiue ſit temporalis, qualis illa, quæ ab Eccleſiaſtico Prælato datur Rectori Eccleſiæ ægrotanti aut alioqui legitimè impedito, quoVſque ægritudo, aut impedimentum duret *c. de rectoribus c. ex parte c. fin. de cleric. ægrot. c. 1. eod. in 6. c. 1. de ſuppl. neglig. prælat.* ſiue ſit perpetua, & irreuocabilis, qualis illa, quæ conſtituitur à Summo Pontifice cum futura ſucceſſione *c. petiſti 7. q. 1.* neutram ſcilicèt eſſe Eccleſiaſticum beneficium; Neuter enim coadiutor Prælati, aut beneficiarii denominationem habet, nullam habet fructuum perceptionem aut adminiſtrationem, nullumue ius, ſed miniſterium ſimplex; immò in coadiutoria perpetua diſtrictè vetat Summus Pontifex, ne coadiutor ſine conſenſu coadiuti vllo modo in prouentibus ſe immiſcere audeat; & demùm decente coadiutore beneficiũ non vacat ſed tantum decedente coadiuto; Non eſt Adiutoria, ſiue coadiutoria beneficium Eccleſiaſticum propriè, & verè ſumptũ, nam de beneficio latè ſumpto, & cum improprietate non ſumus ſoliciti. Apparebit ſecundò, Capellaniam manualem, ſiuè amouibilem, quæ non Pręlati auctoritate, ſed etiam hominis ſęcularis pia voluntate erigitur cum certa annua ſtipendij aſſignatione, non eſſe Eccleſiaſticum beneficium; ſecùs ſi ſit perpetua, & cum decreto inſtituta Eccleſiaſtici Præſulis; *Gloſſ. ad Clem. 2. in fin. de decim. & ad extrau. execrabi-*

*crabilis de præbend.* Apparebit tertiò Penſionem Eccleſiaſticam minùs eſse Eccleſiaſticum beneficium; Nihil enim continet ſpirituale, ſed potiùs quid temporale ſegregatum ad tempus, & omninò diuerſum à beneficio, ex quo delibatur; per penſionem non acquiritur titulus penſionario, nec datur ob ſpirituale aliquod miniſterium, nec intitulatur per penſionem quis alicui Eccleſiæ, ſine quibus requiſitis beneficium Eccleſiaſticum nequimus eum proprietate agnoſcere; eſto, quod penſionarius officium ſaltèm B. Mariæ Virginis teneatur recitare, at non hoc officium illud, propter quod iuxta germanam Eccleſiaſticam diſciplinam datur beneficium; color hic eſt, vt otioſi homines poſſint redditibus Eccleſiaſticis, onerari, & inutiles Dei Eccleſiæ poſſint fœliciùs iucundari; Loquimur ſemper de beneficio propriè ſumptò, nec moramur an latè, & impropriè ſumpto beneficij nomine penſio veniat, qua de re *Gigas*, & *Garz.*

*De penſionib. q.67. & q.94. de benef. p.1. c.4. n.70.*

Apparebit demùm quartò, & vltimò præſtimonium eſſe Eccleſiaſticum beneficium, ſi tamen ſecundùm eum ſtatum ipſum ſumamus, quo nunc in Eccleſia eſt in vſu; olim enim, & in primæua origine præſtimonia nil aliud erant niſi prouentus quidam deducti, ac delibati ex beneficiorum redditibus, qui aut in iuuenum laicorum ſubſidia, vt ſcilicèt litterarum ſtudijs incumberent, aut expeditionem militarem in terram ſanctam alacriter aſſumerent, in quo ſtatu beneficia Eccleſiaſtica dici non poterant; at ex quo prouentus huiuſmodi in titulum certæ alicus Eccleſiæ ob ſacrum aliquod, & Eccleſiaſticum miniſterium dari cœperunt, Eccleſiaſtici etiam, & veri beneficij naturam, & proprietates induerunt, & pro veriſſimis beneficijs haberi cœperunt, & dici ac nominari; *Cap. fin. de conceſſ. præb. in 6. c. quamuis de præb. in 6. c. conquerente de cler. non reſid.*

6 A generali beneficij aſſignatione ad ſpecies, & eiuſdem diuiſionem in eaſdem deſcendamus; de qua exactè *Tholoſan.* mittimus partitionem in beneficia propria, & impropria, quæ ſpecies tum ex definitione ſupra tradita, tum ex ijs, quæ ab ipſa deduximus omninò innoteſcunt; & ſtatim aſſumimus illam, vt beneficiorum alia ſint maiora, & alia ſint minora; maiora ſunt, quæ maioribus Eccleſiaſticis dignitatibus ſubſtant, ac fundamentum præbent; eaque ſunt Papatus; Patriarchatus, Archiepiſcopatus, Epiſcopatus, & Abbatia; reliqua verò alia quæcumque ſunt minora; & præter hoc diſcrimen eſt aliud etiam inter hæc beneficia conſiderabile ab efficiente cauſa deſumptum. Papatus enim efficiens, & conſtitutiua cauſa fuit Chriſtus ipſe per pauca, ſed vberrima verba *Paſce oues meas*; Reliquorum verò; Petrus, & Apoſtoli primitùs Cathedrales Eccleſias erigentes cum proſeminatione Euangelij, ſubinde Summus Pontifex, qui ſolus cathedrales erigere poteſt, & ſine eo nemo alius *c. 1. 22. diſt.* propter præeminentiam, quam tanquam caput ſupremum in Vniuerſam Eccleſiam gerit, & de qua iam ſatis dictum; Minorum verò efficiens cauſa eſt Epiſcopalis auctoritas *c. Epiſcopi* 80. *diſt.* ſine qua nemo beneficium Eccleſiaſticum valeat erigere; vt ex ipſa beneficij definitione. Secundo diuiduntur beneficia vt alia ſint ſecularia, & alia regularia; quæ diuiſio reſpicit ſtatum ipſius beneficij, & hic ſtatus dicit qualitatem à ſubſtantia beneficij omninò diuerſam ſupponit enim beneficium iam in eſſe poſitum, & conſtitutum, vndè (vt inquit *Lother.*)

*Inſt. rei benef. c. 10. & Synagm. iur. lib. 17. c. 13.*

*Matth. c. 10.*

Rei beneſic. lib. 1. c. 34. n. 2. *Lother.*) eſt qualitas permanens ipſius beneficij, ac veluti ſuper addita proprietas, aut in conſtitutione ipſius adiecta, aut ſuperueniens præſertim longo temporis ſpatio, ipſique quæſita; ſæcularia ſunt, quæ Clericis tantùm ſæcularibus poſſunt conferri, & ab ipſis tantùm poſſunt haberi. Regularia verò, quæ regularibus, & à regularibus; *c. cum de beneficio c. cum ſingula de præb. in 6. clem. 1. de elect.* hecque denominatio non à cauſa efficiente, ſed ſubiectiua deducitur, vt notauit *Gonzal.* (Ad reg. 8. Gloſ. 8 n. 38.) non à conferente, ſed ab eo, cui confertur; Ex eo autem inducta hæc diuiſio, quod Eccleſiæ, ſiuè templi nomen ſolis Cathedralibus, & paræcialibus fuerit primitùs tributum, ad quas etiam ſtatis diebus pro ſynaxi cum reliquis ouibus conueniebant & Monachi; qui cum primùm ſibi cęperunt Eccleſias conſtruere; non hę fuere Eccleſiæ dictæ, ſed oratoria, ſiue dǒmus oratoriæ. *Can. 4. Concil. Chalcedon. c. qui verè 16. q. 1. c. quidam Monachorum 18. q. 2. c. cum ad monaſterium, de ſtatu Monachorum.* Monachi enim primis temporibus nec ſacerdotes quidem fieri poterant, ſed omnes contemplationi vacabant, expertes etiam miſſarum ſacrificij, vel in magnis feſtiuitatibus Paſchæ, vt ſcribit *Petr. Bleſenſ.* (Ep. 86.) indultum ſubinde, vt vnus in quolibet monaſterio ad ſacerdotium promoueretur, à quo reliqui Sacramenta perciperent *c. Eleutherius 18. q. 2.* paulatim inde largitum eis, vt poſſent ad ſacros ordines peruenire, idque à Siricio Summo Pontifice *c. Monachos 16. q. 1.* & ab alijs Pontificibus confirmatum. *c. ſi Monachus c. moderamine ead. 16. q. 1.* ea tamen lege, vt à monaſterio exirent; quandoquidem tunc temporis nemo ordinari poterat, quin ſimul alicui addiceretur Eccleſiæ cui obſtriptus inſeruire, iam in Monaſterio ſimul degere non poterat; *c. ſi quis monachus 16. q. 1.* cum regularibus verò mitiùs in hac parte actum, quibus olim permiſſum regimen Eccleſiarum aſſumere. *c. fin. de voto, & voti redemp. c. quod dei timorem, de ſtatu monach.* rationemq; reddidit *Iuo Carnotenſ.* (Ep. 69.) ſic ſcribens. *quia in primitiua Eccleſia nullus eſt conſtitutus Rector animarum, niſi de communi vita aſſumptus c. ſcimus 12. q. 1.* Vnde hoc beneficio donati ad omnia demùm Eccleſiaſtica munia peruenerunt *c. doctos 16. q. 1.* ſicque tria monachi ſucceſſiuè obtinuerunt; Primùm, vt ad ordines promouerentur, ſecundum, & Eccleſiaſtica munia exercerent; tertiùm, vt in parochialibus Eccleſijs deſeruirent permittente Epiſcopo. *c. cum pro vtilitate 16. q. 1.* cuius iuriſdictioni Clerici facti ſubijciuntur *c. Abbates iunc. c. ſeq. 18. q. 2.* Quamuis ergo Monachis permiſſum eſſet Eccleſias proprias, & paræcias habere, ſed ità, vt Presbyterum præficerent, qui curam populi gereret, attamen hanc ipſam ſibi vſurpare cæperunt, quod diſplicuit Vrbano III. qui in Concilio Claromontenſi ſtatuit, vt Capellæ huiuſmodi per Presbyterum regantur, *c. 1. de capell. monach.* quem præſentare Epiſcopo debeant *c. 3. de priuil.* inuitus tamen hoc eis permiſit Vrbanus, & pro bono pacis, cum ſcandalum alitèr declinari non poſſet, vt habetur in antiqua decretali *in c. 1. de capell. monach.* (1. Compilat. apud Ant. Auguſt.) quod tamen ſeruatum non fuit, ſed in locis, in quibus monachi curam animarum exercebant, ijdem perſtiterunt, vnde Honor. III. *in c. fin. de capell. monachor.* demùm ſtatuit, vt nemo ſolitarius ſine ſocio in eiuſmodi Eccleſijs reſideat, aut ſæculari presbytero Eccleſiam huiuſmodi regendam dimittat; inde ergo nata ſingularis beneficiorum ſpecies, regu-

regularium ſcilicèt, quæ ſolis regularibus, poſſunt conferri; indeque brocardicum iam ſupra relatum, quod ſecularia ſæcularibus, & regularia regularibus, veniant conferenda; quod nouiſſimè confirmauit, & *Concil.Trid.*

*Seſſ.24.de re. form.c.01.*

Tertiò diuiditur beneficia, vt alia ſint curata, parochialia, ſiuè duplicia, aliâ verò ſimplicia; de qua in *c.cum ſingula de præb.in 6. & in c. de multa eod.*apud *Greg*... Curata, ſiuè parochialia (vt termini ipſi indicant) ſunt, quę eo nomine ſunt inſtituta, vt in ipſis habeatur ſacerdos, qui parochiam, & eius populum regat *c. regenda c. quæcumque* 10.*q.*1. cum poteſtate ligandi, atque ſoluendi; Non moramur, an ſit differentia inter Eccleſiam Parochialem, & curatam, & an voces iſtæ conuertantur, quod negauit *Rebuffus* & poſt eum *Gonzal.* ſed improbauit, *Lother.* & pro eodem accipi beneficium curatum, & parochiale voluit; Simplicia verò beneficia dicuntur, quæ quidem poſſidet, non alteriùs, quam ſui ipſius curam habet; *c.fin.de præb.* & ideò dici ſimplicia notauit *Duaren.* quia beneficia pura ſunt; nec is qualitas aliqua componens ineſt. Quartò diuiduntur beneficia à modo, quo de ipſis diſponitur, vt ſcilicèt alia ſint electiua, & alia collatiua; Electiua ſunt, quorum diſpoſitio pertinet ad vniuerſitatem, cuius eſt exprimere voluntatem, & conſenſum per electionem; de qua titulo inter Decretal. Summum Pontificum inſcriptus de *Electione*. Collatiua verò, quæ pertitent ad collationem legitimi ſuperioris; Voces clariſſimæ ſunt.

*ad Concord. Franc. tit.de collat. §. ſtatuimus 2. Gloſſ.6.n.93.*

*De Sac. Eccl. min.lib.3.c.8*

Quintò diuiduntur ab eodem modo diſponendi beneficia, vt alia dentur in commendam, & alia in titulum, *tex. in c.qui plures* 21.*q.*1.*c.dudum* 24. *de elect.c. nemo c. cum nobis eod. in* 6. commendandi originem retexit *Duaren.* Priſcis enim Eccleſiæ temporibus, ſi contingeret Eccleſiam aliquam deſtitui titulari, & rectore ſuo, ſiue per mortem, ſiuè per alium modum, vt notauit *Theod. Balſam. ad Can.* 34. *Apoſt.* nec ſpes eſſet adeò facile Eccleſię ipſi vacanti, aut deſtitutę conſulendi cępit ea idoneo, & probo alicui viro in cuſtodiam, & tutelam committi æconomica ratione Κατὰ λόγον τῆς οἰκονομίας inquit *Balſam.* ità, vt ceſſante vacatione, & cuſtodia expiraret; ſic enim ſalua canonum diſpoſitio cenſebatur, ne ſcilicet quis duabus ſimul Eccleſijs præficeretur, neue ab vna Eccleſia, cui eſſet addictus ad aliam transferretur; qui enim commendatam recipiebat, remanebat ſuæ Eccleſiæ titularis; ſi quam habuiſſet, nec titulum in commendata recipiebat; Redactum in abuſum hunc commendandi ritum tragicè exaggerat *Duaren.* & omninò inuerſum, factamque veriſſimam Sacris Canonibus fraudem, ſaluis enim eorum verbis voluntas, & intentio, ſiuè ſententia circumuenitur, vt inquit Iure Conſultus *in l.contra ff. de legibus*. Vnde dicebat *Cuiac:ad c. de multa de præb.* Commenda, & titulus differunt nomine non item re, ſecundum quam ſunt idem; nam non commendatur (vt olim) Eccleſia in ipſius vtilitatem, ſed in commendatarij commodum, non vt fructus ſeruet, ac ſucceſſori reſtituat, ſed vt ipſe ſibi habeat, & pro libito conſumat, inuerſo planè commendandi legitimo modo.

*De Sac. Eccl. min.lib.4.c.7*

Fuerit quidem primæuus hic commendandi modus; potuit nihilominùs ab habente poteſtatem non inuerti, ſed conuerti in alium æquè legitimum; vnde duplex inſtituta commenda, perpetua vna, in vtilitatem & ad vitam commendatarij; qui fructus colligere, & in ſui vtilitatem poſſit conuertere non ſecus ac verus titularis, ac bene-

nefi-

neficiarius, & hæc ab alio, quàm à Summo Pontifice fieri non poteſt; vt tradit *Auguſtin. Barboſ.* poſt alios à ſe congeſtos. Temporalis verò, qua datur alicui beneficium in cuſtodiam ad tempus, & in commendatæ ipſius Eccleſiæ vtilitatem, vt qui ſic recipit ſit veluti depoſitarius, commendare enim idem eſt ac deponeri; *l. commendare ff. de V. S. l. Lucius ff. Depoſ.* Hanc commendam facere poteſt Epiſcopus, & quilibet Prælatus inferior competentem Iuriſdictionem habens, at non vltra ſex menſes, *c. nemo deinceps. De elect. in 6.* quæ facultas ſublata eſt, vel potiùs immutata per *Concil. Trid. ſeſſ. 24. de Ref. c. 8.* ſtatuens, vt non commendetur, ſed ponatur in ea Vicarius ad ſex menſes, & à ſolo Epiſcopo in beneficijs curatis. Commendantur ad vitam, & perpetua commenda beneficia regularia ſæcularibus, non mutata tamen beneficiorũ natura, quæ nihilominus remanent regularia, vt aduertit optimè *Tholoſ.* hancq; commendam eſſe veriſſimum beneficium ſuſtinet *Gomeſ.* Dari verò in titulum dicitur beneficium, cum aſſignatur eo modo, quo legitimè poteſt acquiri, ac retineri ità, vt qui recipit ad vitam ſuam, & in perpetuum habeat, & inter eum, ac Eccleſiam matrimonium ſpirituale contrahatur, vt iam ſupra ad definitionem beneficij ponderauimus; & inde emicat ratio, propter quam quis plura beneficia in commendam habere poſſit, at non item in titulum, & niſi vnum; Vnicam enim vxorem habere quis poteſt, & vnicum ſimul contrahere matrimonium; at plures cuſtodias, pluraue depoſita nemo prohibetur, ſunt hæ potiores beneficij Eccleſiaſtici diuiſiones, & magis ad praxim facientes; Alias leuiores omittimus tanquam parum vtiles, de quibus *Tholoſ.* & ad præbendam tranſimus.

*Iur. Eccl vniu. lib. 3. c. 9. n. 22.*

*d. c. 10. n. 13.*

*Ad reg. de trien. q. 5.*

*Vbi ſup.*

*Pars II.*

## C A P. I I.

## De Præbendis in ſpecie.

1 *Præbendæ in ſpecie multiplex acceptio, & quæ rei noſtræ propria.*

2 *Præbendæ in ſpecie ſumptæ aſſignatio per triplicem actum, & per nexum iuris percipiendi cum redditu perceptibili.*

3 *Traditur ex iactis principijs præbendæ definitio, eaque explicatur.*

PRAEBENDAE nomen & in genere; & in ſpecie accipi docent *Tholoſ.* & nouiſſimè *Andr. Vallenſ.* ex *c. maiorib.* & *c. tuis de Præbend.* In genere æquipollet beneficio; & idem ſignificat ac beneficium Eccleſiaſticum, de quo in cap. præcedenti.

*In parat. iur. can. ad tit. de præb. n. 1.*

1 In ſpecie verò multiplicem habere ſignificationem tradit *Alfonſ. Hoieda.* Accipitur enim pro iure percipiendi fructus, & redditus in Eccleſia, cui quis inſeruit in Diuinis, quicumque ſit gradus, quem gerat *c. cum in Eccleſia de præb. in 6.* Et hæc eſt aliquantò latior acceptio. Secundò pro iure percipiendi fructus in Eccleſia, cui quis non præcisè in Diuinis, ſed ſimpliciter inſeruit, puta vt Aduocatus, Procurator, Magiſter, Famulus, vnde præbendę ſic ſumptę etiam laicus homo capax eſt *c. fin. de magiſt.* tertiò accipitur pro prædio, ſiuè fundo alicui in præbendam aſſignato *c. poſſeſſiones 12. q. 1. c. ſæpè fit 12. q. 2.* ſuppoſita tamen in Eccleſia diuiſione, & aſſignatione prębendarum cuilibet facta. Accipitur

*De benef. in comp. p. 1. c. 12. n. 1.*

 etiam

etiam præbenda pro fructibus, qui in Eccleſia percipiuntur, quique tanquam quid merè temporale & vendi, & in contractum quemlibet deduci poſſunt *c. 1. de locat. c. fin. ne Præl. vic. ſuas c. propoſuit. de fil. præsbyt.* Sumitur demùm præbenda (ad rem) pro iure percipiendi redditus ſeu prouentus in Eccleſia, cui quis inſeruit ratione Diuini Officij tanquam vnus de collegio, ſiuè de Capitulo; & vt verbo dicamus, tanquam Canonicus. Hæc eſt præbenda, de qua breuiter ſumus acturi; Præbendæ ſic ſumptæ origo conſtat ex ijs, quæ ſupra iam tradidimus, primordia Eccleſiaſtici beneficij detegentes; qui enim Clerici in primordiali vita in communi viuebant, ad victum neceſſaria quotidiè recipiebant in menſa communi & in catalogo, ſiuè in matricula diſcripti portiones ſuas habebant, quæ à prębendo præbendæ dictæ; ipſique Canonici regulares nuncupati *c. ſcimus c. qui tua c. neceſſaria 12. q. 1.* notauit *Cuiac. ad c. quoniam* [*de vita & honeſt. Cleric.* facta eſt demùm ſeparatio, & ab his Clericis etiam tranſitus ad vitam ſingularem, & vnicuique Clerico ſua portio aſſignata, ex qua prouentus percipiat, qui nihilominùs adhuc vnum corpus conſtituentes cum capite ſuo Epiſcopo ipſius etiam membra, & conſiliarij eſſent. *c. nouit. de his quæ fiunt à Prælat. ſine conſ. capit.* ſicque Canonici dicti Canonicatus (vt hodiè vocantur) conſtituti, præbendæ diſtinctæ, de quibus breuiter.

2 Vt autem præbenda ipſa, ex qua tanquam parte altera conſtitutiua beneficium canonicale inducitur, exactè percipiatur; tres actus diſtinguemus, qui in collatione canonicatus interueniunt, qui, vt ſunt inuicem diſtincti; ità effectus omninò diuerſos pariunt, quam ſanè doctrinam inſinuat *Panormitan.* Primus actus eſt receptio in fratrem, ſiuè in ſodalem; quæ receptio, aut fit in Eccleſia numerata, aut non numerata; Numerata eſt, in qua certus, ac determinatus eſt canonicorum numerus; Non numerata verò in qua nullus eſt numerus præfixus. Si in Eccleſia numerata quis recipiatur, tunc aut ſupra numerum, aut intra numerum; ſi ſupra, vel vltra numerum, tunc receptus nil aliud conſequitur, niſi ius merè aereum, & ventuoſum, vt ſcilicèt dicatur illius Eccleſiæ, in quam recipitur, Canonicus; Si autem recipiatur intra numerum, tunc conſequitur plenum ius Canoniæ conſiſtens in danda voce, & alijs functionibus Canonicalibus, vt notat *Abbas*; qui exemplum proponit in Eccleſijs regularium, & mendicantium, in quibus nullæ ſunt præbendæ, & tamen, qui recipitur ſtatim conſequitur ius, & fit de collegio; omnia poteſt, quæ cęteri de Collegio; ſtatim ergo ab electione hoc ius reſultat; quod inter Canonicos eſt ius Canoniæ; Vnde definitio Canonicatus, quam tradit *Hoieda*; quo ſcilicet ſit *ius habendi ſtallum, & locum in choro ad cantandum, & legendum, ac vocem in capitulo proueniens ex electione, & receptione in fratrem*; verificatur ſolummodo de Canonicatu in Eccleſia numerata, & de recepto intra numerum, non item de recepto ſupra numerum; quamuis autem ſic receptus hoc ius ſtatim acquirat, non tamen habet ſtatim, aut ei competit eiuſdem iuris exercitium, niſi poſt primum ſuccedat, & actus ſecundus, qui conſiſtit in aſſignatione ſtalli, & loci in choro, qui actus immediatum parit effectum, iſque eſt ius obtinendi, ſiue lucrandi quotidianas diſtributiones, aliaue emolumenta, quę ijs tribuuntur, qui interſunt diuinis officijs, & Eccleſiæ inſeruiunt; nec ex vi huiuſce iuris

*Ad c. dilectus 19. de Præb. n. 8.*

*Vbi ſup. n. 7.*

*De incōpatib. p. 1. c. 1. a. 8. n. 1.*

iuris aliquid vltra acquiritur, vt apertè reſcribit Summus Pontifex *in c. relatum de præb.* Iamque ex duobus hiſce actibus Canonicum quidem habemus, at nondum dicere poſſimus ipſum prębendatum, qualis re vera debet eſſe Canonicus, & Canonicus præbendarius, vt loquitur Concilium Placentinum *in Can. ſanctor.* §. *omninò* 70. *diſt.* immò nec dicere poſſumus ipſum beneficiatum, quia deficit pars altera, quam vnà cum iure percipiendi ad conſtituendum Eccleſiaſticum beneficium ſupra nouimus requiri, debet enim habere beneficium congruam dotem ſuam, quæ in canonicatu, ſiue beneficio canonicali alia non eſt, quam præbenda *d. c. cum dilectus* 19. *de præb.* Vnde conſequitur demùm tertius actus, qui in plena collatione Canonicatus adeſſe debet, & eſt aſſignatio præbendæ; Et ex hac actuum ſerie vnum euincitur tanquam euidens, & ſummopere ad dicenda conſiderabile, & eſt omnimoda nedum diſtinctio, ſed & diuerſitas, quæ inter Canonicatum, & præbendam viget, habent enim duo hæc vnum tantùm quod ſit ipſis commune, & eſt reſpectus, ſiue relatio coniunctionis; ſiuè vnionis, qui non eſt eſſentialis; ſed planè accidentalis; & contingibilis; cuius rei apertiſſimum illud eſt argumentum, quod ſi Canonicatus, & præbenda ſint vnita, adhuc ipſorum alterutrum poteſt habere qualitatem, quam non habeat alterum; puta, cum aut ſoli canonicatui, aut ſoli præbendæ eſt annexus ordo ſacerdotalis, tunc enim habebit qualitatem canonicatus, quam non habet præbenda, vel vice verſa præbenda, quam non habeat Canonicatus, & ne fortaſſe dubitetur, an hæc ordinis adnexio poſſit fieri alterutri tantùm ſiuè canonicatui, ſiuè præbendæ tex. proferemus id expræſsè probantem *in Clem. vt ij, qui* §. 1. *De æt. qual. & ord. præfic.* quem tex. ità accepit *Geminian.* vt ſopponat ſacerdotium adnecti quandoque dignitati, quandoque officio; aut perſonatui, & quandoque præbendæ; quod firmauit & *Io: Andr.* Confirmat prætereà diuerſitatem omnimodam; & diſtinctionem inter Canonicatum, & præbendam illud, quod ſcilicet neceſſariò non conueniunt in articulo collationis, nec reſpectu collatoris; Non in articulo collationis, hoc eſt temporis conferendi, quia non eſt neceſſe, vt ſimul, & ſemel, hoc eſt in eodem articulo temporis conferantur; vt indicant mox ſupra allegata iura in *c. dilectus & in c. relatum de præb.* quæ ſupponunt collatum canonicatum ſine collatione prębendæ; Non reſpectu collatoris, quia non eſt neceſſe; vt idem vtriuſque ſit collator ſed collatio Canonicatus fundatur maximè in capitulo nec ab eo poteſt vnquam auuelli, ea ratione, ne fiat quis de Vniuerſitate ſine illorum conſenſu, qui vniuerſitatem conſtituunt, quod vel ratio ipſa naturalis abhorret; idque eſt in cauſa (vt obitèr hoc tangamus,) vt prouiſus à Summo Pontifice de Canonicatu, adhuc debeat cum diplomatibus ab capitulum accedere, & ab eo ipſi tradi actualis poſſeſſio; non enim hoc ideò, quaſi ſit imperfecta Pontificia prouiſio, niſi & ipſius Capituli conſenſus accedat, ſed quia receptionis in fratrem vim habeat omninò neceſſariæ; At verò collatio præbendæ ad Epiſcopum, aut alium etiam poteſt pertinere *tex. in c. cum te de reſcript. & in c. dilectus* 34. *de præb.* Vt autem Præbenda, & eius aſſignatio exactè percipiatur, notabimus *Innoc.* doctrinam monentis Præbendam, & præbendæ nomen eſſe quid iuris, & non conſtitui ipſam ex ſolis prædijs, ſiuè temporalibus bonis, ſed

*Ad c. ei, qui n. 12. de pręb. in 6.*

*Ibid. n. 6.*

*Ad C. maioribus in princ. de Præb.*

ſed ex iure percipiendi, & redditu perceptibili adeò, vt nec bona ſine iure, nec ius ſine bonis præbendam conſtituant, ſed ex mutuo vtriuſque nexu ipſa conſurgat, quæ demùm fiat præbenda canonicalis per aſſignationem, quæ aſſignatio neceſſaria omninò eſt ratione illa planè naturali, vt ſcilicèt, qui eſt inſtitutus, & habet officium in Eccleſia debito ſtipendio non careat, vt ait Summus Pontifex *in c. relatum de præb.* vnde nec ius ſine aſſignatis, & correſpectiuis bonis, nec bona ſine iure poſſunt dici præbenda, bona enim per ſe ſunt potiùs, & dicuntur præbendalia, & pinguedo prębendæ, quàm præbenda, & ideò ſine labe vlla in optionem canonicam veniunt, de qua dicemus infrà opportunè.

3 Qua ſtante Innocentij doctrina appoſitè definitur canonicalis præbenda, *quod ſit ius percipiendi fructus, ſiue redditus in Eccleſia, cui præbendatus inſeruit competens, ex Officio Diuino tanquam vni de collegio.* Sicut & eam definiuere *Hoſtienſ. & Card. & Hoieda Ius*; hoc eſt facultas à iure, ſicut & vſufructus in hunc eundem ſenſum definitur, quod ſit ius *in* §.1. *inſt.tit.de vſuf.* & ideò eſt quid in corporale; neque tamen per hoc ipſam confundas cum canonica, à qua prębenda eſt omninò nedum diſtincta, ſed & diuerſa; Nam canonica eſt quidem ius, ſed proueniens ab electione; ſiue receptione in fratrem quam conſequitur, tanquam effectus, inſtitutio, & officium; Præbenda verò eſt ius, ſed proueniens ab ipſa inſtitutione, & officio ex ea ratione, quod qui altari ſeruit de altare viuere debet *c. cum ſecundum de præb.* id docuit optimè *Gloſſ.* Hæc eſt ergo præbenda canonicalis, quæ adnexa canoniæ conſtituit beneficium canonicale, & ſic ſumpta ſtat pro toto ipſo compoſito; & quamuis nonnunquam de ſolis temporalibus bonis dicatur, attamen tunc latiori modo ſumitur, & ampliori ſignificatione, quam illa, de qua loquimur.

*In ſumma de præb. num. 1. Clem. Vlt. eod tit. de incompatib. p. 1. c. 12. n. 1.*

*Ad c. cum M. de conſtit. in verbo receperunt.*

## De Optione Canonica Excurſus.

1 *De optione Canonica inſtituitur tractatio à nominis declaratione, & definitione.*
2 *Quænam propria optionis materia, & optio quotuplex.*
3 *De tempore ad optionem ſtatuto, cęteriſque ad eam requiſitis, & præcipuè, qui poſſint optare.*
4 *Quæ beneficia poſſint optari.*
5 *Præbenda Theologalis, & pænitentiaria an poſſint optari, & de ipſarum origine, ac inſtitutione.*

EXPLICITA iam excitamur opportunè, vt de optione eiuſdem præbendæ breuem diſſertationem inſtituamus; Materia ſi quidem frequentiſſima eſt, & in Cathedralibus Eccleſijs quotidiè practicatur, vnde eam noſſe nec inutile, nec iniucundum erit.

1 Sedes materiæ eſt in *c. fin. de conſuet. in 6.* & de ea *Gonzal. Garz. Lother. Zancb. Moneta*, & ſi qui alii; Diſtinguemus primò vocem homonimam, & ſubinde rem aggrediemur; Accipitur primò hæc vox *optio* pro certo genere exactionis *l. ſuper creandis in fin. & ibi Gloſſ. in verbo optione c. de iure fiſci lib. 10.* nempè exactionis tributi pro militum annona, vt ad eandem *l. notauit Cuiac.* quamuis in ea *l.* verbum *optione* acceperit *Briſſon.* non de *exactione*, ſed de *exactore*, & cum eo *Cuiac.* quidquid ſit hoc parùm ad rem.

Accipitur aliquandò optionis nomen

*Ad reg. 8 Gloſſ. 34. de Benef. p. 4. c. 5. d n. 118.*

*De re benef. lib. 1 q. 17. & alibi paſſim.*

*In tract. de opt. Can. in eodem tract.*

*De Verb. ſign. lib. 13.*

*Ad l. 6. c. de exactor. tribut. lib. 10.*

nomen pro electione, quæ à teſtatore legatario conceditur in relegata §.*optionis inſt.tit.de legat.*Propiùs ad rem noſtram. Optiones in re militari dicebantur, qui antecedentibus ægritudine præpeditis, tanquam adoptati, & Vicarij eorum vniuerſa curabant, vt *ex Veget.de re milit. & ex l.fin.ff. de iur. immunit.probat. Briſſon*.Demùm ad rem, de qua loquimur, optio eſt ius, quo antiquiores Canonici in Eccleſia vacantes pinguiores præbendas, gradatim acquirunt *c.fin. de conſuet.in 6*. Praxis rem indicat,nec eſt cur exemplo eam magis illuſtremus; Optio à iure ſcripto non eſt, tota ſiquidem eius origo, & ſubſiſtentia eſt à conſuetudine, quæ tamen ius facit §.*ius autem inſt. de iure nat. gent. & ciu.* Vnde *Gonzal.* ipſam diuiſit tanquam in duas ſpecies; in optionem ſcilicèt contra ius, & præter ius, quam diuiſionem mox infra applicabimus; Præcipuè autem incumbendum nobis eſt, vt materiam, circa quam optio verſatur, aſſignemus, in hac enim aſſignatione præcipuus materiæ cardo poſitus videtur.

*Lib. 2.c. 7. Vbi ſup.*

*Vbi ſup. n.11.*

2 Cum igitur Canonicale beneficium in connexione, & vnione præbendæ cum Canonicatu conſiſtat, hæc vnio, ſiue connexio duplicitèr ſe habere poteſt, vel duplicitèr poteſt præbenda Canonicatui, ſiue Canoniæ coniugi; Alia enim eſt connexio perpetua, ſiue inſuperabilis, alia verò non perpetua, ſiue ſeparabilis; Perpetua eſt, per quam prædium præbendale ità eſt affixum Canonicatui, vt ab eo nullo modo poſſit diſiungi, & nec per momentum quidem ſeparari; *l.quemadmodum c.de Agric. & cenſit. lib.11.* & in hoc caſu eatenus locum habere poteſt optio, quatenùs interueniat auctoritas ſuperioris inſtituere valentis, ex doctrina *Hoſtienſ.* Temporalis verò connexio eſt, ſiue reuocabilis, (ſuper qua regularitèr verſatur totum ius optionis, illa, per quam præbenda ità eſt vnita Canonicatui, vt tamen ſit ab eo ſeparabilis, ſemper enim præbenda debet eſſe, & eſt connexa iuri ſpirituali reſpectu ſcilicet canoniç, idque colligitur ex correlatione numeri, quot enim ſunt Canonicatus, tot etiam ſunt præbendæ, vt expendit *Panorm.* Vnde & ſequitur diſpoſitionem Canonicatus tanquam quid ei connexum; & ideò quamuis ratione connexionis ſit præbenda quid ſpirituale, quia tamen à ſingulis Canonicatibus eſt ſeparabilis, ideò quoad effectum optandi cenſetur quid temporale, & in optionem venit ſine vlla nota ſimoniæ; eſt ergo connexa ſemper alicui Canonicatui, & ab hoc, vel ab illo eſt ſeparabilis, licèt non poſſit ſubſiſtere ſine omni Canonicatu; tunc enim non eſſet amplius præbenda canonicalis, ſed tranſiret in præbendam latiùs ſumptam.

*Ad c.que ſitum n. 3. de rerum permut.*

*Ad c.maiorib n.4.& c.dilecto n. 6. de preb.*

Huc ergo reſpexit *Gonzal.* cum optionem diſtinxit in optionem contra ius,& præter ius; Optionem enim contra ius tunc intelligit,quando præbendç ſunt adnexæ cuilibet canonicatui coniunctionem inſeparabili ità, vt ille qui optat aſſumat non ſolùm prçbendã vacantem,ſed etiam,canonicatum,ſiue canoniam ipſi inſeparabiliter adnexam,& non ſolam pinguedinem prçbendç,ſiuè præbendalia, ſed etiam ius ipſum, & canoniam, & qui dimittit, dimittit prædia bræbendalia, ſiue materiale præbendæ, ſed inſuper formale præbendæ, & Canonicatum omninò adnexum; ſicque omnia mutantur præbenda, titulus & Canonicatus. At verò præter ius, quandò præbendæ ſunt vnitæ Canonicatui, ſed ſeparabilitèr, & tunc qui optat non acquirit titulum, aut aliquid ſpirituale, ſed acquirit ſolùm

*Gloſſ.34.n.12*

lùm

lùm temporale præbendæ, ſiuè præbendalia, & dimittit ſolùm materiale præbendæ nullo ſpirituali dimiſſo; Vnde & dimittens dimittit ſolum temporale remanente Canonia ſiue Canonicatu cum præbenda; quæ remanſerit poſt omnium optionem illi, qui defuncto ſuccedit, ob cuius obitum locus factus eſt optioni. Ad optionem primam quæ eſt contra ius requiritur conſuetudo quadragenaria, ſed inſuper addidit *Lotber.* requiri auctoritatem ſuperioris inſtituere valentis; non alia de cauſa, niſi quia cum per hanc optionem omnia mutentur titulus, ius præbendæ, & præbenda ipſa, fit noua collatio, ideoque, & requiritur noua inſtitutio, ſine qua beneficia haberi non poſſunt. At in optione præter ius ſufficit decennalis conſuetudo, in actu enim optionis ſeparatur præbenda à ſingulis canonicatibus reſpectiuè, quę ad effectum ipſius optionis cenſetur quid temporale, non enim optatur præbenda formalis, quatenus eſt ius percipiendi fructus ex prædio, ſiue ex præbendalibus, ſed ea ſemper retenta cum Canonia, optantur præbendalia, quæ ſunt quid merè temporale, at ſemper tamen dicunt reſpectum ad ius, & canoniam, qui reſpectus facit, ne huiuſmodi prædia iure ſæculari veniant cenſenda; Hincque pendet ſolutio quęſtionis, quæ facilè in praxi emergere poteſt, & quam diſcutit *Gigas*; Si ſuper fructibus alicuius præbendę canonicalis reſeruata ſit penſio, eaque ſit per aliquod tempus ſoluta, & contingat ſoluentem optare aliam præbendam, & ſubſequentem Canonicum dimiſſam prębendam recipere, quiſnam ad penſionem ſoluendam in poſterum teneatur? An qui dimiſit grauatam præbendam, an verò qui eam recepit? iuxtà enim varium optionis modum variæ etiam erit reſpondendum; Si enim optione contra iùs omnia mutentur, tranſibit cum ipſis & penſio, ideòque recipiens tenebitur, tranſeunt enim omnia cum ſuo onere nec ſeparatur penſio acceſſoria à ſuo ſubiecto ſi verò optione præter ius mutetur ſolùm materiale præbendę alijs retentis nempe eodem titulo, & iure tenebitur, qui dimiſit, ex quo retinuit eundem titulum, & præbendam ſpiritualem, ſuper qua intelligitur reſeruata penſio; & iuxta hanc eandem diſtinctionem reſpondebitur quæſito, an optata præbenda intelligatur optatus Canonicatus, ſiue Canonia, ſemper enim ad modum optandi reſpiciendum erit.

*De penſionib. q. 63.*

3 Optionis ſubſtantia ſic declarata iam reliqua breuitèr ad ipſam ſpectantia percurramus; Optio intra viginti dierum ſpatium fieri debet, vt innuit *tex. in c. fin. de conſuetud. in 6.* qui labuntur ſimul omnibus optare volentibus; ſed tamen præfixum hoc ſpatium & minui poteſt à Capitulo, & prorogari, vt aduertit *Moneta*, & computatur à die veriſimilis notitiæ, cum non currat ignorantibus; Optio eo ordine fieri debet, vt primò optent antiquiores, & ſubinde iuniores *d. c. fin.* nec ſemel ſolùm, ſed quilibet quoties caſus contigerit, cum optio ſit actus natura ſua repetibilis; Verùm ſi antiquior differat optare, & immineat periculum ne ladatur tempus, qui ſubſequens eſt iunior poterit præbendam optare, quam antiquior ſumere debebat, & tenebit optio facta per iuniorem, in euentum, quo ſenior, vel antiquior intra tempus ſtatutum non optauerit.

*De Opt. c. 4. q. 3.*

Dum autem Antiquiores dicimus non intelligimus ætate, ſed receptione, ſiue poſſeſſione, quique diutiùs Eccleſiæ inſeruierunt, vnde ſi quis iam Canonicus, nouum Canonicatum, & præbendam impetrauerit, & eadem

fuerit

fuerit prouiſus ità, vt nouam poſſeſſionem fuerit adeptus, non cenſebitur antiquior habito reſpectu ad primum Canonicatum, ſed ad ſecundum, & ideò qui poſterior erat reſpectu primi Canonicatus, ſed antiquior reſpectu ſecundi optabit ante ipſum. Nec ſolùm præſentes optare poſſunt, ſed etiam abſentes per procuratorem ſcilicèt, etiam ſi non habeat ſpeciale mandatum, ſed generale cum libera, vel ſit ſimplex negotiorum geſtor, præſtita enim per principalem ratihabitione, ſubſiſtet optio. Excommunicatus ab optione non arcetur, vt docet *Couaruu.* cum non fiat noui iuris collatio, ſed potiùs in mero facto optio conſiſtat; qua tamen attenta doctrina ſpectanda erit iam tradita ſupra diſtinctio optionis contra ius, & præter ius, hanc enim exercere poterit excommunicatus, non item illam, in qua propter omnia mutata fit noua collatio; Si autem antiquior Canonicus propter aliquod impedimentum ſit inhabilis ad ordinem adnexum Canonicatui, ſiuè præbendæ optare non poterit; ſed recurret iterum eadem diſtinctionis conſideratio; Nàm vbi per optionem omnia mutantur inhabilis ad ordinem optare non poterit, cum ordinem adnexum non poſſit exercere; Idque factum obſeruamus in Eccleſia noſtra Paduana, in qua optio contra ius exercetur, Canonicus enim natalibus nobiliſſimus, ſed propter manus defectum inhabilis ad ſacerdotium, per breue ſpeciale Summi Pontificis habilitatus fuit, vt quamcumque præbendam cuiuſque ordinis poſſit optare, & quæcumque ab ipſo optata fiat ſubdiaconalis, quem vnicum maiorem ordinem ipſe habet, nec alterius propter defectum eſt capax. An autem cœcus, mutus, aut ſurdus poſſint optare? Quæſito ſatisfacit *Moneta* ſub ea diſtinctione, aut enim

*Moneta c.5.q.1.*

*Ad c. Alma mater p.1. §.7.n.4.*

*Cap.4.q.6.n.117.*

ſuperuenit cæcitas poſt adeptum beneficium, aut ante aderat; Si ſuperuenit optare nihilominus poterit, iam enim ius optandi eſt legitimè ipſi quæſitum, nec propter ſuperuenientem infœlicitatem eſt ipſo priuandus, afflicto enim non eſt addenda afflictio, *c. 1. de Cler. ægrot. c. ſaris peruerſum 7. diſt.* ſi verò primitùs adfuerit, non item, quamuis vix eſt credibile, quod cœco conferatur de nouo Canonicatus, & præbenda; vel ad ſummum dici poſſet, prout innuit idem *Moneta*, quod cœcus optionem præter ius facere poſſit, per quam ſolùm materiale præbendæ acquiritur, cuius capax eſt cęcus, & quicumque alius ſuperuenienti morbo laborans, at non item optionem contra ius, per quam nouus titulus, & nouum beneficium acquiritur.

*Num. 125.*

4 Quæ autem beneficia poſſint optari, ſi quæras; à conſuetudine ipſa iam inducta, & obtinente ea dignoſcemus, vt circa quæ ipſa verſatur, hæc dicamus in optionem venire, ſed præcipuè ſunt præbendæ canonicales in Cathedralibus, & Collegiatis; verùm hæ ipſæ in optionem non venient, ſi vacauerint in Curia, aut apud Sedem Apoſtolicam, apertè enim excipit, & limitat Bonifacius in *d.c.fin.de conſuet.* in 6. vel ſi quæ erunt huiuſmodi aut alia beneficia ſiue generalitèr, ſiuè ſpecialiter reſeruata, & præcipuè ſi vacauerint in menſibus per regulam octauam Cancellariæ Apoſtolicæ reſeruatis; Vetat enim optionem Summus Pontifex expreſsè in eadem regula, quę inter regulas Sanctiſſimi Clementis X. eſt nona, & ad hunc effectum efficaciùs inducendum omnem conſuetudinem tollit, & abrogat etiam immemorabilem, vt obſeruat *Gonzal.* nec magis obtinet optio in beneficijs, quæ vacant per reſignationem, aut permutatio-

*d. Gloſ. 34. n. 1*

tationem; non enim tanquam vacantia poſſunt per optionem aſſumi, obſtat ſiquidem reſignantium, aut permutantium intentio, fraudari bona fides non patitur, vt aduertit *Tholoſ.* *In Inſt. Beneſ. c. 39. n. 4.* ſi quæ verò deuoluerentur ad Sedem Apoſtolicam ex eo, quod intra ſex menſes à Concilio Lateranenſi ſtatutos collator inferior negligentèr agens ea non conferret, hæc vtique poſſent in optionem venire, vt poſt *Io: Andr.* notauit *Tholoſan.* *Vbi ſupra.*

5 Ab optione excipitur demùm præbenda, quæ eſt adnexa Canonicatui Theologali, ſiue Pœnitentiario, neutra enim optari poteſt. Eſto ſiquidem, quod ſit in Eccleſia, in qua obſeruetur optio contra ius, per quam omnia mutantur, tunc optio à Theologo, aut Pœnitentiario fieri non poteſt, munus enim eſt inſertum canonicatui, & eſt electa induſtria perſonæ, nec perſonam egredi poteſt, aut alium Canonicatum poteſt ipſe aſſumere, cui nequeat dici adnexum hoc munus; Si verò obſeruetur optio præter ius, neque hæc exerceri poterit, quia præbenda eſt inſeparabilitèr coniuncta tali canonicatui, nec poteſt per optionem ſeparari, Et cum inciderit mentio Theologalis, & Pœnitentiarij Canonicatus, non pigebit vtriuſque indicare originem, à qua ſtatum hodiernum licebit agnoſcere.

In Monaſterijs ſicut erant ſcholæ, in quibus erudirentur, qui amplexandæ vitæ monaſticæ cauſa ibi collocabantur, ità in parochijs, & Plebanijs vigebunt eædem, in quibus inſtruerentur iuniores, qui ſtatui Clericali addicerentur, vt ex Concil. Matiſcen. habet *tex. in c. 3. de vita, & honeſt. Cler.* temporis ſucceſſu ſubinde factum, vt in omnibus Cathedralibus Eccleſijs ſcholæ ſint erectæ, præfectuſque doctor, qui Theologiam profiteretur; idque procurauit Carolus Magnus, & fuit ſtatutum in Concilio Meldenſi *Can. 35.* iamque obtinere cœpit; in Gallijs præſertim, vt huiuſmodi doctoribus præbenda aſſignaretur, vt indicat, ac ſupponit *Alex. III. in c. vn. de magiſtr. in ſecunda compil. apud Ant. Auguſtin.* qui demùm in Concilio Lateranenſi decreuit, vt ſtipendia certa eis aſſignarentur, & poſtea, vt in qualibet Eccleſia Metropolitana duæ præbendæ ſtatuerentur altera Theologo, altera verò Magiſtro liberalium artium. *c. 1. & c. pen. de magiſt.* & nouiſſimè confirmauit Concil. Trid. ad omnes Cathedrales, & Collegiatas amplians, vt in ipſis præſertim lectio Sacræ Scripturæ exerceatur; *Seſſ. 5. c. 1* Huiuſmodi ſcholarum, quæ in Eccleſijs haberentur meminit *S. Hieronym.* paſſim, ſcholæ ſcilicet Antiochenæ, in qua floruit Lucianus Presbyter; & Alexandrinæ, in qua Clemens, Origenes, Pantænus; Vnde vel à primis Eccleſiæ cunabulis eas fuiſse in vſu licèt colligere. *De ſcriptor. Eccleſ.*

Quod verò ad pœnitentiarium attinet; certum eſt vel ab Apoſtolorum temporibus in vſu fuiſſe, vt fideles coram Sacerdotibus ſiuè publicè, ſiuè priuatim peccatorum confeſſionem facerent, ſed præſertim Decij temporibus fuiſſe in Eccleſijs presbyteros pœnitentiarios, qui confeſſionem peccatorum audirent obſeruat *Baron.* ex apertiſſima auctoritate *Socratis*, & *Sozomeni*, *Tom. 1. Annal. ann. 57.* qui, licèt Nouatiani, hunc Eccleſiæ morem apertiſſimè teſtantur. Decij autem, æuo, cum creſceret in dies lapſorum quantitas, auctus etiam fuit Presbyterorum pœnitentiariorum numerus potiùs, quam inſtitutus, qui ſubinde, & in Eccleſia perdurauit. Quod autem narrat Socrates de ſublato presbytero pœnitentiario à Nectario Epiſcopo Conſtantinopolitano occaſione

ſione oborti ſcandali, quod ipſe recenſet, & malè detorquent Nouatores, immò & Socrates ipſe tanquam Nouatianus, vt inde arguat pœnitentiam, quæ à Sacerdotibus in Eccleſia miniſtrari coſueuerat per Nectarium ipſum prorſus ſublatam, oſtendit luculentiſ- *Vbi ſup.* ſimè *Baron.* omninò falſum, noſque Deo dante hac de re agemus, cum de pęnitentia exactè tractabimus. Hoc ratum (ad rem) quod cum hoc pœnitentiarij munus in deſuetudinem (vt alia plura) abijſſet; innouandum eius vſum cenſuit Concil. Trident. ſummo zelo præſcriptis conditionibus, & ſtatuta ætate, quæ in promouendo ad tantum munus veniat ſpectanda. Executioni mandatum fuit Decretum; An autem ſubſecuta fuerit ea vtilitas, quam in idea conceperat ſynodus, viderint, qui in Cathedralibus pęnitentiarium intuentur. Ex Sacræ Congregationis decretis abſoluere non poteſt à caſibus reſeruatis Epiſcopo, ſine ſpeciali facultate indulta; minùs à reſeruatis Apoſtolicæ Sedi, Vnde remanent peccata ordinaria; pro quorum abſolutione non deſunt vbique confeſſarij cum ſæculares, tum regulares, & ideò ſi non inutilis, at certè modò non neceſſaria pœnitentiarij opera; Verùm certè neceſſaria in Sacroſancti Concilii obſequium; Et hæc ſatis de Optione Canonica, ad quam nos opportunè promouit conſideratio præbendæ canonicalis, & eius connexio cum Canonia; reliqua leuiora circa optionem poterunt haberi ab auctoribus iam allegatis de materia tractantibus, vnde iuſto ordine ad Decimas, primitias, & oblationes tranſeamus.

# CAP. III.

## De Decimis, Primitijs, & Oblationibus.

1 *Decimarum ſolutio in naturæ lege, ac ſubinde, & in lege ſcripta.*

2 *An ceſſauerit Decimarum obligatio ceſſante lege Moſaica.*

3 *Sub Euangelica lege Decimæ an debeantur adhuc Diuino, aut naturali iure diſtinctione oſtenditur.*

4 *Conſuetudine an poſſit abrogari Decimarum ſolutio?*

5 *An exemptio à Decimis poſſit præſcriptione acquiri.*

6 *An eadem priuilegio Summi Pontificis poſſit induci.*

7 *De quibus veniant ſoluendæ Decimæ.*

8 *Quinam teneantur ſoluere Decimas, & quibus.*

9 *Decimæ quatenus poſſint à laicis in feudum haberi.*

10 *Religioſi, & Clerici an teneantur ſoluere Decimas.*

11 *Primitiæ quid? de quibus rebus qui ſoluere debeant, & quomodo, ac quibus.*

12 *Oblationes quæ, & quo cenſeantur iure.*

1 Beneficiorum Eccleſiaſticorum; & præbendarum redditus, qui ad ipſorū conſtitutionem requiruntur non ſolùm ex immobilibus bonis percipiuntur, ſed & ex Decimis, primitiis, & oblationibus de quibus adnectendum recto ordine ſuccedit; & de ſingulis po-



Digitized by Google

tiora breuitèr promemus; A Decimis exordiemur de ipſarum origine primò ſoliciti; næc enim, rectè, & appoſitè aſſignata ad dicenda fundamentum ſternit, & ad conſectaria quamplura, quæ ad praxim vtilitèr conferunt, vt doctè præmiſit *Couar.* vel vno naturæ ductu, & ſub naturæ lege ſolutas decimas intuebimur ſi reſpiciamus ad iuſtos viros; & primæuos Patres; ſoluit enim Abraham Melchiſedech Sacerdoti Dei Altiſſimi ex manubijs deuictorum hoſtium; ſic & Iacob *cunctorum, quæ dederis mihi Decimas offeram tibi*; Et dato, quod ſpeciali lumine directi à Deo id præſtiterint; aſt alij vtcumque rudiores hoc quaſi naturalis pietatis opus non omiſere; *Ibi Decimas Deo, quem vocant Sabin. menſura, non pondere ſacerdotes capiunt*; inquit Plinius de thure loquens & de cinnamomo; *Sarmenta haſta diuidit Sacerdos, Deoque partem ponit, reliquum mercator in naſſas condit*.

Var. reſol. lib. 1. cap. 17. in princ. — Geneſ. 14. — Geneſ. 28. — Lib. 12. c. 14. — Lib. 12. c. 19.

Nec ſatis Numini hoc obligationis vinculum vna cum religione indidiſſe homini, ſed externam legem populo ſuo tradens præceptum per Moſem ijdem conſtituit; *Decimas tuas, & primitias tuas non tardabis reddere*. & alibi; *omnes Decimæ terræ ſiue de frugibus; ſiuè de pomis arborum Domini ſunt, & illi ſanctificantur; omnium decimarum bouis, & ouis, & capræ, quæ ſub paſtoris virga tranſeunt, qiudquid decimum venerit ſanctificabitur Domino*; Haſque decimas Deus ſibi retinuit, non quod omnium Dominus ijs egeat, *Non accipiam* (ait) *de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos: quoniam meæ ſunt omnes feræ ſyluarum iumenta in montibus, & boues, cognoui omnia volatilia cœli, & pulchritudo agri mecum eſt*, ſed in ſignum ſupræmi dominij, voluitque ſolui non in præmium, ſed in honorem *can. Decimæ 16. q. c. tua de decim.* lætatur enim Deus agnitus veluti auctor, & largitor omnium bonorum per fidele hominum obſequium; Nec ſibi tantùm decimas ſoluendas conſtituit at diuiſa promiſſionis terra inter filios Iſrael funiculo diſtributionis, tribui leui nulla ſors contigir, verùm decimam omnium fructuum, quos reliquæ tribus colligerent, ipſi quotannis præſtandam aſſignauit, vt ſic tribus Dei cultui addicta, & ſacri miniſtri à negotiationibus, & populi tumultu eſſent alieni.

Exod. 22. — Leuit. c. 27. 30 — Pſalm. 49.

2 Iam ergo & naturali, & Diuino, eoque explicito, iure debitæ Decimæ; Neque obijcias expunctum expliciti diuini iuris præceptum, neque vllam eius ampliùs vigere obligationem; Reddita enim lex vetus Moſaica inutilis, omniaque eius iam ceſſare præcepta, & cum ijs hoc ipſum de ſoluendis decimis; Nam præcepta Moſaicæ legis triplicia obſeruauit *S. Thom.* cæremonialia, moralia, & iudicialia; cæremonialia, quæ ad Dei cultum per ſacrificia, & cætera huiuſmodi ſpectabant; Moralia, quæ ſunt ex dictamine legis naturæ, aut ab eius principiis deducta; iudicialia, quæ ad externam politiam, & politicum regimen diſponendum dirigebantur; totidemque ſub alijs terminis expreſſit, ac enumerauit Apoſtolus ſcribens, *Itaque lex quidem ſancta; & mandatum ſanctum, & iuſtum, & bonum*. Per ſanctum cæremonialia, per iuſtum iudicialia, per bonum moralia præcepta innuens; Quoad ceſſationem igitur de omnibus hiſce præceptis non idem eſt cenſendum; Cæremonialia enim omninò euanuerunt; ea ſiquidem, vt notauit *Vaſquez.* primò, & principalitèr dirigebantur ad ſignificandum Chriſtum aliqua ratione venturum, & ideò, quia iam

1. 2. q. 99. art. 4. in corp. — Ad Roman. c. 7. — Tract. de benef. & præb. §. vn. dub. 1 n. 2.

iam Chriſtus venit, & veritas adeſt; figuræ ceſſant, mendaciaque eſſent, ſi exercerentur; & non ſolùm ſunt mortua, ſed etiam mortifera ſi adhibeantur; ſi quæ verò tunc fuiſſent ceremoniæ, quæ non ità Chriſtum venturum ſignificarent renouari poſſunt, & ſeruari, vt incenſum adolere, & ſi quæ huiuſmodi. Iudicialia poſt Chriſti aduentum, & mortem, ſunt quidem mortua, non tamen mortifera, hoc eſt, quamuis non obligent, poſſunt tamen ſine peccato aliqua obſeruari, & à Pontificibus, & Principibus renouari, cuiuſmodi renouata habemus in Pontificio iure circa Decimas, iniuriam, & damnum, & ſacrorum locorum immunitatem; Moralia durant adhuc, & obligant, vt ſunt præcepta decalogi, & ſi quæ alia.

3 At nondum exactè liquet, an in ſtatu Euangelicæ legis Decimæ Diuino iure debitæ dici valeant, & an naturali iure? Variatum ſi quidem eſt à ſacri iuris interpretibus; Alii enim Decimas etiam quòad quantitatem debitas aſſerunt naturali, & Diuino iure, & non ſolum ex fructibus; ſed & ex alijs rebus; Vnde & in Concilio Conſtantienſi damnatus fuit error Io: Vuicleph Decimas non deberi aſſerentis, Alii Decimas debitas naturali, & Diuino iure voluerunt ex prædiis, & fructibus, non item ex aliis rebus. *ex c. Parochianos de decim. & ex c. in quibus §.fin. eod. & paſſim. 16.q.1.& 7.*

Alii demùm, (& meliùs) ſegregant ius Decimarum; à quota earumdem Decimarum; Quòad ius; Decimas aſſerunt etiam in Euangelica lege omninò debitas, & naturali iure, Sacerdotibus, & Sacris Eccleſiæ miniſtris ad ipſorum alimoniam, & ſuſtentationem, nulla ſtatuta quantitate certa; Ita poſt Theologos plures *Couar.* Sic enim Apoſtolus. *Si nos vobis ſpiritualia ſeminamus, magnum eſt ſi non carnalia veſtra metamus?* Et Chriſtus ipſe atteſtante *Baron. Dignus eſt operarius cibo ſuo*, quod & reſumpſit Apoſtolus; Inde barbaris nationibus lumen, vt portionem ſuam Sacerdotibus ex prouentu cinnamomi, & thuris piè ſegregarent ex *Plinio*. At verò quòad quotam; ſeu quantitatem determinatam Decimas naturali iure debitas negant; Dictat, & exigit lex naturalis, vt Sacerdotibus congrua ſuſtentatio à fidelibus præbeatur, & planè ratione, qua, & regibus tributa ſolui præcipit, quam analogiam ſacerdotum, & regum in hac parte ponderauit diſertiſsimè *Philo Iudæus*, vnde ſi non decima, ſed minor portio ſufficiat, naturali iure decima ipſa non debebitur in ea præciſa quantitate; ſoluit quidem in lege naturæ decimas Abraham Melchiſedech, at præcipuo Dei impulſu, non quod vlla tunc eſſet ad quotam huiuſmodi obligatio; Gentiles ipſi eſto, quod ſpeciali diuino inſtinctu ad Decimam ex thure, aut manubiis ſoluendam non fuerint impulſi, at denarii numeri perfectio, de qua eleganter *Philo*, rationis lumine comperta inducere potuit ad Numen ea quantitate colendum magis, quàm alia, at non arguas inde Diuinum præſcriptum, aut præciſum naturæ dictamen, quod decimas ſacerdotibus ſtatuat, ex quo alimoniam ipſis præſtandam ſuadet; Nec magis Decimam hanc partem taxauit lex Euangelica, quæ, vt doctè obſeruauit *D. Thom.* nil aliud continet niſi præcepta moralia naturalis iuris, & Sacramentorum, at de quota decimarum vnquam, cum hæc ipſa nec naturali iure fuerit ſtatuta; ſed ſola ſuſtentatio Sacrorum Miniſtrorum indicta; nec quid ampliùs probant Pontificum canones ſupra allati, qui aſſerunt Decimas à Deo inſtitutas,

*Var. reſol. lib.1. c.17.n.1. & 2.*

*1. ad Corinth. c.9.*

*Tom.1. Annal. anno 57. Matth. c.10. 1. ad Thimoth c.5.*

*De Sacerd. honor.*

*De congreſſu quær. eiuſd. grat.*

*1. 2. q. 108. Art.1. & 2.*

tutas,

tutas, & eſſe iuris Diuini fuerunt ſi quidem ſic taxatæ in lege veteri Moſaica; & optima ratione ab Eccleſia denuò confirmatæ, vel quod Decimæ prout dicunt Sacrorum Miniſtrorum ſuſtentationem, & alimoniam à Iure Diuino ſint, ſecus quoad quotam, & denarium ipſum numerum; qui à merè humano, & poſitiuo. Ex qua tota doctrina Conuelli tua quidquid de debito decimarum ſibi admodum in hoc placens effutiit Auctor eius, quæ nuper prodiit Hiſtoriæ circa beneficia Eccleſiaſtica, qui voluit quod ſi Clerici Decimas à Iure Diuino ſuſtineat exemplo leuitarum, pati etiam debeant, vt nulla omninò immobilia illorum exemplo poſſideant ridicula planè ne dicam maligna illatio.

4 Qua conſiſtente planè ſolida, ac veriſſima doctrina inferre licet ad ſolutionem eius quæſtionis, quam opinionum varietate exagitant vtriuſque iuris interp. An ſcilicet conſuetudine poſſit abrogari decimarum ſolutio; Si enim Decimas conſideremus pro ea parte, qua ad miniſtrorum ſuſtentationem ſunt inſtitutæ, inanis in contrarium erit quælibet conſuetudo, quæ vt potè iuri naturali contraria nullo temporis ſpatio illud vincere, aut abrogare poteſt, niſi fortè aliunde Sacerdotibus eſſet conſultum, & aliundè haberent, ex quo ſe alere, ac ſubſtentare poſſent, tunc enim ſalua eſſet naturalis iuris ratio, & conſtitutio, nec directè cum ipſo pugnaret contraria conſuetudo; Vnde dicebat *Dominic. à Soto*, quod poſſet Summus Pontifex nationem aliquam de nouo ad Eccleſiam, & Chriſti fidem accedentem eximere ab omnimoda decimarum præſtatione ſi tamen aliunde tantundem Sacerdotibus aſſignaret, ex quo ſe alere poſſent; Si verò decimas reſpiciamus ab ea parte, quę quotam aſſignat, aut res præſcribit, ex quibus ſint ipſæ ſoluendè, vtcumque varietas legatur opinionum; volentibus aliis ęquè à iure naturali eſſe decimas, & quoad rationem debiti, & quoad quotam, & ideò neutra ratione poſſe ipſas per conſuetudinem abrogari, ſed malè; quia & falſo nituntur fundamento, quod ſcilicèt decimæ quòad quotitatem ſint à naturali, & Diuino iure; aſſerentibus aliis perſonales decimas abrogari poſſe, at prædiales non item, quia ſint iſtæ à Diuino iure, illæ verò à poſitiuo, contra quod ſubſiſtat conſuetudo; ſed nutat & hæc opinio, quia abrogata lege veteri per Chriſti mortem, iam non remanet decimarum quota, nec aliunde probari poteſt, quam à poſitiuo iure; Aliis demùm dicentibus, nec quoad ius, nec quoad quotam poſſe decimas per conſuetudinem tolli, non quod quota ſit à iure naturali, & diuino, ſed quòd licèt ſit à iure poſitiuo, attamen rationabiliſſima eſt lex ipſam taxans, vndè oppoſita, & abrogans conſuetudo non poterit eſſe niſi irrationabilis ideòquè nullius efficaciæ *c. fin. de conſuetud.* ſic enim argumentatur *Domin. à Soto*, ſed parùm ſolidè, quia ſuppoſita congrua miniſtrorum ſuſtentatione conſuetudo alitèr quotam inducens non poteſt dici irrationabilis; Vnde ſtante ipſius quotæ aſſignatione, vt iam concluſimus à ſolo humano iure, nil impedit, quò minùs contraria conſuetudo poſſit induci, qua caueatur, vt aut quantitate diuerſa maiori, aut minori, aut de certis ſolummodò fructibus decimæ ſoluantur; dum enim miniſtrorum ſuſtentationi ſit conſultum iuri etiam naturali probè erit ſatisfactum, & ideò iuſta aliqua cauſa poterit reddere rationabilem conſuetudinem, licèt ſit rationabilis lex ipſam quantitatem determinans; rationabilitas enim dicit reſpectum

*De iuſt. & iure lib. 9. q. 4. art. 1. in fine.*

pectum extrinſecum , & pro circumſtantiarum varietate mutabilem.

Ex quo eodem fundamento optimè intulit *Couar.* poſſe Clericos conſuetudine eximi , ne decimas perſonales ſoluant , quamuis & iure communi id cautum plarique velint in *cap. nouum genus 2.de Decim.* cum tamen ſi prædia habeant in aliena parochia,etiam ſi ſint Parochi Decimas præſtare teneantur; Sic etiam,quamuis certum ſit,quod Eccleſia ex prædijs ; quæ poſſidet in aliena parochia teneatur ſoluere Decimas, attamen poterit conſuetudo ipſam eximere; Sicuti quamuis laici teneantur ſoluere decimas etiam non petentibus parochis, & in eorum horrea ipſos deferre, attamen conſuetudo poterit contrarium inducere, in nullo enim ex hiſce caſibus per eam læditur ius naturale , aut Diuinum , ſed eius ratio, & conſtitutio ſemper eſt ſalua; Quanto autem temporis ſpatio ſit hæc conſuetudo metienda; rectè ſenſit *Couar.* eos reijciens, qui tantùm tempus exigunt; cuius initij memoria non extet, quaſi ipſi confundant conſuetudinem cum præſcriptione, cum tamen maximè differant, & aſſerens quadraginta annorum ſpatium ad hanc conſuetudinem ſtabiliendam ſufficere, ex apertiſſimo *tex.im cap.fin.de conſuetud.*

5 Indèque haud difficile erit, & reſpondere quæſito; An ſcilicet exemptio à Decimis poſſit præſcriptione acquiri? Nam ſcribentes communitèr ſegregant Clericos à Laicis; de illis enunciant, eximi eos poſſe à Decimarum ſolutione, cum ſint ipſi capaces ſpiritualis iuris; *tex.* expreſſus *in c. de quarta 4. de præſcript.* De iſtis verò , laicis ſcilicèt , hanc exemptionem eos præſcribere non poſſe, vt pote qui ſint incapaces huiuſmodi quaſi poſſeſſionis, ſine qua nequit compleri, immò nec induci præſcriptio ; Verùm rectiſſimè *Couaruu.* diſtinxit ius percipiendi Decimas ex alienis fundis à iure exemptionis à Decimis perſoluendis ; illius iuris ſunt quidem incapaces laici, nec illud præſcribere poſſunt *c. cauſam, quæ 7. de præſcript.* huius verò ſunt capaces, cum non ſit ſpirituale, aut quaſi ſpirituale , non enim eſt ius percipiendi decimas , quæ Sacris Eccleſiæ miniſtris in retributionem ſpiritualium , quæ opera propria præbent; debentur, nec eaſdem decimas tanquam verè debitas retinendi, ſed ius percipiendi ex proprijs prædijs fructus integros, abſque decimarum præſtatione, quod ius eſſe ſpirituale; aut quaſi ſpirituale nulla ſacri iuris conſtitutione hactenus legitur deciſum; aliàs enim fieret, vt laici nulla vel immemorabili præſcriptione poſſent eximi à Decimarum ſolutione in totum, vel pro parte, quod tamen falſum, eſt nullum enim temporis ſpatium poteſt reddere capacem illum,qui ex natura rei incapax eſt, vt *not. ad.c. fin.de conſuet.* huius autem exemptionis laici non ſunt incapaces; itaque meritò poterit laicus exemptionem à Decimis præſcribere aut quadraginta annorum ſpatio cum titulo, aut ſine titulo , ſed eo temporis ſpatio, cuius initij memoria non extet, iuxta Bonifacii conſtitutionem *in c. 1 .de præſcript. in 6.*

6 An autem priuilegio Summi Pontificis poſſit induci exemptio à Decimis ſupereſt inquirendum ; negauit *Couar.* *Num. 10.* eſſet enim priuilegiũ contra ius naturæ, quod dictat, vt inferiores ſacerdotibus ſuis ſuggerant ad victum, & ſuſtentationem neceſſaria; Verùm ſi aliunde haberet ſacri miniſtri, ex quo ſe alere poſſent à populo aſſignatum, nihil eſt; quod vetet concedi priuilegium, quod in totum, aut in partem à ſolutione decimarum liberet, iubet enim ius naturale, & Diuinum ali miniſtros, at non

non præcisè ex redditibus decimarum, aut alteriùs quotæ à populo conſtitutæ, vnde ſi aſſignentur prædia; non erit cur Decimæ veniant pendendæ, ſicut factum in Italia obſeruamus; ſed hac de re opportunè inferiùs; ad hæc enim examinanda nos rationabilitèr promouit Decimarum origo altiùs deducta; Iam reliqua materiæ capita proſequamur.

7 Et primò; de quibus veniant ſoluendæ Decimæ; Generalis regula poteſt conſtitui, de omnibus rebus Decimas eſſe ſoluendas, ex qua manauit vulgata illa Decimarum diuiſio, vt ſcilicèt aliæ ſunt prædiales, aliæ perſonales, & aliæ mixtæ; Prædiales ſunt, quæ ex fructibus agrorum ſoluuntur, qui naturali eorundem concurſu, & Dei beneficio proueniunt; Perſonales ſunt; quæ ex induſtria, lucro, aut labore quæſitis penduntur; Mixtæ verò, ex ijs, quæ partim labore, & induſtria, partim natura obueniunr, ſoluunrur, vt Decimæ animalium, & ſi quæ huiuſmodi, & omnes hæ Decimæ ſoluendæ præcipiuntur; *c.Reuertimini 16.q.1.c.Non eſt c. Peruenit* ; *&* *paſſim tot. tit. de decim.* Ideoque generale adeò hoc agnouit præceptum *Auguſtin.*vt dixerit; *Imò*, *&* *quod maius* Serm. 219. *eſt non rerum omnium*, *&* *prouentum*, *ſed* *&* *ipſorum dierum decimas Deo dare debemus*. Haſque decimas non eſse alias, quàm quadrageſimale tempus reſcripſit *Nicol. 1. Tempore* ad Conſult. Bulg. *quadrageſimæ* (inquit) *quo Deo carnis noſtræ Decimas damus*, *omni voluptati eſt renuntiandum*. Omnium ergo, quæ ſub cęlo ſunt, Decimæ debentur; Prædiales ex frugibus, fructibus, oleribus, fæno; Perſonales, de militia, negotio, artificio, & ad eas obligantur mercatores, milites, Doctores, Aduocati, *c.Paſtoralis b.t.* Mixtæ ex paſtu animalium, vt potè fętus, lac, agni, lana, quæ tria Decimarum genera exigi debent, *c. omnes 16.q.7.* De prædialibus, & mixtis frequentiùs; De perſonalibus, quatenus vigeat conſuetudo, quæ maximè in iſtis attendenda; Solutio autem decimæ de fructibus facienda eſt ſtatim, ac ſunt collecti, nulla facta expenſarum, aut aliorum onerum deductione *c.cum homines c. Non eſt in poteſtate c. tua nobis de decimis*, & de bonis debentur non ſolùm iam cultis, ſed & de noualibus, quæ ad cultum rediguntur, & debentur ei Eccleſiæ, in cuius parochia noualia conſurgunt *c. quoniam à nobis eod.* & ſi ſuboriatur controuerſia, cui ex duabus Eccleſijs debeat ſoluere decimas Parochianus, qui in vna Eccleſia percipit Sacramenta, in alia verò habet bona; quamuis difficile ſoluere quæſitum aſſerat Summus Pontifex, cum hinc inde vrgeant SS. Patrum dicta, attamen concludit demùm ſeruandam eſſe conſuetudinem, eamque attendendam *c.cum ſint homines h.t.c.ad Apoſtolicæ eod.*quæ quidem in hac materia præſertim ius facit, & optima eſt legis cuiuslibet interpres *l. ſi de interpretatione ff.de legib.*

8 Ex quibus facile eſt dignoſcere, quinam teneantur ſoluere decimas tenentur enim fideles omnes cuiuſcumq; generis, ordinis, vel gradus, niſi ſpeciali indulto fuerint exempti *c.commiſſum 4.c.Nuntios 5.c. ex traſmiſſa*, *&* *paſſim tot.tit. de decimis* adeò, vt nec Iudęi terras colentes ab iis poſſint ſe ſubtrahere *c. de terris de decim.* non quidem ea ratione, quod ſcilicèt in retributionem tributorum Sacramentorum perſoluantur, huius enim non ſunt capaces Iudęi aut quicumque extra gremium Eccleſiæ, ſed tanquam tributum quoddam reale, quod cum bonis, & fructibus in quemcumque poſſidentem, aut percipientem migrat;

Deben-

Digitized by Google

Debentur Decimæ generalitèr Sacris Eccleſiæ Miniſtris in genere; At ex quo erecta ſunt, ac diſtincta beneficia, ſingulis Clericis, prout quilibet proprium poſſidet, ac regit beneficium; & ijs ad ſummum, qui Sacramenta miniſtrant,& curam animarum gerunt; vnde quilibet Parochus intentionem ſuam fundatam intra fines ſuæ parochiæ habet, nec ad vllum probationis onus obſtringi debet *c.à nobis c. cum contingat b. t.* pro perſonalibus Decimis is, qui Sacramenta miniſtrat; pro prædialibus is, intra cuius parochiæ fines ſita ſunt prædia; & inde conſequitur, quod laicis hoc ius percipiendi Decimas obuenire regulariter non poteſt;cum enim ſit ſpirituale,& ſic conſtitutum,& aſſignatum propter ſacramentorum adminiſtrationem, ſicut ad hoc munus laici ſunt omninò inhabiles, ità illius iuris ſunt omninò incapaces *c. cauſam quæ de præſcript. c. 2.de iudic. c.quamuis de decim.* ad quem tex.notauit *Gloſſ.* poſſe Epiſcopum laico concedere aliquandò Decimarum fructus ex iuſta aliqua cauſa, ad vitam ipſius laici, vel ad certum aliquod tempus, puta in compenſationem operæ pro Eccleſia exhibitæ, & ob inſigne aliquod in ipſam collatum beneficium, ſed ità, vt non ius decimarum conſequatur, ſed fructus nomine Eccleſiæ tantùm percipiat; in quem ſenſum licitè etiam conſtituuntur laici exactores Decimarum conductionis iure, ſicut, & oblationum, quamuis in oblationibus circumſpectiùs ſit agendum, nec indiſtinctè laicus quilibet ad id muneris eſt admittendus, ſed cauendum maximè à fallacibus, improbis moribus, aut mendacibus, & impoſtoribus, qui repellendi omninò erunt; *c.fin.De reliq. & ven. ſanctorum c. tuarum, de priuileg.*

9 Verùm illud olim obtinuit, vt ſcilicet laicis de Eccleſia benemeritis Decimæ in fęudum ab Eccleſia concederentur, & licitè, ac validè ab ipſis poſſiderentur; idque ſeruatum vſque ad Concilium Lateranenſe, quod in poſterum hoc fieri diſtrictiſſimè vetuit; & quamuis plura fuerint celebrata Lateranenſia Concilia, attamen *Cuiac.* *Ad tit.deCler non reſid.col. 2. circa fin.* tanquam regulam ſtatuit, vt quoties Concilium Lateranenſe ſimplicitèr, & ſine aliquo adiecto offendimus, ſemper intelligere debeamus Concilium Lateranenſe celebratum ſub Alexandro III. Summo Pontifice anno Chriſti 1180. ad differentiam alterius, quod ſub Innocentio III.fuit collectum anno 1215.dictumque Lateranenſe, quia habitum in Eccleſia, ſiue Baſilica Conſtantiniana, quæ appellata Lateranenſis ex eo, quod ibi antea eſſent ædes Lateranorum nobilium Ciuium Romanorum;Itaque quicumque laici Decimas in fęudum obtinuere ante Concilium Lateranenſe eas retinere, & potuerunt, & poſſunt; At poſt Concilium ipſum nec concedi ab Epiſcopis, nec recipi, aut retineri Decimæ in fęudum à laicis poſſunt; *tex. in c.cum Apoſtolica de his, quæ fiunt à præl. c. quamuis c. probibemus de Decim.c.2.§.ſanè eod. in 6.* Neque turbet quod in *d.c. probibemus*: quod eſt deſumptum ex ipſomet Lateranenſi Concilio, dicatur laicos cum animarum periculo poſſidere decimas, quæ habitæ neceſſariò ſupponuntur antè ipſummet Lateranſe Concilium; nam textus ille accipiendus eſt de laicis, qui Decimas poſſidebant alio, quam in fęudationis iure; Niſi exponere velimus cum *Couar.* laicos cum animarum periculo decimas poſſidere, quia maximè tenentur Eccleſijs, à quibus eas recepere, ſeruitia, obſequia; & miniſteria præſtare, iuxta fęudalium conſtitutionum leges, quarum tranſ-

greſſio per omiſſionem laici ipſius animam in ingens diſcrimen adducat.

Verùm ſi qui laici Decimas in fęudum habeant antè Concilium Lateranenſe poterunt eas transferre in Eccleſiam cum conſenſu, & Decreto Epiſcopi *c.cum Apoſtolica,de his,quæ fiunt à Prælatis d.c.1.§.ſanè de decim. in 6.* vbi Bonifac. concedit vt poſſint Epiſcopi eas in religioſos transferre, non item in alios laicos, quantumuis conſentiat Epiſcopus *d. c.cum Apoſtolica. Iunc.c.prohibemus de Decimis*; Immò addidit *Couar.* poſſe Epiſcopum eaſdem decimas ante Concilium Lateranenſe infęudatas, ſi redeant ad Eccleſiam, aliis iterum in fęudum dare, ſicut, & aliæ res poſſunt infęudari; ſi dubitetur autem, an ſint infęudatæ ante Concilium Lateranſe, tempus ipſum erit ſpectandum, quod ſi immemorabile præceſſerit, facta conceſſio, ante ipſum Concilium Lateranenſe præſumetur.

10 Ad Coronidem quæri poteſt; an Clerici & Religioſi teneantur decimas ſoluere? Et reſpondendum eſt affirmatiuè, quatenùs patrimonialia prædia poſſideant; Nam ſanxit Bonifacius VIII. *in c.2. §. pen. de decim.in 6.* Religioſos de prædijs quæſitis, & in poſterum acquirendis Decimas teneri perſoluere,niſi ſingulari priuilegio fuerint à Summo Pontifice exempti; quod & *Hadrianus*, ante iam ſtatuerat *in cap. commiſſum de decim. c. dudum c. ex parte eod. c.quia circa de priuileg.* cum eo tamen moderamine; vt ſi poſt conceſſam exemptionē augeantur notabilitèr Monaſterii bona, vt ſcandalum, & detrimentum nimium obueniat iis, qui Decimas exigunt priuilegium non ſuffragetur ſic enim ſtatuit Alexander III. *in c.ſuggeſtum.de decim.* Neque dicas, Religioſos non recipere Sacramenta, aliauè ſpiritualia à parochis, aut ab Epiſcopo, vnde quaſi ceſſante ratione, ceſſet etiam quælibet decimarum obligatio; Nam eſto quod ius Diuinum eos non obliget, adhuc nihilominùs conſuetudo, & ius commune obligat, & meritò; cum enim habeat Eccleſia ius exigendi Decimas ex prædijs ſæcularium, non videtur iuſtum, quod hoc iure priuetur ex eo, quod bona ad religioſos peruenerint, eſt ſiquidem hoc onus reale, quod rem ſequitur, ad quemcumque ea perueniant; Sed vrgebis adhuc in puncto Clericorum, quos ad decimas ſoluendas non obligari, niſi ijs Clericis, à quibus recipiant ſpiritualia decernit Paſchalis II. *in c. nouum genus 2. de decimis*; *nouum genus exactionis eſt* (ait tex.)*vt Clerici à Clericis Decimas exigant, cum nuſquam in lege Domini hoc legamus.*

Difficilis ſemper viſa eſt hæc auctoritas interpretibus adeò, vt in varios explicandi modos, ſeu varios intellectus ierint; Aliqui enim voluere Clericos non teneri ſoluere Decimas ex ijs, decimis; quas percipiunt, ſuadetque maximè veritatem huius intellectus exemplum, quod affert in tex. Summus Pontifex à leuitis ſumptum, qui Decimas ad ſui alimoniam aſſignatas exigentes Decimas non ſoluebant; Alij dixere Clericos in quantum de Decimis, aut de fundis Eccleſiæ pro ſpirituali munere accipiunt non teneri ſoluere Decimas, quia de fructibus huiuſmodi iure clericali viuunt; Alij aſſeruere Clericos eiuſdem Eccleſiæ, & de prædijs ad eandem Eccleſiam pertinentibus non teneri ſoluere Decimas; Alij demùm concludunt accipiendum tex.in fine de Clericis coniugatis, qui ad Decimas teneantur, de alijs verò principium eiuſdem tex. *D. Thom.* conſiderauit Clericos, vt *2.2.q.87 art.4.in corp.* Clericos, & vt bonorum poſſeſſores,

quæ

Digitized by Google

quæ vndecumque poſſideant; Vt Clericos (inquit) non teneri ad Decimas ſoluendas etiam ex bonis, quæ vt Clerici poſſident; Vt Clerici enim tenentur ex munere ſpiritualia miniſtrare, qua ratione non ſoluere, ſed exigere Decimas debent, nec vltra pro bonis, quæ eo nomine poſſident debent obligari; vt ſic enim conſiderati non ſunt Parochiani, neque oues, ſed Paſtores, qui paſcentes exigere pro opera, non ſoluere debent; at verò pro bonis, quæ non poſſident tanquam Clerici, vtique decimas præſtare tenentur; tunc enim non conſiderantur tanquam Clerici, & Paſtores, ſed tanquam Parochiani, & tanquam oues, quæ paſcuntur, & non paſcunt, ideòque contribuere non ſecus, ac cęteri tenentur; & de Clericis ſic ſumptis intendit Summus Pontifex *in c.2.* verſu *Illi profectò Clerici*; De Clericis verò, vt Clericis, non vt poſſeſſoribus in prima eiuſdem tex. parte, qua Clericos comparat cum Leuitis. Quæ de Decimis ſint ſatis dicta.

11 Iam ad primitias, quæ oblationum nomine tanquam generali veniunt; Primitia nil aliud eſt, quàm pars aliqua ex rebus, quæ primùm nata, aut collecta, & Deo oblata, antequam vſibus noſtris, quæ eiuſdem ſpeciei ſunt, deputentur; Bonos docuit natura Numen bonorum omnium largitorem munere aliquo primo agnoſcere, & venerari; Ac ne deguſtabant quidem nouas fruges, aut vina *ante-*
Lib.18. c.2. *quam Sacerdotes primitias libaſſent*, inquit *Plinius*, quo ipſum Diuino inſtinctu primi fratres humani generis Abel, & Cain præſtitere, ille de primogenitis gregis ſui, & de adipibus eorum, hic de fructibus terræ *Geneſ. c.4.* & demùm præſcripta lege ſanciuit Deus; *loquere filijs Iſrael*, (inquit ad Moyſem) *Vt tollat mihi primitias ab*
Exod. c. 25. *omni homine, qui offert vltroneus*, *accipietis eas*; Et iterum; *Sanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vuluam in filijs hominum tàm de hominibus, quam iumentis, mea enim ſunt omnia*, quo reſpiciens ſapiens; *Honora Dominum de tua ſubſtantia*, Prouerb.3.
*& de primitijs omnium frugum tuarum da pauperibus*. Et demùm. *Omnes primitiæ, quas deferunt filij Iſrael ad Sacerdotem pertinent, & quidquid in* Numer. c. 5.
*ſanctuarium affertur à ſingulis, & traditur manibus Sacerdotis, ipſius erit*. Iam ergo inde (vt plura alia ex diuina lege mittamus teſtimonia) conſtant res, perſonæ, & modus primitiarum. Res enim ſunt fruges omnes terræ, & ſi quę aliæ, quæ recenſentur *Exodi c. 25.* Primogenita animalium hodie iure primitiarum non præſtantur; *Et qui dabant* (inquit *Hieronym.*) Gloſſ. ad c.vlt. §. his itaque 13.q.1.
*primitias animalium dabant. vnum ex ducentis*; Et ſi tot capita non haberent ſecundum proportionem eius numeri ſoluendæ erant primitiæ. Perſonæ; quæ dare debent ſunt illę omnes, quæ poſſident, *Ab omni homine, qui offert vltroneus, accipietis eas*. (Inquit Dominus. Suntque primitiæ de Gloſſ. ad. c.1. verbo in Primitijs de Decim. Exod. c. 25.
præcepto, & eas retinentes excommunicantur, *c. præter hoc* §.132. *diſt.* in caſu duplici; ſi ſcilicèt vigeat conſuetudo, eas præſtandi, & ſi miniſtri eius Eccleſię egeant, & eas petant, alias enim primitiæ ſunt ſolummodo de concilio, vt indicant allata ſupra Exodi verba; *Ab omni homine, qui offeri vltroneus,* Cap.25.
*accipietis eas*. Et ſi fortè lapſum ſit tempus, cuius initij memoria non extet in non ſoluendo, ampliùs peti non poſſunt perſonæ quibus præſtandę ſunt primitiæ eædem ſunt, quibus, & Decimæ, Sacerdotes ſcilicet, *Numer. c.5.c.1.verſ.oportet.16. q.7.* Parochi, aliiue Præpoſiti ijs, qui preces Deo porrigunt, pro rebus eorum, qui primitias offerunt; Habent enim ſacræ per-

ſonæ ſpiritualia fidelibus miniſtrantes primitias, & Decimas iure Diuino loco prædiorum, quæ non habent eo iure, ſed iure humano. *Deuteron.c.*10. primitiæ enim, & Decimæ in bonis Eccleſiarum numerantur præcipuè, *c. cauſa de V.S.* Quota autem debeat eſſe primitiarum ſolutio, taxatum non habemus Pontificio iure, ac proinde non alia ſtatuenda menſura, quàm aut conſuetudo, aut pia offerentium liberalitas; vt optimè notat *D. Thom.* & ex D.Hieronymo regeritur *in c.* 1. *de decimis*, vnde ſtandum erit conſuetudini, & ſacerdos non plus quadrageſima petere, nec fideles minùs ſexageſima poterunt offerre, quod ſi in regione non adſit conſuetudo, quæ inoleuerit, ac ſeruetur in proxima regione attendenda erit *c.cum olim de conſuetud. c.Catholica* 11. *diſt.c. ex parte c. ſuper eo, de cenſib.*

2.2.q. 86.art. 4.in corp.

12 Iam de oblationibus ad Coronidem; pari cenſentur iure cum primitijs oblationes, tàm enim quoad prætium, quam quoad magnitudinem ab eodem pietatis officio & pendebant, & pendent; Vnde Gregorius VII. in Synodo Romana relatus à Gratiano in *c.omnis* 69. *de conſec.Diſtinct.*1. *Omnis Chriſtianus procuret ad miſſarum ſolemnia aliquid Deo offerre*; Vtitur verbo *procuret*, quod non tam præceptum, quam conſilium, & ſuaſionem indicat; earum ritum, vſum; & finem non aliunde meliùs reddere poſſumus, quam ex *Tertulliani* verbis; Is enim in Apologetico de ipſis ſic ſcribit. *Neque enim pretio vlla res Dei conſtat; etiam ſi quod arcæ genus eſt, non de ordinaria ſumma, quaſi redemptæ religionis congregatur: modicam vnuſquiſque ſtipem menſtrua die, vel quum velit, & ſi modò velit, & ſi modò poſſit, apponit: nàm nemo compellitur, ſed ſpontè confert. Hæc quaſi depoſita pietatis ſunt; nam inde non epulis, nec potaculis, nec ingratis voratrinis diſpenſatur; ſed egenis alendis, humandiſque, & pueris, ac puellis re, ac parentibus deſtitutis, iamque domeſticis ſenibus, item naufragis, & ſi qui in metallis, & ſi qui in inſulis, vel in cuſtodijs, duntaxat ex cauſa Dei ſectæ alumni confeſſionis ſuæ fiunt &c.*

Cap. 39.

Quæ ſanè verba totam oblationum rem pulchrè nobis exponunt. Addemus ex *Baron.* quod quæ à fidelibus offerebantur non ſtatim in Eccleſiam inferebantur, ſed foris ponebantur in loco huic miniſterio deſtinato, vt examinari antea poſſet, an digna eſſent oblata, quæ Domino repræſentarentur, non enim omnium recipiebantur oblationes, ſed eius, qui primùm in catholica eſſet communione, & vitæ integritate commendaretur.

Tom. 1. Annal. Ann. 57.

Locus, in quem oblationes congerebantur, vt inde ad Altare deferrentur, Gazophylacium, vel etiam ſecretarium *Poſſidius in vita Auguſtini appellat*; Has ergo ſic congeſtas oblationes Diaconus Sacerdoti Deo offerendas exhibebat ad altare; Sacerdos autem præmiſſis precibus, alijſque ritibus, qui in antiquis liturgiis leguntur, quaſi Chriſti perſonam gerens, ſacrificium conficiebat; Digna ergo oblata à dignis habebantur, *c.vlt.de conſec.diſt.*1. impia ab impijs, ac proinde reſpuebantur, *c.non eſt putanda* 1.*q.*1.*c.miror.*17.*q.*4. Primitiæ, vt plurimum ſuper altare ponebantur, non item vnquam oblationes; vt ſcribit *Balſam.* Decimarum, primitiarum, & oblationum non erat eadem diſpenſatio; Primitiæ enim, & oblationes initio erumpentis Eccleſiæ in Epiſcoporum; Presbyterorum, & Diaconorum vſum conuertebantur, *can.* 3. & 4. *Apoſtolorum*. Decimæ verò hypodiaconis, & cœteris inferiori-

Cap. 14.

Ad can. 3 & 4. Apoſtolor.

*Lib. 8. conſtit. c. 36.* rioribus clericis dabantur, vt ex *S.Clemente Romano* apertè colligitur, quo tempore vberes admodum fuiſſe primitias, & oblationes ex fidelium Charitate credendum eſt, qua refrigeſcente, ne dicamus, extincta, euanuerunt, remanſeruntque ſolæ Decimæ toti Clero diſtribuendæ. Ad oblationes reuocari poſſunt collectæ, quæ in primitiua Eccleſia à fidelibus in egentium fratrum ſubſidium fiebant, verùm de ijs agere noſtræ non ſunt modò partes; qui curioſus ſcire aueat, adeat *Tom. 1. Annal. an. 44.* *Baron.ex D.Pauli* 1.*ad Corinth.c.*16. latè, & eruditè tractantem. Nos enim noſtra proſequimur.

## CAP. IV.

## De Beneficiorum Eccleſiaſticorum diſtributione, & collatione.

1 *Ad quem pertineat beneficiorum collatio, memoratur abnormis opinio.*

2 *Diuiduntur beneficia in electiua, & collatiua, & de collatiuis ad rem, & primò de ordinario collatore, ſiuè Epiſcopo, ſiue Capitulo Sede Vacante.*

3 *De Summo Pontifice quoad collationem beneficiorum, & proponitur ac refellitur opinio Franciſci Duareni.*

4 *Inquiritur quo iure Epiſcopus conferat beneficia, & vnde ipſi hæc poteſtas.*

COnſtitutis, & erectis Eccleſiaſticis beneficijs iam promouemur opportunè ad eorumdem diſpenſationem, quę ſanè pars potiſſima eſt totius materiæ, & praxis rei beneficiariæ; Hæc de regalibus Eccleſiaſticæ poteſtatis, hæc quæ munificentiam, & charitatem Eccleſiaſticam exercet, hæc curias frequentes reddit; tolle beneficia, non competat eorumdem diſtributio, aula vacabit, & erit in curia irreparabilis ſolitudo. In hac igitur collationis materia tractanda inquiremus primò, cuius ſit beneficia conferre, quibus ſint ea conferenda, & demùm modum, & ſtylum in collatione facienda ſucceſſiuè obſeruatum vſque ad hodierna tempora, in quibus quid obtineat diligenter indicabimus.

1 Videamus ergo primò, cuius ſit generalitèr beneficia conferre; ac ſubinde reliqua collationem ipſam reſpicientia proſequemur; ne autem intactum quidpiam ad rem omittamus; commemorabimus ſaltem opinionem illam, quam piæ ne dum, ſed nec prudentes aures patientèr audire poſſunt, & cuius auctor *Maſſilius de Padua*, qui aſſeruit neque ad Summum *Defenſor. pacis. diſt. 2. cap 18. & c. 21.* Pontificem Romanum, neque ad aliquem Epiſcopum, aut ſingularem perſonam alicuius Collegij Clericorum pertinere diſtributionem beneficiorum, niſi generale Concilium, aut fidelis humanus legiſlator id determinet; ſed ad ipſum Legiſlatorem fidelem iure ſuo id ſpectare, vel ad ad eum, in quem Legiſlator ipſe hoc ius, & hanc facultatem transtulerit; Per Legiſlatorem fidelem ex toto operis ſui contextu, intelligit populum, & Regem, aut Principem, in quem populus ipſe poteſtatem transtulerit, Vndè (ſi eum audias) beneficiorum collatio meri iuris laici, & ſæcularis eſt; & ſi lubet ſcire, qua potiſſimùm ratione ducatur ad obnormem hanc opinionem aſſerendam, non aliam deprændas, niſi, conferre hoc ad Reipublicæ bonum, & tranquillitatem, & (ſi Diis placet) ad fidei tutelam, quaſi grex fidelium facile

in

in ſubuerſionis fidei diſcrimen reuocetur ſi Pontifici Summo, & Epiſcopis hæc diſtributio relinquatur; hominis merè politici ſomnia, quæ ſe ipſa refellunt.

Beneficium Eccleſiaſticum eſſe ius ſpirituale ex definitione beneficij iam firmauimus, & ex peruetuſta Eccleſiaſtica diſciplina nexum omnimodum inter ſacram ordinationem, & beneficij collationem oſtendimus, quibus attentis, locus nullus, nulluſue aditus ſupereſt ſæculari poteſtati, vt ſe ingerere in eam diſtributionem valeat; patet id ex primis ſacræ Iuriſprudentiæ principijs nec in cofutando, aut confirmando immorabimur;

Poſito igitur beneficiornm Eccleſiaſticorum collationem ſpiritualis, & Eccleſiaſtici iuris eſſe, vt breuiter, ſed & recto ordine incedamus reuocabimus ad cenſum iam ſupra traditam diuiſionem, vt beneficiorum alia ſint electiua, & alia collatiua; electiua beneficia ſunt (vt indicat nomen ipſum) quorum prouiſio, & diſpoſitio ad vniuerſitatem Eccleſiaſticam pertinet, quæ inconſenſu explicando per vota procedit, & hæc conſenſus declaratio per vota eſt electio, vnde & beneficia, de quibus hoc modo diſponitur, meritò electiua dicuntur, cuiuſmodi ſunt beneficia Cathedralium, & Collegiatarum Eccleſiarum; quorum prouiſio regularitèr ad Epiſcopum, & Capitulum ſimul pertinet, vel ad Capitulum ſolum; De qua electione agendum nobis modo non eſt; proſtat in libro primo Decretalium *Greg. IX. titulus de elect.* ad quem remittimus; Collatiua verò beneficia illa ſunt, de quibus legitimus Eccleſiaſticus Superior per collationem prouidet, ac diſponit; & de hac collatione agere modò inſtituimus; inquirentes primò, ad quem ipſa pertineat.

Conferre poſſunt Eccleſiaſtica beneficia aliqui ordinario iure, alii vero extraordinario, puta priuilegio, aut conſuetudine *arg. tex. in c. à Iudicibus 33. 2. q. 6.* in quem ſenſum dici poſſunt ordinarii collatores, qui ius habent collationis extra Epiſcopum; *c. 3. §. in conferendis de off. ord. in 6. Clem. 1. & ibi Gloſs. vt litè pend. c. ſi ſoli de conceſſ. præb. in 6.*

At verò abſolutè loquendo, ordinarium collatorem intelligimus nunc illum, qui ex iuris communis diſpoſitione extra priuilegium, aut conſuetudinem confert; Huncque dicimus non eſſe alium, quam Epiſeopum in Diœceſi ſua, qui omnia benefieia Eccleſiarum ſibi ſubiectarum confert, in quibus inſtitutio, & deſtitutio præpoſitosum ad illum pertinet; *c. conquerente de off. ord. c. ex frequentibus c. cum veniſſent. de Inſtitutionib. c. cum ex iniuncto de Hæret. c. 1. de capell. Monach.* Aurelianenſe enim Concilium, & eſt in *c. omnes Baſilicæ 16. q. 7.* ſic ſtatuit. *Omnes Baſilicæ, quæ per diuerſa loca inſtructæ ſunt, vel quotidiè conſtruuntur, placuit ſecundùm priorum canonum regulam, vt in eius Epiſcopi poteſtate conſiſtant, in cuius territorio poſitæ ſunt*, & Leo IV. *in c. regenda 10. q. 1. regenda eſt vnaqueque Parochia ſub prouiſione, ac tuitione Epiſcopi per Sacerdotes, vel cęteros Clericos, quos ipſe cum Dei timore prouiderit, cui iure pertinere videtur* Eſt hæc collatio actus iuriſdictionis ordinariæ (ſed in eum ſenſum, de quo mox infra) ſed voluntariæ, quæ inter volentes tantum exercetur *c. ſi tibi abſenti de præb. in 6.* & ſæpius cum inſtitutione confunditur adeò, vt inſtitutio, & collatio pro eodem nonnunquam accipiantur, vt notat *Lother.* *De re benef. lib. 2. q. 1. n. 15.*

An autem Capitulum, ad quod Sede Vacante deuoluitur Epiſcopalis iuriſ-

iuriſdictio ordinaria *c. pen. & vlt.de ſuppl.neglig.prælat. in 6.* poſſit beneficia, quæ ſunt collationis Epiſcopalis conferre? Negatiuè reſpondendum eſt *ex c.2.ne Sede Vac.* poteſt tamen inſtituere præſentatos, quorum inſtitutio ad Epiſcopum pertineret, ſi viueret, *c.1.de inſtitut.in 6.* ſi quæ tamen eſſent beneficia, quorum collatio ad Epiſcopum, ſimul, & capitulum pertineat vacante ſede, ſuſpenſo; aut captiuo Epiſcopo poterit Capitulum ipſum liberè prouidere, *c. ſi ad Epiſcopum ne Sede Vacante in 6.* idemque dicendum ſi capitulum deberet conferre beneficium cum Conſilio Epiſcopi, eo mortuo, aut abſente adeò, vt eius reditus breui non poſſit haberi, non enim propter hoc eſſet differenda collatio, ſecus ſi beneficium eſſet collationis Epiſcopalis cum conſilio tamen, & aſſenſu Capituli, tunc ſiquidem Capitulũ ipſum conferre non poſſet *d. c.ſi ad Epiſcopum*, quare Capitulum poſſit inſtituere, & confirmare, non conferre *vid.Lother.lib.2.q.2.n.* 18. Habet igitur Epiſcopus fundatam intentionem in omnibus beneficiis ſuæ Diœceſis, & iuris aſſiſtentiam ſibi fauentem.

3 Ab ordinario, & inferiore collatore conſcendimus ad Summum Pontificem Romanum, à cuius conſideratione pendet tota praxis hodiernæ collationis beneficiorum, *Franciſcus Duaren.* collationem beneficiorum tractaturus Summum Pontificem aſſumit, ac quærit; an poſſit ipſe omnia beneficia Chriſtiani orbis conferre? Negat apertè innixus per vetuſtæ Eccleſiaſticæ diſciplinæ fundamento; obſeruat enim Romanum Pontificem poteſtatem ordinandi Clericos, & Sacerdotes extra ſuam Diœceſim nunquam ſibi vindicaſſe; nam ſi primæuam Eccleſiaſticam diſciplinam ſpectes, & antiquos canones percurras, reperies Epiſcopos à Metropolitano ſuo vna cum comprouincialibus Epiſcopis ordinari debuiſſe præcedente electione Cleri, & populi conſenſu; tata 62.63.64.& 66.*Diſt.* qua de re à nobis iam ſupra fusè ſatis actum; Cæteri verò Clerici inferiores ab Epiſcopo ſuo ordinabantur, cum aſſenſu plebis, & non à Romano Pontifice 67. *Diſt.per tot.* Cum igitur nunquam fieret ordinatio ſine titulo, adeòq; ſinè beneficij collatione, iam concludit *Duaren.* extra ſuam Diœceſim, nec potuiſſe Pontificem Summum beneficia conferre, vnde ſanctiores illi, & antiquiores Pontifices omnem beneficiorum adminiſtrationem, ac diſpoſitionem Epiſcopis in ſuis prouincijs reliquerunt tanquam re vera; & ipſi eſſent vnius Vrbis Epiſcopi, non totius Orbis Domini. Intra hoſce limites ſequentes poſtea Pontifices non ſe continuerunt, ſed tanquam Domini, ac Reges omnia pro poteſtate agere, & totius Eccleſiæ regimen ſibi ſumere non dubitarunt; & exinde cœperunt liberam omnium beneficiorum diſtributionem habere, cum alijs Epiſcopis in eadem concurrere, & eoſdem etiam præuenire, vt habetur *in c. cuncta per mundum 9.q.3.c.propoſuit,de conceſſ.præb. c.ad honorem de auct. & vſu pal.c.1. & c.dudum de præb.in 6. Clem. I. vt lite pend.*

*De Sac. Eccl.min & benef. lib.3.c.1*

Moxque inſtitutum (quod antiquis fuit planè ignotum) diplomata expedire, quibus beneficia nondum vacantia mandarentur certis perſonis conferri; & demùm iuductæ reſeruationes beneficiorum in menſibus certis vacantium, ſicque cum eſt antiquis canonibus omnia beneficia in eius Epiſcopi poteſtate conſiſterent, in cuius territorio poſita eſſent *c. omnes Baſilicæ 16. q. 7.* gliſcente Pontificum auctoritate, ea demùm ipſis fuit imminuta, ac fermè adempta;

Hæc

Hæc eſt Duareni ſententia, licèt aliquantò contractior, quàm ſit ſpectes, concludes hodiernam beneficiorum Eccleſiaſticorum diſtributioñe nil aliud eſſe niſi meram Summorum Pontificum vſurpationem, ità ſentit *Duaren.* cuius aſſertionem Eccleſiaſticæ diſciplinæ larua perſonatam breuitèr retegemus, & quam iuſtè hodierna beneficiorum diſtributio ſit inuecta facilè apparebit.

Quod ergo Romanus Pontifex ſibi non vindicauerit, hoc eſt non exercuerit ius ordinandi Clericos extra ſuam Diœceſim; ſubſiſtimus, nec inquirimus impenſiùs; at illationem Duareni non admittimus, ipſum, ſcilicèt, hoc ius, & hanc poteſtatem non habuiſſe; potuit etenim habere, & non vti, quia rerum ſtatus, & temporum conditio non permitteret; Verum habuiſſe ſemper, & fuiſſe vſum vel vnus teſtetur titulus, quem ei dedit *Tertullian.* (Lib. de pudicit. c. 1. in princ.) qui Summum Pontificem Romanum *Epiſcopum Epiſcoporum* appellauit, ac proinde ius ordinandi Clericos ex quacumque Chriſtiani Orbis parte ſemper ipſi competijt, quamuis non ſemper eo vti voluerit, aut debuerit; vt intrepidè conteſtatur *Stephanus Papa* ſcribens Gualberto Patriarchæ, & habetur apud Gratian. *in c. nunc vero 9.q.3.& Nicolaus* Summus Pontifex Michaeli Imperatori apud eundem Gratian. *can.ſeq.* Haud abſimiliter, nec ſemel S.Gregorius Magnus in Epiſtolis ſuis auctoritatem ſupremi capitis in clericos alijs Epiſcopis ſubiectos exercet, iubendo, aut eos ordinari, aut alijs incardinari Eccleſiis, tanquam nulli alligatus legi circa eorundem ordinationes; (Indic. 13. lib. 4. Ep. 30. Lib. 1. Ep. 51. in 9. Lib. 1. Ep. 76. ead. ind. Lib 3. Ep. 14. ind. 12.) Neque id adeò ſingulare, & proprium Romani Pontificis, quin etiam Primatibus nonnullis præſertim, ſiue iure, ſiue conſuetudine competierit; Epiſcopus ſi quidem Carthaginienſis, qui erat Primas totius Africæ Proconſularis, à vetuſtiſſimis temporibus hoc ius habuit, vt de prouinciis ſibi ſubiectis Clericos aſſumere, & in aliam Diœceſim transferre iuxta exigentiam poſſet; ità firmatum legimus *in can. 45. Concilij Carthaginienſis III. & can. 22. Africani*; qua de re *Theod.Balſam. & Zonar. ad can.59. & 60.Concilij Carthaginien.* Id ipſum & Conſtantiponolitano Epiſcopo datũ teſtatur *Balſamo* ex Iuſtiniani Imperatoris nouellis Conſtitutionibus, quas ibid. regerit earum ſtatum commemorant; (Tit. 1. Nomocan. c. 26. & canon. 10. Syn.) eoque iure liberiùs vſum Conſtantinopolitanum Epiſcopum, quàm Romanum certum eſt, nam Romanus modeſtiùs ſe geſſit, vt ex S. Gregorii ſupradictis Epiſtolis fas eſt obſeruare, ſed Conſtantinopolitanum ipſum ideò vſum, quia priuilegia Romanæ Eccleſiæ ſibi communicata, & in ſe transfuſa profiteretur ex *Synodo Calcedonenſi, & Trullana*; (Can. 28. Can. 36.) Eandem auctoritatem exercuiſſe, & Alexandrinum Patriarcham circa Clericos, qui ad Epiſcopatum eſſent promouendi plura exempla confirmant, & ex eo præſertim, quod *canon. Nicœnus 6.* participem eum facere videretur omnium priuilegiorum, quæ exerceret Romanus Pontifex in Eccleſias ſibi ſubiectas; vnde ſi id iuris aliis Primatibus competiit, nefas eſt ambigere, an Romano Pontifici totius Eccleſiæ capiti competierit.

Corruit ergo tota Duareni illatio, qui ſuppoſito, quod Summus Pontifex ius nec habuerit, nec exercuerit ordinandi Clericos extra Romanam ſuam Diœceſim, deducit nec potuiſſe, aut poſſe omnia beneficia Chriſtiani Orbis conferre, ſicut enim tanquam Succeſſor Petri, & vniuerſalis Paſtor totius Eccleſiæ, ac ordinariorum omnium ordinarius *c.per principalem c. cuncta*

*per*

*per mundum 9. q. 3.* Clericos vndecumque ſumptos ordinare, itè potuit & poteſt iure ſuo, & ex poteſtatis, qua gaudet, plenitudine, de omnibus beneficijs Chriſtiani Orbis, cui præeſt, diſponere, cum omnibus Epiſcopis in eorundem beneficiorum collatione concurrere, & quoties ei benè fuerit viſum, in eadem ipſos præuenire *c. 2. de præb. in 6. Clem. 1. vt lite pend.* quod quidem facilè nimis negauit *Duaren.* id fieri non poſſe credens, quod non factum antiquitùs obſeruauit. Appoſitè autem notauit *Lother.* ab initio beneficiorum, & Eccleſiarum œconomiam ità fuiſſe inſtitutam, vt Eccleſiarum prouiſio ad Papam, inferiorum verò ad Epiſcopum pertineret, *c. omnes 22. diſt.* Vnde *Tertullian. Eccleſię quidem, vt Eccleſiæ fiant, ab Eccleſia omnium matre mutuantur fidem. Et S. Cyprian. Eccleſiam Romanam matricem, & radicem Eccleſiarum appellat*; Vtcumque proceſſu temporis ſit inducta Epiſcopatum prouiſio per electionem.

*De re beneſ. lib. 2. q. 2. n. 2.*

*De præſcript. hæret. c. 20. De Vnit. Eccleſ.*

4 Competijt ergo Epiſcopo beneficiorum ſuæ Diœceſis diſtributio, & circa eam habet intentionem ſuam fundatam, vt conſentiunt ſcribentes *c. omnes Baſilicæ 16. q. 7. c. cum olim de præſcrip.* quo iure autem ei competat ingens digladiatio eſt inter auctores; volentibus alijs eam eſſe iuriſdictionis, & competere ex lege iuriſdictionis Epiſcopalis; at illis obſtat, quod Epiſcopus etiam extra Diœceſim ſuam beneficia conferre poteſt *c. poſt electionem, de conceſſ. pręb.* cum tamen extra eã nulla ſit iuriſdictio *l. fin. ff. de iuridic. omn. iud.* neque admittendum hic effugium de iuriſdictione neceſſaria, & voluntaria, quod ſcilicet hæc extra territorium poſſit exerceri, quidquid enim ſit de veritate illlus diſtinctionis, certe quod voluntaria potuerit extra prouinciam exerceri, ſingulare hoc fuit in Proconſule, vt aduertit *Cuiac.* qui etiam rationes huius ſpecialitatis eruditè aſſert, vnde illatio, & conſequentia minùs concludens eſt; Aliis verò eſſe ordinis Epiſcopalis; quæ tamen opinio exploditur expreſsè ex *tex. in c. noſti de elect.* ex quo electus ſtatim, ac confirmatus eſt, præbendas, & beneficia conferre poteſt; cum tamen nondum ſupponatur conſecratus; at rationabiliùs eſt competere à lege citra iuriſdictionem, & imperium, ſicut de tutoris datione loquitur Iuris Conſultus in *l. muto §. tutoris datio ff. de Tutel.* quam (ait) neque imperii, neque iuriſdictionis eſſe, *ſed ei ſoli competit, cui nominatim hoc dedit vel lex, vel Senatuſconſultum, vel Princeps.* Quod quidem ipſum ſenſit *Ant. de Batr.* dum dixit collationem beneficiorum in Epiſcopo non eſſe propriè iuriſdictionis, ſed accidentalis poteſtatis eodem tempore impreſſæ, quo imprimuntur iuriſdictionalia, ſed ex legis conceſſione ſpeciali *d. can. omnes Baſilicæ 16. q. 7.* neque enim implicat, vt aliquid competat iure Magiſtratus, & ſimul lege, puta, illa ipſa lege, qua Magiſtratus conſtitutus eſt; quæ ratio eſt, vt quamuis iuriſdictionalia omnia tranſeant in Capitulum Sede Vacante non tranſeat tamen beneficiorum collatio, vt iam ſupra innuimus; Hæc tamen diſtributio facta intelligitur ſine vlla ſupremæ poteſtatis Pontificiæ imminutione, vnde ea nihilo refragante potuit nihilominùs Summus Pontifex beneficia, quorum collatio regulariter ad Epiſcopum pertinet, ſibi reſeruare, prout de facto ſibi reſeruauit; Et quia hæc ipſa reſeruatio (vt iam diximus) eſt tota praxis hodiernæ diſtributionis beneficiarię, de ipſa ſeparatim agemus, & per excurſum, ne ad tædium excreſcat huius capitis moles.

*Ad lib. 1. Pauli ad edic. l. fin. ff. de iuriſd.*

*Conſil. 19. n. 20.*

## De Reſeruationibus Pontificijs, Excurſus,

1 *Quid ſit reſeruatio ex aliorum definitionibus, & explicatur definitio Lotherij.*

2 *Reſeruationis diuiſio in generalem, & ſpecialem; & quæ generalis, quæue ſpecialis.*

3 *Qui reſeruationis effectus, & quales, enumerantur.*

4 *Agitur de affectione tanquam ſingulari effectu reſeruationis, & ipſa exactè declaratur.*

5 *Praxis reſeruationis proponitur, & earum hiſtoria, atque progreſſus, & primò quoad Eccleſias Cathedrales.*

A THEORIA, & doctrina Pontificiæ reſeruationis exordiemur, & ab eo ad praxim, & hiſtoriam recta methodo deſcendemus, auſpicantes à definitione.

Ad reg. 8. Gloſſ. 31. n. 1. 1 *Gonzales* reſeruationem ità primò definiuit. *Eſt alicuius beneficij Eccleſiaſtici vacaturi per habentem poteſtatem ad ſe facta auocatio*; Quam definitionem probauit, & *Auguſtin. Barboſa*. Iur. Eccl. Vn. lib. 3. c. 13. n. 38. Verùm peccat hæc definitio, quia cum reſeruatio ſit duplex generalis alia, & alia ſpecialis, aſſignat ipſa ſpecialem quidem, at non generalem, quam inquirimus; Ideò defectum hunc obſeruans idem *Gonzal.* Num. 3. aliam immediatè attexuit; quod reſeruatio ſit *prouiſionis Eccleſiaſticorum beneficiorum in certis menſibus vacaturorum ad ſe generalis facta aduocatio*. Miſſis aliorum vetuſtiorum (ſi quæ ſint) definitionibus; De re benef. lib. 2 q. 26. n. 1. *Lother.* quo nemo meliùs, & exactius, cum quoad Theoriam, tum quoad praxim rem beneficiariam tractauit, ità reſeruationem definit. *Eſt interdictum Papæ factum inferiori circa vſum poteſtatis ordinandi beneficia gratia prouidendi benemeritis.*

Percurramus cum eodem auctore ſingulas definitiones partes, & tota materiæ doctrina elucidabitur. Dicitur ergo primum, quod ſit *interdictum*, & eſt in definitione loco generis; hoc eſt prohibitio, ſiue inhibitio, in hoc ſi quidem tota reſeruationis efficacia poſita eſt; ſi enim inferior contra huiuſmodi inhibitionem, ſiue interdictum conferat, eius prouiſio præſumpta, ſiue attentata, adeoque inſubſiſtens cenſetur, & eſt; in ijs verbis in fine, *conferre alicui, ſeu aliquibus non præſumat c. inter cętera 17. de præbend. apud Greg.* Et hic effectus aliunde non naſcitur, quam ex illa inhibitione, ſiue interdicto, quod quidem ſiue ſit factum cum decreto irritanti, ſiue ſine eo, nihilominus ſuum pariet effectum; Verùm quia valde intereſt, an alterutro modo fiat, vtroque modo factum breuitèr expendemus; reſeruatio igitur ſimplicitèr facta, & ſine adiecto decreto irritante, operatur intentionem reſeruantis, vt ſcilicèt annullet prouiſionem ab inferiore factam tanquam factam ſine auctoritate, cum eius facultas ſit eliſa per conſolidationem factam in Papa reſeruante; Vndè hæc nullitas naſcitur ab interdicto illo, ſiue ſit explicitè factum in reſeruatione, puta quia dixerit Papa *interdicimus*, aut *prohibemus*, ſiue implicitè tantùm, quia ſcilicèt dixerit ſolummodò *reſeruamus*, ſemper enim ſuum operabitur prohibitionis, & nullitatis effectum, vt optime notarunt *Hoſt. & Io: Andr.* Ad c. inter dilectos 11. n. 14. de Exceſ. Prał. Andr. nu. 16. Si verò facta fuerit reſeruatio cum decreto irritante, cum addat decretum ipſum aliquid ſupra reſeruationem, aliquid etiam virium

rium, & efficaciæ ijdem adijciet, & erit, vt ſcilicet non ſolùm inficiat titulum, ſed etiam poſſeſſionem afficiat ità, vt nullum acquirat colorem poſſeſſor, vnde ſi foret fortaſſe ſpoliatus, non poſſet reſtitutionem petere, nec deberet reſtitui cum nuſquam fuerit poſſeſſor; quod enim iactatur axioma, quod ſcilicet reſeruatio impediat ſpoliati reſtitutionem, non de qualibet reſeruatione accipiendum eſt, ſed de reſeruatione facta cum adiecto decreto irritante; Nec eſt difficilis ratio, propter quam plus operetur facta cum decreto irritante, quam facta ſine eo. Nam cum reſeruatio eſt ſine decreto, etiamſi ſit cum inhibitione expreſſa, adhuc poteſt allegari ignorantia, ſuper qua interim dum contenditur, color aliquis naſcitur in titulo, qui capacem reddit ſpoliatum ſaltem reſtitutionis; & quamuis reſeruatio, licèt ſimplex poſſit huiuſmodi colorem excutere, attamen, virtus eius reperitur retuſa, & quodammodò mortificata propter ignorantiam, quam prætendit, ac profitetur inferior.

Vbi verò reſeruatio habet decretum irritans ignorantia non eſt allegabilis, quia decretum afficit etiam ignorantem; quæ fuit doctrina *Gloſſæ*, & aliorum apud *Gonzal.* qui limitat hanc vim decreti, quatenus ſit factum à ſolo Papa, non item ab alio, puta Legato à Latere; Et quamuis Romanum Auditorium cenſuerit aliquando Decretum irritans afficere etiam ignorantem tunc tantum cum eſt adiectum reſeruationi certi beneficij, vel reſeruationi generali, ſed clauſæ in corpore iuris; attamen ex deciſionibus eiuſdem Auditorij ampliauit *Lother.* etiam ſi ſit adiectum reſeruationi generali, dummodo reſeruatio ipſa ità notoria ſit, vt eius ignorantia prætendi non poſſit; Hæc obiter, ſed non extra rem decreti irritantis reſeruationi adiecti. Iam proſequamur definitionem, ait ergo, eſt *interdictum Papæ*; ideò *Papæ*, quia ipſe vnus haſce reſeruationes facere poteſt; cum ipſe ſi vnus in tota Eccleſia ſupremus, penès quem poteſtatis plenitudo, à qua tota reſeruandi poteſtas omninò pendet ex iam dictis, indeque reſpectu eiuſdem reſeruantis duplex naſcitur reſeruatio; Aut enim fit reſeruatio ad beneplacitum Summi pontificis reſeruantis, & tunc reſeruatio ipſa eſt temporalis, & ad ſummum vſque ad ipſius mortem duratura, qua ſuperueniente terminatur eius beneplacitum, & cum vita expirat, *l.4.ff.locati.* Si verò reſeruatio fiat Apoſtolicæ Sedi, & ſucceſſoribus in ea, tunc reſeruatio eſt perpetua, nec tam Papa, quam ipſius ſedes ex lege perpetua conferre intelligitur *c. ſi gratioſe de reſcrip. in 6. & ibi Gloſſ.*

*Ad c. ſuo tempore in verbo prouiſionem de elect. in 6 Gloſſ. 67. n. 17. Puteus lib. 3. Deciſ. 130.*

Pergit definitio, & ait, *circa vſum poteſtatis*, quia per reſeruationem Pontifex non tollit radicitùs poteſtatem Epiſcopis, aut alijs collatoribus inferioribus, ſed ea in habito ſuo remanente vſum, actum, & exercitium eius ſolummodo ſuſpendit, & impedit, qui quidem, eſt proprius, & naturalis ipſius inhibitionis effectus, ſicut à Iudice appellationis reſpectu iudicis à quo fieri videmus, eius enim inhibitio ligat, & ſuſpendit, non tollit iuriſdictionem; idque facit Papa ſine alicuius inferioris iniuria, vtitur enim iure ſuo; quia totum ius conferendi in ipſo tanquam in fonte fundatur; nititur ſi quidem hæc reſeruandi facultas fundamento principatus Eccleſię, qui ità eſt inſtitutus, & collocatus in Petro, & eius ſucceſſoribus, vt ab ipſo tanquam a capite in reliqua corporis membra dimanet; ex quo principio fit, vt quando Papa ſibi reſeruat, non adimat inferioribus habitualem poteſtatem, ſed ſub-

ſubſtrahat influxum ſuum, & ceſſet diffundere, quo influxu ceſſante tanquam capitis in membra, membra ipſa deſtituuntur proprio actu remanente adhuc radicali potentia, & ideò reſeruans nihil adimit, ſed impedit, aut ſuſpendit. Sed inſtabis; eſto quidem, hanc conferendi facultatem à Papa in inferiores deriuatam, attamen vbicumque agitur de communicatione; & conceſſione iam facta, & de eius reuocatione, materia videtur aliquid odij inuoluere, vnde nec adeò rationabile, aut iuſtum ipſam admittere; Verùm aduertendum eſt, communicationem illam, ſiuè diffuſionem poteſtatis tanquam à capite in membra, & à Papa in inferiores collatores, non fieri in gratiam inferiorum collatorum, ſicut factum obſeruamus in beneficio Principis, quod reſpicit meritum ipſius recipientis, *l. 1. verſ. nam quod Princeps ff. de conſt. Princip.* ſed in gratiam, & in fauorem ipſius Papæ diffundentis, qui alias reggere commodè totum Eccleſiæ corpus, cuius ipſe eſt caput, non poſſet; & ideò communicatio hæc rationem quandam mandati habere videtur, quod à nutu, & arbitrio mandantis pendet, *l. ſi mandaſſe ff. mand.* Vnde, & conſequenter fit, reſeruationes non poſſe dici abſolutè odioſas, eo quia detrahant ordinariorum facultati, præcipuè ſi ſint generales; nec adeò propriè reſeruationem à nonnullis definiri, quod ſit auocatio poteſtatis, niſi auocationem ipſam interpretemur non formaliter de poteſtate, ſed de vſu, & exercitio ipſius poteſtatis; & ideò optima ratione dictum in definitione reſeruationis, *circa vſum poteſtatis*, ſubditur in eadem definitione, *ordinandi beneficia* quia interdictum, ſiue inhibitio Papæ à reſeruatione proueniens reſpicit omnem modum diſponendi de beneficijs, ac proindè inferiori non ſolùm intelligetur impedita collatio; ſed & vnio, vel ſi quis aliùs modus, quo valeat de beneficio in ſua Diœceſi diſponere; clauditur demùm definitio per ea verba, *gratia prouidendi benemeritis*. Quia reſeruationum omnium, quæ à Summo Pontifice fiunt, is eſt finis, vt ſcilicet per eas conſulere valeat benemeritis de Eccleſia, de Catholica fide, de curia, de ſe ipſo.

2 Reſeruatio ſic definita diuiditur tanquam genus in ſpecies; Vt ſcilicèt alia ſit generalis, & alia ſpecialis; generalis reſeruatio non vno modo fit; Aut enim eſt beneficiorum omnium, quæ in aliquo certo loco vacauerint, veluti in Curia Romana, vel apud Sedem Apoſtolicam, quæ quidem eſt reſeruatio omnium antiquiſſima, & clauſa in corpore iuris *c. 2. de præbend. in 6.* quamuis enim ſit reſtricta ad certum modum, vel ad certa beneficia reſpectu loci, qui nihilominùs omnia huiuſmodi beneficia complectitur hinc eſt, quod meritò dicitur generalis; qua ratione dicitur & generalis reſeruatio, vbi Summus Pontifex ſibi reſeruat omnia beneficia, quæ vacauerint per aſſecutionem alterius à ſe collati, vt in *Extrauag. ad regimen. de præbend.* vel vbi ſibi reſeruat omnia beneficia Cardinalium, aut familiarium ſuorum, vt in *d. Extrauag. ad Regimen.* hæque omnes ſunt reſeruationes generales.

Speciales verò ex oppoſito facilè aſſignantur, quamuis enim inter auctores aliqua ſit varietas, volentibus nonnullis illas eſſe ſpeciales quæ fiunt per regulas Cancellariæ Apoſtolicæ, attamen verior, & magis genuina ex vi verbi eſt illa aſſignatio, vt ſcilicet ſpeciales illæ dicantur, quæ fiunt de certis beneficijs, ſiue pro certis perſonis, ſiuè demùm de certo numero bene-

nefi-

*De benef. p.5.c.1. n.60.inſt benef. c. 21.n.24.*

neficiorum, vt pluribus congeſtis ſenſit *Garz.* & ante eum *Tholoſ.* Non loquimur de reſeruationibus ſpecialibus, quæ fiunt in fauorem certæ alicuius perſonæ, quæ dicuntur expectatiuæ, quia ſunt ſublatæ per Concil. Trident.

*Seſſ. 24. de refor. c.19.*

3 Quæcumque autem ſit reſeruatio ſuos ipſa operatur effectus; quos recenſebimus immorantes circa illum, qui potior eſt; Primus ergo effectus ex definitione ipſa ſtatim conſpicitur, non vt adimat facultatem, ſeu ius conferendi ordinario, ſiue inferiori collatori, ſed quod conferendi vſum impediat, aut elidat, ſiue ſit reſeruatio ſimplex ſiuè facta cum decreto irritante, vt iam diximus, & ſi inferior ea vigente conferat, collatio eius præſumpta, ſiuè attentata erit *c. vt noſtrum de appellat. c. ſi eo tempore de elect. in 6.* Non conſideramus effectum alium, vt ſcilicet reſeruatio impediat mandata de prouidendo, niſi in mandato de prouidendo fiat ſpecialis, & expreſſa mentio ipſius reſeruationis, quia cum (vt iam diximus) mandata hæc de prouidendo, & gratiæ expectatiuæ ſint ſublatæ, iam ceſſat cum ipſis & hic effectus; Vnde aſſumemus tertium effectum planè conſiderabilem, qui eſt vt reſeruatio beneficium afficiat.

4 Eſt affectio ſingularis quædam paſſio Eccleſiaſtici beneficij, quæ in ſui ratione formali differt à reſeruatione, ſed in effectu coincidit cum reſeruatione ipſa ità, vt affectio ſit reſeruatio, non autem omnis reſeruatio ſit formalitèr affectio, quamuis reſeruatio affectionem operetur, & indicat; Vnde inter reſeruationem, & affectionem differentiam geminam aſſignauit *Gonzal.* ex cuius vtriuſque declaratione diſcrimen emicat inter vtramque.

*Ad reg. 8. Gloſſ. 52.n.1.*

Prima eſt; quod reſeruatio ſupponit actum verbalem, & expreſſum Summi Pontificis, qui aut conſtitutionem aliquam reſeruantem edat, aut ſingulariter vtatur verbo *reſeruamus*, tuncque facta explicita reſeruatio intelligitur. Affectio vero reſpicit actum realem, ſiuè factum ipſius Summi Pontificis, per quod factum inducitur tacita reſeruatio; vt ſi manum apponat ſuper diſpoſitione alicuius beneficij, tuncque conſurgit affectio, per quam impediuntur inferiores collatores, quo minus ſe ingerere valeant; & ex hac principali differentia conſequitur & alia, quod ſcilicet quando Papa manum apponit non eſt neceſſaria aliqua inhibitio, aliquodue decretum, factum enim ipſum ſatis per ſe operatur. At vbi ſit reſeruatio neceſſaria omninò ſunt verba, inhibitio ſcilicet ipſa, & decretum ſine quo non ſolùm reſeruatio ipſa non ligat, immò neque facta poteſt intelligi.

Neque eſt ipſa affectio merum ſcribentium commentum; ſed innititur aperta iuris auctoritate; & primò *tex. in c. vt noſtrum 56. de appellat.* vbi aduocante ſibi Summo Pontifice negotium aliquod, ligantur manus inferiorum, vt nihil per ipſos in eadem cauſa, validè poſſit fieri; Vnde illatio ad affectionem rationabilis poteſt fieri; at expreſsè in puncto affectionis, *tex. in Extrauag. ad Romani §. Romani de præbend.* cuius ſat erunt reddita verba. *Romani Pontificis manus appoſitionem tantæ efficaciæ, tantæque virtutis exiſtere, vt ſi literæ Apoſtolicæ ſuper prouiſionibus beneficiorum ex aliqua cauſa ſuum debitum non ſortiantur effectum facultatem tamen prouidendi de beneficijs taliter reſeruatis quibuſcumque alijs fuiſſe adeptam, & remanere ſemper affecta, nullamque de illis præter Romanum Pontificem ea vice diſponere potuiſſe, nec poſſe harum ſerie decernimus, & declaramus.*

Indeque ſi facta fuerit collatio per Sum-

Summum Pontificem, vel per legatum eius, eaque non teneat, vel propter ſubreptionem litterarum, vel propter inhabilitatem prouiſi, aut aliam quamcumque cauſam ligatæ erunt manus ordinarij ità, vt conferre idem beneficium non poſſit tanquam affectum; cauſas ſingulares, propter quas inducatur affectio enumerat per illationes *Gonzal.* & poſt eum *Auguſtin. Barboſ.* qui & ſigillatim eas regerit, à quibus recenſendis conſultò temporamus tanquam praxim reſpicientibus; Verùm pro regula theorica dabimus, quod tunc manus appoſito Pontificis Summi inducat affectionem, & liget, quandò manum apponit ad effectum conferendi. Nam ſi apponat ad alium effectum neutiquam ligantur manus ordinarij, quia limitata manus appoſitio limitatum debet parere effectum. *l. age c. de tranſac.* vt limitando docuit *Gonzal.* & per plures limitationes diſcurrit. Theoria reſeruationum ſic præmiſſa, iam nunc ad hiſtoriam, & praxim eorundem accedamus.

*Vbi ſup. d. n. 11. & ſeqq. Iur. Eccl. Vn. lib. 3. c. 13. n. 90. & ſeq.*

*Vbi ſup. n. 38. & ſeqq.*

5 Præmittemus tanquam reſeruationum fundamentum, quod omnium Eccleſiarum diſpoſitio, ac beneficiorum diſtributio ex primæua Eccleſiæ inſtitutione radicata eſt, & conſtituta in Summo Pontifice tanquam capite, & ordinario *c. 2. & ibi Gloſſ. de præb. in 6. Clem. 1. eod.* Hocque tanquam fundamentum ſupponunt omnes de reſeruationum materia tractantes. Hanc facultatem ſiue diſpoſitionem communicauit Pontifex cœteris inferioribus, at eo modo, quo ſol cœteris aſtris mutuatur lumen, ſine vllo ſcilicèt ſuæ lucis, ſiue auctoritatis diſpendio; Vnde procedente tempore, pro varia Eccleſiaſtici regiminis exigentia variandum etiam circa Eccleſiarum, & beneficiorum diſtributionem neceſſariò fuit.

Modum præficiendi Epiſcopos, & Cathedrales Eccleſia prouidendi iam indicauimus ſupra, vt ſcilicet ad electionem cleri iuncto plebis conſenſu Epiſcopus vacanti Eccleſiæ præficeretur, qui ſubinde à Metropolitano ſuo confirmatus à comprouincialibus Epiſcopis Synodali Conuentu ordinabatur ad minus à tribus Epiſcopis, reliquis ſiuè præſentibus, ſiuè abſentibus per literas conſenſum ſuum accommodantibus. Hic modus prouidendi reſtringit cępit propter turbas, quæ facilè nimis ob populi concurſum excitabantur; Vnde cęperunt Epiſcopi inſtitui ad electionem Cleri, ſed præcipuè cum aſſenſu Collegij illius Eccleſiæ, cui præficebantur, ſine cuius voluntate certa nihil actum cenſeretur, *c. 1. de elect.* addito inſuper voto omnium religioſorum *c. ſacrorum c. obeuntibus 63. diſt.* qui modus anno circiter 1174. obtinebat, fuit ſubindè hic prouidendi modus redactus ad ſolum Capitulum, & Canonicos Eccleſiæ Cathedralis, omnibus alijs excluſis, niſi alicubi aliud exigeret conſuetudo; quam eligendi formam coſtituit Innocentius III. anno 1198. *c. cum Eccleſia Sutrina 3. de cauſ. poſſ. & propr.* & confirmauit generale Lateranenſe Concilium ſub eodem Innoc. celebratum anno 1215. omnia ad eam requiſita, atque ſeruanda præſcribens *c. quia propter c. ne pro defectu c. in Geneſi c. cum terra c. Eccleſia veſtra c. cum in cunctis c. cum Eccleſia Vulterana de elect.* Hicque eligendi modus iuris communis nuncupatur inter decretales Gregor: IX. paſſim regeſtus; ſed demùm & hic modus expunctus eſt tunc primùm, cum Clemens V. anno 1305. & primo ſui Pontificatus, curiam Romanã, & omnium negotiorum molem Auenionem transferre aueret Burdegalenſem Eccleſiam vacantem per ſui aſſumptionem ad Pontificatum, nec non Patriarchales,

Archiepiſcopales, & Epiſcopales, omniaque beneficia ſiue cum cura, ſiue ſine cura Sedi Apoſtolicæ, & ſibi reſeruauit; confirmauit Ioann. XXII. anno 1322. per Extrauagantem conſtitutionem ſuam non impreſſam, & ad biennium reſtrinxit, ſed de biennio in biennium renouando vſque ad finem vitæ ſuæ produxit; idipſum factum obſeruamus & à Benedicto XII. in Extrauag. *Ad regimen. de præbend.* anno 1335. & à Clemente VI. per Extrauag. non impreſſam anno 1343. omnia prædeceſſorum ſtatuta innouando, & extendendo; Idque actum iure, & ſine alicuius iniuria, quando vtatur Summus Pontifex pleniſſima poteſtate ſua, & rectum Eccleſiæ regimen id expoſcere fuit viſum, vt totiùs, & aptiùs Eccleſijs conſuleretur, quamuis non omnia aliquando noſſe poſſit Pontifex ab aliorũ relationibus pendens; Perdurat, & perdurabit hic eligendi modus, quem tamen meliorem agnoſcimus, quam ſi Eccleſiarum Collegijs reſtitueretur electio, quæ demùm in factiones, & ſchiſmata redigeretur. Hæc eſt ergo Eccleſiarum, & Epiſcopatuum reſeruatio.

Quoad alia verò beneficia; ſuppoſita connexione, quam aliàs oſtendimus habuiſſe ſacram ordinationem cum titulo ità, vt nemo ad ſacros ordines promoueretur, cui & titulus in Eccleſia, ſiue miniſterium non aſſignaretur, certè ad Epiſcopum, cuius ſemper fuit ordinare in ſua Diœceſi, ſpectauit aſſignare & miniſterium, cui victus reſpondebat ex prouentibus Eccleſiaſticis, vnde diuiſis ſubinde bonis, aſſignataque ſua portione vnicuiq; miniſtranti, erectiſque beneficijs certè ad eumdem Epiſcopum beneficiorum etiam collatio pertinere debuit, & de facto pertinuit, non imminuta tamen Summi Pontificis ſuprema poteſtate circa eadem beneficia *Arg. tex. in c. dudum & in c. 2. de præb. in 6.* per quam poſſet etiam ſine vlla inferiorum negligentia, etiam antequam vacarent de ipſis diſponere; huncque quadrifariam exercuere Pontifices primùm per mandata, ac monita de prouidendo vacatura ad fauorem certæ alicuius, ac idoneæ perſonæ, & ſi pro alia priùs ſcripſiſſent. Innocentius III. in *c. conſtitutionibus de reſcrip.* anno 1200. neq; antea huiuſmodi mandatorum vllum intuemur veſtigium, vt inquit *Io: Andr. ad c. duobus de reſcrip. in 6. Honor. in c. Capitulũ de reſcrip. Greg. IX. in c. ex inſinuatione eod.* Secundò per mandata gratioſa præceptiua, & indiſtincta, datis etiam executoribus ad vacantia beneficia, quæ forma demptis monitorijs eſt etiam adhuc in vſu. *Alex. III. in c. pro illorum de præb. Innocent. III. in c. propoſuit de conceſſ. præb. Honor. III. in c. cum dilectus de præb.* Tertiò *Vid.* per eadem mandata ad præbendam, vel dignitatem, quam prouiſus duceret acceptare. *Innocent. IV. in c. 1. de conceſſ. præb. in 6.* addita etiam clauſula, quam intra menſem duxerit acceptandam; *Clem. V. in Clem. 1. §. 1. de conceſſ. præb.* & tunc introductæ expectatiuarum formulæ, ſed raro conceſſæ, primùm rogando, deinde præcipiendo, & demùm executores dando, *c. pro illorum c. dilectus il 2. & 3. de præb.*

Sed tamen reſeruationes beneficiorum à Summis Pontificibus nondum fiebant; ſolummodò tempore Innoc. III. factam reſeruationem obſeruamus aliquam ſpecialem ſuper primo vacaturo pro certa perſona *ex c. cum dilectus de iure patron.* Vſu ſubinde fuit introductum, vt beneficia, quæ vacare contingeret apud Sedem Apoſtolicam Summi Pontificis collationi reſeruata intelligerentur quam conſuetudinem

dinem *Clem. IV.* conſtitutione ſua confirmauit in *c. 2. de præb. in 6.* eamque extendit *Boniſac. VIII. in c. præſenti eod. tit.* aduacantia intra duas diætas extra Curiam, idque vt occurreret ordinariorum aſtui, qui procuratores in Curia conſtituebant ad hoc præciſè, vt beneficia eorum nomine conferrent, & ſummum Pontificem præuenirent. *Gloſſ. ad c. 3. in verb. per ſe ipſos de præb. in 6.* Demùm *Ioannes XXII. in Extrauag. ex debito de elect. & Benedic. XII. in Extrauag. ad regimen. de præb.* reſeruarunt Apoſtolicæ Sedi omnia beneficia electiua, & ea, quæ per obitum Cardinalium, & quorumcumque officialium Romanæ Curiæ vacarent. Verùm cum Extrauagantes iſtæ eſſent temporales, & cum vita ſuorum auctorum expiraſſent ab Innocentio VIII. & alijs ſucceſſoribus eædem reſeruationes auctæ, & declaratæ fuere, ac demùm ad certas regulas redactæ, quæ dictæ ſunt regulæ Cancellariæ Apoſtolicæ, quæ per Summos Pontifices poſtridiè aſſumptionis ſuæ conduntur, & per eorum vitam durant, nec vltra; inter quas (ad rem noſtram) præcipua eſt octaua, quæ inter regulas Sanctiſſimi Papæ Clementis X. nunc fęlicitèr Eccleſiæ præſidentis, eſt nona, per quam ſibi reſeruat omnia beneficia vacantia in octo menſibus anni, relictis inferioribus, & ordinarijs collatoribus menſibus quattuor, qui ſunt Martius, Iunius, September, & December; extra quos quattuor menſes ligata eſt poteſtas cuiuslibet inferioris collatoris, qui ſi conferat, nihil agit; Niſi acceptet alternatiuam, quam exhibet vnicuique Epiſcopo Summus Pontifex in eadem regula; largitur enim duos ex ſuis octo menſibus ità, vt ſex menſes competant etiam Ordinario, ſed ſub ea conditione, vt aſſiduæ in Diœceſi ſua reſideat verè, & perſonaliter; tuncque alternatim diſponuntur menſes, vt Ianuarius ſit Pontificius, Februarius Ordinarius, Martius, qui extra alternatiuam eſt Ordinarius, acceptata alternatiua ſit Pontificius, Aprilis Ordinarius, & ſic ſucceſſiuè, & alternatim vſque ad finem anni.

Hanc alternatiuam acceptat (ſi velit) Epiſcopus ſi ſit perſonalitèr Romæ præſens in Dataria Summi Pontificis, ſi ſit abſens per literas directas ad Datarium, quæ literę in libro ad id aſſignato regeruntur, & ex tunc, & non antea incipit gaudere beneficio alternatiuæ, quæ cum detur per modum contractus in præmium inceſſantis, & aſſiduæ reſidentiæ arctè adeò obligat acceptantem, vt in menſe alternato præſens in Diœceſi eſſe debeat non ſolùm in principio menſis, ſed etiam tempore vacationis beneficij in eodem menſe, quod ſi poſt vacationem, vel modicum receſſerit, ſit maximè dubium, an alternatiuam amittat, in quo dubio Rota Romana ſuſpenſa remanſit, & iuſſit omninò concordari, vt ſcribit *Lother.* qui doctè defendit primari Epiſcopum in eo caſu alternatiua per plures rationes hic non tranſcribendas; Lib. 1. c. 40. nu. plura apud eundem, & apud *Garz. & Gonzales* tractantur, & diſputantur circa hanc Epiſcoporum alternatiuam, quæ nos omittimus contenti ſola reſeruationis notitia, quam intendimus, & non vltra, cui appendicis ergo adnectemus aliquid de reſeruatione Annatarum ex beneficijs Eccleſiaſticis à Summis Pontificibus facta; Qui curioſiùs annatarum originem ſunt ſcrutati principium earundem nimis odioſum petiuere; ab Antonino ſcilicèt Epiſcopo Epheſino, qui ordinationes Epiſcoporum faciebat exigens valorem annuum, *pro modum redditũum*, inquit *Palladius*, *in vita Chryſoſtom.* qui Epheſi Concilium coegit, vt labem hanc in

Eccle-

Eccleſia pullulantem comprimeret, & re ipſa damnatus fuit hic abuſus tanquam diuinis inſtitutis omninò contrarius; ordinati ſic Epiſcopi fuere depoſiti, quamuis ſe excuſarent, quod pecuniam ſoluiſſent iuxta conſuetudinem, & inſuper indultum ijſdem fuit, vt aurum repeterent ab hæredibus Antonini, qui pendente iudicio deceſſerat, quandoquidem muliebre etiam aurum ſe tradidiſſe faſſi fuerant, vt ex verbis Chryſoſtomi in Synodo refert *Baron.* Malum hoc, quod in Eccleſia ſerpebat, eliminare omninò ſtuduit, *Concilium Calcedonenſe Can.2.* depoſitionis pœnam ſtatuens Epiſcopo, qui per pecuniam ordinationem Epiſcopi, aut alterius cuiuſcumque Clerici auſus eſſet; Anathema addidit Gennadius Conſtantinopolitanus Patriarcha in patriarchali Synodo anno 469. abrogata radicitùs conſuetudine, quæ in prouincia Galatiæ inualuerat. Conceſſit Iuſtinianus 80. annis poſteà conſtitutione ſua, vt Epiſcopi poſt peractam Ordinationem certam pecuniæ quantitatem perſoluerent pro inthronizatione ſua, quam Iuſtinianus inthroniſtium vocat, & *Iulianus anteceſſor* Cathedraticum, quæ Archipresbytero, & Archidiacono ordinatoris ſoluebatur, & diuidebatur inter Epiſcopos, qui aderant ordinationi, inter Clericos, & Notarios, qui miniſtrabant, & diplomata conficiebant; abrogata conſuetudine, quam inuexerant Epiſcopi, vt ab Epiſcopis à ſe conſecratis aliquam pecuniæ ſummam exigerent; taxauit & *Alexius Comneuus* conſtitutione ſua quid accipere poſſent Epiſcopi pro clericorum qualibet ordinatione; quæ omnia expunxit S. Gregorius Magnus in Synodo Romana ſub Mauritio, permittens, vt poſt factam ordinationem, & receptũ pallium aliquid ſponte oblatum, & ex nulla præcedente conuentione recipere liceat; & habetur in *c.nouit.* 100. *diſt.* & *in c.ſi quis Epiſcopum 1.q. 2.* poſt Synodũ incubit attentè S. Gregorius, vt conſuetudinem hanc, quæ in Occidente vigebat, euelleret, vt paſſim ex Epiſtolis ſuis videre eſt, adeoque profecit, vt quamuis in Oriente, non ceſſarent Metropolitani à recipiendis iuribus Entroniſticis iuxta Iuſtiniani conſtitutionem, cauerent ſaltem, ne inde recepti prouentus in alios, quam pauperes Clericos diſpenſarentur; ſic enim in mandato, quod dari ſolebat Metropolitano, cum ordinabatur, legimus. *Atq; hanc ob cauſam ſtatuimus, vt inthroniſmus, quem vocant, non ei, qui ordinat Epiſcopum (abſit, vt hoc fiat) ſed pauperioribus Clericis, vel alio quodam Eccleſiaſtico munere fungentibus, ratione facultatum Eccleſiaſticarum habita, detur.* Et tempore Zachariæ Romani Pontificis obſeruabatur, ne quidpiam pro literis confirmationis, aut pro pallio reciperetur, & cum Bonifacius Apoſtolicæ Sedis legatus ei ſcripſiſſet imputari hæc Romanæ Sedi, refellit reſcribens; *Faſtidioſum à nobis, & iniurioſum ſuſcipitur, dum illud nobis ingeritur, quod nos omninò deteſtamur; Abſit enim à nobis, & à noſtris Clericis, vt donum, quod per Spiritus Sancti gratiam ſuſcipimus, pretio venundemus.* Sed tamen repullulaſſe conſuetudinem poſt S. Gregorium, & Zachariam indicat *Iuo Carnot.* Epiſtola, qua reſpondet Richardo Legato Apoſtolico; & quæ ſcripſit *Durand.* de Cardinalium cætu, qui vnà cum Papa certam portionem exigeret à Prælatis, qui promouerentur, non ſine reſpectu ad beneficij valorem, ſint quidem hæc veriſsima; Non tamen eò referenda annatarum origo; abſit, vt credamus earum fuiſſe exemplar Simoniacam labem Antonini Antiocheni, quæ in Epheſina Synodo à Chry-

*Tom. 5. Annal. ann. 400.*

*Nouella 123. c. 3.*

*Lib. 2. Iuris Græcorom. ann. conſt. 1. Alex. Comneni.*

*Lib. 4. Ep. 44.*

*Lib. 4. Ep. 51. 53. 55. 56. lib. 5. Ep. 7. lib. 7. Epiſt. 5. 113. 114. lib. 9. Ep. 40. 51. 54.*

*Lib. 6. Iuris Græcorum. c. 10.*

*Tom. 2. Epiſ. Decret. Sum. Pontif. Zachar. Ep. 8.*

*De modo Celebrandi Concil. General. c. 20.*

Chryſoſtomo proſcripta fuit; damnata à Chalcedonenſi, & compreſſa à Gennadio in Conſtantinopolitana patriarchali; quæ contributiones poſteà per conſuetudinem fuere inuectæ, & contra quas Magnus Gregorius, & Zacharias Pontifices reſtitere, aliæ omninò ſunt ſicut & quæ adhuc vigent, quaſq; electi noui Epiſcopi tribuunt iuxta variam taxationem pro redituum æſtimatione inter Cardinales diuidendas; Annatarum auctor fuit Ioannes XXII. non quoad primam originem, ſed quoad applicationem; reſeruationis enim fructuum primi, vel alterius anni meminit ipſe tanquam iam introductæ ad fauorem certæ alicuius perſonæ ſiue iure, & conceſſione, ſiue conſuetudine *in Extrauag. ſuſcepti de elect.* inter illas ipſius *Ioan. XXII.* & inter communes *c. vn. ne Sede Vac.* quæ quidem reſeruatio legitur longè antea *in c. ſi propter de reſcip. in 6. ſub Boniſ. VIII.* Moderamen adhibuit Ioannes XXII. in ſupradictis conſtitutionibus, & æquitate ſuadente primos fructus eorum beneficiorum quorum collatio Sedi Apoſtolicæ erat reſeruata, ad tempus Cameræ Apoſtolicæ reſeruauit *c. poſtulaſti c. cum nonullæ 1. & 2. inter Extrauag. comm. tit. de præb.* Bonifacius IX. non integros, ſed dimidios fructus ſolui Cameræ Apoſtolicæ, ſed in perpetuum, iuſſit, quæ ingenti ære alieno preſſa erat; ſubſequentes ſubinde Pontifices Annatarum legem confirmarunt, eo addito, vt onus huiuſmodi ab Epiſcopatibus, & Monaſterijs, non ſecus ac ab alijs beneficijs præſtaretur, ſed cum eo diſcrimine, quod fructus aliorum, beneficiorum per collectores exigebantur; Annatæ verò Epiſcopatuum, & Monaſteriorum Romæ in numerato ſoluebantur, ſine diplomatibus enim Pontificiis nemo adminiſtrare Eccleſiam ſuam poterat, iuxta Conſtitutionem *Boniſac. VIII. in cap. iniunctæ de elect. inter Extrauag. communes*; Actum eſt de huiuſmodi annatarum reſeruatione in ConcilijsConſtantienſi, & Baſileenſi, ſed earum exactio, & obſeruantia durat, & ratione æquiſſima nititur; quam aſſignat nouiſſimè Reu. & Doctiſſimus *Pater Antonius Cotonius* Vniuerſitatis Patauinę decus eximium, quam è Cathedra Metaphiſicę illuſtrauit, & poſt diſceſſum memoria adhuc illuſtrat, & ſemper illuſtrabit, & quem in obſeruantiæ argumentum, & amicitiæ gloriam hic citatum volumus; Ait ergo Annatus huiuſmodi ratione æquiſſima à Summo Pontifice exigi pro ſubſtentatione ſcilicet Sanctæ Sedis, cum totus Orbis ſit ei Diœceſis, indeque confirmatur Annatas eſſe omninò diuerſas à taxationibus alijs, quæ ab Epiſcopis ſoluuntur diuidendæ inter Cardinales; Cenſuere aliqui iure Diuino Annatas haſce eſſe Summo Pontifici debitas, aut ab ipſo ducere originem, vt rafert. *Azor.* quidquid ſit hac de re, certè filii parentibus ſuccurrere tenentur, & Summus Pontifex omnium fidelium, ſed maximè Eccleſiaſticorum, quibus beneficia diſpenſat, Parens eſt; Conſuetudine induci poteſt, vt fructus primi, ſecundi, aut terti anni fabricæ Eccleſię, Epiſcopo, aut aliis piis vſibus applicentur, non ergo graue videri debet ſi Summo Pontifici fructus primi anni offerantur; poteſt Eccleſia particularis applicare Eccleſiaſticos prouentus delibando ex præbendis ſtipendia pro benemeritis *c. ad Apoſtolicam 42. de Simon.* & non poterit Summus Pontifex hoc ipſum ſtatuere ſuper beneficiis in vniuerſum? *Amyden.* teſtatur in libro quodam venerandæ antiquitatis apud Curialem Collectorem in Cancellaria Apoſtolica annatas vocari primitias S. Petri ex eo, quod noui Præſules conſueuiſ-

*Comm. celeb. lib. 3. contr. 9. c. 4. nu. 110.*

*Inſtit. mor. par. 2. lib. 3. c. 13.*

*De datar. lib. 1. c. 14. §. 3. n. 7.*

ſueuiſſent viſitare limina Apoſtolorum & offerre Summo Pontifici primitias Eccleſiarum ſuarum, fructus ſcilicet primi anni, in petitione confirmationis electionis, ſuæ; verùm quia refrigeſcente feruenti illa reuerentia erga Apoſtolicam Sedem, electi Præſules differebant viſitationem liminum Apoſtolicorum; & petitionem confirmationis, præfigendum fuit tempus trimeſtre ad confirmationem petendam, per *c. quam ſit §. fin. de elect. in 6.* ſub pęna deuolutionis, & ſubinde ne Sedes Apoſtolica iuribus, & ſubuentionibus communi Chriſtiani Orbis conſenſu, & longa conſuetudine debebitis fraudaretur, inductum, vt in ipſa prouiſione, aut confirmatione ſoluerentur huiuſmodi primitiæ, & ne de hac ſolutione facta in anteceſſum poſſent conqueri ipſi prouiſi, primitiæ debitæ pro fructibus totius anni redactæ ſunt ad partem dimidiam; & ſi fortè prouiſus pecunia non ſit inſtructus, ſuccurritur ipſi per Breue de capienda poſſeſſione, cuius virtute habet ſex menſes ad expediendas literas, & ſoluendam annatam, quo ſpatio exigere poteſt dimidios fructus beneficij, & ſoluere dimidiam annatam, & ſi adhuc non ſit ſatis conſultum, dantur alij tres menſes ità, vt res ſumma æquitate procedat.

Et ideò obliquus nimis videtur *Duaren.* qui de annatis huiuſmodi diſſerens, eas primùm inuidioſo vectigalis nomine appellat, in quo nomine mirum eſt eum imitatum eſſe *Azor.* propriè enim ſumpto vectigali nihil eſt quod huic annatæ reſpondeat; mox inexcuſabilem ſimoniæ labem exaggerat *Duaren.* aſſerens, quod quoquò ſe vertant Pontifices declinare non poſſunt illud Chriſti Domini. *Gratis accepiſtis gratis date*. Sed præterquàm quod hæc verba de ſpiritualibus gratiis ſunt enunciata, non eſt cur ſimoniæ inſimuletur Summus Pontifex, qui nihil vendit in collatione beneficij, ſed de fructibus beneficiorum aliquid demit, quod miniſtris ſuis de ſe, & Sancta Sede optimæ meritis applicet, ſed nihil eſt tam rectum, quod toruis, & liuentibus oculis inſpectum non videatur deforme, & diſtortum, & culpa teneat ſuos auctores. Hæc de reſeruationibus per excurſum, & de annatis obiter; iam ad collationem redeamus breuitèr eam completuri.

*Matth. c.10.*

## Reditur ad Collationem Beneficiorum.

Hvcuſque de collatione beneficiorum, quatenus ad Summum Pontificem, & Epiſcopum ſpectet, diſſeruimus tanquam ordinarios collatores, neque enim facilè Duareno aſſentiendum, qui Summum Romanum Pontificem conferre extraordinario iure aſſeruit, quod quatenùs verum ſit ex hactenùs dictis patere cenſemus, cum Summus Pontifex ſit ordinariorum ordinarius, totumque Chriſtianum Orbem pro Diœceſi habeat; Iam nunc breuitèr de aliis, ad quos pertinere poſſit collatio, diſſerendum eſt.

Legatus Summi Pontificis ſeſe exhibet primò, quem non concurrere cum ordinariis in beneficiorum collatione certum eſt, quantumuis amplam legationem in ſua prouincia habeat, niſi ſpecialitèr in mandatis eius de beneficiorum collatione ſit cautum, vel niſi ſit Cardinalis, adeòque Legatus à Latere; qui ampliori facultate iuxta tanti gradus prærogatiuam gaudere debet; *c. 1. de off. leg. in 6.* vnde & beneficia nondum vacantia poteſt reſeruare certæ perſonæ ità, vt ſecuta vacatione Ordinarius ea conferre non poſſit, *c. præſenti eod. in 6.* Ius tamen

ad beneficia vacatura concedere non poteſt *c. dilectus de præbend.* ſicut nec conferre maiores Eccleſias, aut dignitates maiores in Cathedralibus, & Collegiatis ex Conſtitutione *Boniſ. VIII. in c. deliberatione de off. leg. in 6.* Nec beneficia iuriſpatronatus Laici, ſecus Eccleſiaſtici, *c. dilectus de off. legati.*

Contingit nonnunquam Epiſcopo dari Coadiutorem, & de hoc dubitari poteſt; an ad ipſum pertineat beneficiorum collatio? occaſionem conſiderant Auctores propter quam Epiſcopo datur Coadiutor. Si enim detur in ſanæ mentis defectum, tunc poterit beneficia conferre, cum quia Epiſcopus mente laborans ad id non eſt idoneus, tum quia plena bonorum adminiſtratio ipſi cenſetur commiſſa *l. inter bonorum ff de adm. tutor.* cum incertum ſit, an; & quando Epiſcopus ad ſanitatem mentis ſit reuerſurus *l. ambiguitatem c. de vſuf.* ſi verè Epiſcopo propter ſenium, debilitatem, aliumue morbum, qui mentem non attingat, datus fuerit Coadiutor beneficia regulariter conferre non poterit, ſed Epiſcopus ipſe diſponet, exemplo minoris, qui ſine conſenſu curatoris ſui matrimonium contrahit *l. in copulandis c. de nup.* ſed diſparem rationem collationis beneficiorum, & matrimonij nemo non videt, curator enim datus rebus cenſetur, non perſonæ, vnde cum coadiutor Epiſcopi creditam habeat totius Eccleſiæ adminiſtrationem, non eſt cur, & beneficiorum collationem habere non debeat *c. quamuis 7. q. 1.* Verùm quia tota coadiutoris facultas à diplomate ſummi Pontificis pendet, ideò tenor mandati attendendus erit, quo non adeò de facili Epiſcopo coadiuto impedita beneficiorum collatio legetur *c. Grandi de ſuppl. neglig. prel. in 6. c. is, cui de elect. in 6.*

De Collegio, ſiue Capitulo Eccleſię Cathedralis quæri poteſt; quatenus beneficia conferre valeat; & ſub duplici vultu conſiderari illud poteſt. Sede ſcilicèt plena, & viuente Epiſcopo, & eo vita functo, ac Sede Vacante.

Certum eſt, quod Capitulum eſt capax huiuſce iuris conferendi beneficia, & ideò ſiue conſuetudine, ſiue priuilegio hoc iure fruatur, beneficia ad ſe ſpectantia etiam ſuperſtite Epiſcopo poteſt conferre, ſine eo, & nonnumquam etiam ſimul cum illo, vt indicat tex. in *c. vn. §. cum verò, & §. vbi verò, ne Sede vac.* Si verò Epiſcopalis Sedes vacet Capitulum conferre non poteſt, ſed integram prouiſionem futuro Epiſcopo conſeruare debet *c. 2. ne Sede vac. aliquid innou.* niſi collatio ipſa ad Epiſcopum, & Capitulum ſimul pertineat; tunc enim deficiente vno accreſcit alteri, & ad ipſum fit deuolutio *c. 1. ne ſede vac. in 6.* poteſt quidem Capitulum electiones, ſi quæ fiant, confirmare, præſentatos à patronis inſtituere *c. cum olim de maior. & obed.* at beneficia conferre non item; quamuis enim beneficia ipſa conferantur magis, vt conſulatur Eccleſijs, quam perſonis, attamen per beneficiorum collationem Epiſcopus poteſt gratificari, benemeritas perſonas ſibi conciliare, ac obſtringere, & ideò ipſa beneficiorum collatio inter fructus beneficij connumeratur in *d. c. cum olim* qui fructus Epiſcopo futuro reſeruari debent, & priuare ipſum hac beneficiorum collatione eſt grauius quam eundem præuenire in confirmatione electionis, aut in inſtitutione ad ius patronatus, vnde tota praxis circa beneficia vacante Epiſcopali Sede ea eſt vt ſi beneficia ſint ſimplicia, Canonicatus, præbendæ, aut dignitates Vicarius Capitularis certiorem de vacatione faciat ſummum Pontificem, qui prouideat; ſi verò beneficium vacans habeat adnexam animarum curam, aut onus

aliud,

aliud, puta eleemoſinam faciendi, aut Miſſam celebrandi, committere debet Eccleſiarum curam alicui idoneo Sacerdoti, qui onera impleat, donec prouideatur, quod ſi Eccleſia fuerit curata, Vicarium præficiet, qui interim curam animarum gerat, & exponet edictum pro concurſu iuxta Sacroſancti Concilij Tridentini decretum, eliget digniorem, dabitque illi literas, per quas à Summo Pontifice diplomata, ſiue bullas recipiat Vicarius autem Epiſcopi viuentis ex vi muneris ſui beneficia conferre non poteſt *c. fin. de offic. Vic.* ſi autem Epiſcopus hanc facultatem ipſi expreſsè largiatur, conferre cuicumque digno, & idoneo poterit, non tamen ipſi Epiſcopo cuius vice confert *c. 2. de conſuet. in 6.* quod ſi Epiſcopus concedat ius conferendi beneficia Vicario ſuo, & inſuper facultatem ſubſtituendi, ſubſtitutus ipſe conferre etiam poterit *l. item eorum, §. 1. ff. Quod cuiuſque Vniuerſitatis*; & quamuis iure ſuo Vicarius conferre beneficia non poſſit, poteſt tamen confirmare electum, aut præſentatum inſtituere *c. ex frequentib. de inſtitut. c. dilecto de præbend.* Poteſt Epiſcopus largiri Vicario facultatem vnum ſingulare beneficium conferendi, ſi illud iam vacet, non etiam ſi non ſit vacans *c. conſtitutus de conceſſ. præb.* ne fraus fiat Lateranenſi Concilio, quod beneficij nondum vacantis inhibet collationem ob ſuſpicionem nefarij voti captandæ mortis *c. nulla de conceſſ. præb.*

Quæri ſolet de poſſeſſore, & ſequeſtre quatenus ipſis liceat vacantia beneficia conferre: quòad primum, qui ius non habet conferendi beneficia, ſi ſit bonæ fidei poſſeſſor conferre nihilominus poteſt, idque adeò verum, vt huiuſmodi collatio potior habeatur collatione proprietarii *c. cum olim de cauſ. poſſ. & prop. c. querelam de elect. c. conſultationibus de iure patronatus*; collatio enim beneficiorum fructibus adcenſetur, vt ſupra innuimus, quos conſumptos bonæ fidei poſſeſſor lucratur. *c. grauis de reſtit. ſpoliat. §. ſi quis à non domino inſt. de rerum diuiſ.* & ideò ſi à malæ fidei poſſeſſore fiat collatio irrita erit, & quamuis velint plerique in hoc caſu proprietarii collationem ſuſtinendam, verius tamen oppoſitum eſt, cum ipſe auctoritate propria expellere inuaſorem non debuerit *c. in literis de reſtit. ſpoliat.*

Quod verò ad ſecundum; ſequeſter is eſt, apud quem res conrrouerſa deponitur, vt finita lite victori reſtituatur, *l. ſequeſter ff. de verb. ſignif. l. ei, apud quem l. propriè l. licet ff. de poſ.* An autem ſequeſter beneficia coferre poſſit? hæc difficultas aliam expoſcit indaginem, an ſcilicet in ſequeſtrem tranſeat poſſeſſio, & an poſſideat? Ab animo deponentium id maximè pendet; ſi enim eo animo depoſuerit, vt poſſideat, migrabit in eum poſſeſſio; ſin minus, non tranſibit, ſed ſola cuſtodia ipſi commiſſa cenſebitur; quod ſi de mente deponentium non conſtet interpretabimur potius non migraſſe poſſeſſionē, ſed ſolam cuſtodiam *l. intereſſe ff. de acquir. vel amitt. poſſeſſ.* Nec moueat Florentini I.C. reſponsū in *l. licet 17. ff. depoſ.* dicentis. *Rei depoſitæ proprietas apud deponentem manet, ſed & poſſeſſio, niſi apud ſequeſtrem depoſita ſit*; quæ verba ſanè regulare indicant, vt in ſequeſtrem tranſeat ſemper poſſeſſio. Verùm non ea eſt mens Florentini, ſed illa potiùs, vt tunc demùm ſequeſter poſſideat, cum penès ipſum animo dimittendæ poſſeſſionis à contendentibus res depoſita eſt; iuuant hunc intellectum ſequentia Florentini verba. *Nam tunc demùm ſequeſter poſſidet*; ideſt illo caſu, cum apud ipſum dimiſſa, atque depoſita poſſeſſio eſt, moxque ſubdit ad euidentius argumentum. *Id*

*enim*

Digitized by Google

*enim agitur ea depoſitione, vt neutrius interim poſſeſſionis tempus procedat*; quaſi ſcilicet neuter deponens tunc poſſideat, vnde nec ei ſuffragetur tempus ad vſucapionem, ſed cur meminit Florentin. ſequeſtris? ſatisfuiſſet dicere generaliter, *niſi depoſita*, hoc eſt dimiſſa *poſſeſſio ſit*. Reſpondetur meritò meminiſſe ſequeſtris, quia regulariter non conſueuit penes depoſitarium poſſeſſio dimitti, niſi ſequeſter ſit, qui ſingularis quidam depoſitarius eſt. Cenſuit *Ludouic. Charonda*, ſemper ac res penès ſequeſtrem deponitur cenſeri poſſeſſionem depoſitam, niſi deponentes exprimant ſe cuſtodiæ tantùm causâ deponere; ſequeſter enim ità demùm poſſidet, vt neuter interim rem, de qua contendunt, deponentium vſucapiat, propriumque eſſe in hoc genere depoſitionis colligit, ex relatis ſuprà verbis I.C. quæ per parentheſim cenſet claudenda, *id enim agitur ea depoſitione, vt neutrius interim poſſeſſionis tempus procedat*. Vnde arguit *Charonda*, tanquam veriſimile, formam aliquam, & ſolemnitatem veteribus fuiſſe in huiuſmodi depoſito obſeruari ſolitam; cuius ſi aliquod extaret veſtigium formulæ, non crediderim, *Briſſon.* eam fuiſſe omiſſurum, cum tamen eius non meminerit, coniectura eſt tanti viri, nec ſpernenda. Quemcumque intellectum ſequamur (ad rem noſtram redeundo) ſiue primùm, ſiue illum *Charondæ*, ſemper ſequeſter conferre beneficia poterit; eſto enim, cum primo, quod aliquando non poſſideat, negari tamen non poteſt, quin fructuum adminiſtrationem habeat non ſolùm temporalium, ſed etiam ſpiritualium. *Clem. vn. de ſequeſtrat. poſſ. & fruct.* fructuum ergo collectio ad ipſum pertinet, inter quos & beneficiorum collatio, exigit enim Eccleſiæ vtilitas, vt ſine mora ipſi prouideatur de rectore *c. ne pro defectu de elect.* Neque dicas, quod fructûs debeant à ſequeſtre reſeruari, & reſtitui illi, cui fuerit adiudicatum beneficium, quia obtinet aſſertio de fructibus, qui ſeruando ſeruari poſſunt, cuiuſmodi non eſt beneficiorum collatio, quæ nequit differri ſine graui Eccleſiæ detrimento. Quod ſi ſectemur ſecundum Charondæ intellectum, quo ex formula ſequeſtris ſemper in ſequeſtrē migrat poſſeſſio, multò certiùs tranſibit in ipſum beneficiorum collatio tanquam in legitimum poſſeſſorem fructum perceptio.

*Lib. 1. Veriſim. c. 6.*

*De formul. & ſolem. P. R. verb.*

Huic enumerationi illorum, qui poſſint beneficia conferre accedit ſingularis quædam eorundem diſpoſitio, quæ dicitur nominatio de qua paucis potiora ad Coronidem proferemus. Nominatio, deſcribi melius, quàm adæquata definitione aſſignari poſſe, videtur; eſt enim modus de beneficio diſponendi mediatus, & remotus, ad prouiſionem magis diſponens, quam prouiſionem ipſam operans; Vtemur definitione, quam exhibet *Pet. Rebuff. Eſt ius quoddam nominato legitimè qualificato beneficia certo tempore eidem præſtituto vacantia petendi, & acceptandi competens*. Quæ tamen non eſt abſoluta nominationis definitio, ſed quatenus ea competit Vniuerſitati ſtudiorum; melius fortè *Tholoſan. Nominatio eſt duorum trium, vel plurium, vt idoneorum electionis cauſa delectus, & expreſſio*. Nominatio certitudinem perſonarum per nomen, vel per cognomen, vel alium modum, vt intelligantur, demonſtrat; Dicitur *duorum, vel plurium*, quia licèt nonnumquam, & vnus poſſit nominari, vnius nominatio videtur potiùs electio, ex qua ius nominato acquiritur, *c. cum olim de ſent. & re iudic.* Ceterum tantum iuris tribuere nominationem vni, quan-

*Tract. de nominat. quæſt. 4. n. 1.*

*Syntag. iur. lib. 17. c. 12. nu. 24.*

quantum electionem non eſt facilè admittendum, cum enim nominatio fiat etiam à laicis, ſicut præſentatio facta a laico nullum ius tribuit, ità nominatio; & rectè aſſeruit *Rebuff.* nominationem non acquirere ius in re, vel ad rem; ſed ius quodam præparatorium, ac diſpoſitiuum ad beneficium recipiendum. Nominatio huiuſmodi tributa eſt, vt plurimùm Regibus, & Summis Principibus, eamque iuri conſonam aſſerit *Duaren.* illa potiſſimum ratione, quia à primordio Eccleſiæ in electione præſulum non ſolùm conſenſus Cleri, ſed & populi interuenire debebat, quod ius populi, translata omni poteſtate in Principem, in ipſum etiam migrauit, vnde Princeps tanquam populi caput meritò operatur, quidquid populus operari potuit; Verùm de hoc populi conſenſu alias à nobis ſatis dictum; nominationes iſtæ auctore, & conſentiente Summo Pontifice fiunt, nec de earum honeſtate, & ſubſiſtentia eſt ambigendum, vnde per hęc claudimus hoc caput de collatione Beneficiorum.

*Vbi ſup.*

*De Sacr. Eccl. min lib. 3. c. 11.*

---

## C A P. V.

## De Beneficiorum pluralitate vetita, & eorundem incompatibilitate.

1 *Canones pluralitatem beneficiorum vetantes referuntur.*

2 *Quatuor tempora diſtinguuntur, quibus varie cautum circà beneficiorum pluralitatem, & quam repugnet Diuino, & naturali Iuri.*

3 *Agitur de incompatibilitate; tanquam naſcente à vetita pluralitate.*

4 *Vacatio primi per aſſecutionem ſecundi quomodò inducatur, & quandò dicatur pacifica poſſeſſio ſecundi.*

5 *Agitur de diſpenſatione, circà pluralitatem beneficiorum.*

6 *An Epiſcopus circa eam diſpenſare valeat.*

1 A Collatione Beneficiorum ex declinantis à recto humanæ voluntatis defectu germinat tanquam abortus beneficiorum eorundem pluralitas, quam vellit ingens malum, cum ſit deteſtata Eccleſiaſtica diſciplina omni ęuo, congruis etiam decretis ab Eccleſia eam eliminare ſtuduit; Erumpentem hanc peſtem compreſſit primùm *Concilium Calcedonenſe can.* 10. vnum ex quatuor illis Conciliis, quibus venerationem habendam ſtatuit S. Gregorius Magnus tanquam quatuor Euangeliis, & ex eo tranſcripſit Canonem *Gratianus in c.Clericum* 21.*q.*1.*Clericum in duarum Eccleſijs Ciuitatem eodem tempore conſcribi non oportet*. Repullulanti malo remedium adhidu it Concilium Nicœnum ſecundum, quod fuit ſeptimum generale *can.*15. vnde mutuatur eſt *Gratian.c.Clericus eadem* 21.*q.*1.*Clericus ab inſtanti tempore in duabus non connumeretur Eccleſijs; negotiationis enim hoc eſt, & turpis lucri proprium, & ab Eccleſiaſtica conſuetudine penitùs alienum*. Saluberima hæc decreta innouauit *Vrban. II.* in Concilio Placentino, ex quo deſumptus eſt *tex. in Can.ſanctorum* 70.*diſt.* poſtquam enim prę miſerat Canon. *Et in qua Eccleſia quis intitulatus eſt, in eadem perpetuo perſeueret;* ſubdit; *omninò autem in duabus quem titulari non liceat, ſed vnuſquiſque in qua titulatus eſt, in ea tantum Ca-*

*nonicus*

Digitized by Google

*nonicus habeatur*. Conſequenter ad Eccleſiaſticam diſciplinam, cuius aliàs meminimus, *ex Can. 6. Concil. Calcedonenſ.* qua non poterat quis ordinari niſi ad titulum certæ Eccleſiæ, & ad eius miniſterium, cui ad vitam obſtrictus Eccleſiaſtica munia perſonalitèr obiret *c. neminem. 70. diſt.* quarum quidem licèt plurium ſanctionum vna illa fuit intentio, vt ſcilicèt ablegaretur ab Eccleſia beneficiorum pluralitas.

Vt autem humanæ res in deteriùs ſemper labuntur fatali quodam pondere pergrauante, & aſſiduè comprimente, *in quantum enim paſſibilis eſt natura in tantum eſt ad deteriora procliuis*, vt inquit *S. Leo Magnus*; & hominum inexplebilis auiditas gliſcit in dies habitis, & poſſeſſis nunquam contenta, temporis lapſu Eccleſiaſtica hæc diſciplina proculcata, & conuulſa remanſit, ideòque exaſperanda fuit, alijſque Concilijs, & alijs ſucceſſiuè fuit opus decretis, quibus tanquam repagulis humana ipſa auiditas reprimeretur, addita inſuper Summorum Pontificum decreta, quæ pro tam commendabilis obſeruantiæ tutela aſſiduè pugnarent.

*Serm. 7. de ieiun. 10. menſ. in pr.*

2 Poſt relatos itaque ſupra Conciliorum Canones vario ſucceſſiuo tempore Conſtitutionis variæ prodiere, ad ſingularitatem beneficiorum tuendam, & pluralitatem reprimendam; Quatuor igitur tempora ſpectanda ſunt, quę ſucceſſiuè obtinuere, & quibus variè cautum ad idem ſemper intentum, & ſine hac temporum diſtinctione inconciliabilia ſunt pleraque iura, quæ pugnare inuicem videntur.

Primum ergo tempus eſt, quod obtinuit ante Concilium Lateranenſe tertium celebratum anno 1180. ſub Alexandro III. Summo Pontifice; Hoc tempore illud obſeruabatur, vt ſi quis duas dignitates, duoue incompatibilia beneficia haberet, daretur ipſi optio, vt ex duobus eligeret, quod mallet, & alterum dimitteret; hocque ius obtinuit ſub ipſo Alexandro III. ac per totam fermè eius vitam, in cuius exordio celebratum fuit Concilium Lateranenſe; deceſſit enim anno 1181. cum anno præcedente habitum fuiſſet Concilium, & de hoc tempora loquuntur iura in *c. referente & in c. præstereà de præbend.* Secundum fuit tempus ipſius Lateranenſis Concilii ſupradicti, quo cautum, ne quis dignitates diuerſas, pluraue beneficia recipiat; quod ſi quis recepcrit, priuetur ſecundo, quod acceperit, & conferens poteſtate conferendi pro illa vice, ceſſauit ergo optio, & fuit iniuncta dimiſſio ſecundi, quo non erat poſſidens priuatus ipſo iure, ſed priuandus per ſententiam; & de hoc tempore ſecundo accipiendus eſt *tex. in c. quia nonnulli de Cler. non reſid.* ex Concilio Lateranenſi ſub Alex. III. Tertium ſucceſſit tempus, & fuit ſub Concilio generali, hoc eſt Lateranenſi, ſub Innoc. III. anno 1215. quo ſtatutum, vt ſi quis habens perſonatum, dignitatem, aut beneficium curatum, aliud ſimile conſequatur, vacet ipſo iure primum per aſſecutionem ſecundi, & ſi cum ſecundo primum retinere contenderit, priuetur etiam ſecundo per ſententiam; & de hoc tempore loquitur *tex. in c. de multa de præbend.*

Quartum demùm, & poſtremum tẽpus eſt Extrauagantis Ioannis XXII. quæ incipit *Execrabilis de præb. qua in §. qui verò*, diſponitur augendo conſtitutionem *tex. in c. de multa*; vt recipientes ſecundum beneficium curatum, perſonatum, aut dignitatem, beneficium primum, quod ipſo iure vacat, ſtatim ac pacificam poſſeſſionem fuerint adepti, aut per ipſos ſtetit, quò minus adipiſcantur, abſque moræ diſpendio, coram Ordinarijs dimittere

debeant verbo, facto, & ſine fraude, ac ſub teſtimonio publico, alioqui ex tunc ſint ipſo iure priuati ſecundo, & ad Sacros Ordines ſuſcipiendos, ac quodcumque aliud beneficium obtinendum ſint ipſo iure inhabiles. Inducitur ergo vacatio primi per aſſecutionem ſecundi, augenturque pœnę per Extrauagantem mox relatam Conſtitutionem, quandoquidem pro gliſcente in dies hominum auiditate aſperanda fuit Eccleſiaſtica diſciplina, & vrgenda magis; iuſtiſſimè etiam ſtatuta hæc ipſa vacatio ratione, quam ex Capitularibus Caroli Magni legimus; *Placuit omni Synodali Conuentui, vt nullus Presbyter ampliùs, quam vnam Eccleſiam ſibi vindicare præſumat, quia ſicut quiſque ſæcularis non amplius quam vnam habere debet vxorem, ità vnuſquiſque Presbyter non amplius quam vnam habere debet Eccleſiam*; Illatio optima à matrimonio carnali ad ſpirituale, *c.inter corporalia de translat.Epiſc.* quam agnoſcens Epiſcopus neſcio quis apud Gloſ. cum ei Epiſcopatum habenti offerretur Abatia, Reſpondit, *Abſit vt cum ſponſa habeam, & concubinam*; Eliminata ſi quidem ab Eccleſia beneficiorum pluralitate auertuntur & ea mala, quibus ij ſe ſubiciunt, qui plura beneficia auidè nimis affectant, quæque inſinuat Summus Pontifex *in c. dudum il 54. de elect.* Auaritiæ enim, & quaſi fornicationis videtur reus, qui plura ſimul retinere beneficia contendit, immò furtum, & rapinam committere quibus ſingulis criminibus nil magis Eccleſiaſticum hominem dedeceat; quæ ſanè conſideratio beneficiorum pluralitatem intrinſecè malam indicat, ac cum naturali iure pugnantem; *Nemo ſi quidem poteſt duobus dominis ſeruire Matth.c.9.& turpe eſt, vnus eſuriat, alius autem ebrius ſit*, ait D. Paul. ad

*Lib. 6. c. 73.*

*Ad pragmat.ſanctor.ſub tit.de collat.*

*1.ad Corinth. c. 11.*

quæ reſpexit ſeptima Synodus Nicęna ſecunda *in c.Clericus* 21.*q.*1. quæ ſanè Euangelica auctoritas iuris diuini pugnantem interdictionem cum beneficiorum pluralitate confirmat, nec minùs pugnat ius ipſum naturale, quod demùm nil aliud eſt niſi ratio recta; huic autem nil magis repugnat, quam vt vnus duorum alimenta percipiat, aut vnus duorum fruatur ſtipendijs, cum tamen operetur vt vnus; quin & perpetuus naturæ tenor in corpore naturali clamat ſatis; perpetua enim quadam naturæ lege videmus in corpore ità nutrimentum diſtribui, vt pars quęlibet innata vi, quod ſuum eſt, ità attrahat, vt alterius alimentum non inuadat, aut arripiat; & membra ipſa ſunt ità deſtinata, & diſpoſita, vt quodlibet membrum proprium actum habeat, nec vnum alterius actum occupet, aut vicem duorum naturalitèr gerat; quod totum exaggerat elegantiſſiè D. Gregorius *in c.ſingula* 89.*diſt.* indeque repugnare naturæ legi beneficiorum pluralitatem in vno; & eodem ſubiecto meritò poteſt deduci; nec minùs reſiſtit ius ipſum humanum, nam Paulus Iuris Conſultus *in l.ſi plures 9.ff.de pact.difficile eſt* (ait,) *vt vnus homo plurium vicem ſuſtineat*, ſicut & duo collegia vni habere non licèt *l.*1.§.*non licet ff.de colleg.* ſicut nec duas militias, vel duo officia *l.* 1. *c. de muner. & honor. lib.* 10. intrinſecè ergo, & per ſe malam hæc ſatis probant beneficiorum pluralitatem; Nec obijci quid efficacius poteſt huic veritati, quam diſpenſatio Summi Pontificis, diſpenſare ſi quidem poteſt circa beneficiorum pluralitatem *c. de multa in fin.de præb.* idque ei non liceret, ſi beneficiorum pluralitas damnata haberetur Diuino, & naturali iure, nihil enim poteſt contra ius diuinum, & naturale, *c.fin.de conſuet.*

*d quod lib. 9. art. 15.*

Verùm ex doctrina *D. Thomæ* id, quod intrinſecè, & per ſe malum eſt, in duplici differentia eſſe poteſt; aliud enim eſt non ſolùm intrinſecè, & per ſe malum, ſed etiam in tota ſua latitudine malum ità, vt nulla circumſtantia poſſit immutari, cuiuſmodi eſt mendacium, adulterium, blaſphemia; aliud verò poteſt eſſe quidem malum intrinſece, & per ſe, ſed ità tamen, vt non ſit in tota ſua latitudine malum, vnde per aliquam periſtaſim, aut circumſtantiam poteſt immutari, vt bonitatem aliquam induat, & honeſtatem acquirat, videaturque hoc reſpectu, immò re vera, ſit bonum; vt homicidium per ſe quid malum ſonat, at factum à Iudice ob publicam vindictam, à milite in bello iuſto, aut demùm à priuato homine ad neceſſariam ſui defenſionem, & cum moderamine inculpatæ tutelæ honeſtatur, vt non ſit malum. Quæ igitur ſunt primo modo mala, nulla poſſunt conſuetudine, aut diſpenſatione honeſtari, & inter hæc mala non eſt cenſenda beneficiorum pluralitas; at quæ ſunt mala ſecundo modo per aliquam circumſtantiam, vt per conſuetudinem, aut per ſuperioris diſpenſationem, poſſunt honeſtari, & huius generis eſt beneficiorum pluralitas, quę quidem primo vultu peruerſum quid, ac inordinatum præſefert, verùm per circumſtantiam aliquam puta diſpenſationem Summi Pontificis ex iuxta cauſa factam poteſt honeſtari cum ſublimibus ſcilicèt, & literatis perſonis, vt inquit *tex. in c. de multa in fin.* dum tamen ſit moderata, nam ſi nimia, & excedens ſit beneficiorum pluralitas, vtcumque diſpenſatione ſuffulta inexcuſabilis erit; ſic plura ſimplicia, quorum quodlibet non ſit ſufficiens ad honeſtum vitæ cultum, & quorum alterum non requirat reſidentiam poſſunt ſimul haberi, per huiuſmodi enim circumſtantias honeſtatur beneficiorum pluralitas, vnde ſtat, beneficiorum pluralitatem eſſe intrinſecè malam, & per ſe, ac admittere ſimul Summi Pontificis diſpenſationem; Hanc ipſam beneficiorum pluralitatem exactiſſimè inſectatus eſt, argumentiſque ab omni fonte petitis impugnat nouiſſimè, *Claud. de Pariſ.*

*De neceſ. vnius uni Clerico Eccl. benef. ſingularitate per tot. tract.*

3 Ex hac autem vetita, & pugnante beneficiorum pluralitate in vna, & eadem perſona, & ex eo, quod per Lateranenſis Concilij decretum inducatur vacatio primi per aſſecutionem ſecundi, oritur effectus, qui ſingulari nomine excogitato à iuris Pontificij profeſſoribus dicitur incompatibilitas, & definitur per *Alphonſum Hoieda*, quod ſit *in vna perſona beneficiorum Eccleſiaſticorum concurſus à iure ex cauſa reprobatus*; quæ quidem incompatibilitas Conciliorum Decretis, & Summorum Pontificum Conſtitutionibus inducta regulam ſuam recipit à Decreto Lateranenſis Concilij *in c. de multa de præb.* quod vacationem primi per aſſecutionem ſecundi inducit, & incompatibilitatem ità ſtatuit, vt beneficia ipſa quaſi contraria inuicem ab eodem ſubiecto mutuò ſe expellant; nec poſſint ſimul in eodem ſubiecto conſiſtere; Circa quam celebris illius tex. deciſionem inducentem ipſo iure vacationem primi per aſſecutionem ſecundi diſputant recentiores, an ſcilicet ipſa vindicet ſibi locum circa omnia beneficia, an verò circa illa tria, de quibus loquitur præciſè, perſonatus ſcilicet, dignitates, & beneficia curata? Et obtinet receptior opinio, vt deciſio *tex. in c. de multa*, reſtringatur ad tria illa tantùm beneficiorum genera, & non ad alia.

*De incompatibil. benef. p. 1. in præfat. n. 9.*

Sed attendenda eſt doctrina, quam inſinuat *Cardin.* & commendat valdè *Nicol. Garz.* triplicem diſtinguens beneficiorum

*Ad Clem Gratiæ enim de reſcript. De benef p. 10. c. 5. n. 67.*

neficiorum incompalibilitatem, prima eſt inter illa beneficia, quæ adeò inuiuicem pugnat, vt ſe non compatiantur, ſed adepto vno alterum vacet, ſicque vacet primum per aſſecutionem ſecundi; eaque eſt incompatibilitas, *tex.in c.de multa* quam appellat *Garz.* incompatibilitatem primi generis. Secunda eſt incompatibilitas, quæ inſurgit inter duo, vel plura beneficia non ſimpliciter, quia beneficia, ſed quia ſunt in eadem Eccleſia, vel quia ſub eodem tecto, vt pragmatici loquuntur, de qua incompatibilitate eſt *tex. in c. ad hęc in c.de multa in fine de præbend. in Clem.ſi iuxta eod. & in c. litteras de conceſſ.præb.*

Tertia incompatibilitas eſt, quæ dicitur quoad retentionem tantùm, hoc eſt illorum beneficiorum, quæ acquiri quidem ſimul poſſunt, ſed non poſſunt ſimul retineri, & ideò non vacat primum per aſſecutionem ſecundi,qualia ſunt Canonicatus, & parochialis, vel duo ſimplicia reſidentiam requirentia, aut quorum ſingula ſint ſufficientia; Primo modo incompatibilia ſunt perſonatus, dignitates, & curata, hæc enim ſeſe inuicem trudunt, & vacat primum per aſsecutionem ſecundi, vt conſtituitur *in c.de multa*. Incompatibilia ſecundo modo, quia ſcilicet ſunt in eadem Eccleſia, & ſub eodem tecto, vacant paritèr prima per aſſecutionem ſecundi ex *eod.c.de multa, & c.literas de conceſſ. præb.* In alijs verò beneficijs, quæ ſunt incompatibilia tertij generis, quòad retentionem ſcilicet, non quoad aſſecutionem non obtinet deciſio *tex. in c. de multa*, ſed obſeruatur conſtitutio in *c. referente, & in c.præterea de præb.* ſicque non vacat primum per aſſecutionem ſecundi, ſed obtinenti ſecundum datur optio, & electio, vt quo maluerit retento alterum dimittat; Rectè quidem ſtando in terminis *tex.in c.de multa, & Extrau. execrabilis de præb.* At ſucceſſit Decretum Concilij Tridentini *ſeſſ.7.de reform.c.4.quo cautum; Vt ſi quis de cętero plura curata, aut alias incompatibilia Eccleſiaſtica beneficia ſiue per viam vnionis ad vitam, ſiue commendæ perpetuæ, aut alio quocunque modo, & titulo contra formam ſacrorum Canonum, & præſertim conſtitutionis Innocentij III.quæ incipit,de multa, recipere, ac ſimul retinere præſumpſerit beneficijs ipſis iuxta eiuſdem conſtitutionis diſpoſitionem ipſo iure præſentis etiam Canonis vigore priuatus exiſtat.* Quod ſanè decretum aſſumit deciſionem *tex.in c.de multa*, ipſamq; porrigit, ac extendit; nam curata expreſſe memorat, & ipſis connectit quouis modo incompatibilia beneficia, perinde ac ſi dicat cuiuſcumque generis ſiuè primi, ſiuè tertij; Vtitur aduerbio *præſertim* quæ dictio eſt ampliatiua, & implicatiua eiuſdem in alijs, vnde deciſio *tex. in c. de multa*, quæ loquitur de incompatibilibus certis extenditur ad omnia alia, & pęna vacationis primi per aſſecutionem ſecundi iiſdem aptatur quo ſtante decreto, duo Canonicatus, duo ſimplicia reſidentiam requirentia, aut quorum quodlibet ſit ſufficiens, in quibus ante Concilium dabatur optio, poſt Concilium vacant prima ipſo iure per aſſecutionem ſecundi *Hoieda, & Aug. Barboſa*. *De incompatibil.p.1.q.9.n.5.*

4 Hæc autem vacatio primi per aſſecutionem ſecundi inducitur non in articulo receptionis, vt credidit *Innoc.* ſed in articulo adeptæ pacificæ poſſeſſionis, nec ſatis eſt acceptaſſe beneficium ſecundum, niſi & eiuſdem pacifica poſſeſſio habita fuerit;Proſtant apertiſſima iura in *c.licet Epiſcopus de præb. in 6.c. commiſſa §.1. de elect.in 6. Extrauag.execrabilis §.qui verò de præb.* *De off. & pot. Ep. alleg.57. n.201.& in collect. ad c. de multa n.7* *Ad c.de multa n.1.*

*c.ſi plures eod. Clem.Gratiæ de reſcrip.* pacifica poſſeſſio intelligenda eſt non ſolum de facto,ità,vt nulla ſit illata,aut inferatur turbatio,ſed & de iure,& non ſolùm iudicialis, ſed & extra iudicialis; vt late diſſerit *Garz.* Neq;ſat fuerit fuiſſe poſſeſſionem adeptam pacificè, niſi & pacifica ipſa duret *c.ſi poſtquam de elect.in 6.c.nam & ego de verb. ſign.l. non videtur ff. acquir. vel amitt. poſſ.* neque enim pacificam verè dixeris poſſeſſionem, cui ſuperuenit controuerſia; Quantum autem temporis inter adeptam poſſeſſionem, & litem aut turbationem ſuperuenientem vt dignoſci poſſit an pacifica nec ne ſit poſſeſſio, variant ſcribentes, vt notat *Hoieda*, tractantes ad *c. commiſſa de elect. in 6.* conueniunt generaliter litem incontinenti debere ſuperuenire, vt verè turbata dici poſſit poſſeſſio; at non adeò de facili conſtat adhuc, quandonam incontinenti lis mota dici debeat; Aliqui enim, quamdiù durat annus à die adeptæ poſſeſſionis ſemper poſſeſſionem ipſam eſſe in limine voluere, & litem interim motam cenſeri motam incontinenti. *Ità Bonifac.Vitalin. & Maſcard. per tex.in c.quærenti de offic. & pot.Iud.deleg.* quatenus ibi auctoritas executoris Apoſtolici ſuper prouiſione alicuius beneficii durare intelligitur per annum ità, vt ſi interim controuerſia aliqua naſcatur, eam poſſit definire tanquam Iudex competens, quaſi durante anno ſemper in limine cenſeatur poſſeſſio. *Lapus* pacificam non eſſe poſſeſſionem aſſeruit, cui lis intra duos menſes ſuperuenit; ità non ſemel ſe vidiſſe deciſum in Romano Auditorio teſtatur, & re vera plures Romanæ Rotæ deciſiones profert *Nicol. Garz.* & confirmare videtur praxis, qua id cautum, vt ſi quis beneficium habens prouideatur de alio incōpatibili teneatur intra duos menſes dimittere primum in manibus Summi Pontificis, aliàs vacet vtrumque ipſo iure, & de vtroq;valeat tantùm diſponi per Apoſtolicam Sedem. Verùm hæc certi temporis definitio reiici omninò videtur à *tex.in c.ſi beneficia de præb. in 6.* vbi de ijs, qui adepti fuerant beneficium ſecundum reſcribit *Bonifac.VIII.ad beneficia ſua priora ( collatione quibuſcumque perſonis facta de ipſis nequaquam obſtante) libere reuertantur,* quę ſanè verba nullam temporis præfixionem ſupponunt, periſtaſes enim, quæ in ſpecie illius tex. intercedebant, non ſpectandum aliquod tempus ſuadebant; Cum igitur reuera nullum in iure legatur ad hoc præfinitum tempus, nec ſit Iure Conſulti tempus præfigere, ſed aut Principis, aut legis, iam ſeruanda eſt regula, quæ indicat quandonam arbitrium iudicis intret; cum enim nihil eſt definitum à lege, & difficultas ad ſingularia redacta eſt, vt magis in facto, quam iure conſiſtat, tunc arbitrium Iudicis adhibendum eſt, qui ſingularia ad ſenſum examinet(id enim à lege præſtari non poteſt) atque diffiniat; verum in tempore hoc ſtatuendo, ex quo pacifica dignoſcatur poſſeſſio, ſingulares circumſtantiæ ſunt expendendæ, quæ immutare iudicium poſſunt, vt in *d. c.ſi beneficia de præbend.in 6.* ergo id totum arbitrio Iudicis eſt relinquendum, quod innuit, *Menoch.* & cum eo *Tiraquell.nec non & Pariſ.* & alii apud *Hoied. & Garz.*

Exhibita theoria circa vetitam beneficiorum pluralitatem non inquirimus ad praxim, an licet beneficium vnum habere in titulum, & aliud in commendam, an duo commendata; quia commendare beneficia commenda perpetua cum nemo alius poſſit, quàm Summus Pontifex, immò nec commenda temporali poſſit alius inferior poſt decretum Concilii Tridentini

*Marginal notes:* *vbi ſup.n.105* — *De incompatibil.p.1.c.13 n.80.* — *Ad Clem.ſi plures de preb.n.63. De probat. Cen.il.183.n.6.& 48.* — *Ad c.commiſſa de elect. in 6.* — *Vbi ſup.nu. 113.* — *De Arbit iud.lib.2 cent.1.caſu 11.* — *Ad l.ſi vnquam verbo omnino vel patr. nu. 30. c. de reuoc.donat.* — *De reſignat. lib. 3.q.1.nu. 130.* — *Vbi ſup.* — *Seſſ. 24. de ref.c. 18.*

tini commendare beneficia, iam de hoc quærere eſſet dubitare de Summi Pontificis poteſtate circa beneficiorum pluralitatem, de qua ambigere ſacrilegum eſſet, cū hanc ipſam poteſtatem agnoſcat Concilium Lateranenſe, dum ſtatuit *in c.de multa, vt cum ſublimibus, & literatis perſonis poſſit circa plura beneficia per Sedem Apoſtolicam diſpenſari*; Praxis facundiſſimè loquitur, & eam debemus ſilendo ſuſpicere.

5 Verùm, qui zelo Eccleſiaſticæ diſciplinæ æſtuant, facultatem quidem diſpenſandi circa plura agnoſcunt in Summo Pontifice, & reuerentur, ſed quæ cum iuſta cauſa fiat, eamque geminam aſſignant, neceſſitatem ſcilicet Eccleſiæ, & vtilitatem perſonæ, ſed in Eccleſiam ità, vt ſit quidem pluralitatis, at non auaritiæ diſpenſatio; nec magis obtendi poſſe conſuetudinem aſſerunt, quæ abnormem pluralitatem tueatur, quando conſuetudo potentior non poſſit eſſe veritate cum *Tertulliano*, *& Cypriano*, nec Iuri Diuino, & naturali, cum quo pugnat pluralitas, fas ſit vnquam præſcribere. At de diſpenſatione, & conſuetudine circa plura beneficia eleganter *Claud. de Pariſ.* ad quem remittimus, fuſius hæc tractantem.

*De virg. vel.c.1. Ep. 73. ad Iub.*

*Vbi ſup. c.5. §.2. in refut. arg.2.*

At verò Epiſcopus pro arbitrio ſuo circa beneficiorum pluralitatem diſpenſare non poteſt abſolutè loquendo & vt quamplura omittamus iura, *in c. dudum il 2. de lect. in c. 1.de conſuet. in 6. in c. ordinarij de off. ord. in 6. in §.ſi verò, & in c. non poteſt de præb.in 6.* ratio apertiſſima eſt, non enim poteſt contra decretum generalis Concilij diſpenſare *c.cum dilectus, & ibi Gloſ.de elect.* cum non ſit inferioris diſpenſare in lege ſuperioris, quale eſt generale Concilium reſpectu Epiſcopi; At ſi neceſſitas, aut Eccleſiæ vtilitas expoſceret diſpenſare vtique poſſet, *c. nemo de elect.in 6.* quantumuis enim vrgeat in contrarium prohibitio, nunquam tamen caſus neceſſitatis in ea cenſetur incluſus, quod enim ex neceſſitate fit, nec contra Sacros Canones, nec contra leges factum intelligitur. *Arg.tex.in c.maioribus iunc.c. Vacante de præb.* & tunc demùm irrefragabiliter cum ad ſuperiorem facilis non poſſi, haberi recurſus *l.diui fratres ff.de pœnis l.Diuus Pius ff.ad l.corn. de falſ.* vt latiſsimè apud *Garz.* Neque dicatur in *c.de multa* in fine ſoli Apoſtolicæ Sedi reſeruatam eſſe diſpenſationem circa plura, *cum ratio poſtulauerit*, ſicque vbi etiam legitima ſubſit cauſa, quia diſpenſatio illa reſeruatur Apoſtolicæ Sedi tunc, quando merè perſonali intuitu, puta nobilitatis, vel literaturæ eſſet diſpenſandum; *cum ſublimibus, & literatis perſonis*, inquit tex. à qua ratione longiùs abeſt cauſa neceſſitatis, vel vtilitatis, de qua loquimur;

*d.p.10. c.5.n. 340.*

6 An autem poſſit Epiſcopus diſpenſare, vt quis plura beneficia ſimplicia ſimul habere poſſit? Vrgent adeò conſiderata hactenus iura beneficiorum pluralitatem generaliter deteſtantia, Vrget adeò nouiſſimum Concilij Tridentini Decretum, vt dicendum omninò ſit, non poſſe quem ex indulgentia; & auctoritate Epiſcopi, habere duo beneficia ſimplicia ſi eorum alterum ad victum, veſtitum, & cœtera neceſſaria ſit ſufficiens, immò, nec plura vltra duo, etiam ſi neutrum ſit ſufficiens aſſerunt innumeri apud *Garz.* Non tamen impeditur, quò minùs habenti neceſſariam vitę ſubſtentationem in penſionibus beneficiū ſimplex adhuc conferat, vt poſt alios deciſum refet idem *Garz.* Conſuetudo nihilominus inualuit, vt plura beneficia ſimul retineantur, etiamſi ad victum vnum ſit ſufficiens, & per eam Prælati inferiores de facto conferunt plura ſimplicia vni non atten-

*Seſſ.24.de ref.c.17.*

*Vbi ſup.d n. 371.*

*Vbi ſup. nu. 310.*

attento, an ſint pinguia, & ſufficientia nec ne; de cuius conſuetudinis inſubſiſtentia non ambigit *Hoieda*, cum enim pugnet ipſa cum omnibus iuribus, quibus repugnat beneficiorum pluralitas, & à quibus nec ius ipſum naturale eximitur, iam huiuſmodi conſuetudo non videtur tutum reddere poſſidentem à peccato mortali, & in foro animæ ipſum ſaluare, vtcumque à pęnis, & conſtitutionibus humani iuris poſſit eximere. Diſtricta ſi quidem nimis eſt Concilij Tridentini, interdictio; verùm quia in oppoſitum clamat vbique praxis hodierna; ſatis fuerit theoriam vetitæ beneficiorum pluralitatis, & eorundem incompatibilitatis tradidiſſe plura ijs relinquendo, qui per eorum ſcripta conſcientias dirigunt. Iam ad alia tranſeamus, & ſi quis alius eſt modus, quo Eccleſijs, & beneficijs Eccleſiaſticis prouideatur, de hoc videamus.

*De incompa. p.1.c.19.n.1.*

## CAP. VI.

### De Iure Patronatus.

1 *Quam longe à rebus Eccleſiaſticis laicorum manus, & inde ad Iuriſpatronatus originem.*
2 *Quid Ius procedendi, vel proceſſionis.*
3 *Per quos gradus ventum ad Iuſpatronatus.*
4 *Quid nominis eiuſdem.*
5 *Quid rei, & definitio.*
6 *Modi recenſentur, per quos Iuſpatronatus acquiritur, & ſucceſſiuè declarantur.*
7 *Quinam effectus, ſeu fructus Iuriſpatronatus, & de ſingulis partitè agitur.*
8 *Occaſione preſentationis de Inſtitutione agitur tamquam correlatiua.*
9 *Explicantur alij fructus Iuriſpatronatus.*
10 *Diuiditur Iuſpatronatus in Eccleſiaſticum laicale, & mixtum, ac de ſingulis agitur.*
11 *Secundò diuiditur in Gentilitium, ſeu familiare hæreditarium, & mixtum.*
12 *An reſtituta hæreditate Iuſpatronatus tranſeat in fideicommiſſarium examinatur latè.*
13 *Quibus modis Iuſpatronatus probetur.*
14 *Et præcipuè præſcriptione.*
15 *Quibus modis Iuſpatronatus extinguatur.*

1 QVAM abhorruerit Eccleſia in Eccleſiaſticis tum ordinationibus, tum prouiſionibus ſecularium manum, laicorum operam, Canones vetuſtiſſimi, ac plane fundamentales, & Summorum Pontificum Conſtitutiones vndiq; clamant, Canone enim 31. Apoſtolorum cautum diſtrictè legimus. *Si quis Epiſcopus ſecularibus poteſtatibus vſus Eccleſiam per ipſos obtineat, deponatur, & ſegregentur omnes, qui illi communicant inquit tex. c. ſi quis Epiſcopus* 16. *q.* 7. Canonemque hunc reſumpſit 7. *Synodus Nicęna* 2. hinc Nicolaus Primus Michaelem Imperatorem, & Lotharium Regem intrepidè arguit, quod Eccleſiarum ordinationi ſe immiſcerent, Alexander II. *in c. per laicos* 16. *q.* 7. Gregorius VII. *in c. ſi quis deinceps ibid.* Paſchalis II. *in c. ſi quis Clericus* 17. *q.* 7. Innocent. III. *in c. ſi quis de elect.* qua vigente Eccleſiaſtica diſciplina quantumuis fideles fundaſſent, aut conſtruxiſſent Eccleſiam, nullum tamen inde ſibi vindicare audebant priuilegium, nec eorumdem pia,

ac

ac propenſa voluntas ad dotandas Eccleſias priuatis honoribus excitanda erat; Vergente ideò ad finem ſæculo quinto in fundatoribus Eccleſiarum erumpere cępit ambitio; cum Iulius quidam de ſuo fundaſſet Eccleſiam, & iuris aliquid ſe adeptum prętenderet, Gelaſius Romanus Pontifex ſcribit Senetioni Epiſcopo, & habetur in *c. Piæ mentis 16. q. 7. eum ſine dubio pręter proceſſionis aditum, qui omni Chriſtiano debetur, nihil ibidem ſe proprij iuris habiturum*, quod ipſum repetitũ legimus de quodam frigentio in *Can. ſeq.proceſſionis aditum*, reſpiciens ad ſua tempora expoſuit *Gloſ.*

2 Obſcurum ſanè, quid ſit hic aditus proceſſionis, quem Iulio, & Frigentio, qui Eccleſiam fundauerant, largitur Gelaſius *Gloſſ.* ad illum Canonem per aditum proceſſionis ius præſentandi intellexit, quam tamen explicationem impropriam reuincunt verba immediatè ſequentia; præter proceſſionis aditum, *qui omni Chriſtiano debetur*, omnem Chriſtianum tunc temporis ius præſentationis habuiſſe vix poſſumus imaginari, quando laicis tunc nulla erat nota præſentatio, nec vnquam legitur proceſſionis aditum ſumi pro iure præſentandi ad aliquem gradum, aut aliquam dignitatem; ſed vtique pro prærogatiua honoris, & munerum largitionis, ſic enim in *l. nam & Imperator ff. de donat.int.vir. & vx.* ait Iuris Conſultus, *Nam & Imperator Antoninus conſtituit, vt ad proceſſus viri vxor ei donare poſſit*, & Zeno Imperator ſcribit ad Sebaſtianum Præfectum Prætorio *in l.ſancimus 4. c. de conſulib.lib.12.ſancimus, vt viris excellentiſſimis conſularibus omnibus, qui iam facti ſunt, vel poſtea fuerint procedendi quoque, & per annum gerendi conſulatus &c.legitimam tribui facultatem*. *Procedendi*, hoc eſt, munera publicè populo largiendi, & prærogatiuæ ſpectacula publica exhibendi, & in ijs cum honoris inſignibus conſiſtendi, *Proceſſio ordinariorum exhibentium munera*, inquit *Cuiac. ex l. 3. c. vbi ſenat. vel clariſſ. ad d. l.ſancimus*, ad quam ſignificationem adluſit, & Iuſtinianus *Nouella 105, eod. Cuiac.* interprete, qua attenta huius vocis *procedendi* ſignificatione nil aliud voluiſſe Gelaſium dicendum eſt, quando ſolum *honorem proceſſionis* Patrono conceſſit, niſi vt habeat propter expenſas, quas publicè fecit, honorem, & fundatoris titulum, & honoratiorem Sedem, & nihil ampliùs iuris in Eccleſia; Velut, cum proceditur ad oblationem in Eccleſia, aut ad Sacram Communionem ipſe laicos omnes antecedat ad Altare; Vel cum primum ipſe ad Eccleſiam accederet, fideles omnes ei obuiam prodirent; vel demùm, vt cum, iuxta vetuſtiſſimum Eccleſiæ ritum, cuius meminit *Tertullian.* eiuſq; antiquitatem *Ad vxor. lib. 2.c.8.* teſtatur *Baron.* procedendum eſſet, vel *Tom.1.Annal ann.58.* habenda proceſſio Patronus omnibus præiret, præſertim cum procedere & is dicatur propriè, qui aliorum comitatu ſtipatus progreditur; quoquumq; ergo modo accipiamus proceſſionis vocem, hoc certum, quod honorem, & honoris aditum ſignificat, vt aduertit & *Lother.* Vnde per conceſſum proceſ- *De re benef. lib.2.q.4.n.1.* ſionis aditum, quem & honorem proceſſionis appellat Clemens III. *in.c.nobis de iure patron.* intelligi nullo modo poteſt ius præſentandi, quod nondum patronis largitum plures euincere poſſunt Conciliorum auctoritates, vt *Tolet. 4.in c.nouerint 10.q.1.* & aliæ paſſim *in c.ſic quidam c.decretum c.regenda ead.10.q. 1.c.omnes Baſilicæ 16. q. 7.* ſed in eo concedendo gradatim fuit inceſſum; Primùm ſi quidem Epiſcopo in aliena Diœceſi, vel territorio Eccleſiam ædificanti conceſſum fuit in

Con-

*Tom. 1. Concil.* Concilio Arauſicano Primo *can.* 10. *reſeruata verò* (ait Canon) *ædificatori Epiſcopo hac gratia, vt quos deſiderat clericos in re ſua videre, ipſos ordinet is, in cuius Ciuitatis territorio eſt, vel ſi ordinati iam ſint, ipſos habere acquieſcat*, quam gratiam ſæcularibus factam non legimus, de quibus immediatè infra loquitur Concilium; quod ſanè Concilij Decretum apertè indicat, ius patronatus Eccleſiaſticum primùm, & ante quam laicum in Eccleſia cognitum inualuiſſe; & ideò hoc ius vſurpatum à laicis fuiſſe in Oratoria, ſeu Capellas, quas intra fines agrorum ſuorum erexiſſent ad euitandam familiæ fatigationem, vt loquitur Concilium Agathenſe *can.* 21. & habetur *in c. ſi quis etiam de conſec. diſt.* 1. Acquum enim credebant Domini ſic ædificantes, vt cum Oratorium erigerent intra prædium ſuum, & in ſuæ familiæ commodum, poſſent etiam Clericum proponere, ac nominare inſtituendum, qui in eodem miniſtraret. Quod demùm & conſtitutione Iuſtiniani fuit ſancitum anno *Tom. 7. Annal. ann. 541.* 541. vt refert *Baron. c. ſi quidem* 18. quod inſcribitur, de ædificatoribus Eccleſiarum ità legimus, *Si quis oratorij domum fabricauerit, & voluerit in ea clericos ordinare aut ipſe, aut eius hæredes, ſi expenſas ipſis clericis miniſtrant, & dignos denominant, denominatos ordinari: ſi verò qui ab ipſis eliguntur tanquam indignos prohibent ſacræ regulæ ordinari; tunc ſanctiſſimus Epiſcopus quoſcumque putauerit meliores ordinari procuret*, cui conſtitutioni adludit *tex. in c. cum nos plerumque de off. iud. ordin.* ſubinde cum negligentia aliqua Epiſcoporum appareret, cępit indulgeri facultas laicis quibuſcumque Eccleſiarum fundatoribus ad ipſorum liberalem pietatem exercendam in Eccleſias a ſe fundatas, cuius indulti ſpectantur veſtigia *in c. Abbatem* 4. 18. *q.* 2. Pelagius enim Papa ſcribit Mellito Subdiacono. *Abbatem in Monaſterio illum volumus ordinari, quem ſibi de ſua Congregatione & Monachorum electio, & poſſeſſionis dominus, & (quod magis obſeruandum eſt) ordo vitæ, ac meritum popoſcerit ordinari*, quò reſpexit & S. Gregorius Magnus Pelagij ſucceſſor ſcribens Secundino Epiſcopo Taurominitano *Lib. 7. Ep. 31. Indic. 1.* & refertur in *cap. rationis* 16. *q.* 7. *quia rationis ordo non patitur, vt Monaſterium ipſum, & maximè contra voluntatem fundatorum, ab eorum diſpoſitione ad arbitrium ſuum præſertim laica perſona ſubducat, aut aliquod ſibi in id ius debeat vindicare*. Et demùm Concilium Toletanum 9. quod celebratum fuit anno Chriſti 655. Iuſpatronatus in Monaſteria, & Eccleſias ius irrefragabile eſſe voluit, *Can.* 2. *tranſlato in c. decernimus* 16. *q.* 7. *Ideo pia compaſſione decernimus, vt quamdiù earumdem fundatores Eccleſiarum in hac vita ſuperſtites extiterint, pro iiſdem locis curam permittantur habere ſolicitam, et ſolicitudinem ferre pręcipuam, atque rectores idoneos in eiſdem Baſilicis ijdem ipſi offerant Epiſcopo ordinandos*. Et ex tunc (celebratum enim fuit Concilium anno 655.) quod laicis fundatoribus per ſupplicationes, & preces ab Epiſcopis erat impetrandum, cępit primùm iure competere, ſed ità tamen vt ipſis, & non hæredibus liceret.

Et quamuis idem Concilium *in c.* 1. iura enumeret, quæ competant hæredibus, & propinquis fundatorum, attamen reſtringuntur illa ad habendam ſolicitudinem Eccleſiarum, ad deferendum Epiſcopo, ſi ſacerdos bona Eccleſiæ diſſipet, vel Metropolitano, ſi Epiſcopus ipſe perdat, at præſentandi Clericos, nec verbum quidem; tota ergo hæc facultas pendet à *Cap.* 2. quo

ſolius

ſolius fundatoris, & non hæredum habetur mentio; Ratum habuit ius patronatus Concilium Romanum ſub Eugenio II. & Leone IV. & habetur in *c. Monaſterium 16.q.7. Monaſterium, vel Oratorium canonicè conſtructum à dominio conſtructoris eo inuito non auferatur: liceatque illi, presbytero, cui voluerit, pro ſacro officio illius Diœceſis cum conſenſu Epiſcopi, ne malus exiſtat, commendare*, nec abſimiliter ex Concilio Pariſienſi habetur in capitularibus Caroli Magni ſub titulo de Laicorum Clericis; narrata enim Epiſcoporum renitentia in admittendis laicorum præſentationibus ſtatuitur demùm; *Et ſi laicus idoneum, vtilemque Clericum obtulerit nulla qualibet occaſione ab Epiſcopo ſine certa ratione repellatur*; quo ſanè temporæ Eccleſię cum parochiales, tum aliùs generis inter fundatorum hæredes diuidebantur, vt indicat *tex. in c. conſiderandum 16. q.7.* quem licèt *Gratian.* tribuat Gregorio, nec exprimat, cui, certum eſt ex Longobardorum legibus deſumptum immutatis nonnullis; ait ergo. *Conſiderandum eſt de Eccleſijs, quæ inter cohæredes diuiſæ ſunt, quatenùs ſi ſecundum prouidentiam, & admonitionem Epiſcopi ipſi cohæredes eas voluerint tenere, & bonorare faciant ſin autem hoc contradixerint, in Epiſcopi poteſtate maneat, vtrum, eas conſiſtere permittat, an reliquias inde auferre velit*. Hanc Eccleſiarum diuiſionem interdixit Cabilonenſe Concilium indicans, quid in diſsidio cohæredum ſit agendum Epiſcopo, *in c. 1. de iure patron.* quamuis *ex Concilio Mediolanenſi* ſit in Decretalibus concepta epigraphes, cui conſimilitèr ſtatuit, & Concilium Triburienſe, vnde ſumptum *c. 2. eod. de iure patron.* ſequentibus ſæculis extra omne dubium extitit ius patronatus laicorum, quod & ratum habuit Concilium Lateranſe; conſiderans enim Patronorum diſcordiam, ſi quæ emergeret, cum in plurium Sacerdotum præſentatione, tum in ipſo patronatus iure, & Epiſcopo iniungens, vt ex pluribus exhibitis illum eligat, quem maiora merita, & maior patronorum numerus iuuet, vel ſi de iure ipſo vigeat contentio, ni intra quatuor menſes terminetur, Epiſcopus ipſe ordinet Eccleſiam; in quo Concilij Decreto notabilis eſt loquendi forma, qua vtitur, ait enim *Eccleſiam fundatores Eccleſiarum in eo iure ſubſtinuiſſe*. Innuens non poſitiua aliqua lege ius patronatus fuiſſe ſancitum, ſed tolerantia magis, & permiſſione, ideòque gratia, & priuilegium fuit dictum in Concilio Arauſicano *c. 1. & c. 10.* etiam quoad Eccleſiaſticas perſonas, quod & confirmauit Ioann. XXII. *in Extrauag. ſuſcepti regiminis de præbend.*

Lib. 5. c. 178.

Hoc ius igitur primùm à Concilio Toletano fundatoribus indultum quòad præſentationem, & filijs, ac propinquis honeſtioribus quoad alias prærogatiuas; *Alex. III. in c. ex literis de iure patron.* tranſire cum poſſeſſione, cui ſit adnexum, etiamſi vtile tantùm dominium quis habeat, & cum vniuerſitate conceſſit; ac ſubinde non ſolis fundatoribus, ſed & alijs ex alio titulo ius iſtud conceſſum eſt; Adeòque ipſum mereri fuit viſus, qui fundum ad erigendam Eccleſiam dediſſet *c. propoſuit de fil. præsbyt.* mox qui Eccleſiam conſtruxiſſet *c. Monaſterium 16. q. 7.* tertio, qui collapſam funditùs reparaſset *Gloſ. ad c. quoniam verb. fundatores de iure patronatus*; perinde enim eſt, ac ſi de nouo ædificaſſet, extinguiturque ius iſtud, quod primus patronus habebat; ſi monitus reæddificare non curaſſet; & quartò demùm, qui Eccleſiam dotaſſet, *c. quicumq; c. filijs 16. q. 1.* Ab hiſce ergo principijs, & per hos gradus inceſſit iuſ-

iuſpatronatus;cuius ſic retecta origine, iam ad ipſum tractandum accedamus.

4 A nomine exordiemur, quod eſt *iuſpatronatus*, cuius rationem eò referunt aliqui, quod cum primitùs in Eccleſia eſſent defenſores ἐκδίκοι in Concilio Chalcedon. qui per cuiuſque ciuitatis incolas eligebantur, vt notat *Theod. Balſam.* in Eccleſijs priuatorum ære, & pietate erectis non alij cœperunt aſſumi defenſores, quàm ipſi fundatores, quos ideò patronos, & aduocatos vſus appellauit *c. præterea, & c. cum autem h. t.* ab hoc ergo aduocatiæ, quæ & patronatus dicitur *c. quia h. t.* ſeu defenſionis iure deductum iuris patronatus nomen rationabile eſt; quaſi ius quoddam defenſionis, quod fundator erga Eccleſiam à ſe erectam exercere poſſit, & debeat.

*Ad Can. 78. Conc. Carth.*

Ab re fortaſſe non erit ſi & aliunde hanc denominationem repetamus; iam notum ex Pandectis iuris ciuilis, poſt manumiſſionem ſeruorum à dominis factam, in authoramentum largitæ libertatis pleraque commoda, & iura Dominis ipſis fuiſſe reſeruata, quæ omnia vnica voce complexa continebantur; *ius ſcilicet patronatus*, de quo proſtat tit. in Pandectis ipſis, quod quidem ius in cultu à Liberto patrono exhibendo in operis præſtandis, in ſucceſſione quòad bona liberti, alijſque huiuſmodi poſitum erat. Adluſione haud impropria, hoc ius quod poſt constructam Eccleſiam ex indulgentia fundatori relinquitur, & quod in honore præ cæteris fidelibus, in præſentationis iure, & ſubſidiario alimentorum commodo, vt videbimus, conſiſtit *ius patronatus* nuncupatum etiam dici poteſt; liberum ſit alterutram denominationem admittere. Ad definitionem accedamus.

5 Vulgata eſt illa iuriſpatronatus definitio, quod ſit *ius honorificum, oneroſum, & vtile, alicui competens in Eccleſia, eo quod de ordinarij conſenſu eam conſtruxerit, fundauerit, & dotauerit, aut id à ſuis anteceſſoribus factum fuerit.* Exacta definitio, quantum à iuriſperitis confici poſſit, qua compræhenditur quidquid ad ipſum elucidandum valeat proficere, pròut ſingulas partes excurrendo patebit. Dicitur primò quod ſit *ius*, hoc eſt facultas à iure, ſicut vſum fructum denominat *ius* Imperator *in §. 1. inſt. tit. de vſuf.* quo nomine fit, vt in ſui ratione formali iuſpatronatus dicat quid incorporale §. 1. *inſt. tit. de reb. corp. & incorp.* Dicitur *honorificum*, quia redundat in honorem patroni, quod alius, quàm præſentatus ab ipſo non poſſit ad Eccleſiam, aut beneficium admitti, ſicut & ratione iuriſpatronatus honoratur patronus, honore proceſſionis, vt notauimus ſupra cum Gelaſio, & Clemente, aliaſque prærogatiuas ſupra alios habet, quibus præ cæteris colitur; Dicitur *oneroſum*, quia in compenſationem honoris, qui patrono defertur, onera nonnulla iniunguntur ijdem, vt ſcilicet teneatur Eccleſiam defendere, collabentem reparare, & inſtaurare. Subditur *vtile*, quia ex iure patronatus id vtilitatis patrono obuenit, vt eo vergente ad inopiam, & egente, debeat ipſe ab Eccleſia ali præ alijs pauperibus grata quadam remuneratione, reliqua definitionis verba cauſas innuunt, propter quas iuſpatronatus inducitur, quæ & ſupra in origine detegenda tactæ fuere, & infra ſingulariter explicabuntur. Breuius etiam definiuit *Lancellot.* quod iuſpatronatus ſit *ius præſentandi inſtituendi ad beneficium vacans*, quam definitionem mutuatus eſt ab *Hoſtienſe*, vnico poſthabito verbo *ſimplex*, quod ipſe *Hoſtienſis* adiecerat, nempe *ad beneficium ſimplex vacans*. Eſt ius igitur, adeòque incorporale, indeque emergit controuerſia de qualitate

*In inſtit. Can. tit. de iure patron. lib. 1. tit. 38.*

tate huius iuris, an ſit ſpirituale, an verò temporale; ſpirituale eſſe antiquorum aliqui cenſuere, quia procedit à poteſtate ſpiritualis iuriſdictionis, à qua & Eccleſiaſtica beneficia, & inductum eſt à Summo Pontifice tanquam à cauſa, vnde qualis eſt cauſa, & talis debet eſſe effectus; finis etiam, ad quem tendit, nempe præſentatio ad beneficium, eſt ſpiritualis, & ideò ſpecificatur ab ipſo, vt ſpirituale reddatur, & demùm ius patronatus emptionem, & venditionem, ac tranſactionem refugit, nec alia ſanè ratione, niſi ea ipſa, qua & cætera ſpiritualia. At ex oppoſito ius patronatus præſcriptioni ſubiacet *c. querelam de electione*; poſſidetur à laicis, cum hæreditate tranſmittitur *c. cum ſæculum de iure patron.* quod de ſpirituali dici non poteſt, cuius non eſt commercium. Verùm apertè nimis Summus Pontifex quale ſit ius patronatus determinat, & non temporale, non ſpirituale aſſerit, ſed ſpirituali annexum *c. quanto de iudic. cap. de iure patronat.* nec ab ea definitione, aut loquendi forma recedere fas eſt, quam meritò vſus recepit, & iam immutabilis eſt. Difficultas ſolummodo exiſtit in explicanda hac adnexione iuriſpatronatus ſpiritualibus, quam expoſuit *Gloſſ. ad c. piæ mentis 16. q. 7.* quaſi ſit quid mixtum, & partim ſpirituale, ac partim temporale.

Verùm propria ratio huius explicandæ adnexionis illa eſt, quam aſſignat *D. Thom.* qui docet dupliciter aliquid dici poſſe ſpiritualibus adnexum; primò tanquam ex ſpiritualibus dependens, ſicut habere beneficia Eccleſiaſtica dicitur ſpiritualibus adnexum, quia haberi non poſſunt niſi ab habente officium Clericale, eaque eſſe non poſſunt ſine ſpiritualibus, & hæc adnexio nequit impleri in iure patronatus. Secundo modo dicitur aliquid ſpiritualibus adnexum, quia ad ſpiritualia, ſeu ad ſpirituale ordinatur, & huiuſmodi eſt iuſpatronatus, quod ordinatur ad præſentandum Clericos ad Eccleſiaſticum beneficium, ſicut & vaſa ſacra ordinantur ad Sacramentorum vſum, & hæc non præſupponunt ſpiritualia, ſed potius ordine temporis ipſa antecedunt, & ideò certo modo in emptionem, & venditionem venire poſſunt, licèt non ſub ea ratione, qua ſunt ſpiritualibus adnexa; ſpiritualitas ſiquidem non eſt intrinſeca iuripatronatus, quod in ſe eſt, quid ſæculare, & temporale, ſed eſt relatio quædam ſuperueniens, & rem afficiens. Vnde poſtea iuſtè, ac rationabiliter fit, vt iuſpatronatus per ſe vendi non poſſit, ſicut ſtatuit Sum. Pontif. *in c. de iure, & c. præterea, il 2. de iure patron.* nec eius cauſa, aut controuerſia à Iudice laico cognoſci, aut definiri, ſicut deciditur in *c. Quanto de Iudic.* Non poteſt vendi, quamuis enim in ratione ſui non repugnet, repugnat tamen adnexio cum ſpirituali, vnde ſpiritualitatem participans redditur ſine pretio pretioſum, ac penitùs inæſtimabile, & cum non ſit ipſi ſpiritualitas intrinſeca, & eſſentialis, non repugnat, quò minus vendi poſſit, & tranſeat cum hæreditate, & cum venditione caſtri, vel rei alterius æſtimabilis, cui iuſpatronatus accedat *c. ex literis c. cum ſæculum h. t.* Non poteſt cauſa iuriſpatronatus cognoſci à Iudice laico *d. c. quanto de Iudic.* quia quamuis iuſpatronatus extrinſecè tantùm ſpiritualitatem ſit adeptum, & per ſolum extrinſecum reſpectum, ſeu relationem, attamen (inquit *Lother.*) cum eſſet prius denegatum, & poſtea ab Eccleſia conceſſum propter vtilitatem, atq; adeò iure quodam ſingulari, licèt intrinſecè ſpiritualitatem non habeat, hoc tamen obtinuit, vt propter finem, ad quem eſt conceſſum dicatur negotium Eccleſiaſticum, & ideò tanquam nego-

2. 2. q. 100. art. 4. in corp.

*Lib. 2. q. 9. n. 30.*



Digitized by Google

tium Eccleſiaſticum ab alio, quàm à Iudice Eccleſiaſtico non poſſit cognoſci *c.* 2. *de Iud.* in hoc enim conueniunt Eccleſiaſtica, & ſpiritualia, quamuis termini non conuertantur, neque omnia Eccleſiaſtica ſint etiam ſpiritualia, idque demùm ea ratione factum, vt inquit *Bald.* ne ſit in poteſtate, & arbitrio Iudicis laici iudicando de iure patronatus, maiorem, hoc eſt patronum Eccleſiæ conſtituere, & Eccleſiam facere ſubditam, quæ in ſe reuera libera ſit, quod ingens videtur abſurdum; quæ ſane ratio ab extrinſeco, & quaſi à poſteriori deducta eſt: Sed liceat magis intrinſecam mutuari à Pauli I.C. doctrina in *l. quæ religioſis adhærent* 43. *ff de relig. & ſump. fun. quæ religioſis adhærent religioſa ſunt* (ait ibi Paulus) idque adeò, vt mox ſubdat. *Et idcirco nec lapides inædificati poſtquam remoti ſunt vindicari poſſunt*, Sicque ordinarium iudicium, quod antea poterat circa ipſos lapides exerceri, iam amplius intentari non poteſt. Et tamen nihil reale lapidibus illis, aut intrinſecum aduenit, ſed merus reſpectus, & mera relatio, in cuius reuerentiam, cum lapides illi facti ſint diuini iuris, nec amplius ſint humani, & priuati, vindicatio circa ipſos exerceri non poteſt *l.* 2 *ff. de ſepulc. viol. l. in rem* 23. §. 1. *ff. de rei vind.* Idque & circa iuſpatronatus conſiderari perappoſitè poteſt, vt ſcilicet propter ordinationem illam, & illum reſpectum, quem cum *D. Thoma* diximus habere ad ſpiritualia, ſit exemptum à ſæculari iudicio, & tanquam de adnexo ſpirituali non poſſit laicus Iudex de ipſo cognoſcere. Eſſentia iuriſpatronatus ſic explicita, iam ad modos eius inducendi, & conſtituendi accedamus.

*Ad c. quanto ſub n.* 7. *de Iudic.*

Quamuis iuſpatronatus ſit ex gratia, quatenus ſcilicet Eccleſia contra antiquos Canones ipſum induxit, atque conceſſit tanquam ius quoddam ſingulare *l. ius ſingulare ff. de legibus*, non tamen ita abſolutè hoc accipitur, vt ſit à iuſtitia omninò ſeiunctum, voluit enim, aliquid cooperari fideles, & ius hoc, quod eſt Eccleſiæ oneroſum, mereri nec ità liberaliter concedi, quin aliquid & ipſi contribuant. Itaque Eccleſiæ conſenſus prærogatiuas quaſdam concedendas cenſuit illis, qui fundantes, conſtruentes, aut dotantes Eccleſiam eas promeruiſſent, ſicque cauſæ acquirendi iuriſpatronatus ad tres haſce rediguntur, quas metrum complectitur. *Patronum faciunt dos, ædificatio fundus.*

6 Et hiſce munificentiæ modis iuſpatronatus acquiritur, & patronus fit quaſi Dominus, ac Dominus vocatur in *c. Abatem* 18. *q.* 2. De modis hiſce tribus diſſeramus partitè, & de alijs, ſi qui ſint, qui ad idem proficiant: fundatio primùm ſe ſe exhibet ordine naturæ, quæ tunc dicitur interuenire, cum quis fundum aſſignat, & tradit, ſuper quo Eccleſia conſtitui debeat *c. nobis h. t. c. Abatem*: ibi *poſſeſſionis dominus* 18. *q.* 2. quod tamen ità accipimus, vt non fundatione abſolutè, ſed cum relatione ad conſtructionem iuſpatronatus acquiratur ità, vt vel ipſe dans fundum, vel alius ſuppleat, hoc eſt conſtruat, aut dotet Eccleſiam, vnde ſi vnus fundet, alius conſtruat, & alius dotet omnes efficiuntur patroni, & hoc intellectu, qui dotat non efficitur patronus eius Eccleſiæ, quæ nondum exiſtit, quod forte videretur abſurdum, ſi ſola abſoluta fundatione, quis iuſpatronatus acquireret. Debet eſſe hæc fundi aſſignatio omninò libera, ne aſſignans vllum ius ſibi referuet, facta ſiquidem reſeruatione directi dominij, aut dato fundo in Emphyteuſim, vel non ædificabitur Eccleſia, vel non acquiretur iuſpatronatus, vnde omnimoda abdi-

catio,

catio, & libera tranſlatio eſſe debet; nam conſtituta emphyteuſi, & non ſoluto Canone per biennium fundus cadit in commiſſum *l. 2. c. de iure emphyt.* quod de fundo aſſignato pro fundatione Eccleſiæ obſeruari non poteſt. Qua attenta fundationis ratione Principes, & Reges, vt notat *Innocent. Ciron.* facile ſe patronos in Eccleſijs in ſua ditione erectis aſſeruere, quaſi fundum pro earum conſtructione contuliſſent allegato *c. cum terra in fine de elect.*

*In paratit. ad tit. de iure patronat.*

Fundationi ſuccedit conſtructio, & ædificatio, per quam non minùs iuſpatronatus acquiritur, dum tamen aut ipſe ædificans, aut alius Eccleſiam dotet. Conſtructioni æquiparatur reædificatio, ſi Eccleſia intotum corruerit, & ſit perempta, ſecus ſi ſolummodo in parte aliqua, tunc enim reficiens pietatem quidem exercet, at nullum ius acquirit in Eccleſia à ſe inſtaurata, quod enim *humani iuris eſſe desijt ſeruitutem non recipit*, inquit I. C. in *l. 4. ff. com. præd.* at ea in totum collapſa perinde eſt, ac ſi ab initio conſtrueretur *arg. tex. in c. conſuluit de Iudæis*, nec cenſetur induci noua, & acceſſoria ſeruitus.

Accedit demùm dotatio tamquam modus legitimus iuriſpatronatus acquirendi, iſque verè rationabilis ab ea proportione, quę inter matrimonium carnale, ac ſpirituale viget *c. inter corporalia de tranſlat. Epiſcop.* Titularis enim, & beneficiarius ſponſus eſt Eccleſiæ, quæ dotem tamquam ſponſa habere debet, qua ſponſum ſuum ſibi conciliare valeat *c. placuit 1. q. 2.* Analogiam exactiſſimam inter dotem vxoriam, & dotem Eccleſiæ aſſignauit *Lambertin.* vt inferat, idem de vtraque cenſendum, & vtramque diligentiſſimè confert. Hæc igitur dotatio, etiam ſola, iuſpatronatus acquirit ex definitione iam tradita ipſius iuriſpatronatus, qua dictum alternatiuè ex eo *quod quis fundauerit, vel conſtruxerit, vel dotauerit Eccleſiam*, ex vi autem alternatiuè quilibet modus ſufficit *l. ſi Titio, aut Sero ff. de legat. 2. l. ille, aut ille ff. de legat. 3.* quod ſi Eccleſia iam conſtructa, & conſecrata pereat dotans adhuc ius patronatus acquirit, vt ſcribit *Innocent,* ſine ſubſtantiali enim ſuo non poteſt Eccſeſia ſubſiſtere *c. ſi quis obiecerit 1. q. 3.* & qui ſubſtantiale deficiens ſuggerit dotando ſuccurrit Eccleſiæ, ac proinde retributionem meretur, tuncq; in fauorem eiuſdem Eccleſiæ retrotrahitur ad primordium dotatio, nec dici poteſt Eccleſiæ iam conſtructæ impoſita ſeruitus *arg. tex.* in *c. tanta qui filij ſint legitimi*, iuxta vtriuſque matrimonii iam tactam ſupra analogiam, qua ſeruata qui conſtruxit Eccleſiam, poteſt vel inuitus cogi ad ipſam dotandam, non ſecus ac Pater filiam *l. fin. c. de dot. prom.* & poteſt id præſtari directè, ipſum ſcilicet per congrua media compellendo, & indirectè, non admittendo ad iuſpatronatus, niſi dotem conſtituat, & quamuis in hoc caſu rationes non deſint, quæ probent, dotantem coactè non acquirere iuſpatronatus, attamen cum iura in *c. nemo de conſec. diſt. 1.* & in *c. placuit 1. q. 2.* & in *c. nobis b. t.* compulſionem ſtatuentia pœnam priuationis non inducant, nec nos marte noſtro infligere eam debemus, compulſus enim tunc acquiſiuit iuſpatronatus, quando cum conſenſu Epiſcopi ſe obligauit ad conſtruendum, & dotandum, igitur & ſi cogatur, non priuabitur ſine legis auctoritate eo iure, quod iam quæſiuit, vt ſubtiliter conſideraauit *Lambertin.* quid autem ſit ſeruandum in praxi dotis conſtituendę docuit exactè *Lother.* ad quem remittimus.

*De iure patronat. p. 1. q. 5. princip. art. 8.*

*Ad Rubric. de iure patron. n. 2.*

*De iure patron. lib. 1. q. 4. princip. art. 1.*

*De re benef. lib. 1. q. 31. n. 31. & ſeqq.*

Verùm non ſolùm dotans abſolutè, ſed & dotem iam conſtitutam augens acqui-

acquirit iuſpatronatus, quod tamen non eſt accipiendum de quolibet augumento, ſed in eo caſu, quo dos ſit adeò imminuta, vt Eccleſia congruè dotata dici ampliùs non valeat, paria ſiquidem ſunt nullam habere dotem, & habere, ſed incongruam, & inſufficientem, vt latè conſiderat *Lambertin.* Et eo caſu illud ſingulariter notandum, neceſſarium eſſe, vt augens dotem declarat expreſsè ſe augere eo animo, vt ſibi iuſpatronatus acquiratur, quamuis enim fundans, aut dotans ſimplicitèr ſine vlla declaratione Iuſpatronatus acquirat ex generali iuris conſtitutione, attamen vbi agitur de ſola acceſſione requiritur expreſſa reſeruatio, alias enim ea ommiſſa, facta intuitu pietatis, & ſola benemerendi intentione acceſſio præſumetur, quæ tamen præſumptio elidetur ſi augens declaret, ſe conferre in cauſam dotis, quia tunc ceſſabit coniectura benemerendi, & quæſitum ſic dotanti iuſpatronatus intelligetur, & eo magis quo fuerit adhibitus conſenſus Epiſcopi, ex quo magis deſumitur intentio dotandi. Sunt illæ tres cauſæ naturales, & fas ſit dicere, vniuocæ iuriſpatronatus.

*Lib. 1. p. 1. q. 6. ar. 6. n. 7.*

His adnectemus cauſas alias duas, quas dixerimus æquiuocas, ſiue impropria inducendi iuriſpatronatus, quarum prima erit priuilegium Summi Pontificis, qui vnus Eccleſiam liberam poteſt facere quodammodò patronatam largiendo alicui priuilegium, vt habeatur in ea tanquam patronus, & iuſpræſentandi in ipſa acquirat, hicque non erit verè Patronus, ſed quaſi patronus, cum tres cauſæ iam explicatæ illæ tantùm ſint, quæ verè patronum facere poſſunt, cum enim competat Iuſpatronatus ex tribus cauſis ſupradictis ex gratia, hac ipſam gratiam Epiſcopus extendere non poteſt, vt diſſerit poſt alios *Viuian.* Hoc tamen Iuſpatronatus ex priuilegio ſublatum eſt per Concilium Tridentinum, ſi ſit priuilegium merè gratioſum, & liberale, idque adeò generalitèr ſtatutum, vt etiam ſi in priuilegio ipſo eſſet expreſsè inſertum, vt ſit ſic largitum iuſpatronatus einſdem naturæ, ac ſi ex fundatione, aut dotatione competeret, adhùc nihilominùs decreto Concilij comprætenderetur, quia non eſſet verè ex fundatione & dotatione, ſed ac inſtar, ac proindè ſublatum, vt not. *Gonzal. & Garz.* quod ſi fortè priuilegium eſſet oneroſum, neutiquam decreto Concilij comprehenderetur, nec cenſeretur ſublatum, quia conceſſio huiuſmodi non eſſet merè priuilegium; puta ſi Eccleſia dotetur in totum, vel notabiliter dos augeatur, quo caſu poſt conſtitutionem eſſet ipſa imminuta, & reddita inſufficiens; Dicitur *notabiliter*, quia quodlibet augumentum non ſufficit ſed ex Conſtitutione Innoc. VIII. & Adriani VI. Summus Pontifex debet eſſe augumentum, quod medietatem attingat alias magis ex gratia, quam ex iuſtitia Iuſpatronatus cenſetur, & huius medietatis valor attendendus eſt de tempore reſeruationis.

*De Iure patr. lib. 2. cap. 9. n. 7.*

*Seſſ. 25. de reſ. c. 9.*

*Ad reg. 8 Gloſ. 13. n. 102.*

*De benef. p. 5. c. 9. n. 117. & 118.*

*Conſt. 5. §. 3. Tom. 1. Bullar. nou. pag. 334. eod. tom. pag. 461. conſt. 3. §. 2.*

Suſpectas autem adeò habuit Concilium huiuſmodi conceſſiones Iuriſpatronatus ex priuilegio, immò, & totam huiuſmodi Iurium materiam, vt Iura omnia patronatus iuſſerit reuideri & examinari ab Ordinarijs, tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegatis à quadraginta annis citrà, etiam ſi ſint ex cauſa oneroſa, & quæ non fuerint ritè, & rectè conſtituta, reuocari, & annullari; & hoc quadraginta annorum ſpatium Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum taxauit metiendum ante diem primam Maij 1604. ità, vt quod Iuſpatronatus ex augumento dotis fuerit conceſſum per 40. annos ante annum 1604. ante

Kal.

*Apud Marſil. lib.1. tit. 13.*

Kal.Maij non intelligatur per Concilium abrogatum, quod decretum non eſt reſponſum aliquod locale, ſed generale pro omnibus tamquam regula pro metienda præſcriptione à Concilio ipſo ſtatuta.

Altera æquiuoca cauſa, & extraordinaria obtinendi Iuriſpatronatus eſt præſcriptio; Ius ſi quidem patronatus etiam à laico præſcribi poteſt *c. querelam de elect.* Aptiſſimum ſanè medium ad hoc intentum præſcriptio, vt pote quæ dominium non acquirat, ſed tantùm poſſeſſionem ſecuram ſiue poſſeſſionis ſecuritatem; quandoquidem nil aliud eſſe præſcriptionem in veritate agnoſcimus, niſi acquiſitionem ſecuræ poſſeſſionis per vſum iuſtum, & longo tempore continuatum *l. longi 7. c. de præſcript. longi tempor. l. 1. c. Theod. eod. tit.* Aptiſſimum medium ad Ciuium quietem, & tranquillitatem in ſubſidium vſucapionis æquitate ſuggerente à Principibus ad iſtar ipſius vſucapionis excogitatum, & in ipſo Iurepatronatus per accomodum, cuius ſicut benignitas Eccleſiaſtica poſſeſſionem laicis indulget, ità præſcriptionis debuit largiri ſecuritatem, & tutelam; cum eius tanquam incorporalis, & extrà laicorũ commercium iuxtà Summi Iuris dictamen non poſſet eſſe vſucapio. Hactenùs de præſcriptione tanquam de modo acquirendi, nam de eius praxi latiùs, cum agemus de modo probandi Iuriſpatronatus.

*c. conſultationib. de Iurepatronat.*

Suppoſito igitur hoc præſcriptiones medio tanquam legitimo, iam ad praxim deſcendendo notandum attentè eſt, an qui præſcriptione ſe tuetur, vtatur præſcriptione certi, & legitimi temporis, an verò immemorabili, & in vtroque caſu, an prætendat regulare Iuſpatronatus ex fundatione, dotatione, & conſtructione; An verò ex priuilegio; ſi agatur de Iurepatronatus legitimo, & fortè conſtet de libertate Eccleſiæ ab initio, tunc nulla poterit ſuffragari, aut allegari præſcriptio, neq; immemorabilis; ratio eſt euidens, quia præſcriptio nititur præſumptione, cui veroſimiliter non poteſt eſſe locus vbi euidenter conſtat de veritate; de qua conſtare ſupponimus, dum apparet de libertate primordiali Eccleſiæ. Si verò agatur de Iurepatronatus ex priuilegio ſuppoſita immemorabili præſcriptione poterit allegari priuilegium Apoſtolicum *c. 1. de præſcript. in 6.* Vndè pares erunt in hoc caſu quadragenaria cum titulo, ſaltem colorato, & immemorabilis. Quamuis enim conſtaret de libertate primordiali Eccleſiæ nihilominus non implicat allegare priuilegium Apoſtolicum; ſtare enim hæc duo poſſunt, vt Eccleſia ab initio ſit libera, & tamen alicui competat in ea Iuſpatronatus, quod Summus Pontifex per priuilegium conceſſerit, & ideò allegato priuilegio, & probata immemorabili optimè concludetur Iuſpatronatus, in quo immemorabilis poſſeſſor veniat manutenẽdus, & ſit in poſſeſſione ſua ſecurus; At verò vbi conſtaret de libertate primordiali Eccleſię, quantumuis allegaretur immemorabilis pręſcriptio non rectè tamen concluderetur ad Iuſpatronatus, quia implicantia eſſet, conſtare de Eccleſia à ſui primordio libera, & tamen habere Iuſpatronatus in ipſa illum, qui immemorabili præſcriptione nititur perinde ac ſi mulierem eandem, & nuptam, & viduã quis aſſereret, quod ridiculum dixit *Papin. in l. Titiæ 99. ff. de Cond. & dem.* At verò vbi conſtet de primordiali Eccleſiæ libertate, & prætenditur iuſpatronatus in vim priuilegij ceſſat huiuſmodi implicantia, & allegari preſcriptio poterit præſertim immemorabilis, ſtare ſi quidem poteſt Eccleſiam ab initio fuiſſe liberam, & poſteà ex priuilegio

Pon-

Pontificio patronatui fuiſſe ſubiectam, vt notat *Gloſ. ad c. nihil eſt 44. verbo ſuſpendatur de elect.*

At ſi non conſtet de initio fundationis, ſicque videatur potiùs Eccleſia in ſtatu libertatis, quam ſeruitutis, poterit Iuſpatronatus probari ex præſcriptione relata in fundationem dotationem, aut conſtructionem, atque adeò in fundamentum Iuriſcommunis; Hæc autem probatio pro præſcriptionem ità fundabitur, vt ſi agatur de preſciptione longi temporis, quale cenſebimus quadraginta annorum, non ſufficiat ipſa ſola, ſed titulus ſaltem coloratus, hoc eſt fama dotationis, aut fundationis, vel conſtructionis, quæ vnita cum longi temporis, ſeù quadragenaria præſcriptione concludentem probationem Iuriſpatronatus inducet; ſola enim præſcriptio ex facto continuatæ poſſeſſionis, non tribuit titulum de Iurecommuni, & ideò vbi concludenter probandum eſt Iuſpatronatus, nec ſolus titulus coloratus puta fama, nec ſola continuata poſſeſſio, ſiuè præſcriptio ſufficiet, ſed vtriuſque concurſus requiretur; quod ſi de immemorabili, aut centenaria, quæ ipſi æquiparatur, actum fuerit ipſa ſine alio titulo ſat erit ad probationem Iuriſpatronatus, tuncque Ius ipſum patronatus non dicetur præſcriptione quæſitum, ſed conſtitutum ex legitima cauſa fuerit concludenter per immemorabilem, aut centenariam probata; Antiquitas enim habet vim tituli neceſſarij ad probationem iuriſpatronatus, quia ſcilicet per ipſam titulus irrefragabilitèr præſumitur, vnde, & concludentèr per eam probatur Iuſpatronatus, ſi modò ſit immemorabilis, aut centenaria; Et quo caſu ſit centenaria non exigetur ipſa exquiſitè completa, ſed etiam ſi aliquot deficiant menſes adhuc nihilominùs pro completa habebitur; neque moramur dictum Pauli Iure Conſulti *in l. in omnibus 5. ff. de obligat. & act. In omnibus temporalibus actionibus niſi nouiſſimus totus dies compleatur non finit obligationem;* Veriſſimum enim eſt quod eleganter ad eundem *tex.* notauit *Cuiac.* agi in ipſo de actione in perſonam, quę creditori ex obligatione competit, quæ ſi fuerit temporalis, non perimitur ſtatim ac dies poſtremus venit, ſed tunc demum cum prӕterijt. At in rem actio quæ domino competit, ſtatim perimitur, atque bonæ fidei poſſeſſor, attigit poſtremum diem temporis conſtituti ad implendam vſucapionem; & ratio differentiæ eſt; quam idem *Cuiac.* aſſignat, quia actionem in rem perimit non tam tempus, quam vſus poſſeſſoris bonæ fidei; & ideò ſat eſt attigiſſe vltimum diem, vt completa vſucapio habeatur *l. in vſucapione in pr. ff. de diu. & temp. preſcrip.* in odium diſſoluti patris fias, qui parum curat rem ſuam peſſum ire patitur *l. fin. c. de Annali excep.* At in actione in perſonam nullus eſt, qui perimat, vſus debitoris, qui nulla re, nulloue Iure vtitur interim dum non interpellatur, aut conuenitur, ſed tempus ſolum, quod lex præfixit, illud eſt, quod actionem in perſonam extinguit, & ideò de momento in momentum illud eſt computandum, nec pertinet, niſi vltima dies ſit omninò completa; Vndè meritò in centenaria præſcriptione defectus menſium non attendetur, ſed completa nihilominùs cenſebitur, vt ſeruata proportione inquit Iuris Conſultus in *l. ſi fundum 16. in fine ff. de fundo dot. planè ſi pauciſſimi dies ad perficiendam loci temporis poſſeſſionem ſuperfuerunt, nihil erit, quod imputetur Marito.* Sanè pauciſſimi dies extimari poſſunt in centenaria præſcriptione defectus menſium, ac proinde

indè completa præſcriptio ad probationem Iuriſpatronatus cenſebitur.

7 Conſtituto patronatus iure, aut medijs Ordinarij; vel Extraordinarijs, quæ hucuſque retulimus, iam ad fructus, ſeù effectus, qui ex ipſo naſcantur, accedendum eſt; Tres præcipuè aſſignantur, & enumerantur, ijque præſentatio, alimentorum ſubſidiaria miniſtratio, & Honor proceſſionis; alitèr fructus Iuriſpatronatus recenſuit *In ſumma tit. de Iurepat.* *Goffred.* vt ſcilicet tres ſint, honoris, vtilitatis, & oneris; Honoris, quia præſentat, & primus in proceſſione incedit; Vtilitatis, qua ad inopiam vergens patronus ali ab Eccleſia debet; oneris, quia Eccleſiam ipſam defendere debet; Iam igitur circà hos fructus verſemur, & potiora de ſingulis diſſeramus.

Præſentatio ſeſe exhibet primò, & licèt terminus, ſeù vox ipſa ſe explicet, definitur tamen communiter, quod ſcilicet ſit, *exhibitio legitime facta per patronum de Clerico præſente ſenſibus corporis Epiſcopo, vel alteri, ad quem pertinet inſtitutio.* Vt autem hæc præſentatio eſt fructus, & effectus Iuriſpatronatus, ità eſt ipſius patroni maximè propria, ſiuè Eccleſiaſticus ipſe ſit, ſiuè laicus; & ideò nullum Ius in re præſentato acquirit *c. quod autem, de iurepat.* ſed tantùm ipſum habilem reddit, vt poſſit inſtitui, neq; enim plenum ius aliquod præbet præſentatio patroni *c. quod autem c. Illud prætereundum c. conſultationi c. conſuluit de Iurepatron. c. ſi plures c. Monaſterium 16. q. 7.* indeque differentia emicat inter præſentationem, & electionem, hæc enim Ius tribuit, illa verò non item niſi admodum tenue; patronus verò alium non autem ſe ipſum præſentare poteſt *c. conſuluit c. per noſtras h. t.* ſicut nec Epiſcopus in beneficio ſe ipſum poteſt inſtituere, quod ſuę Collationis ſit *c. fin. de inſtit.* aut tutor ſibi ipſi author fieri *l. 1. ff. de auth. tut.* Non tamen prohibetur præſentare filium ſuum, qui, natura inſpecta alius eſt à patre, quamuis Iuris diſpoſitione vna, & eadem perſona cum patre cenſeatur *l. fin. c. de impub. & al. ſubſtit* neque enim filijs debet eſſe deterioris conditionis, quam quilibet alius extraneus; & fauor quem Eccleſia patrono impertitur, non debet in odium retorqueri, *c. quod ob gratiam de reg. iur. in 6. & ſi tex. in c. conſuluit h. t.* vetat ne patronorum filij Eccleſias quaſi hæreditario Iure detineant; id tamen intendit, ne ſcilicet authoritate propria faciant, non verò legitimo modo, & Epiſcopi authoritate, quod ſi patronus, qui vnicus ſit, beneficium Iuriſpatronatus aueat obtinere, altero ex duobus modis operabitur; aut enim Epiſcopus ipſi beneficium conferet inhærenti, & aſſentienti ijdem Collationi ſibi factæ; aut (quod tutius eſt) ſupplicabitur Epiſcopo, vt beneficium ſibi conferat, & tunc poterit ipſe admittendo ſupplicationem gratificari, prout latiſſimè tractat *Lambertin.* quod ſi plures ſint patroni; nil prohibet, quo *De Iurepatr. p. 1. lib. 1. q. 8. art. 3. & 4.* minus vnus ex ipſis ab alijs præſentetur, vel vnus ex filijs, vt not. *Gloſ. ad c. conſuluit de iurepat.* ſicuti ijſdem licet, aut per ſe ipſos, aut per procuratorem præſentare, ſicut, & procuratori committi poteſt electio *l. ſi is qui ſtichum ff. de procurat.* immò & per literas *Gloſ. ad c. non debet 65. diſtinct. arg. tex. in l. ſi procuratorem ff. de procurat.*

Non ſemper tamen, ac indefinitè poſſunt patroni præſentare, ſed certum, ac definitum tempus ad id à Iure eſt præſtitutum; nec verò idem omni patronorum generi, ſed ſegregat ius laicos patronos ab Eccleſiaſticis, & laicis quatuor menſes conſtituit, Clericis verò ſex; nec ſine cauſa diuerſum hoc tem-



Digitized by Google

tempus aſſignatur; laicis enim ideò breuius; quia licet ipſis variare in præſentando, & alios poſt alios præſentare, Clerici verò variare non poſſunt, & ideò, vt cum maiori maturitate, & conſultiùs deliberent, prolixius tempus duorum menſium, vltra quatuor ipſis conceditur *c.1.§.fin.de iurepatr.in 6.* Variatio autem laico permittitur, donec vnum ex præſentatis non inſtituerit Epiſcopus nam poſt præſentationem facta inſtitutione requiritur vlterior præſentatio, *c.quod autem conſulis de Iurepatr.* Interim verò dum labitur quadrimeſtre tempus conferre Epiſcopus ſpreto patrono laico non poteſt, ſed tantum Aeconomum ad Eccleſiæ, & beneficij cuſtodiam præficere, *c.cum vos plerumque de off. ord.* quod ſi forte Eccleſiaſticus patronus præſentauerit indignum tunc Epiſcopus, ſpreta illa præſentatione, pleno iure confert, amiſit enim ius ſuum pro illa vice Eccleſiaſticus patronus præſentando indignum.

In variatione per laicum facienda illud maxime obſeruandum eſt variationem ſcilicet ab ipſo dupliciter poſſe fieri; vno modo contextu vnico plures ſimul præſentando iuxta *Clem. plures in fin. de Iurepatron.* vt ex ijs eligat inſtituendum Epiſcopus, quem maluerit. Alio modo poterit fieri variatio plures ſucceſsiuè, & diuerſo tempore præſentando, *c. quod autem c.cum autem c.paſtoralis h.t.* tuncq; ſucceſſiua huiuſmodi præſentatiò non fiet priuatiuè, hoc eſt, vt primus præſentatus cenſeatur excluſus, quaſi Patronum pœniteat præſentationis iàm factæ, & recedat, id enim faciens ſine cauſa non audiretur, ſed cumulatiuè, quaſi præſentationi primæ conſiſtenti accedat, & ſecunda, & ſi fortè hoc non exprimeretur, adhuc nihilominùs facta cumulatiuè intelligetetur, & Epiſcopus, quem maluerit, ex illis poterit inſtituere. Hæc tamen variandi libertas laico permiſſa ad duas præſentationes reſtringetur, nec vltra, idque ſeruatum in praxi cum iudicando, tum conſulendo teſtatur *Lambertin. arg. tex.in l.Boues ff. de verb. ſign.* vbi relictum *cum nupta fuerit* de prima tantum vice intelligitur, & pluralis locutio duorum numero eſt contenta *in c. pluralis de reg. iur.in 6.* æquum enim eſt, varietatem & confuſionem, quantum fieri poteſt, declinari; vt latè vbi ſupra *Lambertin.* qui adæquatè ſoluit obiectum ex *d.Clem. plures.* p.2.lib.2. q.2.art. 23.

Si plures ſint patroni circa idem Ius patronatus tunc ſpectandum eſt, an omnes concurrant, vt ſinguli, an verò tanquam vnum corpus, & tanquam collegium; ſi vt ſinguli; omnes pro voto ſuo præſentare poſſunt; ſi vt Collegium, & corpus; maior pars præſentantium ſpectabitur; pari modo ſi vnus ex vna parte ſit patronus, & ex alio patrono deſcendant plures, tunc plures iſti cenſentur vnus; adeò, vt maior pars ipſorum vnam vocem conſtituat, vt concludit *Lambertin. & Gab. in Clem.2. de Iurepatr.* 3.p.lib.1 q.3.pro. art.7.

Conuenire poſſunt patroni plures, vel plures eorum hæredes, vt alternis vicibus præſentent, ne contrario concurſu ſe inuicem impediant eadem *Clem.II.de Iurepat.* & in ſimili admonet Iuris Conſultus in *l. quoties ff. de vſuf. & Papin. in l. 2. in fin.ff.quibus modis vſuf. vel vſus amit.* Ius ſi quidem patronatus, cum re vera ſit ius, indiuiſibile, eſt, & idem apud omnes ſiue patronos, ſiuè hæredes *c.1.de iurepat.* quod ſi fortè diſſidium inter patronos oriatur, quid ſit agendum conſtituit Summus Pontifex in *c.1.2.& 3. h.t.* ſi enim patronorum vota in plures ſe diuiſerint præſentatos, ille præferetur, pro quo plura ſteterint vota; ſi hoc

ſine

ſine ſcandalo fieri non poſſit, ordinabit Epiſcopus Eccleſiã prout ſibi melius in domino viſum fuerit; quod ſi de ipſo patronatus iure inter eos extiterit controuerſia, idem præſtabit Epiſcopus pro diſcretione ſua, ſi intra quatuor menſium ſpatium non fuerit diffinita *d. c. 3*.

Cum autem dicimus tranſire iuſpatronatus, ad hæredes non ſolùm maſculos intelligimus, ſed etiam fęminas quæ huius Iuris capaces ſunt, *c. ex literis de Iurepat.* Neq; horreat quiſpiam dum audit Iuſpatronatus, quod eſt ſpirituali adnexum, & Iure ſpiritualium cenſetur, tranſire ad hæredes; cum vniuerſitate enim acceſſionis Iure, & per accidens migrare poteſt in hæredes *c. cum ſæculum h. t.* & cum eadem bonorum vniuerſitate vendita, & Ius ipſum patronatus eadem ratione tranſit, quamuis enim vendi per ſe non poſſit, tanquam æſtimationem non recipiens *c. querelam de Simon. c. de iure h. t. l. ſacra loca in fin. ff. de rer. diuiſ.* acceſſionis tamen iure tranſire non inconuenit, quod naturali lumine edocti Ethnici etiam ſuaſum habuere; pulchre enim ad rem *Tacit.* ex ore Tiberij. *Nec contra religionis fieri quod, effigies eius* (Auguſti) *vt alia numinum ſimulacra venditionibus hortorum, & domuum accedant.* Quando autem maturus cenſeatur hic præſentationis fructus ad hoc vt patronus colligere ipſum, & frui poſſit, intrà tempus ſtatutum? Reſpondit tempus quadrimeſtre, ſeu ſemeſtre, pròvt laicus, ſiue Eccleſiaſticus extiterit patronus, currere ipſi non à die vacationis, ſed à die habitæ notitiæ eiuſdem, regulare enim id eſt in beneficiorum vacatione *c. quia diuerſitatem de conceſſ. præb. in fine*, & latè *Viuian.* quod ſi Eccleſia de nouo conſtruatur, aut dotetur à die completę conſtructionis, aut dotationis incipiet; an autem hoc tempus ſit vtile, vel continuum? Reſpondendum eſt cum diſtinctione, aut enim lis vertitur inter patronos ſuper ipſo patronatus Iure, & tempus tunc eſt continuum, & elapſo quadrimeſtre aut ſemeſtre Eccleſiam Epiſcopus ordinat *c. quoniam 3. in fine de iurepatr.* ſi verò lis vigeat inter pręſentatos ſuper idoneitate, & prærogatiua, vel inter patronos, & Epiſcopum tempus erit vtile, nec ſpatium litis durantis in damnum patroni computabitur, ità *Viuian.* qui addit, quod ſi præſentatio opportunè, & in tempore facta effectum ſortita non fuerit eſt facto Ordinarij, patronus ſubinde intrà aliud quadrimeſtre, aut ſemeſtre poterit pręſentare; quod ſi præſentatus nolit acceptare, à die ſcientiæ ipſius recuſationis patronus iterum inter quadrimeſtre, aut ſemeſtre Iure ſuæ præſentationis alium exhibendo vti poſsit *c. ſi electio de elect. in 6.* quem *tex.* de electione loquentem ampliant interpp. ad præſentationem, & idem demùm cenſendum, quo caſu præſentatio ſit nulla ex aliquo defectu à patrono ignorato, vel ſi bona fide præſentauerit illi, qui inſtituere non valet.

*Lib. 1. annal. verſ. fin.*

*De Iurepatr. lib. 1. c. 1. n. 104. & ſeqq.*

*Vbi ſup. n. 16. & num. 17.*

Hæc ſatis de primo patronatus fructu præſentatione ſcilicet, cui quia tanquam correlatiua reſpondet ſuperioris inſtitutio, de hac haud immeritò ſtatim adnectemus.

8 Multiplicem ſignificationem habet hæc vox *inſtitutio*, ſignificat enim generalitèr modum quemlibet, per quem ordinatur beneficium; ſed & in ſpecie collationem liberam, inueſtituram, immiſſionem in poſſeſsionem, & inſtitutionem auctorizabilem, ſed ad rem noſtram illam ſignificat, quæ ſuper præſentatione in beneficio Iuriſpatronatus adhibetur; Hæc iure communi, & regulariter ad ſolum Epiſcopum pertinet *c. ex frequentbius de inſtit. c. 1. eod. in 6.*

*Clem. plures de Iurepatr. & paſſim tot.tit.eod.* quæ quidem cum ex neceſſitate Iuſtitiæ fiat, ideò, & a Capitulo Sede vacante fieri poteſt *c.cum olim de maior.et obed. c.1.de inſtit.in 6.c.2. ne Sede Vac.c.1. eod. in 6.* poteſt etiam competere Prælatis inferioribus ſpeciali Iure puta priuilegio, præſcriptione immemorabili, aut conſuetudine legitimè præſcripta, *c.2.&3.de Inſtit.* vel etiam ex fundatoris diſpoſitione, quo nomine Capitulum Paduanum in beneficijs Iuriſpatronatus nobiliſſimę alicuius familiæ inſtitutionem habet. Et firmat poſt *Lambertin. Viuian.* Inſtitutio, vt rectè fiat, hæc requirit, vacationem ſcilicet beneficij, exiſtentiam Iuriſpatronatus habilitatem præſentati, & præſentationem ipſam in tempore factam.

*Lib.2.p.3.q.1 art.10. lib.12 c.3. n.8.*

Ad inſtitutionem faciendam nullum eſt tempus præfixum à Iure, ſicut ſtatutum eſt ad conferendum, & quamuis Ordinarius differat inſtitutionem, non tamen per hoc facta intelligitur deuolutio; quod ſi nimis differat poterit ſuperior ipſi terminum præfigere, vel præmiſſa trina interpellatione poterit ſtatim ad eundem ſuperiorem appellari, qui opportunè ſubindè poterit, aut illum compellere, aut ipſe, inſtituere; Inſtitutio debet fieri ad præſentationem patroni, aliàs eo ſpreto nulla eſt, *c.decernimus 16.q.1.c.cum dilectus c. illud cum ibi not. de Iurepat.* quæ nullitas, cum ſit inducta in fauorem patroni, hinc eſt, quod attenditur reclamante, & contradicente patrono *arg. tex. in l.filio præterito ff.de iniuſto, rupto, irrito fact. teſt.* Vndè ſtat quodammodo inſtitutio in pendenti, & interim habet implicitum, quemdam ſtatum ità, vt patrono reclamante infra tempus legitimus ſit nulla à principio, eo verò tacente à principio ſubſiſtat; *arg. tex.in c.quod ſicut* §. *quod ſi eos,& ibi Gloſſ.de elect.* quæ ſatis eſſe videntur ad Inſtitutionis theoriam.

9 Secundus patronatus fructus eſt honor proceſſionis, de quo iam ſatis dictum ſuprà; ſuccedit igitur tertius, & eſt alimentorum præſtatio, quo caſu ad inopiam vergat patronus; conſtituit hoc ipſum *Concilium Toletan.* 18. *c.*37. & habetur *in c. quicumque 16.q.7. Quicumque fidelium* (ait Canon) *deuotione propria de facultatibus ſuis Eccleſiæ aliquid contulerint, ſi fortè ipſi, aut filij eorum redacti fuerint ad inopiam, ab eadem Eccleſia ſuffragium vitæ pro temporis vſu percipiant.* Quod ipſum reaſſumens *Clem. III.in c.nobis de iure patron.*in ea verba confirmauit;*& ſi ad inopiam vergat ab Eccleſia illi modeſte ſuccurritur, ſicut in ſacris eſt canonibus inſtitutum.* Analogia liberti, & patroni hoc idem confirmat; libertus enim patronum ſuum egentem alere debuit antidotali quodam dictante inſtinctu, fuitque hoc præcipuę debitum libertorum erga patronos obſequium, in quo ſi deficerent tanquam ingrati redigi poterant in ſeruitutem *l.ſi quis à liberis* §. *ſolent iun.l.ſeq.ff. de lib. agnoſc.*nec minùs filio erga patrem, muneris hoc idem incumbit,quod & Eccleſiæ tanquam filiæ erga patrem, & patronam ſuam merito iniungitur. Subſidiarium eſt hoc onus Eccleſiæ ipſi, & patrono; neque enim alitèr tenetur patrono ſubuenire, quam ſi aliundè non habeat; Et ipſa eatenus, quatenùs neceſſarijs omnibus deductis pro Dei cultu,& ſui ſubſtentatione aliquid demùm ſibi ſuperſit; & quamuis pauperibus omnibus ſubuenire teneatur Eccleſia *c.quoniam 16.q.1.* ſingulare tamen inter ipſos hoc habet patronus, vt vberiùs, & commodius ipſi veniat ſuccurrendum;& quod pauperibus ex charitate debetur, patrono iure actionis per Canonica Iura venit

præ-

præſtandum: De fructibus tamen intelligendum eſt, quod veniant ipſi ſuppeditanda alimenta, qui ſi fortè non ſufficierent, immobilia alienanda per hoc non eſſent, ne Eccleſia indotata remaneat *arg.tex.in c.cum ſicut de conſec.Eccleſiæ vel alt.* idque adeò æquum exiſtimauit *Lambertin.* vt ampliandum cenſuerit, & vt ea debeant eſſe alimenta, quæ patrono vxori, filijs, & ſeruis proficiant, alias enim patrono iuxtà conditionem eius non eſſet conſultum, neque hoc graue nimis videri debet Eccleſiæ, quæ demùm de ijs, quæ exuberant vltra ſibi neceſſaria tenetur contribuere, & ideò vice verſa, & pari gratia animi vinculo tenetur patronus Eccleſiam ipſam defendere, qui, & hac de cauſa dicitur patronus *c. frigentius 16. q. 7.* & aduocatus *c. quia Clerici de iurepat.c.cum autem eod.* Communes ſunt fructus iſti cuicunque verè patrono, nam patroni varias denominationes ſubeunt, pròvt, & variè, Iuſpatronatus diuiditur; Quas diuiſiones quantum ſatis ad notitiam, percurremus.

*Lib.3.q.3 art. 3. n. 3.*

10 Diuiditur igitur primò Iuſpatronatus, vt aliud ſit Eccleſiaſticum, & aliud laicale, & aliud mixtum, quæ ſanè diuiſio oritur à materia, ex qua primùm inducta eſt erectio ipſius Eccleſiæ, & Iuriſpatronatus; Eccleſiaſticum enim eſt, quod Eccleſiæ competit ex erectione alterius Eccleſiæ, vel beneficij, quod de proprijs Eccleſiæ redditibus eſt erectum *c.dilectus de off.leg. c.cum dilectus de iurepatron.* Quo intuitu non vno modo Iuſpatronatus Eccleſiaſticum cenſebitur; Eccleſiaſticum enim, & ſecundò cenſebitur, quod Clericus poſſidet nomine ſuæ Eccleſię, vel vniuerſitas aliqua, ſiuè Collegium religioſorum, ſeù Clericorum, & qui præcipuè, licèt laici, religioſè viuant, & habitum religioſum deferant, gaudeantque priuilegio fori, & Canonis, hi Iuſpatronatus Eccleſiaſticum habere intelliguntur, vt notat *Viuian.* qui ampliat ad Iuſpatronatus, quod competet Magiſtris militarium ordine ratione magiſterij, aut præceptoriarum, & ad confraternitates licèt laicorum, quę tamen ſint affixæ alicui Eccleſiæ, ſecus ſi haſce conditiones non habeant. Veriùs tamen cenſuit oppoſitum *Lother. lib.2.q.10.n.58.* & praxi magis arridet. Tertio dicetur Iuſpatronatus Eccleſiaſticum, quod quamuis à laicis, & ex bonis laicis fuit erectum, eſt tamen donatione, teſtamento, aut alio quouis titulo in Eccleſiam, aut Eccleſiaſticum Collegium tranſlatum, aut in Eccleſiaſticam aliquam perſonam ratione Eccleſiæ, dignitatis, aut beneficij *c.vn. §.fin. de Iurepatr. in 6.* per huiuſmodi enim tranſitum immutatur natura Iuriſpatronatus, & nouum, adeòque diuerſum, ſortitur ſtatum.

*De Iurepatr. p.1.lib.1. c.3. n.4.*

Laicale verò dicitur, quod à laico, autentica Clerico ratione patrimonij ſui eſt erectum, *Gloſſ. ad Clem. plures verbo præſentare h.t.* vel quod Clericus obtinet ex ſucceſſione laicorum, ſicut, & quod competit confraternitati laicorum, qui nullo ſigno religioſi ſtatus diſtinguuntur, & beneficium fuit à laicis fundatum de bonis profanis; Nec minus dicetur laicale, quod licèt primitùs fuerit Eccleſiaſticum, fuit tamen titulo oneroſo permutationis cum Apoſtolica auctoritate in laicum tranſlatum, nam ſi Eccleſiaſticum ſit, vt ſupra diximus quod à laico in Eccleſiam migrat, & ex oppoſito laicale erit, quod ab Eccleſia in laicum tranſit; ſpectatur enim perſona, quæ præſentat, & poſſidet Ius ipſum præſentandi. Non attenditur ſi quidem origo vbi titulo oneroſo, & auctoritate legitima iuſpatronatus tranſijt, ſecus ſi titulo lucratiuo, quia tunc Iuſpatronatus primordialem

ſuam

ſuam naturam retineret; ſi enim per huiuſmodi tranſitum laicale fit Eccleſiaſticum, pari modo Eccleſiaſticum, debet fieri laicale, vt iuſtitia vigeat, quam Eccleſia maxime coluit.

Mixtum iuſpatronatus dicitur quod partim ad Eccleſiaſticum, & partim ad laicum pertinet. Et ſi forte conuenerit inter præſentantes, vt alterius vicibus præſentent, iuxta *Clem. plures de iurep.* In vice laici cenſebitur laicale, & in vice Eccleſiaſtici Eccleſiaſticum, & tunc vacans caderet ſub Apoſtolicam reſeruationem, ſicut non caderet ſi vacaret in vice laici. *Couarruuias* latè. Nec minùs luculenter *Lother.* qui addit, quod ſi laicus erigat iuſpatronatus, illudque transferat in Eccleſiam ea lege adiecta, vt nihilominus cenſeatur iure laicalis, laicale erit; legem enim hanc in traditione rei ſuæ potuit dicere, quæ non repugnat iuri, aut beneficij naturæ, & ſolummodo facta videtur deſtinatio perſonæ, quæ præſentare debeat, non immutata iuris natura. Quæ hactenus dicta circa præſentationem reſpectum duplicem nobis exhibent, ſecundum quem iuſpatronatus poſſumus denominare, vt ſcilicet aliud ſit actiuum, quod nempe reſpicit perſonam præſentantis, aliud paſſiuum, quod reſpicit perſonam præſentati.

*Practic. quæſt. c. 36. n. 5. verſ. & ided. De re beneſ. lib. 2. quæſt. 10. à n. 3. & ſ. 77. n. 4. & 5.*

11 Indeq; emergit altera maior iuſpatronatus diuiſio, vt ſcilicet aliud ſit gentilitiũ, ſeu familiare, aliud hæreditarium, & aliud mixtum; gentilitium, ſeu familiare illud eſt, quod ea lege fuit erectum à fundatore, vt ad gentem, & familiam ſuam pertineat, vel ad familiam alterius perſonæ à ſe dilectæ, quo caſu erit actiuum; quod ſi velit ſolummodo aliquem de familia poſſe præſentari erit paſſiuum, prout de familiari, ſeu gentilitio hoc iurepatronatus latè diſſeruit *Lambertin.* Hæc autem qualitas familiaris, ſiue gentilitij, poteſt imprimi non ſolùm in limine fundationis, ſed etiam poſt fundatum iuſpatronatus, dum tamen conſenſus Ordinarij interueniat, quamuis enim tranſlatio iuriſpatronatus non poſſit fieri in præiudicium illius, cui iam eſt iuſquæſitum, nec ea permittatur in præiudicium gentilium, ſi in eorum fauorem ſit iam erectum, vt docent *Couar.* & *Molina*; attamen quando patronatui hæreditario imprimitur hæc qualitas gentilitatis, non ſolùm ceſſat præiudicium, ſed etiam hoc maximè tendit in fauorem Eccleſiæ, cui ſpes naſcitur adipiſcendæ faciliùs libertatis, quo caſu gens, ſeu familia extinguatur: Vnde odioſum nimis eſſet hoc impedire; factaque huiuſmodi gentilitatis impreſſio, licèt ex poſt facto, retrotrahitur, perindeque cenſetur, ac ſi in limine fundationis eſſet impreſſa, quæ durat ad durationem familiæ, nec tranſmittitur in alios, niſi fundator ipſe id faciat, & voluntate ſua tranſmittat. Extincta autem familia tranſit ad hæredes, & de familiari fit hæreditarium, non enim cum familia extinguitur ius patronatus, niſi aliter à fundatore fuerit diſpoſitum, qui in erectione iuriſpatronatus taxatiuè ipſius familiæ meminerit, vel adiecta alia nota reſtrictiua, qua intentionem ſuam non extendi vltra familiam ſignificet, non tranſibit enim tunc virtute legis ſingularis in erectione ab ipſo ſancitæ, cui ſtandum omninò eſſet.

*De iurepatr. lib. 1. p. 2. q. 2. art. 8. n. 2. & 3.*

*Var. reſol. lib. 2. c. 18. n. 10. De Hiſpan. primog. lib. 2. c. 14. n. 31.*

Hæreditarium verò iuſpatronatus dicitur illud, quod fundator in erectione hæredibus reſeruauerit, ſiue expreſsè hoc dixerit, ſiue tacitè, hoc eſt nulla hæredum facta mentione, cum enim attento communi iure, iuſpatronatus ſit tranſitorium ad hæredes *Clem. plures b. t.* quantumuis extraneos, vt tradit & *Couar. ex c. conſiderandum 16. q. 7.* præſumitur fundator non ſolùm ſibi, ſed & hæredibus ſuis conſulere in hoc vo-

*Var. reſol. lib. 2. c. 18. n. 6. in fin.*

voluiſſe, vnde & in dubio hæreditarium potius, quam gentilitium erit cenſendum *c. 1. & c. cum ſæculum h.t.* immo ſi ad fauorem alterius illud in fundatione reſeruauerit, hæredibus etiam eius, cui fuerit reſeruatum, quæſitum intelligetur, adeò vt non redeat ad hæredes ipſius fundatoris iuſpatronatus, ſed tranſeat in hæredes illius, cui fuerit addictum, de quibus magis cogitaſſe, quam de proprijs euidenter indicauit; niſi forte Eccleſiam fundatam, atque dotatam faceret hæredem, aut quouis alio modo in eam iuſpatronatus migraret, tunc enim confuſione conſolidaretur, & extingueretur iuſpatronatus, ne eadem Eccleſia ſibi ipſi, & Patrona, & ſubiecta eſſet, quod implicat; extra verò hunc caſum tranſit adeò in hæredes iuſpatronatus, vt ſi quis patronus ſe totum, & ſua Monaſterio addicat cum vniuerſis bonis tranſibit in Monaſterium iuſpatronatus, & Monaſterium omnia iurapatroni tunc exercebit; vt autem quis hæreditarium hoc iuſpatronatus acquirat qualitatem hæredis probare debet, & ſe ſucceſſorem in vniuerſum; vnde non ſatis erit, quem eſſe filium, niſi & ſe probet hæredem, immo etſi ſit inſtitutus in re certa dato cohęrede vniuerſali in filium, aut alium quemcumque non tranſibit iuſpatronatus, vt intulit *Couar.* poſt *Lambertinum*, & alios. *Vbi ſup. n. 7.*

12 Ardua autem eſt quæſtio inter ſcribentes, an ſcilicet iuſpatronatus reſtituta hæreditate tranſeat in fideicommiſſarium? Et tota difficultas oriri videtur ex *l. quia perinde 42. §. Reſtituta ff. ad S. C. Trebellian. Reſtituta hæreditate* (ait ibi *Paul.*) *Iura ſepulchrorum apud hęredem remanent*. Ergo remanebit & iuſpatronatus, aucta vi illationis à *tex. in l. ſi operarum 29. ff. de opere libertor.* Si enim intentatum ſit operarum iudicium cum liberto, & interim decedat patronus, non tranſit actio in hæredes extraneos, ſed filio datur licèt hæres non exiſtat, dum tamen expreſsè non ſit exhæredatus; vnde directè ad iuſpatronatus inferre licet. At è conuerſo vrget; quia omnia ſunt tranſmiſſibilia per fideicommiſſum, quę tranſire poſſunt per hæreditatem directo; quale ſanè iuſpatronatus ex iam dictis; immo titulo vniuerſali tranſit iuſpatronatus inter viuos; quid igitur vetat ſi tranſeat, & per vltimam voluntatem? Fideicommiſſum autem vuiuerſale, vniuerſalem dare titulum extra omne dubium eſt *l. cogi in princ. ff. ad Trebell.* quæ ſunt rationes *Romani ad l. Titius n. 5. ff. ad Trebell.* quibus niſus eſt reſpondere *Berous*, nam ad primam negat ipſam eſſe vniuerſaliter veram, ſed obtinere ſolummodo in ijs, quæ reſpiciunt commodum pecuniarium, ſiue (vt ipſe loquitur) burſale; hæc ſiquidem omnia tranſeunt in fideicommiſſarium per *tex. in l. ſi patroni in princ. ff. ad S.C.Trebell.* Cuiuſmodi dici non poteſt iuſpatronatus, quod non in pecuniaria vtilitate, ſed potius in honore conſiſtit. Et ideò non tranſeunt in fideicommiſſarium iura directa, quæ remanent penès hæredem, vt ſunt ius ſepulchri, & iuſpatronatus, ſed iura tantum vtilia. Ad ſecundam verò reſpondet non omnia, quæ ſunt tranſitoria in hæredem extraneum eſſe etiam tranſmiſſibilia in fideicommiſſarium, ſed illa tantùm, quæ tranſeunt non vt ad hæredem, ſed quia hæres eſt; differunt enim hæc duo maximè, nam tranſire ad hæredem, vt hæredem, dicit rationem formalem, & præciſam hæredis, at tranſire in hæredem, quia hæredem, non hanc dicit, ſed tantùm hæredem materialem. Conflictus ſanè ingens eſt, & vrgent hinc inde Authores, & motiua, communiſque ſtat pro negatiua. *Ad Rub. de iurepatron. n. 13. & ſeqq.*

Attamen ea, quæ conſiderat *Ludou. Mo-*

*Molina* ſtringentia adeò ſunt, vt oppoſita, licèt minùs communis, nobis magis arrideat; ius enim patronatus cum vniuerſitate bonorum adeò pertranſit, vt etiam ſi is, cui bonorum vniuerſitas ceditur hæres non ſit, nihilominus migret *c. ex literis c. cum ſæculum h. t.* vnde multò magis tranſibit in fideicommiſſarium, qui licèt non ſit formaliter hæres, at certè ſtat loco hæredis, non quidem tanquam quid hæreditarium, ſed tanquam id, quod cum hæreditate, & vniuerſitate tranſire debeat. Et cum totum oppoſitæ opinionis momentum poſitum ſit in deciſione tex. in *l. quia perinde verſ. reſtituta ff. ad Trebell.* qua negatur tranſire in fideicommiſſarium ius ſepulchrorum, differentias quam plures aſſignat *Molina* inter ius ſepulchrorum, & iuſpatronatus, quę euidenter illationem ab vno iure, ad aliud impediant; primò enim ius ſepulchrorum propriè, & preſsè ſumptum non poteſt ad alium tranſire, quam ad hæredem ſuum, vel etiam extraneum, quamuis ius inferendi mortuum in ſepulchrum legari poſſit, *tex. in l. ius ſepulchri* 13. *c. de relig. & ſump. fun. Non etiam ad alium quemquam, qui non eſt hæres pertinere poteſt*, ait ibi *tex. l. ius familiarium c. eod. l. familiaria Iunc. l. ſeq. ff. eod.* quæ ſanè eſt præciſa ratio, propter quam non tranſit ius ſepulchrorum in fideicommiſſarium, qui vtcumque habeātur loco hæredis, verè tamen hæres non eſt. At iuſpatronatus Eccleſiaſticum poteſt titulo etiam ſingulari fideicommitti, legari, cedit, transferri, atque donari Eccleſiæ, vel alij pio loco abſque conſenſu Epiſcopi, vel etiam laico conſenſu eiuſdem Epiſcopi interueniente *c. quod autem c. illud de iurepatr.* ſecundò ius ſepulchrorum permutari non poteſt *l. ſiquis ſepulchrum* §. *Senatuſconſulto ff. de relig. & ſumpt. fun. pollui enim permutationibus*, ait ibi I. C. at iuſpatronatus Eccleſiaſticum permutari poteſt etiam ſine Epiſcopi licentia *c. nemini regum* 16. *q.* 7. per quem *tex.* id aſſeruit *Gloſſ. ad c. cum ſæculum h. t.* maximè ſi permutetur cum alia Eccleſia; quod ſi permutetur cum laico, vtique neceſſaria erit Epiſcopi auctoritas. Tertiò ius ſepulchrorum non tranſit in fiſcum confiſcata, vniuerſa hæreditate *l. ſi quis fuerit ff. de relig. & ſump. fun.* ius verò patronatus vtique; maximè ſi à Iudice Eccleſiaſtico facta fuerit confiſcatio. Quod ſi à laico, quamuis res inter auctores ſit dubia, attamen verius videtur adhuc tranſire, dum confiſcatio nullam patronatus habeat mentionem, ſed tantùm circa vniuerſitatem ipſam verſetur. Cum qua conſequenter tranſibit patronatus ipſe, ſiue confiſcetur caſtrum, ſeu villa, ſiue hæreditas in vniuerſum, quo caſu exercitium ipſius iuris non migrabit in hæredes delinquentis, nec in fiſcum, ſed Eccleſia remanebit libera ſub Epiſcopi poteſtate, quamuis non appareat, quid tunc eſſet iuſpatronatus, cuius nullus eſſet vſus, vnde videretur extinctum potius, quam tranſlatum. Quartò ius ſepulchrorum non poteſt vni ex hæredibus ex diuiſione applicari *l. ſi ſepulchrum c. de relig. & ſump. fun.* Ius verò patronatus poteſt vni ex hæredibus, aut compatronis ex diuiſione addici ſaltem cum licentia Epiſcopi *Gloſſ. ad Clem.* 2. *verbo liberè de iurepatron.* Demùm ius ſepulchrorum non tranſit cum vniuerſitate vendita, aut donata, niſi ſit acceſſorium ad rem ipſam venditam, aut donatam & non remaneat aditus ad ſepulchrum, niſi per rem ipſam venditam, aut donatam *l. hanc legem iunc l. in modicis ff. de contrab. emp. l. ſi mercedem* §. *ſi eum fundum ff. de act. emp.* ius autem patronatus cum vniuerſitate vendita, aut donata indiſtinctè tranſit; *c. ex literis c. cum*

*De Hiſpan. primog. lib.* 1. *c.* 23. *n.* 11.

*c. cum ſæculum de iure patr.* quamuis enim iure hæreditario non capiatur, tranſit nihilominus cum vniuerſitate illa, quæ iure hæreditario capitur, tanquam ipſi connexum, & accedens, quibus ſtantibus differentijs corruit fundamentum ex *l. quia perinde verſ. restituta ff. ad S. C. Trebell.* eaque non amplius obſtante huic affirmanti ſententiæ ſubſcribendum cenſemus; licet contra communem. Nec tamen omittere lubet conſiderationem ſatis appoſitam *Claud. Chiflet.* qui conſtanter aſſeruit iura ſepulchrorum manere apud fiduciarium, & grauatum hæredem *d. l. quia perinde ver. reſtituta ff. ad Trebell.* & tranſire etiam, & communicari fideicommiſſario, ſiue hæreditarium ſit ſepulchrum, ſiue familiare *l. vel quæ 6. in pr. ff. de relig.* ait enim ibi I. C. de hæreditario, & familiari ſepulchro loquens. *Sed in vtroque hæredibus quidem, cæteriſque ſucceſſoribus (qualeſcumque fuerint) licèt ſepelire, et mortuum inferre.* Neque enim ſatisfacit reſponſio *Donelli*, qui ſcripſit communicationem huiuſmodi non fieri hæredibus diuerſi generis, cuiuſmodi ſunt hæres, & fideicommiſſarius, nam certo certius eſt, quod ius ſepulchri communicatur etiam illi, cui ſingulariter bona ſunt addicta, ſiue cui facta eſt bonorum addictio, vt inquit *Vlpian. in l. 4. §. fin. ff. de fideicommiſſ. libert. Is, cui bona addicta ſunt* (inquit *Vlp.*) *bonorum poſſeſſori aſſimilari debet, & ſecundum hoc, & iura ſepulchrorum habere debet*, neque enim ambigimus, quin, ſi duo ad eandem ſucceſſionem concurrant alter ciuili, alter prætorio iure, ſint iſti diuerſi generis, & tamen ſit inter ipſos iuris ſepulchrorum communicatio, neque naturæ iuris ſepulchrorum repugnat pluribus communicari, cum & hæredibus, & exhæredatis, niſi iuſto parentis odio fuerint excluſi, æque competat *d. l. vel quæ in pr. ff. de relig.* Indeque intulit idem *Chiflet.* & iuſpatronatus tranſire, & communicari fideicommiſſario, cum vtrobique eadem ratio vigeat, tuncque non obſtat *tex.* in *d. l. quia perinde verſ. reſtituta*, quia facta reſtitutione remanent quidem iura ſepulchrorum apud hæredem, ſed ita vt & fideicommiſſario communicetur, quod certè non negauit ibi S. C. Hæc aliquanto latius viſa ſunt conſideranda circa tranſitum iuriſpatronatus in fideicommiſſarium. Vide *Peregrin. de fideicom. art. 6. n. 37. Fachin. controu. iur. lib. 10. c. 94. & lib. 13. c. 64.* hiſque pertractatis ad probationem ipſius iuriſpatronatus tranſibimus, quæ pars in praxi non modicam inuoluit difficultatem.

*Lib. 4. de iur. fideic c. 6. pag. 1066.*

*Com. iur. ciu. lib. 7. c. 25.*

13 Concilium enim Tridentinum ſapientiſſimè expendens, quod ſicut Eccleſiæ intereſt excitari fideles ad erigendas, fundandas, atque dotandas Eccleſias, quo intuitu ipſis iuſpatronatus indulſit, ità haud minùs interſit Eccleſias quæſito, aut mentito etiam colore non ſubijci, & ſua libertate priuari probationem etiam ipſius iuriſpatronatus decreto ſuo definiuit, eamque exactam præſtari voluit, ne aditus ſubijciendis Eccleſijs facilis, referetur. Plures ergo ſunt conſtituti modi ad iuſpatronatus probandum, quos pro inſtituto breuiter percurremus, ſectantes tradita per Concilium ipſum.

*Seſ. 24. de ref. c. 9.*

Primus igitur, & qui dici poſſit fundamentalis modus, eſt ex authentico documento, ſiue inſtrumento fundationis, vel dotationis, non priuilegij, aut alterius extrinſecæ qualitatis, quæ quidem probatio ſi non adſit, tunc ad ſubſidiariam, & præſumptam accedendum eſt; quæ conſurgit (& eſt ſecundus modus) ex multiplicatis præſentationibus per antiquiſſimum temporis lapſum, qui hominum memoriam excedat,

cedat, etiam ſi in ipſis pręſentationibus nulla ſit vnquam facta mentio dotationis, aut fundationis, & hæc immemorabilis poſſeſſio centum etiam annorum ſpatio conſiſtet, tanto enim lapſu inducitur efficax præſumptio congrui tituli: hicq; probationis modus etiam in priuatis perſonis locum habet. Si probatio ſit facienda per teſtes, tunc ſatis erit ſi teſtis deponat de annis quadraginta, pro reliquo autem tempore de fama, & auditu. Si autem probatio fuerit facienda per inſtrumenta centenaria requiritur. Quod verò attinet ad multiplicatas præſentationes probabunt ipſæ, quamuis non ſint ſucceſſiuæ, ſed interpolatæ, præcipuè ſi conſtet, eas effectum fuiſſe ſortitas, ſufficienter dicentur multiplicatæ, ſi ſaltem fuerint duæ, vel etiam vnica ſi præſentatus per ipſam, ſpatio quadraginta annorum poſſederit, nec alius euenerit caſus nouę pręſentationis, vt ***not. ad c. cum de beneficio de præb. in 6.*** Eatenus autem pręſentationes huiuſmodi intentum probabunt quatenus de inualiditate principij non appareat, cum enim hęc probatio ſit pręſumptiua, ceſſat omnino vbi de origine conſtat. Tertiò probatur iuſpatronatus per pręſentationes, quę per quadraginta annos effectum fuerint ſortitę, quando eas concomitatur publica vox, & fama, vel aliæ præſumptiones, quæ vim famę ſuppleant dum pariter de initio non conſtet, ac de ſtatu primordialis libertatis. Quartò probari poteſt iuſpatronatus per enunciatiuas centum annos, & memoriam hominum excedentes, enunciatiuæ enim huiuſmodi prouenientes ab Ordinarijs probant, quia præſumuntur Ordinarij compertum habere ſtatum beneficiorum ſibi ſubditorum, nec enunciaturos ea patronata ſi ſciuiſſent, aut credidiſſent eſſe libera. Nec minorem, & quintò ad huiuſmodi probationem vim habebunt arma, ſeu inſignia alicuius familiæ inſculpata, aut picta, & affixa Eccleſiæ, dum tamen appareant Eccleſiæ coæua; non autem poſteriora, vel affixa ex alia cauſa, quàm fundationis, aut conſtructionis; quamuis etiam ſi fuerint poſteriora ſuffragentur ad probationem iuriſpatronatus, quia pręſumuntur appoſita à patronis ad conſeruationem proprij iuris. Ad idem inſeruient inſcriptiones antiquæ infixæ parietibus Eccleſiæ, in quibus mentio familiæ habeatur. Demùm probabit iuſpatronatus antiqua ſententia Epiſcopi, qua definiuerit beneficium ad præſentationem alicuius patroni pertinere, & antiqua cenſebitur, ſi quinquaginta ab hinc annis lata fuerit; ſicut & ad idem proficient literæ inſtitutionales Epiſcopi, quibus teſtatur factam à ſe inſtitutionem in tali beneficiario ad præſentationem patroni. Et hæc probatio concludens, & euidens per congrua hæc media requiritur, quando principaliter, & directè agitur de exiſtentia iuriſpatronatus contra libertatem Eccleſiæ, nam ſi ageretur indirectè & ad iuſtificationem alicuius gratiæ, ſiue clauſulam iuriſpatronatus ſufficeret ſemiplena, nec adeò neceſſaria, & concludens probatio.

14 Quod ſi forte ageretur de iurepatronatus publicæ, & potentis perſonæ, vel alicuius communitatis, in quas cadere poteſt ſuſpicio, ſeu præſumptio vſurpationis, tunc exactior, & concludentior exigeretur probatio veri tituli, nec probatio immemorabilis temporis ſat eſſet, niſi pręſentationes etiam continuatę per quinquaginta annorum ſpatium, quę omnes effectum eſſent ſortitæ, ex authenticis documentis exhiberentur; ſic enim excubans pro beneficiorum, & Eccleſiarum libertate expreſsè conſtituit Concilium reſtringens probationem ipſam ad authenticas *d. c. 9.*

cas

cas ſcripturas,& authenticum probandi modum ita, vt probatio per teſtes cenſeatur omninò excluſa. Potentes ad hunc effectum intelliguntur, qui dominium cum iuriſdictione in loco beneficij habent, qua iuriſdictione ſecluſa priuatæ perſonæ intelligentur, nec per conſequens obligatæ ad rigoroſam Concilij probationem, de quibus ſingulis ſeriem exactam habeas apud *Auguſtin.Barboſ* penes quem, & *Viuian.* alioſque de materia tractantes videri poſſunt, quæ de probatione iuriſpatronatus tradidimus; omnia enim fermè ex praxi ſunt petita,& ex deciſis in Romano Auditorio; ad quæ iuxta inſtitutum noſtrum tradendæ ſolius theoriæ remittimus.

*Sicut, & de communitatibus, ſiue vniuerſitatibus, quæ decreto eiuſdem Concilij continuatur Iur.Eccl. Viuia.lib 3.c.12.à n.134.& ſeq.*

15 Iàm nunc exigit ordo, vt de modis per quos Iuſpatronatus extinguatur breuitèr diſſeramus; & quomodò patronus ipſum amittat, quod quidem duplicitèr contingere poteſt, aut enim ſine culpa, aut cum culpa ipſo priuatur, & de vtroque modo partitè agemus.

Pimò igitur extinguntur iuſpatronatus, & patronus abſque delicto, illud conſequentèr amittit; ſi corruat, & deſtruatur Eccleſia, vel beneficium ipſum extinguatur peremptis redditibus, & ibi, vel alibi ab alio reædificetur; niſi fortè ex materia dirutæ, & collapſæ Eccleſiæ iterum ea conſtruatur, quià tunc, & primus patronus, & ſecundus reædificans iuſpatronatus habebunt idem dicendum, & dote conſumpta, quia redotans ratione dotationis patronatum acquiret; Tenetur patronus dirutam in totum Eccleſiam reſtaurare, ſi patronatum in ea velit de nouo acquirere, quod ſi plures ſint patroni, & vnus ad reædificationem Eccleſiæ renuat concurrere, nec nouum patronatum acquiret, nec antiquum recuperabit, ſed compatronis accreſcet; quod ſi reædificare velit patronus, extraneus aliquis non admittitur poſt alios *Viuian.*

*De Iurepatr. p.3.lib.15.c.1 n.1.*

Secundò amittitur Iuſpatronatus, quando cauſa, proptèr quam quis erat patronus extincta eſt, qui tamen modus coincidit cum præcedenti, vnde perempta dotatione, fundatione, aut conſtructione extinguetur, & amittetur iuſpatronatus.

Tertiò extinguitur Iuſpatronatus ſi Papa illud ſupprimat, & debeat; In dubio non præſumitur id facere velle, ſed ſi faciat abolitum erit iuſpatronatus propter ſummam Pontificis ſummi poteſtatem; Ius enim patronatus totum ex gratia eſt Eccleſiæ *c.3. de Iurepatronatus*; & ipſum perimendo redit Eccleſia ad ſtatum primæuum, in quo erant omnes Eccleſiæ, antequam iuſpatronatus induceretur, vt vidimus in principio.

Quartò extingueretur Iuſpatronatus ſi Eccleſiæ patronata acquirat libertatem ſuam per non vſum præſentationis, quia ſcilicet patroni, vel patronus non præſentauerit *arg.tex. in c.de quarta de preſcrip.* dum tamen occaſio præſentandi interim ſe ſe obtulerit, nam poteſt præſentatus tanto tempore viuere, vt per ſpatium quadraginta, & quinquaginta annorum, occaſio præſentandi ſe non obtulerit, non enim per hoc quæſita Eeeleſiæ libertas poterit intelligi. Ad hanc autem præſcriptionem tantum temporis ſat erit, quantum ſufficiat ad præſcribendum contra laicum, & idem cenſendum erit, ſi laicus per legitimum ſpatium præſcripſerit contra laicum.

Quintò amittitur Iuſpatronatus facto non culpabili patroni, ſi illud cedat, donet, vel alteri renunciet cum conſenſu, & decreto Epiſcopi, *c. vn. de Iurepatron.in 6.* Quod ſi ceſſerit ipſimet Eeeleſiæ etiam ſine conſenſu Epiſcopi idem cenſendum erit, conſolida-

tur enim, ne Eccleſia ſibimet ipſi ſeruiat; quod ſi ceſſerit alteri Eccleſiæ etiam ſine decreto Epiſcopo pariter amittetur *d. c. vn.*

Sextò extinguetur iuſpatronatus ſi Patronus patiatur Eccleſiam fieri de non Collegiata Collegiatam ſine vlla reſeruatione ſui Iuris; tunc enim ius non habebit præſentandi principalem Rectorem dictæ Eccleſiæ. *Gloſ. ad c. nobis verbo Capella de Iurepatr.*

Nec abſimiliter, & ſeptimo, ſi conſentiat Eccleſiam, & beneficium patronatum vniri alteri Eccleſiæ ſine expreſſa reſeruatione ſui iuris; Octauo ceſſat iuſpatronatus extincta linea, cui ius præſentandi fuerat addictũ; Quamuis enim iuſpatronatus tranſeat ad hęredes, etiam ſi eorum nulla ſit facta mentio, vt traditur ad *c. 1. de iurepatr.* Attamen vbi Teſtator, vel Fundator in fundatione qualitatem aliquam adiecit, qua indicet iuſpræſentandi reſtringi, præcipuè ſi adiecerit dictionem aliquam taxatiuam iuſpatronatus vlterius non extenditur, ſed ibi terminatur; idemque cenſendum, quo caſu teſtator deceſſerit ſine hærede, tunc enim Eccleſia efficietur libera, & euaneſcet iuſpatronatus, hactenùs de modis, & cauſis, per quas finitur iuſpatronatus ſine crimine; Addamus, & modos, per quos finitur crimine, & delicto patroni; & hi quidem ſunt potiores; primus ſi patronus vendat iuſpatronatus per ſe, quod vendi non poteſt *c. de iure h. t.* tunc enim, & ipſe iuſpatronatus amittet, & emptor pretium, quod cedit Eccleſiæ, & ipſa libertatem acquirit *c. quia Clerici de iurepat.*

Non addimus, quod amittat, quo caſu præſentet indignum, quia tunc non amittit iuſpatronatus propriæ, ſed priuatur iure præſentandi pro ea vice. Secundus cum labitur ipſe patronus in hęreſim, ſpoliatur enim tunc iurepatronatus *c. cum ſecundum de hęret. in 6.* omnia ſi quidem eius bona tunc ipſo facto ſunt Eccleſiæ applicata, nec ea recuperat etiam ſi reſipiſcat, & reuertatur ad fidem. Nec minùs priuabitur, quo caſu reus fiat maieſtatis humanæ, vbi enim patronus delictum committit, propter quod veniat priuandus omnibus bonis à iure, vel ab homine, amittit etiam iuſpatronatus. Inter præcipuas priuationis cauſas, & illa recenſetur, cum patronus per ſe, vel per alium Eccleſię patronatæ Rectorem interfecerit, vel mutilauerit *c. in quibuſdam §. ſacri de pœnis*: prorogata pęna, & in deſcendentes vſque ad quartam generationem, quibus vetitum eſt ingredi, & recipi in Clericorum Collegium, aut in regularibus familijs prælationem conſequi, donec cum eis fuerit diſpenſatum *d. §. ſacri*. Idemque, & multò magis dicendum ſi patronus occidat, capiat, ſeu banniat Epiſcopum *c. ad aures; & Clem. 1. de pœnis*. Eandem priuationis pęnam comminatur *Concil. Trid.* quo caſu patronus ſe ingerat in perceptione fructuum beneficij patronati, aut bona eius vſurpet. Et demum eandem operatur ſententia legitimi Iudicis ritè, & rectè lata, quo caſu inter duos de iurepatronatus ſit cõtentio, vni enim ad iudicatio iurepatronatus alter eo priuatur. His ad coronidem adnectendum eſt aliquid de confiſcatione tanquam de caſu ſatis implexo. Itaque facta generali publicatione omnium bonorum, & iurium à Iudice laico, tunc cum omnibus bonis tranſit in fiſcum etiam iuſpatronatus, ſi enim tranſit cum omnibus bonis in hæredem hac ipſa ratione tranſire debet etiam in fiſcum, præcipuè ſi ipſius iuriſpatronatus nulla facta eſſet mentio, facta ſi quidem eius mentione non ſubſiſteret ſententia, vt notat *Viuian.* manebitque penès fiſcum pro eo tempore, quo patronus,

*Seſſ. 22. c. 11. de reform.*

*Lib. 5. c. 1. n. 21.*

tronus, cuius publicata ſunt bona, illud eſſet habiturus ad *l.lex vectigali ff. de pign.* & ad *l. peto §.prędium ff.de leg. 2.* prout omnia ſupradicta firmauit, & *Peregrin.*eoque vita functo redibit iuſpatronatus ad vocatos, ne alias fiat, vt Eccleſia omni ſpe libertatis acquirendæ priuetur; & ſi nulli extarent vocati, Eccleſia efficeretur libera, quamuis in publicatione facta à laico ſint hinc inde opiniones; quod ſi iuſpatronatus eſſet gentilitium, tunc durat iuſpatronatus ſi ſuperſit aliquis degente, & filij non cenſentur tunc habere patronatum à Patre, qui deliquit, ſed à gente, ſeu à maioribus, vndè nihil contra ipſos in hac parte operatur confiſcatio; Idem dicendum, quo caſu à laico fieret confiſcatio alicuius Caſtri, cui eſſet adnexum iuſpatronatus, nam proptèr adnexionem cum Caſtro certè migraret iuſpatronatus in fiſcum; hęc pro inſtituto, de iurepatronatus, multa ſunt dicta ex auctorum, & praxis ſententia quæ eorundem allegationibus viſa non ſunt confirmanda, ne quolibet greſſu ſuſpenderetur à materia ſtylus cum legentium moleſtia. Notiſſimi ſunt authores, qui de Iurepatronatus tractarunt *Lambertin. Roch. de curte Paul. de Cittadin. Viuian. Lotther. Barboſa*, apud quos, quæ neceſſaria pro praxi contingerent facilè poſſunt haberi, & ad eos pro caſibus ſingularibus in qualibet parte materiæ lectorem remittimus.

*De Iure fiſci lib. 5. c. 1. n. 72.*

*De re beneſ. lib. 2. queſt. 3. ad. 14. Iur Eccl Vniu lib. 3. c. 12 & de off. & poteſ. Ep. Alleg. 72.*

## CAP. VII.

## De Iure Deuolutio.

1 *Deuolutionis, & iuris deuoluti origo, & fundamentum in Iure.*
2 *Eiuſdem Inducenda ratio multiplex.*
3 *Deuolutionis Definitio.*
4 *Quæ extrema ad deuolutionem attendenda.*
5 *Quinam eius effectus.*

1 QVIA poſt elapſum fatale tempus patronis à Iure præſcriptum ad præſentandum, ſi ipſi inpręſentatione deficiant, ad ſuperiorem fit deuolutio, ideò opportunè de deuolutione ipſa, & deuoluto iure ſe ſe exhibet diſquiſitio, quam tractatui ad iurepatronatus haud immeritò ſubijcimus. Nequè ſolum in beneficijs patronatis hoc ius obtinet, ſed in alijs quibuſcumque, quorum collatio ijs competat, qui ſuperiorem agnoſcant, ideoque vtilitèr pro omnibus beneficijs materiam percurremus; Deuolutionem circa beneficia inſtituit, ac decreuit Concilium Lateranenſe III. celebratum ſub Alexandro III. Summo Pontifice Anno 1180. eius Conſtitutio tranſlata habetur inter Decretales Greg. IX. in *c. 2. de conceſſ. præb. in 2. parte eiuſdem tex.* Statuit enim, de diu Eccleſiæ ſint ſine Rectore & miniſtris, vt beneficia Eccleſiaſtica, quamprimum Clericis idoneis conferantur, & ſaltem intra ſex menſes; & ſi forte Capitulum, ad quod pertineat collatio, intra illud tempus non conferat, à Capitulo ipſo ad Epiſcopum poteſtas conferendi deuoluatur, & viceuerſa intra idem ſpatium ceſſante Epiſcopo, eadem ipſi competens poteſtas deuoluatur ad Capitulum, & vtroque in hoc conferendi munere deficiente, ad Metropolitanum; ſiue Archiepiſcopum, & rurſus ceſſante Metropolitano ad Summum Pontificem *c. 6. de conceſſ. præb.* quod ſi collatio ad Capitulum ſimul, & Epiſcopum pertineat, & ceſſet vterque intra ſex menſium ſpatium conferre, ad Metropolitanum, & ad Summum Pontificem

cem fiat deuolutio, non igitur ad ſolum Epiſcopum tunc pertinebit collatio, quia ſimul cum Capitulo præſcriptione temporis ſex menſium reperitur excluſus; niſi forte Epiſcopus, non tanquam Epiſcopus ſed tanquam Canonicus ius habeat conſerendi vacantia beneficiaria cum Capitulo, nam hoc caſu ius conferendi ad eum deuoluetur tanquam Epiſcopum & niſi dolo id fecerit, vt ſcilicet re infecta tempus expiret, quia, ne dolus ipſi patrocinetur, tunc ad ipſum non fiet deuolutio, quæ eſt deciſio *tex. in c. pen. de conceſſ. præb.* quæ ſane conſtitutio Lateranenſis Concilij initio ad minora tantùm beneficia, & minoris emolumenti pertinuit, non ad Epiſcopatus, nam ſi Capitulum intrà ſex menſes Epiſcopum non elegiſſet, electio non deuoluebatur ad Metropolitanum. *c. dilectus 12. de conceſſ. præb.* poſtea verò ex alio Concilio Lateranenſi celebrato ſub Innnoc. III. electio Epiſcopi, vel Abbatis ceſſante Capitulo deuoluitur ad Metropolitanum, vel Summum Pontificem *c. ne pro defectu 41. de elect.* ſpatio tamen fatali reſtricto ad tres menſes, ne maiores Eccleſiæ cum maiori diſcrimine diutiùs ſint ſine paſtore.

2 Nec ſine ratione Concilium Lateranenſe ſub Alexandro III. hanc deuolutionem in diſpoſitione beneficiorum conſtituit; eiuſque conſtitutionis cauſam triplicem agnouit, & aſſignauit *Cuiac.* primam, vt plectatur in curia, atque deſidia collatorum; Secundam, vt eorum cupiditati occurratur, ne fortè vacantia beneficia, quæ alijs conferre debent, ſibi habeant, ac in rem ſuam conuertant; Tertiam ne diutius Eccleſiæ ſint ſine paſtore; vel Miniſtro, aut miniſtris proprijs. Sicque propter vtilitatem publicam, ne Eccleſiæ maneant in ſuſpenſo, vt innuit Concilium in *d. c. 2. de conceſſ. præb.*

*Ad c. de multa de præb.*

quod quidem exemplum profani iuris ſecutum eſt, illlud enim non vnum, ſed multiplex deuolutiones ſpecimen exhibet, nam ſi quis viui ignorantis bona, vel partem bonorum alicuius Cognati donauerit, quaſi indigno auffertur, & ad alium defertur hæreditas *l. 2. in fine ff. de his, quæ vt indign. l. quidam §. fin. Iunc. l. ſeq. ff. de donat.* ſi falſum quis accuſet teſtamentum, nec obtineat, priuatur poteſtate petendi in ea teſtamento ſibi relictum *l. poſt legatum ff. de his, quæ vt ab Indig. l. Papinianus §. meminis ſe ff. de Iunoſ. text.*

3 Si demùm hæres monitus ſoluere legata in teſtamento relicta contempſerit, anno elapſo ſucceſſionis petendæ ius deuoluitur ad ſubſtitutos, & alios ordine ſuo; *Auth. hoc amplius c. de fideic. §. ſi quis autem non implens Auth. de hæred. & falcid. col. 1.* vt mittamus innumera fermè huiuſmodi ad quorum exemplar, & à Lateranenſi Concilio, & Pontificum conſtitutionibus in pluribus caſibus inducta eſt deuolutio Eccleſiaſtica, quam ideò appoſitè poſſumus definire; quod ſit *translatio poteſtatis, quæ datur in beneficia ab vna in alteram perſonam ex facto, vel negligentia poteſtatem habentis*; non omnis translatio poteſtatis deuolutio eſt, ſed omnis deuolutio vtique translatio, vel breuiùs cum *Lother.* Deuolutio eſt *proceſſus rei, vel tranſitus de perſona in perſonam ex l. 1. c. de bon. mat. ex l. Lucius Titius ff. de iure fiſci & ex l. ſi infanti c. de iure delib.* ſed præcipuè *ex tex. in c. poſtulaſti 15. de conceſſ. præb. n. 4.* qui ſubtilitèr aduertit ſubiectum deuolutionis non eſſe beneficium, ſed ius liberæ collationis, & ideò, (rigoroſè, & preſsè loquendo) in beneficijs iuriſpatronatus, vel elettiuis non cadit propriè deuolutio, niſi extincta facultate præſentandi, aut eligendi, & indè creato nouo Iure conferen-

*Lib. 2. q. 24. n. 2.*

ferendi in eo, qui alioqui per ſe non habebat niſi ius inſtituendi, & confirmandi,

4 Et ex ea definitione deſumimus tria extrema, ſiuè tres reſpectus in deuolutione eſſe maximè attendendos; Primus eſt negligentia, quæ probanda omninò eſt oſtendendo Collatorem potuiſſe, ſed noluiſſe ius ſuum exercere, & licèt ex poteſtate conferendi facilè ſit ad negligentiam inferre ex non facta collatione, & non vſu Iuris nihilominùs articulanda erit vacatio beneficij non ſolùm de iure, ſed etiam de facto, vbi enim beneficium plenum eſt, regularitèr non labitur tempus Collatori, & multo minus, vbi beneficium non deficit, ſeù non vacat, vt in beneficijs non numeratis, vt in *c.ex parte de conceſſ.pręb.* & vna cum vacatione probanda erit, & ſcientia ipſius Collatoris *c.3.de ſuppl.neglig. prælat.c. quia diuerſitatem de conceſſ. præb.* qua data ſcientia licebit inferre ad negligentiam, niſi collator probet impedimentum quod facile non potuerit remoueri *c.fin. de elect.* ceſſante autem impedimento ille, ad quem pertinet collatio non arctabitur reliquo temporis, quod ſibi ſupereſt ex ſemeſtri, ſed aliud ſemeſtre erit ipſi indulgendum *l.& ideo 15.ff.de verb.oblig.* idemque dicendum ſi prouiſio facta non ſortiatur effectum ob latenus aliquod impedimentum prouiſi, aut proptèr non acceptationem eiuſdem, aut proptèr obitum, fraude tamen, & dolo non interueniente, vt in *c.fin.de elect. in 6.*

Secundus reſpectus allegandus, iſq; negligentiæ connexus eſt voluntas, quę ad negligentiam probandam inducenda eſt, ità vt Collator, de cuius iuris deuolutione agitur, potuerit, ſed noluerit conferre; non enim eſt hęc negatiua facti abſoluta, & pura ſed tempote definita, vndè ab allegante probanda eſt; iuxtà *Gloſſæ* doctrinam, niſi præſumptio aliqua negatiuæ adeſſet, ipſique faueret, tunc enim ab onere probandi releuaretur.

*Ad c. bonæ mem. 23. verſ. per rerum nat. de elect.*

Tertius reſpectus in deuolutione, & ad deuolutionem concurrens eſt correlatio ſuperioris, & inferioris, ſine quo deuolutioni locus eſſe non poteſt, non enim à ſuperiore ad inferiorem, aut de pari ad parem ſit deuolutio, & ideò ſi per affectionem, aut reſeruationem ſpectaret collatio alicuius beneficij ad Summum Pontificem, quantumuis differretur prouiſio non poſſet tamen fieri deuolutio, quia Pontifex nullum habet ſuperiorem, ad quem deuolutio fiat, & quamuis Gregor. X. in *c.ſtatutum 3. de præb. in 6.* Statutum Clementis Papæ, quo beneficia, & dignitates in Curia vacantes Romano Pontifici expreſsè reſeruauit, ità ſit moderatus, vt poſt menſem vacationis non facta prouiſione à Summo Pontifice poſſint ij, ad quos pertinet diſpoſitio liberè eas conferre, quaſi ſcilicet ad eos poſt menſem fiat deuolutio licèt inferiores, attamen hæc Gregorij conſtitutio correcta eſt à Bonifacio VIII.per *Extrauag. primam de præb. inter communes*; vel dicimus. Illam Gregorij X. non eſſe deuolutionem propriè, ſed potiùs benignè indultam libertatem inferioribus, ne Eccleſiæ diutius vacantes relinquantur. Neque vrgeas adhuc ex *c. 2. de conceſſ. præb.* quod negligente Epiſcopo conferre fiat deuolutio ad Capitulum, quod tamen eſt inferius Epiſcopo, ſicut & cum Epiſcopus ipſe in collatione delinquit, idque factum intuemur, in *c. cum in cunctis §. fin. de elect.* quia non tam eſt deuolutio illa, quàm ſpecialis quædam ratio iure communionis, vnde ius quodam potiùs accreſcendi eſſe videtur. Et ideò reſtringitur ad beneficia tantùm, quæ Epiſco-

pus

pus confert iure proprio, non quæ conferre deberet iure deuoluto, vt *not. Innoc. Ab. & Egid. à Bellam.* niſi dicere velimus Capitulum in eo caſu, & in ea parte effici quodammodo ſuperiorem Epiſcopo, & quocumque alio Canonis auctoritate, vt in *c. fin.* 93. *diſt.* & *c. ſanè* 11. *de off. & poteſt. Iud. Deleg.*

*Ad d. c. cum in cunctis* 4. *fin. num.* 7. *&* *n.* 36.

Poſtrema demùm deuolutionis circumſtantia erit, vt gradatim fiat, & non per ſaltum, vnde ſi collator inferior intra ſtatutum tempus non conferat, non ſtatim ad Summum Pontificem fiet deuolutio, ſed ad Epiſcopum, qui intra ſex menſes, ſi non conferat, deuoluetur prouiſio ad Metropolitanum, quo adhuc negligente ad Patriarcham deuolutio fiet, & tandem poſt ſex menſes ad Pontificem Summum. Quamuis hanc deuolutionem ad Patriarcham exoleuiſſe, nec eſſe in vſu dicat *Rebuff.* niſi tamen inferior collator eſſet, omninò exemptus, & immediatè ſubiectus Apoſtolicæ Sedi, quo caſu ad Sedem ipſam Apoſtolicam fieret deuolutio ommiſſo quocumque alio medio; *c. cum ſingula* §. *fin. & c. licet de ſuppl. neglig. prælat.* & latè *Eraſm. à Cochier.* Iam demùm ad effectus ipſius deuolutionis deſcendendum eſt, quos ad tres numero breuiter expendemus.

*De deuolut. n.* 23. *in fin.*

*De iuriſdict. in exemp p.* 4 *q.* 30. *n.* 7. *& n.* 11.

Primus erit, quod deuolutio ſecum perferat executionem legis auctoritate *c. literas de ſuppl. neglig. prælat.* itá vt nulla admittatur moræ purgatio, & irrita ipſo iure ſit quæcumque prouiſio, niſi de patientia toleretur à Papa *d. c. literas, & not. ad c. fin. eod.* quæ tolerantia debet eſſe expreſſa ſcripto, verbo, vel facto aliquo poſitiuo, & non tacita, ſeu præſumpta, & de ſola Papæ, & non alterius, vt in terminis *d. c. literas*.

Secundus effectus eſt, vt cum deuolutio dicat ſolummodo tranſitum de perſona ad perſonam, quantumuis tranſitus ipſe fiat, durat tamen ſemper prima vacatio, nec ea per multiplicem tranſitum immutatur, & ideò ſi beneficium vacans, ex lege fundationis debeat conferri certo alicui perſonarum generi, eidem etiam debebit conferre is, ad quem fit deuolutio, quæ fit ſemper cum omnibus oneribus, & qualitatibus beneficio ipſi connaturalibus. *Clem.* 1. *& ibi Gloſ. in verbo Monaſterium de ſuppl. neglig. prælat.* quod ſeruandum etiamſi Papa iure deuoluto conferat, qui ſemper cenſebitur ſe velle conformare ad beneficij naturam, nec velle vti ſuprema ſua plenitudine poteſtatis, qua vtitur, cum prouidet iure ſuo, & non iure deuoluto, vt tradit *Arcbid.* & cum eo *Io: And.*

*Ad c. cum in tua n.* 4. *& n.* 3. *de cõſuet. in* 6.

Tertius effectus deuolutionis eſt, vt afficiat, necdum omnes collatores negligentes, ſed & eos omnes, qui potuerunt concurrere, vno excepto Summo Pontifice, cui nunquam negligentia imputari poteſt: cuiuſmodi erit Legatus à latere.

Quæ dicta ſunt hactenus de deuolutione facienda ex cauſa non factæ prouiſionis intra ſex menſium ſpatium ex decreto Lateranenſis Concilij, nihil tamen immutant circa breuius ſpatium, quod in beneficijs adipiſcendis ſit præſtitutum, ſed ſuum cuique ſpatium erit ſeruandum; ſi enim de beneficio agatur, quod per optionem acquiri debeat, intra dies viginti optio facienda erit, ſin ſecus deuolutio fiet *c. fin. de conſuet. in* 6. In præſentatione facienda ad beneficia iuriſpatronatus laicus intra quatuor menſes, Clericus intra ſex præſentare debet, & elapſo hoc termino intrat deuolutio, *c. vn. de iurepat. in* 6. Si Summus Pontifex motu proprio det alicui mandatum ad beneficium ab exhibito mandato ei, ad quem dirigitur, intra decem dies à die vacantis beneficij, & adeptæ notitiæ acceptare debet,

bet, aliàs libera Ordinario relinquitur collatio, nec mandatum Pontificium attenditur *c. cum pluribus de præb. in* Maiores dignitates, vt Epiſcopatus, *6.* Archiepiſcopatus, Abbatiæ, & ſi quæ huiuſmodi intra tres menſes Paſtorem habere debent, ijſque elapſis, ſtatim fit deuolutio *c. ne pro defectu c. poſtquam 50. diſt. c. quam ſit Eccleſijs de elect. in 6.* Sed hoc æuo hæc deuolutio in Epiſcopatibus ceſſat, ex quo electionis, ſeu prouiſionis Eccleſiarum Cathedralium eſt alia facies; ſicut & in Abbatum monaſteriorũ prouiſionibus aliud neceſſariò venit ſeruandum, quàm vt deuolutio ad Epiſcopum negligentibus regularibus fiat; Exemptio enim regularium omnimoda ab Epiſcopi iuriſdictione omnem deuolutionem ad Epiſcopum tollit, & ſolius Summi Pontificis vniuerſum hoc ius eſt. Vita functo autem Epiſcopo, & Epiſcopali ſede vacante, deuolutio eorum beneficiorum quæ ex negligentia, & defectu inferioris collatoris fieret ad Epiſcopum, fiet ad Capitulum eiuſdem Cathedralis, in
*Ad c.quã quam de elect.in6. De deuolut.in prax.benef.n.92* quod tranſit iuriſdictio *c. cum olim de maior. & obed.* pròvt notauit & *Io: And.* & *Rebuff.* Quæ de deuolutione, & deuoluto iure ſatis.

---

## CAP. VIII.

## De Capellis, & Capellanijs.

1 *Nominis ratio, ſeu notio multiplex.*
2 *Hoc Nomine triplicem beneficij ſpeciem deſignari.*
3 *Moxque de ſingulis agitur, quatenus ſint beneficia.*
4 *De Monachorum Capellis exactius.*
5 *De Capellanijs ad Altare, & quando cenſeantur ſtrictè Sacerdotales, & de earum obligatione.*
6 *An Capellanus ægrotans teneatur per alium ſatisfacere.*

DE Capellis Monachorum proſtat tit. inter Decretales Greg. IX. *Lib.3.tit.37.* partem igitur ſuam in Sacra Iuriſprudentia, & huic beneficiorum generi dabimus, quid iuris in ipſis extra Monachorum, & Religioſorum Clauſtra obtineat breuiter pro inſtituto indicantes, quando *in 3. compilat. antiq. Decretal. tit. 29.* inſcriptus habetur de Capellis Clericorum, & Monachorum. Nomen, nominiſque notio ſe ſe exhibet primò, quæ varia ſanè à ſcribentibus profertur.

1 Aediculæ humiles ſimiles tabernis, quas ſubitarias in nundinis mercatores erigunt, dictæ ſunt Capellæ, quas τὸ καπηλεις, vocat *Iulius Pollux*, *In Onomaſt.* indeque mutuata videntur nomen ſacella portatilia, quæ maximè in caſtris erigi ſolebant, quibus ad miſſæ ſacrificium celebrandum ibidem Sacerdotes vtebantur, qui Principes ad bellum proficiſcentes ſequebantur; vnde & Miſſæ, quæ ſub ijſdem tabernaculis celebrabantur Miſſæ Caſtrenſes dictæ ſunt, vt refert *Genebrard. in Chronic.* *Ad ann. 315.* luſerunt alij in huius vocis notatione, Capellamque dictam voluere, quaſi capiens λαός, ſiue populos, vel capiens laudem. Alij à tegendo, quaſi locus tectus, ſiue coopertus dicatur Capella; vnde *Marculphus Monachus, tunc in palatio noſtro ſuper Capellam Domini* *Formula 38. lib.1.* *Martini, vbi reliqua Sacramenta percurrunt, debeant coniurare.* Per Capellam intelligit loculum, ſiue capſam, in qua reliquiæ S. Martini condebantur. Alij demùm (ne omnia congeramus) à Cappa Sancti Martini, quæ cum ſumma veneratione ſeruabatur adhibitis etiam Presbyteris tanquam cuſtodibus,

dibus, qui ideò Capellani ſint dicti.

2 Quidquid igitur ſit de nomine, hoc certum, quòd Capellaniæ, ſiue Capellæ voce triplex beneficij genus (ſumpto tamen latiùs beneficij nomine) comprehenditur; primò enim ſignificatur Capellania, quæ auctoritate Epiſcopi, aut alterius legitimi ſuperioris fundata perpetua eſt, in titulum erecta, Capellania etiam collatiua nuncupatur; ſecundò indicatur Capellania, quæ licèt ſit erecta auctoritate ſuperioris, non tamen ad vitam confertur, ſed eſt amouibilis ad nutum, & arbitrium conferentis; tertiò demùm eadem appellatione venit Capellania, quæ pietate cuiuſlibet, etiam ſæcularis hominis, inſtituta, certo aſſignato annuo prouentu, ità erigitur, vt conferatur alicui Sacerdoti, qui certum Miſſarum numerum, certis diebus, aut quotidie celebret. De primo Capellaniarum genere nemo ambigit, quin veriſſimum ſint beneficium collatis enim ijs cum generali beneficij definitione à nobis ſupratradita emicant in ipſis conditiones omnes, quas ad proprium Eccleſiaſticum beneficium diximus neceſſarias. De ſecundo genere dubitatur à pleriſque, an ſint beneficia, & tota ambigendi ratio ex eo pendet, quod in huiuſmodi Capellanijs deficere videatur perpetuitas, quæ potiſſima Eccleſiaſtici beneficij conditio. At verò, qui de hoc ambigunt, eò ducuntur, quia ſuaſum ipſis eſt, beneficij perpetuitatem dici habito reſpectu ad inſolubilem connexionem cum beneficiario. Cum autem perpetuitas hæc (vt & ſupra notauimus) magis dicat connexionem inſeparabilem inter prouentum, & officium, ideò ſtare poteſt, vt licèt amoueri poſſit à beneficiario, in ſe, & in ſui ratione ſit nihilominus beneficium, ſed amouibile, quæ tamen qualitas amouibilitatis naturam veri beneficij non immutat. Tertium autem Capellaniarum genus nullo modo dici poteſt beneficium ea potiſſimum ratione, quod in ipſis inſtituendis auctoritas Eccleſiaſtici ſuperioris deficiat, ſine qua Eccleſiaſticum beneficium eſſe, nec dici poteſt.

3 Capellaniæ primi generis, vt ſunt veriſſima beneficia Eccleſiaſtica, & collatiuæ, ità obligant poſſidentem ad Officij Diuini recitationem, faciunt, vt gaudeat priuilegio fori, & ad earum titulum poterit quis ad ſacros ordines promoueri. Capellaniæ huiuſmodi nonnunquam habent de per ſe Oratorium, ſeu Eccleſiam cum plebe, & ſine illa ſeparatam, & tunc cum maiori proprietate dicuntur Capellæ, in quem ſenſum præcipuè accipiuntur in *Rub.* & *c. 1. de Capellis Monach.* cum primum enim cœperunt Monachi ad Eccleſiaſtica munia admitti, cœperunt etiam Capellas, & Oratoria propria habere, & parochialia munera per ſe ipſos exercere: Cui tamen inſtituto Vrbanus II. in Concilio Claromont. reſtitit, & ſtatutum nouiſſimè, vt populus per Capellanum huiuſmodi Capellis præfectum regatur *c. 1. de Capell. Monach.* cuius tamen inſtitutio penès Monachos ipſos remaneat, qui rectorem huiuſmodi Epiſcopo debeant præſentare, *c. 3. de priuileg.* & *c. 3. de Capell. Monach. in prima compil.* Adnuit, licèt parum lubens Vrbanus, eò quod Capellas, quas iam Monachi poſſidebant, ipſis adimere ſine ſcandalo non poterat, ideò diſtrictè cauit, ne inconſultis Epiſcopis impoſterum id facere præſumant, vt legitur in integra decretali in *prima compil.* ſed nihilominus perſeuerarunt Monachi in plebium ſubiectarum regimine, donec Honor. III. diſtrictè cauit in *c. fin. de Capell. Monach.* ne liceat alicui ſolitario extra clauſtra morari etiam ad plebium curam non adhibito ſocio ordinis ſui ſecum conuiuente,

uente, aliàs per Clericos ſæculares huiuſmodi Eccleſijs deſeruiant *c. 2. de ſtatu Monach.* & quo caſu Apoſtolico reſcripto alicui eſſet hoc conceſſum, non obtineat vires, niſi conſtitutioni Lateranenſis Concilij, de qua in *d. c. 2. de ſtatu Monach.* fuerit expreſsè derogatum *c. ex parte 3. de Capell. Monach.* Vnde cum tot contentionibus Monachi, quibus ſolas Capellas, & ſola Oratoria habere licuit, ad regimen huiuſmodi animarum peruenerint, rationabile viſum eſt, tit. inter decretales, non de *Eccleſijs*, ſed de *Capellis Monachorum* inſcribere. Hæc non extra rem ad titulum de Capellis Monachorum illuſtrandum.

4 Aliquando verò (ad rem redeundo) Capellæ huiuſmodi non habent eidem ſacram per ſe, & ſeparatam, ſed in Eccleſia aliqua habent altare proprium, & ab alijs ſeparatum, & tunc magis propriè appellantur Capellaniæ, quàm Capellæ, ad quam diſtinctionem reſpexit *Clem. V. in Clem. vn. de exceſſ. prælat.* & Capellania huiuſmodi, cui ſit adnexa obligatio deſeruiendi in choro, eſſet incompatibilis cum Canonicatu, ſecùs ſi haberet tantùm onus iniunctum celebrationis Miſſarum, niſi tamen eſſent ſub eodem tecto, quia tunc ad eam cum Canonicatu retinendam eſſet opus Apoſtolica diſpenſatione. Et ſi Capellanias huiuſmodi duas, vel tres ſub eodem tecto retineret, omnium priuationem incurreret, nihilo ſuffragante Epiſcopi diſpenſatione, vt notauit *Garz.* *De benef. p. 11. c. 5. n. 98.*

5 Quamuis autem Capellania onus celebrandi certum numerum Miſſarum habeat adnexum, non tamen cenſenda eſt rigoroſè, adeò Sacerdotalis, vt qui eam eſt adepturus debeat eſſe tempore aſſecutionis actu Sacerdos, & per ſe ipſum debeat celebrare. Niſi enim in erectione Capellaniæ fuerit expreſsè dictum, quod ſit actu Sacerdos, qui de ea prouidebitur, per ſubſtitutum poterit munus huiuſmodi exequi, & obligationi iniunctæ ſatisfacere. Et ſat erit ſi intra annum poſſit ad Sacerdotium promoueri; vt pluries à S. Congregatione Em. Card. deciſum teſtatur *Barboſa*. *Iur. Eccleſ. vniu. lib. 3. c. 5. n. 30. & ſeqq.* Quod ſi ex inſtitutione Capellaniæ præcipiatur Sacerdoti, vt quotidie celebret, & inſtitutio ipſa ad perſonam Sacerdotis dirigatur, poterit ſemel in hebdomada à ſacrificio abſtinere venerationis, & maioris honeſtatis gratia, quod ſi inſtitutio dirigatur ad locum, puta quia dixerit fundator, vt *inſtituatur Sacerdos, qui in tali Eccleſia, vel tali Capella quotidie celebret*: Tunc nulla vacationis dies illi cenſetur indulta.

6 Quod ſi Capellanus obſtrictus ad celebrandum quotidie ægrotauerit, dubitatur, an per alium teneatur ſatisfacere? Et communis opinio eſt, non teneri ſi breuis ſit ægritudo, ſecus ſi diuturna; quando autem cenſenda ſit breuis, aut diuturna à priuato doctore definiri non poteſt, vt cumque nonnulli duos menſes ſtatuerint pro diuturna, alij decem dies pro breui; longè rationabilius eſt, ad arbitrium ſuperioris, eiuſque diſcretionem hanc temporis determinationem remittere.

Capellanus, qui à fundatione obligatur ad celebrandum in loco certo, aut ad præciſum Altare, malè ageret, ac mortaliter peccaret, ſi alibi celebraret, non tamen ad reſtitutionem aliquam teneretur, niſi fortè ſuffragio aliquo inſtitutorem fraudauerit, ſicut, & malè ageret, ſi ex fundatione, aut conuentione ad certam Miſſam celebrandam teneretur, & tamen aliam celebraret; niſi id faceret ex iuſta cauſa, puta quia ſolemnitas, & officium ab Eccleſia præſtitutum pro ea die impediret, neque enim Teſtatoris intentio præferenda eſt cultui, & ritui, quem ſolemniter præ-

figit Eccleſia; diſpoſitio enim fundatoris accipienda eſt ciuili,& morali modo ita vt legibus Eccleſiæ ſit conformis quantum fieri poteſt, ac decet.

Demùm Capellanus vni Capellaniæ addictus non poteſt aliam eleemoſynam accipere, & vnica Miſſa duabus obligationibus ſatisfacere;iuſtitiæ enim ratio id exigit, quod & à S. Congregatione prædicta definitum teſtatur *Barboſa*. Hæc ad praxim delibaſſe ſatis; plura qui cupit authores adeat de celebratione Miſſæ tractantes, quorum nomenclatura paſſim apud *Barboſam* ibidem.

*Vbi ſup. n. 38*

## CAP. IX.

## De Permutatione, Reſignatione, & Vnione Beneficiorum.

1 *Quatenus licita beneficiorum permutatio.*

2 *Ad permutationem beneficiorum requiſita.*

3 *An permutatio ſit diuerſa à perſonarum tranſlatione.*

4 *Quæ beneficia poſſint permutari.*

5 *Quę conditiones ad permutationem requiſitæ, & de ſingulis partitè.*

1 VTcumque beneficiorum Eccleſiaſticorum non deceat eſſe commercium, attamen Eccleſia, & Sacrorum Canonum Conſtitutiones ex indulgentia conuentionem aliquam conceſſerunt, ſed quæ non à mera poſſidentium voluntate pendeat, verùm quæ ſub legitima, & approbata forma exerceatur *c. ad quæſtiones de rerum permut. c. vn. eod. in 6. Clem. vn. eod.* eaque non ſeruata commutationem huiuſmodi Simoniacam decreuerunt,idque fieri optimo iure potuit,quia omnis pactio in diſtributione, ſeu traditione rei ſpiritualis à iure vetatur *c. fin. de pact. c. præterea de tranſact. c. tua nos de Simon.* Vnde quamuis ſpirituale non poſſit habere rationem temporalis, cuius datione pro alio ſpirituali Simonia inducatur, attamen nil impedit, quò minus commutatio ſpiritualis pro ſpirituali facta alia forma,quàm ea, quæ ſit à iure præſcripta, verè Simoniaca ſit, ea ſolùm ratione, quia contra prohibitionem, & conſtitutionem Eccleſiæ fiat. Ideò igitur Eccleſia beneficionum permutationem pro cuiuſque arbitrio, & auctoritate fieri, non cenſuit permittendum, ſed certas ſolemnitates, & periſtaſes in ea facienda obſeruari voluit, quibus non ſeruatis eam interdixit, & Simoniacam eſſe declarauit, præſertim ſi ſine auctoritate Epiſcopi fiat, pròut ex *Concil. Turonenſi* ſtatuit *Vrban. III. in c. quęſitum de rerum permutat. & Innocent. III. in c. cum olim, & in c. cum vniuerſorum eodem*, & ex ſola ipſa pactione, etiamſi nihil temporale pro ſpirituali intercedat,Simoniacam iudicauit, pròvt ex *d. c. quæſitum* cum communi ſententia argumentatur *Pater Franc. Suarez*, & eo diſtrictiùs, at rationabilius potuit tanquam Simoniaca hæc beneficiorum permutatio prohiberi,quo ſuſpecta magis redditur, quàm aliorum ſpiritualium commutatio: In beneficijs enim prouentus, ac redditus temporales, ipſaque temporalia bona ſunt adeò adnexa functionibus ipſis ſpiritualibus,vt ab ijſdem non poſſint ſeparari, mutua ſiquidem relatione nectuntur *c. fin. de reſcrip. in 6.* vnde facile fieret,vt ad permutationem accederent beneficiarij magis temporalium affectu, quàm ſpiritualium zelo, magiſque aliceret temporalium pinguedo,

*Tom. 1. de Relig. lib. 4. de Simon. c. 31. n. 6.*

guedo, quàm ſpiritualium præſtantia; cui quidem ſic detractum videretur, nec ordinata, ac recta dici poſſet eorundem ſpiritualium adminiſtratio; & ideo, ſi non abſolutè malum, ſaltem mali ſpeciem vt declinaret Eccleſia, meritò hanc permutationem prohibuit, ac aliter factam Simoniacam declarauit; *c. audiuimus* 4. *de Simon.* quamuis enim temporalia bona in beneficijs reſpectu ſpiritualium rationem acceſſorij habeant, nec videantur conſideranda, attamen humana affectio facilè nimis poteſt hunc ordinem peruertere, & rationem magis habere acceſſorij quàm principalis, cui ſubuerſioni prudentèr fuit occurrendum per ſacrorum Canonum auctoritatem permutationem ipſam interdicentem; ſtatuendo omninò neceſſariam ſuperioris auctoritatem, qui poſſit cuncta rimari, & an rectus ordo inter ſpiritualia, & temporalia in facienda permutatione ſeruetur.

2 Et ideò, quod primò, & principalitèr in beneficiorum permutatione requiritur eſt ſuperioris auctoritas, quam præſtituunt citata iam ſupra iura, qui cauſam ipſam permutationis extendere; & approbare poſſit, ac intueri, ne quid præpoſterum in hac ſpiritualium ſimul, & temporalium tractatione agatur. Non inquirimus hic ſubtilius, an in beneficiorum permutatione fiat potius perſonarum tranſlatio de vno beneficio, ad aliud, an verò ipſorum beneficiorum commutatio? Non defuere enim, qui aſſeruerint nunquam licitam beneficiorum permutationem, etiam cum ſuperioris auctoritate, ſed ſolam tranſlationem perſonæ ab vna dignitate ad aliam; quaſi vtrumque dixerit *Vrbanus III. in c. quæſitum de rerum permutat.* Extrà omne dubium ſiquidem videtur permutationem beneficiorum, vt diſtinguitur à tranſlatione perſonarum, eſſe Pontificio Iure omninò permiſſam, tum quia tituli omninò ſeparati in corpore ſacri Iuris leguntur, *de translatione Epiſcoporum ſeu Prælat. & de rer. permut.* tum quia fit tranſlatio ſola ſuperioris voluntate, & prouidentia, non à voluntate tranſlati, nec fit per modum contractus inter duos, & mutuo conſenſu; at permutatio fit per modum contractus, vndè & ex ſe exigit, vt fiat inter duos, & cum eorum conſenſu ad eorum commodum ſine Eccleſiæ incommodo dato vno pro alio in mutuam compenſationem; neque eam negauit *Vrbanus III. in d. c. quæſitum*, niſi quatenùs fiat priuata auctoritate, & quia debet fieri ab Epiſcopo reſpiciente ad commune Eccleſiæ bonum, ideò potiùs per tranſlationem perſonarum, quam per beneficiorum commutationem eam Pontifex declarauit *in c. quæſitum*; niſi forte dicamus cum *Suarez.* maiorem olim vigorem in huiuſmodi permutationibus fuiſſe obſeruatum ità vt per modum tranſlationis ſolummodo fierent, quod poſteà fuerit mollitum; ac ſubinde maior facultas pro ipſa permutatione indulta. *Vbi ſup. n. 4.*

3 Quamuis autem ſtatuatur, adeò neceſſaria Prælati auctoritas, non tamen per hoc excluditur, quò minus poſſint permutare volentes tractatum inter ſe pemittere de permutando, concludere, & conſenſum ſuum præbere cum ordine, & reſpectu ad conſenſum Prælati; moraliter enim eſt hoc neceſſarium, & permittunt expreſſe Iura, & præſertim *tex. in c. vn. de rer. permut. in 6.* ibi *ſua beneficia permutare volentes.* Quod ipſum innuitur, & in *Clem. vn. eodem*, & qui finem indulget abnuere non cenſetur neceſſaria ad finem, immò poſſunt partes ex conuentione ità in permutationem conſentire, vt recedere ipſis

ipſis non liceat, ſed ſemper ſub ea conditione, *ſi Prælatus conſenſerit*, nullibi enim hoc eſt prohibitum, ſed ſola permutatio pactione præmiſſa ſine ſuperioris conſenſu,vt in *d.c.quæſitum*; pactio autem huiuſmodi ſub ea conditione inita; nec eſt permutatio, nec conuentio de permutatione, cum ſit ſuſpenſa per conditionem in euentum conſenſus Prælati, in quem paciſcentes ſe referunt; eoque interpoſito, licèt ante Collationem non ſit completa permutatio, receſſus tamen partibus non conceditur, quaſi iam ſit perfecta reſignatio per mutuum eorum, & permutantis conſenſum.

4 Omnia beneficia poſſunt permutari, quæ propriæ beneficia ſint in manibus ſuperioris, ſiuè ſimplex cum Curato, ſiuè Curatum cum dignitate, vel canonicatu, ſiuè pingue cum tenui, ſiuè tenue cum pingui, ſiuè vnum cum multis, iura enim permutationem concedentia generaliter, & indiſtinctè loquuntur, nec nobis diſtinguendum eſt, aut Iuris anguſtanda facultas; cum nulla ad id cogat ratio, nec ex natura rei magis vnum, quam aliud repugnet, cum non ſit magis intrinſecè malum, aut Eccleſiæ damnoſum.

In permutatatione autem beneficiorum vtriuſque beneficij interuenit reſignatio, & conſequenter vtriuſque vacatio, quoad titulum, & poſſeſſionem permutationis intuitu, qui illud demum operatur, vt beneficia alijs, quam permutantibus non debeant conferri; & ſi de facto alijs conferrentur nulla eſſet collatio *Clem. vn. de rer. permut.* Indeque conſequitur, quod ſi renuncians ex cauſa permutationis velit ad beneficium ſuum redire poſt factam reſignationem, non poſſit ſine noua collatione, etiam ſi permutatio non teneat, aut non conſequatur effectum, vt not. *Gloſ.* Vacat enim beneficium ſic reſignatum, & de ipſo tanquam vacante eſt cenſendum in omnem caſum, in quo aut de regreſſu, aut de prouiſione agatur. Quod ſi fortè, qui tractatum de permutando inſtituerunt nondùm facta reſignatione, & re adhuc integra recedere à contractu velint, integrum ipſis erit *l. 1. ff. de rer. permut. l. ſi pecuniam ff. de condic. cauſ. dat.* & cum per alterum ſteterit, quò minus permutatio ſortiatur effectum, alius erit ad beneficium ſuum reſtituendus *c. cum vniuerſorum de rer. permut.* Permutatione ſic præmiſſa iam nunc ad conditiones, & requiſita pro ea rectè peragenda accedamus.

*Ad c. cum vniuerſorum de rer. perm.*

Erit igitur prima, ac præcipua conditio iam ſupra tacta ſuperioris auctoritas, ſine cuius interuentu ſimoniaca erit permutatio *c. quæſitum de rer. permutat.* & aliter permutantes ſine eius auctoritate beneficijs ſunt priuandi per ſententiam *cap. cum olim eodem*. Et quinam hic ſit ſuperior ambigitur meritò; de pura permutatione loquimur, & ſimplici, & ſuperiorem dicemus eſſe Epiſcopum; expreſsè enim id legimus in *d. c. quæſitum*, *& c. vn. de rer. permut. in 6.* ità, vt Epiſcopus quilibet in ſua Diœceſi ſit ad permutationem ſuperior; ſed tamen Epiſcopum non adeo preſsè, & propriè accipimus, quin & eo nomine comprehendamus illum, qui quamuis dignitatem, & ordinem Epiſcopalem non habeat, iuriſdictionem tamen Epiſcopalem habet cuiuſmodi erit Abbas, qui Iuriſdictionem Epiſcopalem in ſibi ſubiectos exerceat, Capitulum Eccleſiæ Cathedralis Sede Vacante, immò, & ſi quis hanc iuriſdictionem præſcriptione quæſitam habeat, vt permutationibus aſſiſtat, eaſq; approbet auctoritatem ſuam impertiendo; Fundamentum enim ad hunc actum aliud non eſt, quam Epiſcopalis Iuriſdictio, & ſi quis licèt inferior, eam habeat,

*Cabeſut. in theor. & praxi Iur. can. lib. 2. c. 13. n. 2.*

habeat, exercere poterit; Si quæ autem ſint Iura, quæ id auctoritatis ſoli Epiſcopo videantur tribuere, vt in *d.c.quæſitum de rer.permut.* aut Epiſcopum nominat, facta denominatione ab eo, quod eſt regulare, & ordinarium: Vnde non excluduntur, ſi qui ſint, in quibus eadem ratio vigeat, vel Epiſcopus cenſebitur ad rem, qui iuriſdictionem Epiſcopalem habeat licèt non caracterem; immò ſi quis eſſet inferior, qui neque iuriſdictionem Epiſcopalem haberet, ſed tamen penès eum eſſet beneficiorum Eccleſiaſticorum collatio, & inſtitutio hîc idem factam penès ſe permutationem beneficiorum ad ſe pertinentium poſſet probare. Alludere videtur *tex.in c.vn. de rer.permut.in 6.* quatenus ait ibi Summus Pont. *Illos tamen qui ſecundum formam Iuris ſua beneficia in eadem Diœceſi ad tuam collationem ſpectantia permutare volentes*. Si igitur quæ ſint beneficia, quæ ad eius collationem non ſpectent, nec eorum permutatio ad eum pertinebit, ſed ad illum, cuius collatio eſt: accedat, quod in beneficiorum permutatione ideò requiritur ſuperioris auctoritas, quia nec vnius beneficij renunciatio poteſt eſſe valida ſine ſuperioris conſenſu, *c. admonet de renunciat.* nec poteſt beneficium obtineri ſine noua collatione: Si igitur ad aliquem inferiorem Prælatum ſpectat reſignatio, & collatio huiuſmodi beneficiorum, illius auctoritas erit competens ad Collationem eorundem beneficiorum, nec ſe ingerere tunc poterit Epiſcopus, cum ad eum non pertineat collatio; Conſiderabile etiam eſt, quod inferior huiuſmodi Prælatus Iuriſdictionem Epiſcopalem habet ſaltem, quoad beneficiorum huiuſmodi prouiſionem, hæc enim poteſtas ordinario Iure pertinet ad Epiſcopum *c.omnes Baſilicæ 16.q.7.* Vnde quod ad huiuſmodi actus optimè veniet nomine Epiſcopi. Et hæc ſententia, ſi vim rationis ſpectemus, iuſta admodum eſt, ſed ad declinandum oppoſitæ opinionis conflictum, quæ fauens Epiſcopis contra inferiores collatores facilè cenſebitur communis, & præualebit, prudenter notauit *Suarez*, quod hæc ipſa ſententia tunc erit abſolutè præferenda, & poterit ſeruari vbi conſuetudo præſcripta ipſam confirmet, tunc enim neque communis oppoſita opinio negat, quò minus Collator inferior poſſit permutationi aſſiſtere, eamque coram ſe factam complere, & iuriſdictio Epiſcopalis, quatenus neceſſaria ad permutationem, cenſebitur inferiori Collatori, quæſita; ſed demùm idem *Suarez* moderamen addidit, quo tam Epiſcopi Ius, quam Collatoris inferioris in permutatione ſit ſaluum. Duo ſi quidem in permutatione interueniunt, alterum eſt approbare permutationem, & conuentionem partium, ſeù conſenſui earundem partium auctoritatem præbere, ita vt pactio, quæ eſt conditionata tranſeat in abſolutam, & hoc ad Epiſcopum pertineat, & non ad inferiorem *c. quæſitum de rerum permut.* Aliud eſt exequi permutationem ipſam acceptando reſignationem, & nouam Collationem faciendo, & hoc pertineat ad inferiores, tunc quando beneficiorum collatio ad illos, non autem ad Epiſcopum ſpectat: quod demum nil aliud eſt, niſi ius permutationis auctoritatiuè faciendæ penès inferiores Collatores exiſtere, quando beneficiorum permutandorum Collatio, aut inſtitutio eorum eſt.

*d.lib.4.de Simon. c.34. n. 14.*

5 Huic conditioni primæ planè connexa eſt, & ſecunda, vt ſcilicèt permutationis faciendæ iuſta aliqua cauſa adſit quam examinare, & cognoſcere debebit Epiſcopus, *c. quæſitum de rer. permut.* Nam, vt rectè obſeruauit

*Franc.*

De Sacr. Eccl. min. & beneſ. lib. 8. c. 3. *Franc. Duaren.* priſca Eccleſiæ diſciplina non adeò de facili inter beneficiarios hoc commercium addmittebat, & ideò vbi fuit laxanda, ſaltem velamentum alicuius iuſtæ cauſæ interuenire debuit, qua approbat iuſta, ex rationabilis appareret etiam permutatio. Cauſam autem eſſe debere neceſſitatis, vel vtilitatis Eccleſiæ, non autem permutantium, voluere plerique rigidiores, immò non vnius tantum Eccleſiæ, ſed vtriuſque; verùm mitiùs ſentientes auctores non inferioris notæ aſſerunt fieri poſſe permutationem pro perſonarum permutantium vtilitate, *cap. cum vniuerſorum, & ibi Gloſ. de rerum permut.* ſed quæ demùm in Dei gloriam, & Eccleſiæ etiam vtilitatem terminetur, vt pluribus congeſtis tradit *Nicol.* De benef. p. 2. c. 4. n. 46. *Garz.* approbans, ſimoniam non committere illum, qui ob inimicitias, aerem peſtilentem, aut aliam huiuſmodi cauſam beneficium permutet; quæ demum, & in adæquatiùs Dei ſeruitium reſoluuntur, quando expeditus ab inimicitijs, aut puriori, ac ſalubriori perfruens aere impenſiorem operam, & Deo, & Eccleſiæ ſit præſtitutus: In Deum igitur ſemper dirigenda intentio, & nefas omninò eſſet, ſi permutaret, quis intuitu commodioris venationis, aut alteriùs huiuſmodi cauſæ, nec à ſimonia vacaret, ſic facta permutatio. Accurate igitur ſe gerere debet ſuperior in cauſæ, & examine, & approbatione, & ſibi caueat, ne in diſtricto Dei Iudicio rationem de non cauſa, vt cauſa in permutatione ſit redditurus; Plura ſucceſſiuè circa cauſæ Vbi ſup. a n. 46. & ſeqq. approbationem tradit *Gar.* qui facilè conſuli poteſt, & ad eum remittimus.

Vbi autem permutatio coram Prælato, aut Epiſcopo facienda eſt, puritas ipſius permutationis ſpectanda maximè venit; vndè ſicut certum eſt ipſam fieri de beneficio, cum beneficio, ità dubitatur valdè, an poſſit ità fieri, vt beneficium permutetur cum penſione, quam vnus ex permutantibus, aut ſuper eodem beneficio aut ſuper alio percipiat: Quam difficultatem examinauit; accuratè *P. Suarez.* qui diſtinctè Vbi ſup. c. 33. per tot. incedens aſſeruit primò, quod ſi penſio erecta ſit, & conſtituta in titulum beneficij, poterit ipſa attento Iure communi permutari cum beneficio in manibus Epiſcopi. De hac penſione in titulum beneficij exemplificat ipſe *Suarez* in penſione, quæ ſit conſtituta Lib. 4. c. 16. n. 23. ad inſeruiendum, aut iuuandum parochum in munere parochiali, quæ ſolet Capellania vocari, ſiuè ad ſeruiendum in Choro, & in officijs diuinis; Quæ quidem verum beneficium eſt, vnde & cum beneficio poteſt permutari. Aſſerit ſecundò, quod ſi ſit merè ſpiritualis penſio poterit quidem ea permutari cum beneficio, at non auctoritate Epiſcopi, ſed ſolius Summi Pontificis; fac enim quod Titius beneficium poſſideat, ſuper quo ſit aſſignata penſio ſcio, quæ penſio ſpiritualis, præcipuè poſt Conſtitutionem Sanctiſſimi Pij V. Summi Pontificis poſſet fieri permutatio ità, vt ſcius beneficium Titij accipiat, & penſionem ijdem ſoluat, non quidem auctoritate Epiſcopi, quia huiuſmodi permutatio continet reſignationem beneficij in fauorem alterius, & interuenit translatio penſionis de vna perſona in aliam, quæ vtraque reſignatio 1. in fauorem, & penſionis translatio auctoritatem Epiſcopi excellit, & à ſolo Summo Pontifice fieri poteſt, & extra cauſam mox ſupra reſolutum, ſi fieret permutatio beneficij cum penſione, quæ non ſuper eodem beneficio, ſed ſuper alio exigeretur, adhuc auctoritas Epiſcopi eo non ſe extenderet, vt permutationem huiuſmodi poſſet approbare; quia quamuis penſio ſit ſpiritualis, non tamen propriè

priè eſt beneficium; non eſt perpetua, ex natura ſua non transfertur in alium, nec per Canonicam inſtitutionem confertur, vnde cum ſacræ Conſtitutiones inferioribus prælatis largiantur, vt permutationes beneficiorum facere, & tractatus permutare volentium approbare valeant *c. quæſitum de rer. permut.* hæc eadem facultas ad permutationem beneficij cum penſione non eſt extendenda; eſt eſto etiam, quod beneficiorum permutatio ſit fauorabilis, non tamen extendi debet vltra verborum proprietatem, qua attenta beneficij nomine non venit penſio licèt ſpiritualis, & *tex.* ipſe *in c. quæſitum de rerum permut.* & in *c. vn. eod. in 6.* cui præcipuè videtur inniti tota facultas Epiſcoporum in permutatione loquuntur de beneficijs, quæ ad Eccleſiarum vtilitatem, & neceſſitatem ſunt inſtituta, & quæ per propriam collationem Epiſcoporum poſſunt dari, cuiuſmodi non dixeris penſionem, aliàs enim fieret, vt qua auctoritate Epiſcopus poteſt permutationes beneficiorum approbare, poſſet etiam admittere permutationes penſionum, quod nemo dixit, aut dixerit.

Plura igitur, & ſimplex omninò debet eſſe, & fieri coram Epiſcopo permutatio adeò, vt cum penſione, & alio quocumque onere facta admitti nullo modo poſſit, cumque (vt mox ſupra tetigimus) beneficia, quæ verè, ac propriè beneficia ſunt, poſſint permutari, hoc adeò verum eſt, vt ſimplex beneficium cum Curato, Curatum cum dignitate, vel Canonicatu, tenue cum pingui, pingue cum tenui, vnum cum multis poſſit permutari, iura enim permutationem ipſam concedentia ſimpliciter, & indiſtinctè loquuntur, vnde & indiſtinctè de quolibet beneficio ſunt accipienda, quo caſu practicabilis emergit difficultas, quid enim ſi ſint inæqualia beneficia, numquid ſcilicet ad æqualitatem liceat, aut pecuniam adijcere, aut penſionem ſuper pinguiori ad fauorem recipientis magis tenue imponere? Et quamuis beneficia pluribus modis poſſint eſſe inæqualia, puta ratione ſpiritualium ſimul, & temporalium, ratione ſpiritualium tantùm, vel ratione tantùm temporalium, attamen inæqualitatem præcipuè conſiderabimus, quæ in temporalibus eſt, vtpote in permutatione frequentiorem.

Si igitur ſit inæqualitas, ità, vt vigeat exceſſus in ſpiritualibus, tunc non licèt, aut pecunia, aut re aliqua temporali compenſare, aut inæqualitatem æquare, tunc enim videretur ſpirituale dari pro temporali ſaltem pro parte, quæ ſimonia eſſet iure diuino interdicta. At verò ſi inæqualitas ſit in fructibus, & temporalibus prouentibus, & fiat permutatio tradita certa pecuniæ quantitate pro compenſatione ſi id fiat ſine auctoritate ſuperioris ſimoniacum eſt contra ius Diuinum, quocumque modo, & quacumque intentione id fiat; non poteſt enim huiuſmodi compenſatio in pecunia fieri, quin vendatur ſimul id, quod eſt ſpirituale in beneficio contractus ſiquidem ille purus non eſt, ſed mixtus ex permutatione, & venditione, quatenus enim datur ſpirituale pro ſpirituali, & fructus pinguis beneficij ſunt æquales fructibus tenuioris, eſt permutatio, at quatenus datur certa pecuniæ quantitas, pro reliquo exceſſu fructuum æquando, eſt emptio illius portionis fructuum, quæ excedit, vnde ex hac parte non poteſt emi niſi ſpiritualis titulus; pars ſiquidem illa fructuum non emitur, niſi vt adnexa ſpirituali titulo, qui eſt adeò adnexus, vt non poſſit à contrahentibus ſeparari, ergo vendita illa portione neceſſe eſt & titulum ſpiritualem vendi iuxta *tex. in c. ſi quis obiecerit* 1. *q.* 3. aliàs enim liceret dare alicui beneficium non cauſa permuta-

tionis,ſed ſimplicis renunciationis dando gratis titulum ſpiritualem, & recipiendo ab eodem compenſationem fructuum in pecunia numerata, ſaltem quatenus excederent congruã ſubſtentationem,quod quidem nil aliud eſſet, niſi vendere beneficium ratione connexionis. Hoc cum non liceat, nec licebit compenſare inæqualitatem fructuum in pecunia numerata. Et etiam ſi fieret in manu ſuperioris,is tamen non poſſet eſſe Epiſcopus, aut alius quicumque Prælatus inferior Summo Pontifice; ſimoniaca enim eſſet,& contra ius poſitiuum, & contra Diuinum, cum ſacri Canones, & Eccleſiaſtica iura omnem commutationem ſpiritualium cum temporali prohibeant, & nullius ſuperioris auctoritate approbari poſſit *c.fin. de rer.permutat. c.cum pridem de pact. c. nemini 16. q. 7.*& nullibi legitur largita facultas Epiſcopis,aut alijs inferioribus Prælatis circa huiuſmodi commutationem diſpenſandi contra ſacrorum Conciliorum decreta,nec ea aliunde competere poteſt, cum inferior in lege ſuperioris non diſpenſet *c.cum inferior de maior. & obed. in cap. c.quæſitum de. rer. permut.* Datur quidem facultas Epiſcopo, vt beneficium cum beneficio poſſit permutare, at non ſpirituale cum temporali. Vnde ſimonia eſſet contra ius poſitiuum, nec minus contra ius Diuinum, quo vetitum ſpiritualia pro temporalibus, & pecunia tradi, cum enim fructus ſint adnexi titulo non poteſt dari pecunia pro fructibus,quin detur pro titulo, vt inquit Paſchalis Papa in *c. ſi quis obiecerit 1. q.3.* & vbi eſt huiuſmodi connexio,qui vnum vendit,alterum inuenditum non relinquit. Quod ſi Summi Pontificis accedat auctoritas compenſatio huiuſmodi in pecunia poterit fieri, non quidem in vim permutationis, aut per diſpenſationem,quæ non cadit in ius diuinum, ſed immutando materiam facere poterit vt quæ eſſet venditio, non ſit venditio, adeòque neque ſimonia; ſicque non faceret Pontifex, vt ſpirituale cum temporali permutetur, aut ſpirituale ipſum vendatur,ſed(vt exponit *Suarez*)ſeparando à pinguiori beneficio partem fructuum,& applicando illam in ſubſtentationem alterius,qui tenue beneficium recipit,& indulgendo, vt fructus ſic ſeparati pecunia compenſentur, vel etiam permittendo, vt qui recipit beneficium pinguius det aliquid alteri non in compenſationem,aut permutationem pro fructibus, ſed in congruam ſubſtentationem eius, qui tenue beneficium recipit; eſt enim in poteſtate Summi Pontificis diſpenſatio, & applicatio huiuſmodi fructuum, & poteſt conſulere, vt vtrique permutanti congruè prouideatur pro ſubſtentatione,vndepoteſt huiuſmodi pecuniam nudare à ratione pretij,& induere eam ratione ſtipendij,& ſubſtẽtationis,tuncq; ſi pura ſit intentio ceſſabit ſimonia. Subtile quidem inuentum, ſed quod tanquam periculoſum praxis non commendat, vtcumque omnia poſſit *Deo æqua poteſtas*.

Ex quibus facile eſt, ac omninò obuium reſpondere quæſito, an ſcilicet poſſit ità fieri permutatio, vt ſuper altero ex beneficiis, quæ permutantur ad fauorem vnius ex permutantibus imponat penſio? nam primò ſi fiat id auctoritate propria, & voluntate permutantium nihil agitur, & ſimoniaca omninò erit permutatio, & ſi ad permutanda beneficia conſenſus, & decretum ſuperioris interueniat, pactio enim huiuſmodi vetita eſt à iure; vt ſupra iam eſt oſtenſum, quo nomine factum, vt exiſtimarint plerique, hanc ſimoniam eſſe tantùm contra ius poſitiuum, cum nihilominus verè dici poſſit eſſe contra ius diuinum, cum euidenter detur ſpirituale

rituale pro temporali; penſio enim huiuſmodi propria auctoritate conſtituta merè temporalis eſt, & pretio æſtimabilis, ſuppoſito præſertim, quod quamuis ſuperior permutationem approbet, nihil tamen de penſione norit.

Immo etſi præciſè in penſionem conſentiret, nihil tamen proficeret, cum ipſi conceſſa à iure facultas ſuper beneficiorum permutatione, purè, & ſimpliciter ea facta competat, non autem aſſignata penſione, vnde in *c. vn. de rer. permut. in 6.* dicitur *liberè, & ſine fraude*. Epiſcopus enim beneficiorum diuiſionem facere non poteſt contra expreſſam iuris conſtitutionem, *vt beneficia Eccleſiaſtica ſine diminutione conferantur*, & *c. niſi eſſent de præb.* vbi tolerat Summ. Pontifex aſſignationem certæ annuæ quantitatis ſuper prioratu, & moderamen iniungit ratione reddita, *ne forte circa prouentus aliqua videatur facta ſectio prioratus*. Aut igitur penſio imponitur beneficio, & tunc non cadit ſub Epiſcopi poteſtate, vt communiter ſentiunt omnes, & praxis, ſeu ſtylus Curiæ obſeruat: vel imponitur perſonæ beneficiati, & tunc eſt onus merè temporale, quod imponi non poteſt in commutatione beneficii, vt iam eſt probatum. Decepit quamplures exiſtimantes in beneficiorum permutatione licitum eſſe Epiſcopo penſionem imponere ad æquandos fructus deciſio *tex. in c. ad quæſtiones 6. de rer. permut.* quem & de penſione loqui credunt, & impoſita ab Epiſcopo, verùm ſi attentè conſideretur propoſita in eo ſpecies nil minus probat. Nam primò non agitur ibi de beneficiorum, ſed de Eccleſiarum permutatione, quas duæ Conuentuales Eccleſiæ ſub ſe habebant; neque vlla ibi imponitur penſio, aut agitur de imponenda penſione, ſed de æquanda per pecuniam inæqualitate poſſeſſionum, ſi enim ageretur de penſione, non opus eſſet diſtinguere contractus, & res permutatas, ſicut ibi diſtinguit Summus Pontifex, & ſeparandas omninò monnit; penſio enim poſſet per ſuperiorem ſuper Eccleſiam, & ſpiritualia iura imponi; non ergo à compenſatione illa pecuniaria, quæ fit pro æquandis temporalibus ſeparatim à ſpiritualium, & Eccleſiarum commutatione rectè infertur ad poteſtatem imponendi penſionem ſuper beneficio, ſed vtique ad facultatem diſtrahendi poſſeſſionem temporalem Eccleſiæ in eius vtilitatem. Nil itaque minùs probatur per eam ſpeciem, quàm licitam eſſe coram Ordinario penſionis impoſitionem in beneficiorum commutatione ad æquandos fructus.

Si verò in beneficiorum inæqualitate, quæ quòad temporalia vigeret imponeretur penſio ſuper beneficio pinguiori auctoritate Summi Pontificis, nulla contraheretur ſimoniæ labes; non ſpectato Eccleſiaſtico iure, quod ſumma poteſtate ſua tanquam ſuperior poteſt ipſe ſoluere, & quæ extat Canonici iuris circa hoc prohibitio, vt ad inferiores Prælatos dirigitur, ità & eos ſolummodo afficit *c. prohibemus de cenſibus*. Non attento iure diuino, quod non afficit in hoc caſu reſpectu Summi Pontificis, aut quia penſio per eum impoſita ex cauſa permutationis, ſpiritualis cenſenda eſt, quia aſſignatur cum ſpeciali onere, & ratione illius, ſicque commutatur ſemper ſpirituale cum ſpirituali, cui ius diuinum non repugnat; aut quia etiamſi penſionem imponat tanquam quid temporale, poteſt illam ſeparare à beneficio pinguiore, eamq; conferre tanquam temporale commodum eius, qui in commutatione dat beneficium pinguius, non tanquam pretium renunciationis, ſed diſpenſatiuè illam conferendo in vitæ ſubſidium; ſicque nullo modo læditur ius

Diuinum, cum non tam ex paciſcentium commutatione, quam ex Summi Pontificis prouidentia aſſignetur, quæ ſanè eſt valde notabilis differentia inter Summum Pontificem, & inferiores Prælatos. Hi enim non poſſunt de Eccleſiaſticis redditibus diſponere ad arbitrium quantumuis prudens, ſed tantùm, quatenùs Canones ipſi largiuntur, quos limites ſi excedant nihil agunt ex defectu poteſtatis. At Summus Pontifex ſuprema poteſtate ſua poteſt materiam ſimoniæ tollere, vel adnectendo temporalia ſpiritualibus, vel ſeparando, & alio iuſto titulo conferendo, qua mutatione facta, nec humanum, nec diuinum ius lædit; & ideò tutiſſima conſcientia permutantes poſſunt primum, ſecum conuenite de penſione imponenda ſuper alterutro pinguiori beneficio cum reſpectu, & ordine ad beneplacitum Summi Pontificis. Hæc conditio diutiùs cæteris non detinuit, & meritò, cum in praxi ſit omnium potiſſima; reliquæ breuiter recenſentur.

Requiritur igitur in permutatione conſenſus illorum, ad quos collatio, electio, ſeu præſentatio pertinet; ipſorum enim intereſt, licèt Epiſcopus omnia debeat expedire, non enim ſunt ipſi priuandi iure ſuo *Gloſ. ad c. vn. in verbo collationem de rer. permut. in 6.* vnde ſi permutetur beneficium, quod ſit iuriſpatronatus, ſine conſenſu patroni non poterit fieri permutatio, quæ tamen non erit ipſo iure nulla, ſed poterit ab eo, cuius conſenſus requiritur ex poſt facto, aut rata haberi, aut eo petente, & agente reſcindi, vt cum alijs *Azor.* *Inſtit. moral. p. 2. l. 7. c. 39. q. 32.*

Præterea facta à permutantibus in manu ſuperioris reſignatione, eaque ab eodem admiſſa, collatio beneficiorum ſic vacantium erit facienda: *Clem. p. vn. de rer. permut.* Indeque intulit *Azor.* *Vbi ſup. q. 10.* quod ſi beneficia, quæ permutantur ſint reſeruata Summo Pontifici, inferior ex permutatione ea conferre non poterit, quod ſenſit & *Gonzal.* *Gloſ. 14. à n. 43. Gloſ. 15. §. 2. à n. 57.* quamuis voluerit admiſſionem reſignationis ex cauſa permutationis tacitam collationem continere, quæ vtique ſufficiat, & facta collatione literæ permutationis ſimul expedientur. Et denìum antequam capiatur poſſeſſio beneficiorum à permutantibus facienda erit publicatio permutationis iuxta conſtitutionem Gregorij XIII. de qua infra cum de reſignatione agemus.

Sunt hæ conditiones in permutatione beneficiorum ſeruandæ, quas ad quatuor magis communes maioris breuitatis cauſa redegit *Suarez* *d. lib. 4. c. 34. n. 19* ad hoc vt permutatio fiat ſine vlla ſimoniæ labe. Prima, vt res ipſæ permutabiles ſint ex natura ſua, & quod nullo Eccleſiaſtico iure ſint vetitæ permutari; ſicque vtraq; ſit ſpiritualis, & in alium transferibilis. Secunda, vt permutatio fiat auctoritate ſuperioris Prælati, ad quem de iure id ſpectat. Tertia, vt ſine Summi Pontificis auctoritate nullum onus imponatur, nullaue fiat exactio. Quarta vt nullum pactum priuatim inter partes fiat, niſi in ordine ad conſenſum Pontificis, vel Prælati, qui poſſit illi auctoritatem dare. His ſeruatis ſubſiſtet permutatio ab omni ſimoniæ ſuſpicione immunis; De Permutatione ſatis. Iam ad renunciationem, ſeu reſignationem, de qua §. ſequentem inſtituemus.

---

## De Renunciatione, ſeu Reſignatione Beneficiorum.

### §. I.

1 *Quid Nominis, renunciationis, & reſignationis.*

2 *Quid rei per definitionem, quæ per partes explicatur.*

3 *Re-*

3 *Renunciationis diuiſio multiplex, & primò in tacitam, & expreſſam, quæ vtraque declaratur.*

4 *Subnectitur ſecunda, vt alia ſit renunciatio pura, & alia conditionalis, ſeu ad fauorem, & vtraque examinatur.*

5 *Cauſæ ad renunciationem requiſitæ.*

6 *Limitationes adnectuntur caſuum, in quibus nequit fieri renunciatio.*

7 *Bulla, & conſtitutio redditur de publicandis reſignationibus.*

DIximus ſupra ſæpius, permutationem beneficiorum renunciationem inuoluere, & mutuam eſſe renunciationem, quæ à ſuperiore debeat admitti; meritò de renunciatione ipſa ſubnectimus, eam conſideraturi non tam, vt quæ vacationem inducat, de qua Cap. ſeq. ſumus tractaturi, ſed quæ dicat actum circa rem beneficiariam, & Eccleſiaſtica beneficia frequentem, cuius noſſe præcipua capita, nec inutile erit, nec iniucundum lectori beneuolo.

1 Et vt à nomine exordiamur, renunciare apud iuris ciuilis, & probatæ latinæ linguæ auctores multipliciter ſignificat, vt accuratè recenſuit *Barnab. Briſſon.* at illa potior ad rem ſignificatio, quæ abdicationem iuris, aut rei ſibi competentis deſignat, in quem ſenſum renunciare conditioni legimus, *l. 1. c. de repud.* legi commiſſoriæ *l. 1. ff. de lege commiſſ.* ſocietati *l. actione 66. §. renunciare ff. pro ſocio*, & ſi quæ conſimilia apud *Briſſon.* & in hunc ſenſum in re beneficiaria renunciationem, & renunciare accipimus; cui & in ſenſu eodem conformis reſignatio, ſiue reſignare, & ceſſio, ſeu cedere; reſignare ſiquidem idem eſt, ac reddere, ſic enim eleganter *Horat.* de fortuna. *De verb. ſign. lib. 16.*

*Si celeres quatit pennas reſigno, quæ dedit.* *Lib. 3. Carm.*

& alibi *Ode 19.*

*Hac ego ſi compellar imagine cuncta reſigno.* *Lib. 1. epiſt. 1.*

Nec minus frequens ad idem terminus, ſeu vxo *ceſſio*, quæ ſtat aptiſſimè pro renunciatione, & vt plura ad id oſtendendum omittamus, in iure ceſſio quæ ex veteri Romanorum formula adhibebatur, ipſiſſimum renunciationis effectum operabatur, nam vt ex *Caio lib. 2. inſtit. notat Cuiac.* & cum eo *Briſſon.* facta rei vindicatione ab eo, cui res in iure ceditur per ſolemnia verba, *Prætor interrogat eum, qui cedit, an contra vindicet, quo negante, aut tacente, tunc ei, qui vindicauerit eam rem addicit, idque legis actio vocabatur*; ſicque in iure cedens renunciabat, ac proinde ceſſio idem ſignificat, ac renunciatio, pròvt & hac ipſa ceſſionis voce vſos legimus in reſcriptis, & decretalibus ſuis Pontifices Summos; vt in *c. ex literis 10. de exceſſ. Prælat.* in *c. ſuſceptum de reſcript. in 6.* in *c. quidam cedendi de renunciat. & in Clem. 1. eod.* Non inquiremus ſubtilius an inter ceſſionem, & renunciationem, ſit aliquod diſcrimen, ſat nobis conſtare de promiſcuo harum vocum vſu, eoq; indicato ad definitionem renunciationis, ſeu reſignationis accedemus. *Lib. 22. obſ. c. 27.* *De formul. & ſol. pop. R. verbis lib. 5. p. 375.*

2 Ex auctoritate *Hoſt.* definitur renunciatio, vt ſit *iuris proprij ſpontanea refutatio, ſeu dimiſſio*; paulò aliter ex Petro Rebuffo, *quod ſit iuris proprij ſpontanea, & libera dimiſſio, ſeu ceſſio*; at definitio hæc vtraque latiùs patet, quàm res, quam definire intendimus, nec adæquata ideò dici poteſt, non immorabimur circa alias regerendas definitiones, ſed eam immediatè adnectemus, & quæ rem appoſitè exprimat, & communi voto probetur, quod ſcilicet renunciatio beneficij, *ſit legitima beneficij* *In Summ. tit. de renunciat. num. 2.* *In praxi benef. tit. de reſign. in pr.*

*ficij dimiſſio à ſuperiore admiſſa ſeu approbata*. Quæ definitio ea omnia virtualiter continet, quæ ampliori aliquanto definitione ſua complexus eſt *Flamin.Pariſ.* Dimiſſio in definitione ſtat loco generis, quia hic terminus latitudine ſua aptus eſt quamlibet iuris proprij abdicationem complecti, eoque vtitur Pontifex in *c. ſi beneſ. de præb. in 6. & in Extrauag. execrabilis de præb.* & in definitione à ſubiecta materia ad beneficium contrahitur, quod adijcitur *legitima* conditiones renunciationi neceſſarias virtualiter continet, dum enim dicimus *legitima*, renunciationes per vim, aut per dolum factas excludimus; ſicut & factam beneficij non ſui, aut coram non ſuo Præſule, vel ſine legitima cauſa, quæ omnes, & ſi quæ conſimiles ſunt à iure improbatæ, *c. ſuper hoc de renunciat. c. ad audientiam de his, quę vi, metuſue cauſa fiunt c. dilectus de prębend.* Additur *beneficij*, vt enim propria ſit renunciatio, debet renuncians habere ius in re, non tantum ius ad rem, vbi enim ius ad rem renunciatur ceſſio magis, quam renunciatio in rigore dicitur, vt obſeruat *Pet. Greg.* clauditur *à ſuperiore admiſſa, ſeu approbata*, quibus verbis & iuſtitia cauſæ innuitur, qua fieri debet renunciatio, ſuperior enim non approbat, niſi omnia neceſſaria adeſſe cognoſcat, & inter ea iuſtam cauſam; neque enim inconſultò, & temerè facienda eſt renunciatio; inde etiam neceſſaria indicatur ſuperioris auctoritas, & conſenſus, tanquam de ipſius renunciationis ſubſtantia *c. admonet, & ibi continenter ſcribentes de renunciat.*

*D: reſign. beneſ. lib. 1. q. 1. n. 34.*

*Syntag. Iur. lib. 17. c. 17. num. 21.*

Dum exactior vigeret Eccleſiaſtica diſciplina longè etiam difficilior erat renunciatio beneficiorum, non enim facile adeo audiebantur renunciantes; vt aliàs notauimus ad ordines promotus, & mancipatus, ac addictus Eccleſiæ alicui manere immobiliter in eadem Eccleſia tenebatur *c. Clericus 21. q. 1. perpetuò perſeueret*, ait *Can. Sanctor. 70. diſt.* exemplo conditionalium, & adſcriptiorum hominum *l. defenſores c. de iure fiſci*, qui ad aliam dignitatem officium, aut militiam adſpirare non poſſunt, *l. ſcripturas c. qui potiores in pig. hab.* At hæc forſan tunc maximè obtinebant, cum nondum erecta eſſent, & inſtituta Eccleſiaſtica beneficia, quibus erectis aliquantò facilior reddita eſt renunciatio. At certè per ordinationem, & quæſitum beneficium matrimonium ſpirituale inter titularem, & Eccleſiam contrahitur, quod vnius tantum partis arbitrio diſſolui non poſſit, *c. cum inter Canonicos de elect. c. inter corporalia de tranſlat. Epiſc.* & ideò iuſtiſſimè ſuperioris auctorias, & licentia requiritur exemplo legum ciuilium, quæ legatos Cæſaris, præſides, & Correctores prouinciæ abdicare magiſtratum non patiuatur, ità vt abdicans ſine nutu Principis nihil agat, at conſenſu populi, vel Principis rectè abdicet *l. 2. §. cum placuiſſet ff. de orig. iur.* & non ſemel apud *Liuium* conante ſe abdicare Magiſtratu prohibet Senatus, & populus, vt notauit *Cuiac. ad d. l. pen. ff. de off. Præſid.* *Lib. 6. & 37.*

3 Admiſſo igitur iuris auctoritate renunciationis vſu iam diuiditur renunciatio, vt alia ſit tacita, & alia expreſſa. Tacita eſt, quæ deſumitur ex aliquo actu, qui ſit retentioni contrarius, eo ſiquidem facto, renunciaſſe beneficiarius præſumitur beneficio; ità *Tholoſ.* qui exemplum præbet in illo, qui facit actum, ex quo lex inducat priuationem, vt ſi quis in minoribus ordinibus conſtitutus matrimonium contrahat, vt in *c. 1. & c. quod à te 3. de Cler. coniug.* cum enim carnis illecebris, & Eccleſiaſticis obſequijs ſimul vacare non valeat illas per matrimonium eligens, his renun-

*In inſtit. rei beneſ. c. 28. n. 4.*

nun-

nunciare, ad quæ per beneficium obligatur, & beneficio ipſi præſumitur, vel ſi quis beneficium habens aliud incompatibile recipiat, renunciare primò eo ipſo intelligitur *c. de multa*, & *Extrauag. execrabilis de præb.* ità innuente *tex. in Clem. gratiæ de reſcrip.* verùm ſi rem attentè conſideremus, quamuis interpretatiua quædam renunciatio in vtroque hoc caſu aſſignari poſſit, attamen magis propriè dici poſſe videtur priuatio legis auctoritate ipſo iure inducta, quàm renunciatio, lex ſiquidem vacationem inducens non innititur aliquo actu, ex quo renunciationem præſumat, ſed potiùs priuationem, & vacationem auctoritate, & placito ſuo inducit, quod in ſui ratione longiùs diſtat à renunciatione, nec quid magis probat *Clem. gratiæ de reſcrip.* quæ de ſimplici expectatiua, non de beneficio loquitur, quæ tantùm ius ad rem acquirit, cum beneficium ius in re ſupponat, quod altiùs hæret. Ideò poterit aptiùs aſſignari renunciatio tacita, vt ſit illa, quæ non ex verbis, ſed ex facto aliquo ad renunciationem accommodo à iure inducitur, vt in *c. ex tranſmiſſa 3. de renunciat.* vbi ex facto repetentis bona in Eccleſiam collata arguitur eius intentio renunciandi eandem Eccleſiam, immò & ipſa renunciatio, & in *c. ex ore 3. de his, quæ fiunt à maiori parte cap.* vbi ex reuerentia præſtita alicui tanquam præpoſito cenſetur quis iuri ſuo renunciaſſe, in vtroque enim textu factum interuenit, ex quo ius præſumptionem rationabilem elicit renunciationis; vnde ſi ſic operantes proteſtationem aliquam adhibuiſſent, qua præſumptionem excluderent, ius proprium præſeruaſſent; cum tacita hæc renunciatio à mente, & intentione ipſius operantis dependeat, qua declarata per proteſtationem ceſſat omnino præſumptio; at ſi ageretur de priuatione à iure inducta quantumuis proteſtaretur; nil tamen ageret. Vt ſi quis acceptaret beneficium ſecundum incompatibile, quantumuis proteſtaretur, adepta pacifica poſſeſſione ſecundi non impediretur, quo minus vacaret primum, quo priuatur à iure, nec quidpiam pendet priuatio ab eius intentione.

4 Renunciatio, ſiue reſignatio expreſſa illa eſt, quæ fit à reſignante verbis accomodis ad voluntatem ſuam expreſsè declarandam, vel ſcripto iuxta formam à iure præſcriptam ad renunciationem ipſam celebrandam. Hæc ipſa duplex eſt; alia enim eſt pura, & ſimplex ex mera liberalitate reſignantis procedens, ſine vlla adiecta pactione, aut conuentione. Alia verò conditionalis, quæ non liberè, ſed in fauorem certæ perſonæ efficitur, aut aliqua adiecta pactione, aut conuentione.

Inter vtramque hanc renunciationem duo notabilia vigent diſcrimina; Primum, quod renunciatio ſimplex, ſiue pura poteſt fieri coram Epiſcopo Diœceſano, ſeu Ordinario *c. admonet*, *c. quod in dubijs*, & paſſim *toto tit. de renunciat.* Renunciatio verò conditionata non item poteſt fieri coram Ordinario, ſed vtique coram Summo Pontifice, à multis enim ſæculis ſtylus Romanæ Curiæ obſeruat, vt recipiantur, & admittantur renunciationes ad fauorem Tertij, cum acceſſu, regreſſu, penſione in fauorem, & cum qualibet rationabili conditione. Ratio diſcriminis in promptu eſt, quam exhibet *Suarez*. *Tom. 1. de Relig. lib. 4. de ſim. c. 35. num. 2. & 3.* Quia renunciatio huiuſmodi conditionalis, quamuis non contineat ſimoniam contra ius diuinum, cum nihil detur temporale pro ſpirituali, immò nihil offeratur, ſed fiat tantùm ſub certa conditione, & ad fauorem certæ perſonæ, quod nullo modo pugnat cum Chriſti Domini verbis, *gratis accepiſtis, gratis date*. Et nihil inuoluit inordi-

natum,

natum, ſi fiat in fauorem certæ perſonæ, ſed tamen dignæ inducit nihilominus ſimoniam contra ius humanum, ſeu poſitiuum; generales enim ſunt iuris regulæ, vt in huiuſmodi ſpiritualibus non debeant interuenire pactio, modus, ſiue conditio. Quæ in conditionata renunciatione interueniunt; hucque referri poteſt *tex. in c. vn. de rer. permut. in 6. in Clem. vn. eod. in c. dilecto de preb.* ibi *liberaliter reſignauit*. Verùm quamuis in hiſce iuribus aliquid legatur, quod ad excludendam reſignationem ad fauorem poſſit adaptari, attamen facilè poſſunt huiuſmodi interpretationes elidi adeo, vt cum veritate dici poſſit, nullam extare iuris expreſſam conſtitutionem, quæ renunciationem hanc conditionatam damnet, quæ nihilominus iuſtè exploſa dici poteſt ea potiſſimum ratione, quia ſcilicet conditionatæ iſtæ renunciationes ſubiectæ ſunt multis fraudibus, & deceptionibus, vnde præſumuntur ſimoniacæ, & eo nomine, quod non præſumitur quis ſponte renunciare beneficio ſibi laboribus, & impenſis quæſito, & quo ſuſtentari debeat, vt inquit *Clem. III. in c. ſuper hoc de renunciat.* ideòq; latere aliquid rationabiliter creditur, propter quod ad renunciationem in fauorem redigatur, præcipuè ſi ſit renunciatio conditionata vera conditione, rigoroſa, & ſuſpenſiua, qualis eſt, quæ hodie ad fauorem practicatur adiecta clauſula conſueta, ***non aliàs***, ***aliter***, ***nec alio modo*** &c.

Hæc ſiquidem coràm alio, quàm Summo Pontifici fieri non poteſt, nec poteſt ab inferioribus Prælatis admitti. Obſeruat hìc *Suarez* aliunde meliùs huiuſce prohibitionis probationem deſumi non poſſe, quàm ex perpetua Eccleſię traditione, & conſuetudine vetante, ne inferiores Prælati renunciationes conditionatas admittant, quæ conſuetudo ſubinde teſtatur, & declarat Summum Pontificem haſce renunciationes ſibi reſeruaſſe, præſertim cum ipſius renunciationis conditionatæ vis impediat, quò minùs inferior eam admittat, nam nemini poteſt conferri de nouo beneficium, niſi primo actu ipſum vacet, ſicut factum videmus in permutatione beneficiorum in *c. vn. & Clem. vn. de rer. permut.* at verò in renunciatione facta ad fauorem non vacat beneficium, niſi primo deſtinato per fauorem conferatur, non enim priùs impletur conditio: igitur inferioris Prælati auctoritas ad hoc non eſt ſufficiens; indeque conſequitur, quod ſi fieret renunciatio ad fauorem in manu Epiſcopi, & fieret cum eo pactum, vt perſonę in renunciatione expreſſæ conferret, hæc conuentio eſſet ſimoniaca non quidem contra ius diuinum, ſicque non prohibita, quia mala, ſed contra ius Eccleſiaſticum, ideòque mala, quia prohibita à iuribus vetantibus pacta illicita in renunciatione. At verò ſi non intercederet pactum, ſed reſignans tentaret ſimpliciter hunc renunciationis modum, malè quidem ageret, ſed propriè dici non poſſet ſimoniacus, non enim eſt aliqua ibi commutatio vnius cum alio, ſiue mentalis, ſiue realis; ſimonia enim committitur in commutationibus voluntarijs, quæ aut venditiones ſint, aut imaginem aliquam, & ſpeciem venditionis præſeferant, qualem in hac renunciatione, ad fauorem non intuemur, immò nullus eſt ibi contractus oneroſus, ſine quo nulla eſt ſimonia. Quid autem eſſet cenſendum de Epiſcopo, qui huiuſmodi renunciationem acceptaret ſine aliquo pacto, & quatenus poſſit reiecta conditione ipſam acceptare vid. *Suarez*. Tradita hactenus conſuetudinis, & Eccleſiaſticæ obſeruationis fundamenta normam demum, & à ſcripto iure ſumpſerunt, *Vbi ſup. nu. 9. & ſeqq.*

Sanctiſ-

*In Bullar. nou. tom. 2. p. 190.*

Sanctiſſimus enim & B.Pius V.Pontifex Maximus motu proprio constitutionem edidit,qua remota ſuſpenſione, quam antea circa renunciationes indixerat,libertatem quidem relaxat, ſed enumerat, ac præfigit caſus, & cauſas, propter quas ſolummodo renunciatio fieri valeat in manibus inferiorum,ſed præſertim §.4. eius conſtitutionis diſtrictiſſimè vetat, ne verbo, facto,hortatu, aut quauis intentione ſucceſſores in benificijs renunciatis deſignent.Qua ſtante conſtitutione de illicita renunciatione ad fauorem ex iure ſcripto non eſt ambigendum, nec de ea diſputandum.

Renunciationi ad fauorem proximè accedit & illa, quæ ſit facta cum penſione, & de hac cenſendum, eſſe ipſam reſeruatam Summo Pontifici, à quo concedi poteſt,quia poteſt ipſe penſionem imponere, & renunciationem ad fauorem acceptare, & ideò quamuis duæ iſtæ conditiones coniunctæ gratiam difficiliorem reddant, non excedunt tamen Pontificis auctoritatem, qui renunciationem ad fauorem tertij cum annua penſione poteſt admittere; cum poſſit ipſe penſionem imponere ſub titulo ſpirituali,quo caſu tota commutatio inter ſpiritualia efficitur;immò poteſt imponere penſionem antequam conferat beneficium illi, in cuius fauorem facta eſt renunciatio, vel etiam ſi ſimpliciter, & purè facta ſit, quo caſu conferet cum penſione cuicumque conferre voluerit. An autem liceat Epiſcopo renunciationem admittere cum penſione, opportuniùs examinabimus, cum de penſionibus agentes inquiremus quinam poſſint imponere penſiones; illud interim addemus, quod facilè in praxi cõtingit,& circa quod blandiuntur ſibi homines,& doctrinas ad intentum ſuum per vim detorquent; in renunciatione cum penſione priuatim non eſſe adijcienda onera, quæ in ipſa penſione non ſint comprehenſa, nec approbantur à Summo Pontifice; vt ſi ex præuio pacto obligetur ille, qui recepturus eſt beneficium ad dandam laicam cautionem pro ſecuritate penſionis, vel ad faciendam ſolutionem aliquam in anteceſſum; ſicuti ſi is, qui renunciat litem paſſus eſſet in conſequenda pacifica poſſeſſione beneficij, non poſſet conuenire,vt huiuſmodi impenſę ſibi reſtituantur ab eo, in cuius fauorem reſignat;ſimoniaca ſiquidem eſſet huiuſmodi pactio, & quod grauius eſt, contra ius Diuinum, quia illud onus ſoluendi huiuſmodi expenſas non eſt adnexum, aut connaturale beneficio, ſed extrinſecum, & accidentarium, vnde non imponitur niſi quia datur beneficium, ſicque exigitur pro beneficio, adeòque temporale pro ſpirituale,quod ius Diuinum vetat, expenſæ enim huiùſmodi factæ ſunt in vtilitatem eius, qui tunc litigabat,& ille,cui poſtea confertur beneficium, non fuit cauſa huiuſmodi expenſarum; ac proinde non poſſunt ab illo exigi,& ſi exigantur, exiguntur ratione beneficij, ſicque ſimoniacè, quod improbauit in expenſis extra litem ratione beneficij *tex. in c. ſuper hoc de renunciat.* Quæcumque igitur fiant pactiones in renunciatione facienda ſemper ſunt cum reſpectu ad beneplacitum Summi Pontificis, ipſiq; omninò narrandæ, vt appareat, an eas approbet,an verò improbet,nec licitum poterit vnquam cenſeri, quod ab eius voluntate ſit diſſonum. Dices, ſi in caſu ſupra propoſito de expenſis repetendis ſimonia committitur contra ius diuinum, cum detur temporale pro ſpirituali, quomodo poterit Summus Pontifex hoc pactum approbare cum ſit Simoniacum, & contra iuſtitiam? obligat enim ad ſoluendas expenſas, qui non tenetur. Hac ratione non videtur

quod directè poſſit Summus Pontifex admittere, indirectè tamen, ſi qui fecit impenſas, & renunciat, indigeret, poſſet penſionem eo intuitu aſſignare, vel augere, vel promittere, vt aliquid ei detur in ſubſtentationem, quod facere, etiam ſi huiuſmodi expenſæ factæ non eſſent, liceret, ſi inopia exigeret.

5 Siue per Prælatos, & Epiſcopos, ſiue per inferiores beneficiarios facienda ſit Eccleſiarum, ſiue beneficiorum renunciatio, cauſa aliqua iuſta adeſſe debet, qua cognita, & admiſſa renunciatio ipſa permittatur: cauſæ ad ſex numero recenſitæ leguntur in *c. niſi cum pridem de renunciat.* gemino carmine comprehenſæ in Summ. eiuſd. Cap.

*Debilis, ignarus, male conſcius, irregularis,*
*Quem mala plebs odit, dans ſcandala cedere poſſit.*

Epiſcopalium Eccleſiarum renunciatio hodie fieri non poteſt, niſi concedente, & decernente Summo Pontifice, vtcumque olim cauſa in Synodo cognita, eaq; approbata à Metropolitano, ſeu à Patriarcha fieri poſſet, vt colligitur ex *Can. 16. 1. & 11. Synod. Conſtantinop.* & *not.* ibid. *Theod. Balſam.* & vberius *in ſupplemento*: inferiorum verò reſignationes fieri poſſunt coram Archiepiſcopo, vel Epiſcopo, ſicuti probatur *in cap. admonet de renunciat.* ibi: *abſque aſſenſu ſuo intrare audeant, detinere, aut ſe dimittere inconſulto*; & *in cap. 1. de rer. permut. in 6.* ibi *liberè ſine fraude in manibus ſuis ipſa reſignet*, & probant *Pariſ. de reſignat. lib. 7. quæſt. 14. nu. 1. cum ſeqq.* & *Barboſ. de Offic. & poteſt. Epiſc. alleg. 69. num. 1.* Quod tamen limitatur in reſignatione Beneficij alterius gratia facta, quam ſolus Pontifex admittere poteſt. *Pariſ. de reſignat. lib. 2. quæſt. 1. num. 62.* & clarius *Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſcop. alleg. 50. num. 23.*

*Ad eandem can pag. 1116*

*Vic Conſt. Pij V. 58. tom. 2. Bull. ad rem.*

& de materia videri poteſt Conſtitutio Beati Pij Quinti *la 58. Bullar. tom. 2.*

Si quis ſecus renunciet, & fortaſſe in manu laici, nihil agit, at in renunciantis odium, & pœnã ſuſtinetur renunciatio, *c. quod in dubijs de renũciat. c. ſi quis deinceps 16. q. 7.* factaque ritè renunciatione regreſſus ad beneficium non datur *c. ex tranſmiſſa c. in præſentia b. t.* indeque fit, vt quilibet beneficiarius beneficium quodlibet poſſit renunciare, ſeu reſignare *d. c. admonet de renunciat. c. 2. eod. in 6.* ſiue ſit ſenex, ſiue etiam infirmus, idque attento iure communi, nam extat regula Cancellariæ Apoſtolicæ, quæ inter regulas Sanctiſſimi D. N. Papæ Clementis X. dicitur regula de viginti, & eſt 19. *dicta aliàs de infirmis reſignantibus*, qua cautum, vt ſi quis in infirmitate conſtitutus reſignauerit, ſiue in Romana Curia, ſiue extra, ſiue ſimpliciter, ſiue ex cauſa permutationis, & poſtea ex eadem infirmitate deceſſerit intra viginti dies à die præſtiti conſenſus per reſignantem computandos vacare beneficium ipſum per obitum, & non per reſignationem intelligatur.

6 Verùm, quod diximus poſſe quodlibet beneficium à quocumque reſignari limitandum plurièſ eſt, primò dum reſignans ius in beneficio habeat, aliàs enim nulla erit renunciatio *arg. tex. in c. quod autem ſcilicet de iure patron.* ideò ſi quis ob crimen ſit ipſo iure beneficio priuatus, renunciare hoc beneficium non poterit, ſecundò qui ad titulum alicuius beneficij fuerit ordinatus, reſignare ipſum non poteſt, abſq; facta mentione ordinationis ſuæ, & niſi habeat aliunde, ex quo ſe alere poſſit, aliàs nulla ipſo iure erit renunciatio ex decreto *Concil. Trid. ſeſſ. 21. de reform. cap. 2.* tertiò ſi beneficium aliquod ſit iuriſpatronatus, ſiue Eccleſia-

ſtici,

ſtici, ſiue laicalis reſignari illud non poteſt ſine conſenſu patroni, aut permutari tuncque reſignatio ipſa non quidem erit nulla ipſo iure, ſed potius annullanda, niſi ratihabitio patroni expreſſa, aut tacita accedat, vel accedat Summi Pontificis derogatio, quæ in laicali iurepatronatus expreſſa eſſe debebit, vt tradit *Couar.* idemque dicendum de beneficijs electiuis, quæ ſine *eligentium* conſenſu reſignari non poſſunt, vt ſcripſit *Card.*

*Pract. quaſ. c. 36. n. 1. Ad Clem. vnde renunciat. n. 18.*

His omnibus ad renunciationis ſubſiſtentiam addenda eſt nouiſſima conſtitutio *Gregorij XIII. Summi Pontificis*, qua ſtatuit primò, vt omnes reſignationes cuiuſcumque beneficij, etiam ex cauſa permutationis factæ in manibus Papæ, nec non ceſſione litis, & iurium beneficij per ceſſionarium tempore ceſſionis non poſſeſſi factæ in manibus eiuſdem Papæ, & ſuper eis prouiſiones, ſeu mandata de prouidendo publicari debeant cum literis Apoſtolicis intra ſex menſes, ſi beneficium ſit citra montes, ſi verò vltra montes, intra annum à data conceſſionis gratiæ, non autem præſtiti conſenſus computandos, ſecundò, vt publicatio fiat in Eccleſia Cathedrali, & in Eccleſia, vel Eccleſiaſticis beneficijs, ſi in pluribus ſit, & ſi Eccleſia ſit ruralis in Eccleſia parochiali, cui beneficium ſit ſubiectum, & ſi belli, aut peſtis obſtet impedimentum, in Eccleſia parochiali proximiori, dum adſit populi frequentia ad Miſſarum ſolemnia conuenientis, tuncque publicatio fiat clara, & diſtincta voce ità, vt nomen beneficij, ſeu Eccleſiæ, nec non reſignantis, & reſignatarij percipi ab omnibus poſſit, ac literarum Apoſtolicarum exemplum affixum valuis Eccleſiæ relinquatur. Tertiò, vt reſignationes beneficiorum etiam ex cauſa permutationis in manibus Ordinariorum factæ, aut aliorum inferiorum intra menſem debeant admitti, vel reijci, & ſi per eos facienda fuerit prouiſio, fieri, & prouiſus infra tres menſes à die factæ prouiſionis illam publicet, & poſſeſſionem beneficij capiat, modo, & forma ſupradictis, aliàs nulla ſit prouiſio, & beneficium vacet ipſo iure, eiuſque collatio ad Sedem Apoſtolicam cenſeatur deuoluta. Hæc eſt ſumma Gregorianæ conſtitutionis, cuius effectus præcipuè ceſſabit, ſi fuerit prorogatum tempus, à Summo Pontifice, vel conceſſa reſtitutio aduerſus lapſum temporis præfixi; quæ occaſione huius conſtitutionis, & praxis eiuſdem emergunt diſputant ſcribentes, & præcipuè *Flamin. Pariſ.* ad quem & alios poſt eum remittimus, à quibus ſingularia circa publicationis materiam repeti poſſunt; iam ad Vnionem beneficiorum tranſeamus.

*Tom. 2. Bullar. nouiſſ. p. 353. & 81.*

*De reſig. lib. 11. per tot.*

## De Vnione Beneficiorum

## §. II.

1 *Vnio quid ſit.*
2 *Triplex vnionis modus.*
3 *Vnio duplex; perpetua, & temporalis, & de vario veniendi modo.*
4 *Quæ beneficia poſſint vniri.*
5 *Quis poſſit vnire.*
6 *Quænam iuſtæ cauſæ vniendi.*
7 *Qui vnionis effectus.*
8 *Quomodo vnio probetur.*

RENunciationi beneficiorum adnectimus iuxta capitis principalis inſcriptionem, vnionem eorundem, quæ quidem notabilem immutationem circa beneficia ipſa inducit, vnde & tractatio de eadem opportuna, & vtilis erit.

1 Vnionem beneficiorum definiuit *Petr. Gregor. quod ſit duorum, vel plu-*

*Inſtit. rei benef. c. 20. n. 1.*

*rium beneficiorum in perpetuum coniunctio c.ſicut vnire de exceſſ.Prælat.* Aliquanto latius, ſed in eundem ſenſum *Caccialup. Rebuff. & Barboſa*. *Vnio eſt beneficiorum ſiue Eccleſiarum ab Epiſcopo, vel ab alio ſuperiore facta adnexio*: Vnio meritò dicta, quia ex duabus Eccleſijs, ſeu beneficijs faciat vnum. Vtcumque plures modi vnionis enumerentur, tres tamen potiores tantum recenſemus vna cum *Gloſ. & Tholoſ.*

*Tract. de vnionib. ſed art.1.Tom.15 tract p.1.*

*In praxi benef. de Vnionib. n.1. iur. Eccleſ. Vniu. lib.3.c.16.n.1*

2 Primus eſt, cum beneficia ita coniunguntur, vt ex duobus tantum vnum fiat, & quaſi genus quoddam tertiũ conſurgat, remanentibus vtriuſq; priuilegiis in vno ſolùm, vt in *c. cum dilectus, de his, quæ vi metriſue cauſa fiunt c. recolentes de ſtatu Monach.* & hic omnium propriiſſimus vnionis modus. Secundus eſt quando vna Eccleſia alteri ſubiicitur, & tunc quæ adnectitur non extinguitur, ſed amittit nomen ſuum, & retinet nomen eius, cui ſubiicitur, fitque huiuſmodi ſubiectio per modum vnionis, alias ſola ſubiectio vnionem non induceret, cum per eam bona ſubiectæ non transferrentur in illam, cui ſubiicitur, *c. Paſtoralis de donat. & ibi Gloſ.* Tertius modus eſt; quandò Eccleſiæ vnitæ remanent in ſuo ſtatu, ſed vni perſonæ ſubiiciuntur, puta cum duo Epiſcopatus, aut duæ Eccleſiæ, ità vniuntur vt ab vno, & eodem Prælato ſimul poſſint haberi *c. 1. ne Sede vac. d. c. temporis 16. q. 1.* & exforma, ac decreto vnionis facilè dignoſcetur, qualis ſit vnio, ne exemplis fatigemur.

*Ad c. semper. verb. vnire 10.q.1. Vbi ſup.n. 2.*

3 Quocumque modo fiat vnio, aut fit in vtilitatem perſonæ, aut in vtilitatem Eccleſiæ, indeque duplex conſurgit vnio, vt ſcilicet alia ſit perpetua, alia temporalis; quæ fit in ſolam vtilitatem perſonæ temporalis eſt; nec tamen vno modo hoc intelligi poteſt; Aut enim fit ad vitam, & beneplacitum vnientis, vel ad vitam eius, cui eſt conceſſa vnio; Et tunc certè temporalis eſt *c. ſi gratioſè de reſcrip. in 6.* nam ſi fieret ad beneplacitum Apoſtolicæ Sedis, quæ durabit vſque ad ſæculi conſummationem, aut ſi fieret dignitati, & non perſonæ ſecus dicendum eſſet, mortuo enim eo, qui dignitatem poſſidet, non intereſt dignitas *d. c. ſi gratioſè c. quoniam Abbas de off. & pot. Iud. deleg.* Vnde perpetua dicetur vnio, quæ fit in vtilitatem Eccleſiæ, vt ſcilicet duæ Eccleſiæ inuicem vniantur *c. 1. ne Sede Vac. c. cum veniſſent. de inſt.* & perpetua ideò dicitur, quia Eccleſia numquam moritur, immò, & reſpectu beneficiorum poterit eſſe perpetua, ſi exprimatur in ipſa, vt in perpetuum duret, vt in *c. expoſuiſti de præbend.* & hæc expreſſio, ſemper ac facta fuerit, erit irrefregabile perpetuitatis argumentem. Hic autem attentè obſeruandum eſt, ad effectum vnionis dignoſcendum, quo ex ſupradictis modis facta ſit vnio; nam ſi ità fiat vt ex duobus beneficijs, aut Eccleſijs fiat vnum, aut vna, operabitur, vt conſuetudo competens vni, aut priuilegia vni conceſſa competant alteri, & ſi ſint contraria, meliora, & fauorabiliora ſubſtinebunt Canonici qui ſunt in vna Eccleſia erunt, & in alia, & cum omnimoda communicatione erit vnum corpus; & beneficia vnius Eccleſiæ erunt alteri communia. Qui modus vnionis non eſt admodum frequens. Si verò ità facta eſſet vnio, & vna Eccleſia alteri ſubijciatur, & vnum beneficium alteri adnectatur acceſſoriè, tunc ſolum principale remanet, & vnitum acceſſoriè cenſetur extinctum; tanquam factum prædium beneficij principalis, nec acceſſoriè adnexi vlla amplius habetur conſideratio, vt notat ſcribentes ad *c. cum veniſſent de inſtit.* Indeque fit, quod

quod ſi aliqua parochialis fuerit acceſſoriè vnita beneficio ſimplici poterit Epiſcopus diſpenſare, vt illegitimus beneficium illud ſimplex obtineat, quamuis diſpenſare non poſſit cum illegitimo ad Eccleſiam Parochialem *c.1.de fil.presb.* acceſſoriè ſi quidem vnita parochialis ampliùs non conſideratur; & obtinens beneficium ſimplex principale non dicitur conſequi parochialem; haud abſimilitèr in *c. licet Canon. de elect. in 6.*cauetur, vt obtinens parochialem teneatur intrà annum ſe promoueri facere ad ſacros ordines; Et hæc conſtitutio illum non obligabit, qui obtineat beneficium ſimplex, cui acceſſoriè ſit vnita parochialis, eadem ratione, quia cum parochialis ſit acceſſoriè vnita beneficio, qui conſequitur beneficium principale, non conſequitur parochialem Eccleſiam, vndè nec aliquid piam tenetur, ad quod parochialis obliget, qua attenta generali doctrina, ad caſus conſimiles facilis eſt illatio, ne in ijs ſingulis regerendis parum vtilitèr immoremur: modo vnionis ſic præmiſſo ad beneficia, quæ poſſint vniri accedamus.

4 Generalitèr omnia beneficia vniri poſſunt; beneficium enim eſt terminus vnionis, & nomen beneficij eſt generale comprehendes beneficia maiora, minora, regularia, ſæcularia, dignitates, perſonatus, & officia *c.1. de reg. iur.in 6. c.extirpandæ §. qui verò de Præb.* Nec beneficia ſolùm, ſed & Eccleſiæ poſſunt vniri, ſicque Epiſcopatus etiam *c. decimas & ſeq. 16.q.1.* Vndè rationabilitèr dictum, beneficia omnia, & Eccleſias vniri poſſe, & antequam vacent, & cum vacant. *Clem. 2. de reb.Eccleſ. non alien.* At verò in vnione facienda vnientis prudentia, & diſcretio deſideratur, non enim parum conſultè quodlibet beneficium, aut Eccleſiam, cuilibet beneficio, & Eccleſiæ vniet, ſed ea, quæ ſymbolum, & proportionem inuicem habeant,& quaſi ſe inuicem rectè compatiantur. *Ne humano capiti ceruicem Pictor Equinam nectat*; Non enim regularia beneficia Parochialibus Eccleſijs debent coniungi, vt cauit *Concil. Tridentinum* in vno enim, & communi officio non debet eſſe diſpar profeſſio; non beneficia iuriſpatronatus laici poſſunt ab Epiſcopo coniungi ſine conſenſu patronorum Collegiatis Eccleſijs, vel in eas connerti; non enim poteſt Epiſcopus ei derogare *c. decernimus 16. q.7. c. cum dilectus de iurepatron.* ſecus in Eccleſiaſtico patronatu vt notat ad *d. c. cum dilectus & ad c. dilectus de off.de leg.* ſic Sede vacante eius beneficium vniri non poteſt, & vnio facta reuocatur carente Eccleſiæ defenſore ſuo, *c.1. ne Sede vac.aliquid innou.* quamquam beneficia vacantia Epiſcopus vnire poſſit *d.Clem.2.de reb.Eccl. non alien.* Neque obſtabit vnioni, quod Summus Pontifex reſeruauerit ſibi beneficium, quia vnio reſpicit proprietatem beneficij, & collatio Papæ, quæ fit propter reſeruationem, reſpicit fructus beneficij, & ideò ſubſiſtit vnio, quamuis effectus vnionis ſuſpendatur pro eo tempore, quo confertur beneficium, ideòq; & vniri poſſet ab Ordinario beneficium, antequam vacet, quod contineretur ſub expectatiua generali, vel mandato Apoſtolico, quia cum vnio fiat ex neceſſitate Eccleſiæ, valere debebit *l.peto §.1.ff.de leg.2.*& Mandatarius generaliter eſt expectans, ad omnia beneficia priùs vacatura adſpirans,vndè beneficium ſingulare non videtur ei debitum *l. cum optio ff.de opt.leg.* Beneficia etiam aliquot ſimplicia, cuiuſcumq; qualitatis,& dignitatis fuerint, vel præſtimonia etiam ante vacationem vnire poteſt Epiſcopus Seminario ex decreto *Concil.Trident.* dummodo non vniat omnia

*Seſſ.24.c.13. de reform.*

*Seſſ.23.de reform.c.18.*

omnia beneficia ſimplicia, nec aliquot beneficia ad Collationem inferiorum ſpectantia, non Canonicatus, non beneficia Iuriſpatronatus etiam Eccleſiaſtici, non reſeruata Apoſtolicæ Sedi poſt ipſorum vacationem, non vacantia in menſe reſeruato, vt notat *Garz.* idemque dicendum ſi vniret beneficia ante ipſorum vacationem, ſi tempore vnionis erant affecta puta, quia eſſent ſubcollectorum familiarum, militum, vel officialium Curiæ, vt ſcripſit idem *Garz.*

*De benef. p. 12.c.2.n.102.*

*Nu. 106. vbi ſup.*

5 Vnire poteſt Summus Pontifex Romanus tam Epiſcopatus, quam omnia alia beneficia, ſed Epiſcopatus ipſe ſolus *c. ſicut vnire de exceſſ. prælat. c. temporis c. poſtquam hoſtilis 16. q. 1. c. quod translationem de off. leg.* cum in beneficialibus pleniſſimam habeat poteſtatem *c. 2. de præb. in 6. Clem. 1. vt lite pend.* Proximus poſt Pontificem eſt Legatus à latere, qui, & ipſe beneficia poteſt vnire, cum omnia poſſit in prouincia ſua, quæ poteſt Epiſcopus in ſua Diœceſi; immò, & in eadem prouincia maior Epiſcopo eſt; *c. 1. de off. leg. in 6.* Epiſcopatus tamen vnire non poteſt quia id vnius Pontificis proprium *d. c. niſi c. quod translationem de off. leg.* & ſi vniat beneficia id faciet ſine Epiſcopi detrimento ità, vt in totum non eximat à iuriſdictione Epiſcopi, & ſubiectione, & quamuis vniendo auferat Epiſcopo collationem, ſubſiſtet vnio, dummodò ipſi Epiſcopo ſit ſalua ſubiectio, obedientia correctio, & integra eiuſdem iuriſdictio, *c. fin. de confirm. vt vel inut.* Vnde ſi ex vnione maius præiudicium, quam collationis Epiſcopo obueniret, neceſſarium fore conſenſum ipſius Epiſcopi æquius cenſuit *Rebuff.*

*C. ſicut vnire*

*De Vnionen. 3.*

Archiepiſcopus etiam in ſua Diœceſi vnire poteſt beneficia, cum in eadem Epiſcopali poteſtate gaudeat; & tantum valeat, quantum Epiſcopus in ſua. At verò beneficia, quæ pertinent ad ſuffraganeos ſuos vnire non poteſt *d. c. ſicut vnire de exceſſ. prælat.* habet enim in ſuffraganeos ſuos Iuriſdictionem in caſibus à iure expreſſis, ſed non liberam, & ideò extrà illos caſus non poteſt eorundem auctoritatem minuere *c. 1. de foro compet. in 6.*

De Epiſcopo nulla eſt dubitatio, quin beneficia ſuæ Diœceſis poſſit vnire *d. c. ſicut vnire*: Verùm hæc authoritas in Epiſcopo in duplici caſu reſtricta eſt primus, quo caſu beneficia eſſent exempta à iuriſdictione Epiſcopi, tunc enim eius diſpoſitioni non ſunt ſubiecta; & vnio in eo caſu ſpectaret ad Pontificem. Secundus verò, cum vnio fuerit temporalis, & non perpetua, vniones enim ad vitam beneficiarij odioſæ ſunt, vt potè ſi non contra, ſaltem præter formam iuris introductæ, quibus prætexitur color beneficiorum vetitè pluralitati, vndè non tam vnio, quam iuris relaxatio, & diſpenſatio quædam magis videtur, & ideò Epiſcopo non conceditur, quam tamen auctoritatem imminuit in Epiſcopo *Concil. Trid.* primò vt non poſſit vnire beneficia ſuæ Diœceſis beneficijs alterius Diœceſis; ſecundo, vt nec ei liceat vnire parochiales Eccleſias Monaſterijs Abbatijs, dignitatibus, ſeù præbendis Eccleſiæ Cathedralis, aut Collegiatæ, vt latè apud idem *Concil. Trid.* Vicarius Epiſcopi vnire non poteſt, niſi ſpecialitèr ab Epiſcopo id ſibi fuerit mandatum; Capitulum Sede vacante poteſt vnire beneficia, quæ poteſt vnire Epiſcopus, dummodo per huiuſmodi vnionem iuriſdictioni Epiſcopali nihil detrahatur; omnia enim quæ iuriſdictionis ſunt vacande Sede tranſeunt in Capitulum, *c. vn. de Maior. & obed. in 6.* & cum ijs ius vniendi Abbates, & alij Prælati Epiſcopo inferiores,

*Seſſ. 14. de refor. c. 9.*

*Seſſ. 24. de ref. c. 13.*

res, vtcumque ius conferendi habeant, vnire tamen beneficia non poſſunt, niſi id priuilegio, vel immemorabili conſuetudine aut quadragenaria praeſcriptione cum titulo habeant, vt notat *Gloſ.* vel niſi in ſua Diœceſi pleniſſimam iuriſdictionem, quaſi Epiſcopalem haberent, tunc etenim in iuriſdictionalibus in omne poſſunt quod poteſt Epiſcopus vi iuriſdictionis ſuæ, adeoque, & vnire, quod vtique iuriſdictionis eſt, vnde & ab Epiſcopo confirmato, licèt non conſecrato vnio fieri poteſt, vt notat *Socin.*& ad rem *Ab.* & alij.

*Ad Clem. 1. §. ad hæc de ſtatu Monac.*

*Ad d.c. ſicut vnire de exceſſ. Prael.*

6 Ceque ſatis ad vnionem faciendam auctoritas, ſed vlterius iuſta cauſa requiritur, qua cognita, & approbata vnio ipſa fiat, & ſine qua facta vnio non ſubſiſtat, cum ſit contrà ius quià vnumquodque beneficium ſuum Rectorem babere debet; *c. cum non ignores de præb.* Cauſa autem duplex conſiderari poteſt neceſſitas ſcilicet, & vtilitas Eccleſiæ; *c.expoſuiſti de præb.*Neceſſitas tunc adeſſe cenſebitur cum duę Eccleſiæ ſunt adeò tenues, vt ipſarum quælibet ad ſuum titularem ſubſtinendum prouentibus non ſufficiat, *c.vnio* 10.*q.*3.*c.poſtquam* 19.*q.*1. *Clem.ne in agro §. ad hæc de ſtatu Monac.* Appoſite ad rem Pelagius Papa in *c. poſtea quam* 25.*q.*2.*Sancta Romana Eccleſia ſua auctoritate congregata valet diſtinguere, & diſiuncta congregare, rationis tamen æquitatę conſiderata; vnde vel pietatis, vel neceſſitatis intuitu ſemel à ſe conceſſa valet, vel in totum, vel in partem commutare.* Neceſſitas etiam iudicabitur ſi ſit deſtructa ab hoſtibus, vel deſolata Eccleſia *c.*2.*de relig. Dom.* Vel populus valde imminutus *c.*2.*& c. fin.de Eccl. ædif. c.temporis* 16.*q.*1.& ideò paupertatis, & hoſtilitatis neceſſitate Sedes Epiſcopales duæ ad vnam redigi poſſunt *c.fin.verſ.hoſtilitatis* 25. *q.*2.*vbi Gelaſ.Papa*, vtilitatis caſus ex eo probabitur, quod propter fructuum tenuitatem non inueniantur, qui idonei beneficio valeant deſeruire, vel Eccleſiæ Cathedrali præeſſe *d.c.expoſuiſti de præb.* quod ſi cauſa adeſſet, & recuſaret Epiſcopus vnire, poterit ſuperior adiri *c.nullus de iurepatron.* & in hac cauſæ cognitione vocandi erunt illi, quorum intereſt coram Epiſcopo, qui vnionem facturus eſt, *Clem. fin. de reb. Eccleſ.non alien.* Immò, ſi Pontifex ipſe ſummus vnionem faciat, de cauſa in partibus inquirendum erit, aliàs non ſubſiſtet vnio, vel ſaltem erit annullanda, ſi ea facta cum debita forma, & ſolemnitate, cauſa vera non fuerit *Gloſ. ad c.ſine exceptione* 12.*q.*2.

7 Ab hac vnionis conſtitutione facile erit deſumere, qui ſint vnionis effectus; primus erit, vt beneficium adnexum, & id cui adnectitur ſint vnum beneficium,& poſſint ab vno,& eodem ſine diſpenſatione ad plura retineri, *c. ſuper eo de præb.in6.c.eam te.de æt.qual. & ord. pr.fic.* ſecundus, vt beneficium menſæ vnitum non vacet mortuo eo, cui credita eſt eius adminiſtratio. *Clem.frequens de exceſſ.Prælat.* Tertius; beneficiorum vnitorū vacatio non fit alterutrius ipſorum, ſed vtriuſque,& ambo ſimul, & non vnum vacat, ſicut & vtriuſq; fit collatio ſimul *Gloſ.ad c.gratia verbo de iure teneri de reſcrip. l.ſi communem ff. quemad. ſeru. amitt. l. vna eſt via ff.de ſeruit.ruſt.præd.* Vndè ſi viuente titulari beneficium ſit vnitum, mortuo titulari beneficium non vacat, nec tanquam vacans poteſt impetrari, vnitum enim cenſetur extinctum, vt notat *ad.c.cum acceſſiſſent de inſtit.* Vndè nec habens expectatiuam ex mandato Apoſtolico poterit in huiuſmodi beneficio ipſam adimplere. Quartus, qui poſſidet vnita beneficia poteſt in altero reſidere, & ab alterius

rius

rius reſidentia liberatur ſeruiendo ipſi per ſubſtitutum, *c.temporis 16. q. 1. c. extirpandæ* §. *qui verò de præb.* Quintus, cum Eccleſia alteri vnitur amittit naturam ſuam, & eius induit, cui vnitur, *c. recolentes de ſtatu Monach.* & ſi duo beneficia æqualiter inuicem vniantur, communicant ſibi iuicem priuilegia meliora, quæ ideò non intereunt, ſed conſeruantur; quod ſi duæ Eccleſiæ ità vniantur; vt non fiat omnimoda confuſio, vt cum vniuntur duo Epiſcopatus diuerſorum Archiepiſcopatuum, quælibet Eccleſia remanet ſub ſuo Archiepiſcopatu, & vnuſquiſque Archiepiſcous retinet ius ſuum *c. quia Monaſterium de relig. Domib.* vnio enim intelligitur facta ſine Epiſcoporum præiudicio, etiam ſi ſit confirmata à Summo Pontifice *c.fin.de confirm. vt vel.inut.c.ecce 99. diſt.c.peruenit.* 11. *q.1. c.ex parte de priuileg.* & ex hiſce potioribus effectibus alii omnino conſectarii poterunt deſumi.

8 Vnio meri facti eſt, & vnire odioſum, ideò non præſumitur, ſed probanda eſt ab eo, qui ipſam aſſerit, vt ſcribit *Menoch.* Probatur autem per decretum, & inſtitutum vnionis, ſi extet, ſin minus ex immemorabili tempore, quo beneficium extiterit vnitum, & vt tale habitum, ac poſſeſſum; vel quadragenaria præſcriptione cum titulo habili ad præſcribendum, ſi agatur tamen de vnione acceſſoria, & tituli extinctiua, ſecus ſi æquè principaliter facta, in qua vtrumque beneficium in ſuo eſſe manet & id ſolùm per eam intenditur, vt vnus ſit vtriuſque beneficij rector, cui non adeò reſiſtit ius commune, vnde nec immemorabilis requiritur ad eam probandam, nec quadragenaria cum titulo, ſed ſat erit ſola quadragenaria etiam ſine titulo cum bona fide tamen. Probatur item vnio ex pluribus enunciatiuis in varijs inſtrumentis, & ſaltem duobus, iiſque antiquis inſertis, ex quibus beneficia ſaltem virtualiter enuncientur vnita, dummodo inſtrumenta originem habeant à perſonis diuerſis, & non ſuſpectis, & præcipuè ſi enunciatiuæ ſint ab ijs, qui vnionem facere poſſunt, & demùm probatur vnio ex teſtibus de publica voce, & fama ipſius vnionis deponentibus, dum tamen ſimul, & titulus probetur, pròvt de ſingulis hiſce probandi modis pluribus *Garz.* &c. Odioſa autem adeò eſt vnio, vt Pontifices Summi Regulas Cancellariæ Apoſtolicæ edentes *reg.* 13. omnes vniones reuocent quocumque modo factas, ijs exceptis, quæ fiant vigore Concil. Trid. pro dotatione, fundatione, beneficiorum conſeruatione, & argumento piorum, & religioſorum locorum, quæ tamen non ſint ſortitæ effectum, & tunc dicuntur ſortitæ effectum, cum ipſarum virtute iam capta eſt poſſeſſio, licèt nondum eſſent percepti fructus, & ideò *Concil. Tridentin.* ſuſpectas ipſas habens, omnes vniones à quadraginta annis factas ab Ordinarijs, etiam tanquam Apoſtolicæ Sedis delegatis, examinari decreuit, & quæ fuiſſent factæ per obreptionem, aut ſubreptionem irritas declarari, & quæ ab eo citra tempore nondum in totum, aut in partem eſſent effectum ſortitæ, vel quæ deinceps fierent tamquam per ſubreptionem factas pariter irritas declarari, & hoc quadraginta annorum tempus à promulgato Concilio Trid. debet computari. Vniones demùm factæ poſſunt reuocari, & diſſolui ab illo, qui potuit eas facere, ceſſante cauſa, ob quam fuere factæ, vel neceſſitiate, & vtilitate Eccleſiæ id expoſcente, & ad id agendum requiretur conſenſus Capituli, & vocatio defenſoris ipſius Eccleſiæ, tuncque remanebit beneficium in ſtatu ſuo primæuo, in quo erat priuſquam fieret vnio. Hæc de vnione beneficiorum pro inſtituto ſum-

*De præſum. lib. 6. p. 180. n. 1.*

*De benef p. 12. c. 3. n. 226.*

*Seſſ. 7. de reform. c. 6.*

ſummariè, qui plura cupit, adeat: *Petrum de Peruſ. Io: Bapt. Caccialupum, Barboſ. Garz.* latiſſimè tractantes.

*Tract. de omnun. tur Eccleſ. vn. lib. 3. c. 16. vbi ſup.*

## CAP. X.

## De Vacatione Beneficiorum.

1 *Quid nominis, & eius aſſignatio.*
2 *Quot modis inducatur, & ſinguli recenſentur, & potiſſimum.*
3 *De vacatione; ex maleficio.*
4 *De vacatione ipſo facto.*
5 *De vacatione, & facto, & ipſo iure.*
6 *De vacatione per ſententiam.*
7 *Quinam vacationis effectus.*

ERIT hæc tractatio ſuprema linea totius rei beneficiariæ, quam conſultò in poſtremū hunc locum tranſtulimus quamuis inſpecto aditu, quem aperit ad Collationem, de ipſa etiam ante eandem collationem poterat pertractari: vt igitur à nomine exordiamur.

1 Vacans beneficium dicitur, quod à nemine occupatur, qua quidem *vacantis* voce, ſeu termino vſos obſeruamus ad idem intentum cum Pontificij, tum Cæſarei iuris auctores etiam nonnunquam extra rem beneficiariam; ſic enim vacantem hæreditatem dicimus, quę à nullo addita eſt *l. 2. ff. de crim. expil. hæred. l. hæreditariæ ff. de furt.* pluresq; conſimiles huius termini *vacans* acceptationes ex Pandectis, & alijs iuribus regeſſit *Barnab. Briſſon.* vnde pari modo vacare beneficium intelligitur, ſi ſit de nouo erectum, ſed nondum ipſi de titulari, aut Rectore prouiſum *Clem. fin. de reſcrip.* licèt non adeò propriè. Sed ad rem; vacare tunc verè dicitur beneficium, cum poſt factam collationem Rectore ſuo deſtituitur, priuatio enim ſupponit habitum *c. ad diſſoluendum de ſponſalibus l. decem ff. de verb. oblig.* & principaliter de hac vacatione loquemur, qua beneficium ſuo deſtitutum titulari, ſeu Rectore alteri conferri poteſt.

*De verb. ſignific. lib. 18.*

2 Hæc igitur vacatio quadrupliciter inducitur, aut ipſo iure tantùm, aut ipſo facto tantùm, aut iure, & facto ſimul, aut per ſententiam. Ipſo iure vacare dicitur beneficium, quando poſſeſſor amittit ius beneficij, vel eo priuatur ità, vt poſſit alteri conferri, quamuis de facto adhuc poſſeſſionem detineat, *c. licet Epiſcopus de præbend. in 6. c. cum noſtris de conceſſ. præb.* & dicitur ipſo iure aliquid fieri, quando ſola legis auctoritate ſine hominis miniſterio, & ſine ſententia fit, & ſine alia, quàm ipſius legis admonitione, *l. magnam c. de contrab. & committ. ſtipulat.* Hæc autem vacatio ipſo iure, aut inducitur ex maleficio, & delicto ipſius poſſeſſoris, aut ex quaſi maleficio, aut ſine delicto eiuſdem. Ex maleficio tunc, quando beneficiarius delictum, & maleficium aliquod committit propter quod lex ipſum beneficio priuat *l. 4. ff. de oblig. & act.* ex quaſi maleficio, quando non patrauit quidem delictum, propter quod lex ipſum priuet, ſed ob aliqua, quæ culpam, aut ſpeciem aliquam maleficij inuoluant, vt in §. 1. *inſtit. tit. de oblig. quæ ex quaſi delic.* Ipſo iure verò ſine delicto, aut maleficio vacat beneficium, quando ſola legis auctoritas priuat nullo interueniente beneficiarij delicto, vt cum quis beneficium ſecundum acceptat incompatibile, cum primo, *c. de multa cum concord. de præb. c. licèt Epiſcopus de præb. in 6.* vnde vacat quidem de iure, ſed non de facto, ſi adhuc detineatur, & ideò poteſt conferri non citato illo, qui adhuc de facto poſſidet, collatio enim, quæ eſt donatio iuris, quod eſt in

poteſtate collatoris, non exigit vocationem eius, qui eodem iure priuatur, ſicut non obſtante, quod quis rem meam detineat, poſſum vti iure meo, & ius ipſum in alium ipſo non vocato transferre *l.qui poteſt ff.de reg.iur.c.venerabilis de præb.* At poſſeſſionem corporalem, alteri tradere non vocato illo, qui actu poſſidet, & ſine cauſæ cognitione non licet *l.extat ff quodmet. cauſa l.ſi.quis in tantum.c. Vndeui*; præſumitur enim pro poſſidente, & ideò poſſeſſore non citato, aut vocato beneficium ei non adimetur, *c. cum noſtris de conceſſ.præb. c.2. de cauſa poſſ. & propr.* quæ tota doctrina eſt in *d.c. licet Epiſcopus de præb. in 6.* poteſt enim poſſeſſor iuſtam aliquam Cauſam habere; proptèr quam beneficium adhuc retineat, vt diſpenſationem *d.c. de multa*.

Vacat ipſo iure beneficium abſque delicto per mortem titularis, *c.ſuſpectum de reſcrip.in 6.* ſicut & per mortem ciuilem puta per ingreſſum in religionem, & profeſſionem in ea emiſſam, *c. beneficium de regular. in 6.* vacatio pari modo inducitur ipſo iure ſi beneficiarius in minoribus ordinibus conſtitutus contrahat matrimonium, aut ſponſalia per verba de præſenti *c.1. & 3. de cler. coniung. c. vn. eod. in 6.* Neque turbet *tex. in c.diuerſis fallacijs & in c.cum Decorem eod.tit.* quatenùs vtrobique ita loquitur Summus Pontifex, vt Clericus in eo caſu veniat priuandus, quaſi non ſit priuatus ipſo iure; quia iuſſio illa venit accipienda. Cum *Gloſ.* & referenda ad priuationem detentionis de facto, quæ conſiſtere poteſt cum vacatione de iure. An autem Clericus Concubinarius ſit ipſo iure priuatus beneficio opportunius, inquiretur cum de vacatione ipſo iure ex maleficio tractabitur.

Vacabit igitur ipſo iure extra crimen Eccleſiaſticum beneficium nulla adhibita monitione, ſi prouiſus non fuerit ad ſacerdotium intra annum promotus, ſi eiuſmodi ſit beneficium quod promotionem ad Sacrum ordinem exigat, & computabitur annus à die adepti regiminis, ſeù adeptæ pacificæ poſſeſſionis eiuſdem, vel à die, quo per ipſum ſtetit, quò minùs adipiſceretur *c.licet Canon. c.commiſſa de elect. in 6.* idemque ſeruabitur in Vicarijs perpetuis *Clem.vn.de off. vic.* & hæc vacatio ipſo iure non inducitur niſi anno elapſo, niſi diſpenſatio, aut prorogatio à Summo Pontifice impetretur *c.cum ex eo de elect.in 6.* qua de re videnda & decreta Sacros Concilij Tridentini. *Seſſ.7.c. 12.& ſeſſ 24.c.12.*

Vtile erit hoc anni ſpatium, & ab eo ſubtrahenda erunt iuſta impedimenta, propter quæ non potuerit interim ordinari *d.c.commiſſa §.1. ex Concilio Lugdunenſi de elect.* puta ſi ſine ſua culpa fieret irregularis, vel ſi lis eſſet ſuper eodem beneficio mota, quæ quidem iuſtè excuſat, ne ſi ordinatus cadat à lite, priuatus beneficio mendicare cogatur in opprobrium Clericalis ordinis *c.Diaconi 93.diſt.* Haud abſimilitèr vacabunt beneficia, ſi quis ea detineat de facto, cum non poſſint haberi ſine diſpenſatione; diſpenſatio ipſa legitima, & titulus non poſſit oſtendi intra tempus legitimum à Iure præfixum Ordinarijs ad titulos, & diſpenſationes examinandas, elapſo enim hoc tempore beneficia tanquam vacantia poterunt à Collatoribus conferri, *c. Ordinarij locorum de off. ord.* Niſi poſſidens iuuetur regula de triennali, quo caſu nulla poterit ipſi inferri moleſtia; Alios caſus leuiores, in quibus ſine crimine vacatio ipſo iure inducitur, ommittimus, cum facilè apud tractantes poſſint haberi.

3 Iam nunc ad vacationem ex maleficio; quæ inducitur ipſo iure. Et primo

mo inducitur ipſo iure propter crimen hæreſis, *c. ad abolendam* §. 1. *de hæret. ibi ſit omni beneficio ſpoliatus*, adeòvt ſententia priuatoria non requiratur, dum tamen hæreticus ſit manifeſtus, vel is, qui prædicet dogma hæreticum, aut aſſerat, ac defendat; bona ſi quidem hæreticorum fiſco addicuntur ipſo iure, *c. cum ſecundum leges de hæret. l.* 4. *c. eod.* & *cod. Theod. l.* 43. 52. & 54. *eod.* non enim decet, qui impugnat Eccleſiam, aliquid nomine Eccleſiæ poſſidere, *c. quo iure* §. *legantur* 8. *diſt.* Idemque cenſendum de receptatoribus, & fautoribus hęreticorum, *c.* 2. §. *hæretici de hæret. in* 6. Hęreſi affinis eſt ſimonia, quæ, & ipſa hæreſis eſt, vnde, & beneficia per ſimoniam obtenta vacant ipſo iure tanquam ex veriſſimo maleficio; vtcumque enim antiquitus vacationem ipſo iure non induceret, ſed tantum per ſententiam *c. presbyter* 1. *q.* 1. *ibi Eccleſia priuetur*. Hodie tamen ſic impetrata vacant ipſo iure, & nullius momenti eſt collatio, *c. cum deteſtabile* 2. *de Simon. inter Extrauag. commun. c. inſinuatum de Simonia*, quatenùs ibi *diffamato publicè de Simonia adimatur beneficium* ait *tex.* hoc eſt, priuetur poſſeſſione eius beneficij, in quo nullum ius habet; & ſi ſit occulta, & aliqualitèr appareat canonicè ſe purget; nec vllo præſcriptionis præſidio poterit ſe tueri, regula enim Cancellariæ Apoſtolicæ de triennali poſſeſſore omnes iuuat excepto ſimoniaco, & intruſo; idque illigendum de Simonia reali, non de mentali, verba enim ſunt intelligenda cum effectu *c. relatum de Cleric. non reſid.* vt notauit *Ludouic. Gomeſ.* (*Ad reg. de trien. q.* 12.) nec minus accipiendum de conuentionali, & quæ in promiſſione conſiſtit pariantur enim dare, & promittere pro beneficio, *ad c. tua nos de Simon.* quamuis enim generàli ſimoniæ nomine veniat etiam mentalis cum reali, & conuentionali, *c. ſunt nonnulli* 1. *q.* 1. tamen continentur propriè realis, & conuentionalis *c. cum ſuper de confeſſis: c. Matthæus de ſimon.* neq; enim ſolæ preces in dubio emiſſę committunt ſimoniam punibilē, *c. tua; c. cum eſſes de ſimon.* Vt cumque notabilitèr ſcribat *Gomeſ.* (*Vbi ſup.*) Simoniacum conuentionalem eſſe priuandum per ſententiam. In alijs autem beneficiis, quæ quis poſſideat, & non ſit adeptus per ſimoniam ſuſpendetur, aut priuabitur per ſententiam *c. ſanè quiſquis* 15. *q.* 3. *c. Inquiſitionis de accuſat.* Tertiò vacat ipſo iure beneficium ex delicto ob homicidium, non quodlibet, ſed (vt vocant) per aſſaſſinium factum, idque decreto Lugdunenſis Concilii in *c.* 1. *de homicid. in* 6. Non moramur Aſſaſſini originem, aut nominis ethimologiam, de qua hiſtoricè *Archid.* & *Io: And.* (*Ad d. c.* 1. *de homicid. in* 6. *libr. ſentent.* §. *Aſſaſſinii.*) At cum *Iulio Claro* conſtitutionem illam ampliandam non ambigimus ab Aſſaſinis, de quibus in Concilio Lugdun. ex Arſacidarum gente, ad quemlibet, qui Chriſtianum hominem recepto iniquiſsimè pretio interficere audeat; vtinam, crimen non eſſet adeò notum; verè dignum, ob quod vitæ vſura, nedum beneficiis eommittentes priuentur; aliud homicidium quocumque impedit quidem, quò minus quis beneficium conſequi valeat tanquam irregularis, at iam adepto non priuat niſi per ſententiam, *c. Clericus ſcilicet ne Cler. vel Monachi ibi, quod ſi quis tale quid fecerit, bonore, & loco priuetur: c. ex literis* 10. *de exceſſ. Prælat. ibi, mandamus; quatenus Epiſcopus Epiſcopatui cedat, moneatis eundem, alioqui ipſum ab Albiganenſi Eccleſia mouentes* &c. *c.* 2. *de Cler. pugn. in duello*. Inducitur, & vacatio ipſo iure ex *tex. in c. fęlicis de pęnis in* 6. quando quis perſecutus fuerit Cardinalem hoſtilitèr, vel percuſſerit, vel cepe-

ceperit, vel ſocius fuerit facientis, vel fieri mandauerit, aut factum ratum habuerit, vel conſilium dederit, prout latiùs in eadem conſtitutione, & in *Clem. 1. de pœnis*; idem ſtatuitur in eum, qui idem patrauerit in Epiſcopum, quamuis olim opus eſſet ſententia, *c. ad aures, c. in quibuſd. de pœnit*. Decuit Sacroſanctos, & inuiolabiles eſſe Cardinales tamquã immediatè proximos ſummo capiti Eccleſiæ: exigit iuſtè celſitudo tanti gradus, de quo nos ſupra, nec repetimus fuſiùs.

*Tom. 1. tract. 2. c. 41.* Priuat ipſo iure beneficijs, quæ poſſident, *Clem 2. de pœnis*, eos, qui beneficiarios capiunt, & captos beneficijs ſuis renunciare cogunt, vndè ſic delinquentium vacant ipſo iure beneficia; quod ſi id ipſum præſtare auſi fuerint Prælati, ſuſpenduntur ad triennium à perceptione fructum beneficiorum ſuorum, annullatis renunciationibus ipſis, etiamſi à ſuperioribus fuerint admiſſæ. Hoc ſemper notandum, quod ſi admittatur crimen, propter quod cenſeatur quis beneficij retentione indignus, nunquã tamen dicitur priuatus ipſo iure, niſi expreſsè in iure id fuerit cautum, & conſtitutum, ſed priuandus erit per ſententiam, vt latè docet *Nicol. Garz.* *De benef. p. 11. c. 10. n. 5.* Vacationes beneficiorum ipſo iure, & cauſas, ob quas inducantur; luculentiſſimè enumerauit *Auguſtin. Barb.* ad quadraginta duas numero, quas ſingulas tranſcribere inſtituti ratio non exigit; ſat enim fuerit ſumma capita tradidiſſe, vt doctrina vniuerſalis vacationum habeatur.

4 Vacant beneficia ipſo facto tantum & non iure, quando quis beneficiarius priuatur corporali poſſeſſione, aut detentione beneficij ſui, illæſo iure, & eo adhuc remanente titulari; primò ſi quis deiectus fuerit de poſſeſſione *c. accepta, & c. olim de reſtit. ſpoliat.* ſecundo, ſi legitimè electus compulſus fuerit renunciare iuri ſuo per terrorem ipſi à populo incuſſum *c. ad aures 3. de his, quæ vi, metuſue cauſa fiunt*. Vel per metum Principis *c. ad audientiam eod.* Tertiò, poſſet dici vacare ipſo facto beneficium, quod pro derelicto habetur non reſidentibus, & abſentibus Titularibus, *c. 2. & 3. de Cler. non reſid.* Quartò, demùm vacare dicetur ipſo facto, ſeù de facto, quando poſt collationem non fuerit acceptatum beneficium, vel non fuerit data realis, & actualis poſſeſſio, *c. ſi tibi abſenti de præb. in 6.*

5 Vacant tandem, & facto, & ipſo iure beneficia, quandò nec ius, nec poſſeſſio beneficii apud vllum eſt.

Huius vacationis duo ſunt modi potiores renunciatio ſcilicet, de qua iam ſupra à nobis dictum, & obitus, ſeu mors titularis; *c. ſuſpectum de reſcrip. in 6. c. quamuis. c. fin. de verb. ſignif. in 6. tibi de præb. in 6.* Vacationem autem per Mortem intelligimus de Morte naturali, non de ciuili, vt notat *Gloſ. ad d. c. ſuſpectum de reſcrip. in 6.* cum, & Mors abſolutè non de Ciuili, ſed de naturali intelligatur *l. cum pater 77. §. hæreditatem ff. de leg. 2. l. ſed ſi Mors §. ſi igitur ff. de donat. int. vir. & vxor.* Beneficiarius enim vſufructuario, aut vſuario æquiparatur *c. fin. de off. ord. in 6.* qui vterque ius ſuum, ſiue vſus, ſiue vſusfructus amittit, *§. finitur inſt. tit. de vſuf. l. 3. §. fin. quibus mod. vſuf. amitt.* Debuit igitur meritò beneficium per mortem naturalem vacare; per Mortem verò ciuilem non item, quiã Mors Ciuilis Morti naturali non æquiparatur, niſi in caſibus à iure expreſſis, *l. ex parte 121. §. in inſulam ff. de verb. oblig.* ſicque accipiendum, quod dicitur Mortem ciuilem, & naturalem æquiparari ex *l. ſi deceſſerit ff. qui ſatiſd. cog.* ac proindè per Mortem ciuilem vacatio beneficii non inducitur.

Supe-

Digitized by Google

6 Supereſt quartus, & poſtremus modus vacationis beneficiorum, & eſt per ſententiam puta, cum iudex per ſententiam priuat aliquem beneficio ſuo ob contumaciam, vel ob aliquem actum, aut crimen; veluti cum quis beneficium habet, quod obligat ad reſidentiam, & abeſt, nec reſidet, iſque vocatus a Prælato, & Iudice ſuo ſine vlla diſpenſatione, vel iuſta, aut legitima excuſatione adeſſe, aut reſidere contemnit vocatus, expectatus, & contumax ſuo beneficio priuari poteſt, *c. 2. c. relatum, c. ex parte, cum tribus ſeqq. de Cler. non reſid.* ante contumaciam autem, & vocationem, Clericus, licèt vagus non debet priuari beneficio ſuo, nec cenſetur habere beneficium ipſum pro derelicto, niſi aut milleſſit, aut contrahat matrimonium *Gloſ. ad c. qualiter verb. quadriennum de cler. non reſid.* Sic Clerici turpiter, & cum ſcandalo viuentes, vbi commoniti, coerciti, & puniti non corriguntur poſſunt per ſententiam priuari beneficio ſuo *c. inuentum 16. q. 1. c. fęlicis Clem. multorum de pęn. nouiſſime Concil. Trid.* & generalitèr vbi crimen aliquod admiſerit Clericus, propter quod beneficium ipſo iure non vacet, neceſſaria eſt omninò ſententia ad vacationem inducendam; & ideò ante ſententiam liberam habet eiuſdem adminiſtrationem, ac diſpenſationem, illudque permutare ac renunciare poteſt; vt poſt *Gloſ. not. Innoc. ad c. qualitèr, & quando de accuſat.* quod tamen limitatur in duplici caſu; Primus eſt, ſi ſuſpicio fraudis appareat, quià præuidens futuram priuationem ſine aliqua neceſſitate, aut alia cauſa in fraudem ipſius priuationis renunciauerit, aut permutauerit, *c. poſt translationem de renunciat.* Secundus aſſignatur caſus, vbi crimen eſſet grauiſsimum, & enorme, vt crimen perduellionis, & leſæ maieſtatis, in quo commiſſo amittit quis rerum ſuarum, & bonorum adminiſtrationem vt nec ea alienare, nec teſtari de his poſſit, *l. fin. c. ad l. Iul. maieſt.* Verum hæc priuatio non ad ſententiam, ſed ad ammiſſionem ipſo iure ſpectare videtur. Modis vacationis ſic explicitis effectus eiuſdem vacationis recenſeamus ad Coronidem.

Seſſ. 14. c. 7. Seſſ. 21 c. 7.

7 Ad quinque potiores hi rediguntur. Primus, qui tanquam totius doctrinæ ſupra de vacationibus traditæ dici poteſt; vt ſcilicet beneficia, quæ vacant ipſo iure poſſint impetrari ante ſententiam condemnationis, etiamſi poſſideatur, & non vacent de facto; vnde poſt impetrationem ſat erit docere de cauſa vacandi, ſi priuatus objiciat; *c. licèt Epiſcopus de præb. in 6.*

Secundus, quod qui priuatus eſt ipſo iure non facit fructus ſuos, ſed ad reſtitutionem perceptorum tenetur, *c. cum deteſtabile de Simon. inter Extrauag. commun.* Secus ſi priuaretur per ſententiam, quia tunc aut à tempore litis conteſtæ ſecundum aliquos, aut lata ſententia, ſecundùm alios ad reſtitutionem teneretur.

Tertius, priuatus ipſo iure amittit diſpoſitionem beneficii ſui à tempore, quo ex facto inducitur priuatio, vt non poſſit renunciare, aut permutare; cum tamen qui priuandus eſt per ſententiam ante condemnationem permutare, ac renunciare poſſit, licet in reatu ſit *Gloſ. ad c. 2. verbo finita, vt lite pend. in 6.*

Quartus, quod moriente Reo criminis, ob quod ipſo Iure inducitur vacatio, impetrabitur beneficium non per obitum cum ante mortem iam beneficium vacaret, ſed ex cauſa delicti, vel quaſi delicti, puta propter hæreſim, ſimoniam, aliudue ſimile, quo adeſſet delictum. Cum potioribus hiſce effectibus claudimus totam rei beneficiarię tractantē; niſi quatenus Penſio Eccleſiaſtica

ſtica nos prouocat, ac moratur, & de ea Capite ſequenti.

## CAP. XI.

## De Penſionibus Eccleſiaſticis.

1 *Materiæ partitio.*
2 *De iure quo veniant cenſendæ.*
3 *De ipſarum origine.*
4 *Quid nominis, & rei per definitionem, quæ explicatur.*
5 *An, & quatenus Eccleſiaſtica penſio ſit beneficium Eccleſiaſticum.*

1 EX quo penſionum Eccleſiaſticarum frequentiſſimus vſus in Eccleſia inualuit ad beneficia Eccleſiaſtica, proximè admodum ipſæ acceſſere, & beneficij Eccleſiaſtici proprietates aliquas etiam induere, vndè meritò poſt beneficiorum Eccleſiaſticorum tractationem de ipſis diſquiſitionem breuem, ſed exactam inſtituimus potiora hæc circà ipſas ſcrutatrice. Quod ius & quæ ipſarum origo, vnde nomen, & que definitio; quotuplex ſit penſio; qui poſsint eas imponere, & conſtituere, pro quibus, & in quorum gratiam, quibuſue de caufis; quid requiratur vt ſubſiſtant, quiue earum defectus; & demùm quomodo finiatur, & expirent, qua occaſione, & de earum translatione opportunè diſſeremus. His enim pertractatis & theoriæ, & praxi retimur ſatisfactum.

2 Quod igitur ad ius attinet, quo penſiones veniunt cenſendæ non illud à Sacrorum Canonum, Conciliorum decretis, aut Summorum Ponrificum conſtitutionibus petendum eſt, ſed ex ipſo potiùs vſu, vndè Ius illud proceſſit, quod *Commentitium* appellauit Paulus Iuris Conſultus *in l. ſi pœna 20. ff. de pæn.* quod quidem, (vt id obiter, nec tamen inutiliter obſeruemus) non illud erit, quod non ſcriptum à conſuetudine; & obſeruatione populi inducitur, ſed quod prudentum interpretatione ad leges decemuirales adhibita inualuit, & deſignat Pomponius Iuriſ-Conſultus *in l. 2. §. his legibus ff. de orig. Iur.* his verbis. *His legibus latis* (inquit Pompon.) *cæpit, vt naturalitèr euenire ſolet, vt interpretatio deſideraret prudentũ auctoritatem, neceſſariam eſſe diſputationem fori*; ad quod planè ius reſpexit, & alluſit *Papinianus Iuris Conſultus dum in l. quod per manus ff. de iure Codicillorum*, inquit. *Quod per manus traditum eſt Codicillis hæreditatem dari non poſſe*, quod demùm aliud non eſt, niſi illud ipſum, quod mediam iuriſprudentiam appellat Iuſtinianus *in §. cæterum inſt. tit. de legit agnat. ſucceſſ.*

Ex quo igitur (ad rem noſtram) fęlicitèr adeò actum cum penſionibus Eccleſiaſticis, vt ad inſtar beneficiorum ſint redactæ (quod quandonam factum indicabimus infrà) & ad alendum neceſſarium ſplendorem Romanæ Curiæ, & Hierarchiæ Eccleſiaſticæ viſibilem maieſtatem ſubſtinendam eleuatæ, provt exorte difficultates, & controuerſiæ circa ipſarum ſubſiſtentiam, & exactionem neceſſaria emerſit diſputatio fori ſicque ius inductum circa eaſdem, quod commentitium in ſenſum ſupra dictum aptiſſimè appellari poteſt & nos breuitèr excurremus.

3 Vt igitur ab earum origine exordiamur; rude primordium, quaſi in ſemine deliteſcens, ſpectare videmus in S. Syluestri huius nominis primi vita, qua legimus, quod pro ſua in pauperes benignitate *prouidit*, *vt Clericis copioſis egentes coniungeret*. Vigebat adhuc ſummæ illius Charitatis reliquiæ,

quiæ, qua credentium erat, *Cor vnum, & anima vna*, ac proindè prouentum Eccleſiaſticorum inter copioſos, & Egenos facilis, & beata communicatio; at explicitam magis originem indè haurire licet, quod olim legimus obſeruatum, vt ſcilicet de Eccleſiaſticis prædijs, atque redditibus certè quędam portiones delibarentur, neceſsitatibus ne dum Clericorum, ſed & laicorum iuuenum, qui expeditionem in terram Sanctam aſſumerent, aut literarum ſtudiis incumberent, eorumue meritis addictæ. Clericis, vt plurimum aſsignari conſueuerunt, & meritò cum in decimis, & alijs ſpiritualibus conſiſterent, quæ Clericos tantum regularitèr poſſidere decet, quæ portiones præſtimonia dicebantur, & quæ ſubinde facta ſunt Eccleſiaſtica beneficia *c. fin. de conceſſ. præb. in 6.* Ab huiuſmodi igitur portionum exemplo haud immeritò dici poſſunt inductæ penſiones. Adumbraſſe originem ſatis, cui adnectemus, & nomen, ac nominis rationem.

*Act. c. 1.*

4 Penſio igitur, ſiue penſionis nomen dupliciter accipi poteſt; latè ſcilicet primò prout ſignificat debitum in aunos ſingulos, aut ſingulos menſes ſoluendum in quem, ſenſum mercedem rei conductæ penſionem dicimus, vt notat *Briſſon. l. ſi Vrbana* 55. *ff. de Condic. Indeb. l. Apbricanus* 40. §. 1. *ff. de leg.* 1. *l. diuortio* 8. §. *non ſolùm ff. ſol. matrim. l. Paulo* §. *Iul. ff. de leg.* 3. & generaliter quidquid per certa tempora diſtributum præſtatur, penſionis nomine exprimitur *l.* 3. §. *ſed ſi ità ff. de ann. legat.* ad quam ſignificationem, ſiuè acceptationē aptiſſimè reuocatur penſio Eccleſiaſtica, quæ vocem ipſam ad magis preſſam ſignificationem reſtringit; ſic ergo ſumptam penſionē volunt aliqui denominari à verbo *pendo*, quod eſt ſoluo, quaſi dicatur penſio, quia penditur, ſed non adeò rectè, quia ſic quidquid ſoluitur poſſet dici penſio quod tamen non eſt concedendum, alij verò, quod nominetur penſio ex eo, quod pendeat à beneficio; Alij demùm *à pendeo* quidem deducunt, ſed quia pendeat hoc eſt ſemper ſtet in ſuſpenſo; ſoluto enim vnius anni debito, ſubſequens ſtatim labitur, & interim ſtat in ſuſpenſo, donec ſolutionis dies peſectè cedat, vt eleganter obſeruauit *Franciſcus Connan.* Non moramur, quænam ſit præferenda deriuatio, cum vnaquæque nomini arrideat; at penſionis definitionem adnectimus; conſentiunt, qui de penſionibus tractarunt in definitionem, quam ferunt vnanimitèr acceptam *Cardinali*, quod ſcilicet penſio ſit *certa portio ex aliqua menſa, vel beneficio ex cauſa ad tempus, & non in perpetuum ſeparata*; qua tamen definitione admoneat definiri penſionem, prout dicit merum emolumentum temporale, nihilque ſpirituale habetur adnexum; quando enim ſpirituale quid continet ſortitur beneficii naturam, nec alitèr eſt definienda, quam beneficium ipſum, de quo nunc nobis, nec ipſis eſt agendum. Huic definitioni pauca addidit *Barboſa* nempè *pendens à proprietate beneficij, à quo extrahitur*. Parùm abſimiliter aſſignauit, & *Lother.* ait enim. *Penſio eſt annua pecuniæ quantitas, alicui in perpetuum debita à beneficiario in eius beneficiario in eius vitæ ſubſidium ſuper ipſius beneficij emolumentis per Papā reſeruata* Collimant ad idem intentum hæ definitiones, & ideò vnica explicatione eas excurremus. Dicitur ergò quod ſit *annua pecuniæ quantitas*. Quia penſio non conſtituitur in quota aliqua fructuum, puta tertia, aut quarta, ſed in quantitate certa, ne videatur ſcindi, aut ſcindatur beneficium, quod non licet, *c. maioribus de præbend. c. de cætero*,

*De verb. ſign. lib. 14.*

*Gambar. de off. leg. lib. 6. n. 39.*

*Card. ad Clē. 1. §. eadem n. 4. de ſuppl. neglig. Prælat. Caccialup. de penſ. q. 2. Gig. q. 1. n. 9.*

*Com. Iur. Ciu. lib. 4. c. 15. n. 8.*

*Paul. Rom. Io: Baptiſta Caccialup. Hieronymus Gigas de penſionibus q. 1. ad d. Clem. 1.*

*Iur. Eccl. Vn. lib. 3. c. 11. n. 3*

*De re beneſ. lib. 1. c. 35. n. 11.*

*tero*, *de tranſac.* debent enim beneficia integra, & ſine diminutione conferri *Rub. vt Eccleſiaſtica beneficia ſine diminutione conferantur*, quamuis ex aliqua cauſa poſſit etiam id facere Summus Pontifex, tanquam in beneficialibus abſolutus dominus: *Clem.* 1. *vt lite pend.* At regulariter materia penſionis eſt certa pecuniæ quantitas, licèt enim imponatur penſio ſuper fructibus, & emolumentis omnibus beneficii, fructus tamen, & emolumenta ſunt in ſola obligatione, non autem in ſolutione. Conceditur quidem nonnunquam ex magna aliqua cauſa, & intuitu eximiæ alicuius perſonæ gratia reſeruationis fructuum, verùm non eſt ea penſio, ſed quid omninò diuerſum, prout & nominis diuerſitas indicat; huic enim reſeruatario fructuum nihil penditur, aut pendet, ſed Iure, & auctoritate ſua fructus ex ſe percipit ad inſtar veri vſufructuarii, *l. fundi brebatiani ff. de vſuf. leg.* & ideò penſionis conſtitutio, ſeù aſſignatio, in quantitate nihil pertinet ad edictum; *vt Eccleſiaſtica beneficia ſine diminutione conferantur*.

Subditur in definitione, *alicui in perpetuum debita*. Quamuis *Barboſa* in definitione ſua immò oppoſita modo aſsignet, dum inquit, *ad tempus non autem perpetuum*, quæ nihilominùs facilè poſſunt conciliari; *In perpetuum* enim dum dicitur non intelligitur abſolutè, eoque reſpexit *Barb.* ſed ad vitam eius, in cuius fauorem penſio ipſa reſeruatur, cum perpetuum, & id dicatur, quod ad vitam eſt, *c. ex literis de conſtit. l.* 1 *ff. pro ſocio.* Addit definitio, *in eius vitę ſubſidium*, quia ſiue reſeruetur penſio ex cauſa, vel occaſione reſignationis, ſeù ceſſionis, ſiue vacationis ſemper explicitè, ſeù virtualiter cauſa alimentorum reſeruata intelligitur. Nam vbi ex reſignatione, aut ceſsione reſeruatur penſio, veluti ex formula, inſeritur hæc clauſula; *Ne ex ceſſione tua huiuſmodi nimium patiaris detrimentum*, quæ cum ex ſubiecta materia referatur ad perſonam Clerici dimittentis beneficium preſefert intentionem Papæ, eam reſeruandi in cauſam alimentorum. At vero vbi reſeruatur in caſu vacationis beneficii inſeritur alia clauſula; *Vt commodiùs, vel decentiùs ſubſtentari valeas*, quæ non ſecus, ac prima in Cauſam alimentorum reſoluitur. Clauditur demùm definitio, *ſuper ipſius beneficij emolumentis per Papam reſeruata* quia, vt ſupra dicebamus, fructus, & emolumenta ſunt principaliter in obligatione quamuis certa pecuniæ quantitas ſit in ſolutione. Ex qua definitionis explicatione, ſiue illuſtratione genus quadruplex cauſæ, quæ ad eius conſtitutionem concurrit, apertiſſimè emicat; Efficiens prima, quæ non alia quam Papa, ipſe enim ſolus poteſt ità imponere beneficio penſionem, vt obliget etiam ſucceſſores in beneficio ad vitam eius, in cuius fauorem penſio eſt reſeruata etiam ſine conſenſu ſucceſſoris in beneficio; qua de re dicemus vberius in §. ſequenti, cum examinabimus, quinam poſſint penſiones imponere Materialis ſecunda, quæ eſt certa pecuniarum quantitas iuxta explicationem ſupra traditam de obligatione, & ſolutione. Formalis tertia, quæ non alia, quam conſenſus titularis, & auctoritas Papæ, quæ quamuis duæ, in vnam tamen cauſam conſpirant; cum ſine conſenſu Titularis Papa gratiam non faciat, nec conſenſus partium ſine Papę auctoritate aliquid valeat, illigendo ſemper de conſenſu cauſali, ſeu principali, cui Papa nunquam derogare intendit, iuxtà praxim traditam à *Lother.* D. lib. 1. q. 35. n. 69. & ſeq. Finalis demùm cauſa penſionis eſt alimentorum ſuppeditatio, vt ſupra diximus.

5 Ex qua ſic declarata penſionis, & origine,& definitione facile erit inferre ad celebris illius quæſtionis reſolutionem,quæ inter ſcribentes adeò controuerſa eſt; an ſcilicet penſio ſit Eccleſiaſticum beneficium?diſceptatam ad partes huc non transferimus, & ſoluimus adæquatè, illa diſtinctione, qua duplex ſegregatur penſio; altera eſt merè temporalis, quæ titulo, & cauſa merè temporali homini merè laico conceditur, vt Aduocato,Procuratori, Pulſatori campanarum, aut alteri cuicumque inſeruienti ſibi à Papa indulgetur, vtcumq; laico, vt Medico, Chirurgo, alijſue huiuſmodi, cuius etiam expediendæ certa formula extat, & hæc nec eſt, nec dici poteſt Eccleſiaſticum beneficium,& de hac accipienda ſunt, ſi quæ afferantur iura, & quæ adducuntur rationes penſionem non eſſe beneficium probantes; altera verò eſt penſio,quæ datur in titulum, Clericis ſcilicet, vt commodiùs valeant ſubſtentari,vel renuncianti, aut credenti beneficio ſuo, ne ex ea renunciatione, aut ceſſione nimium detrimentum patiatur, eaque Clericalis eſt, & vice beneficij aſſignatur, & hæc cenſetur Eccleſiaſticum beneficium, quam diſtinctionem tradiderunt auctores grauiſſimi,& de hac intelligenda iura,quæ penſionem beneficio æquiparant,& rationes, quæ ipſam eſſe beneficium probant,indeque fiet, vt Clericus in minoribus conſtitutus penſionem habens gaudeat priuilegio fori, vt deciſum à S. Congregatione teſtatur *Barboſa*, ſecus ſi penſio non ſit Clericalis, quam quidem penſionis partitionem confirmauit B. Pius V. Pontifex Max. motu proprio, quo percipienti penſionem Clericalem obligationem iniunxit recitandi officium paruum B. Virginis Mariæ,taxata fructuum amiſſione, non ſecus, ac beneficiarijs in eadem conſtitutione, & conſtitutione alia; penſiones Eccleſiaſticas à ſolis Clericis non coniugatis, & beneficij capacibus tantùm poſſe poſſideri decreuit;ſecundum quas conſtitutiones, de ſimonia circa penſiones diſſeruit, & reſoluit *Suarez*.

*Garz. de benef.p.1 c.5 n.5. Layman. theol.moral.lib.1. tract.5.p. 3.c.2.n.3*

*De off.& poteſt.Ep. p 7.all.57 n.151.*

*Tom. 2. Bull.nou. conſt.135 ex proxime 73.eod tom.*

*Tom. 2. de relig.lib.4.de ſymon.c.26.*

## Qui poſſint, & ex quibus Cauſis penſiones imponere, ſeu conſtituere.

## §. I.

1 *De Summo Pontifice breuiter.*
2 *Quid de Legato à Latere, & de Miſſis, ſeu Nuntijs.*
3 *Quid demùm de Epiſcopo? & Prælato Regulari?*
4 *De Cauſis, ob quas imponi poſſunt penſiones.*

1 SAcræ Iuriſprudentiæ à nobis iacta principia, & præmiſſa loco ſuo Eccleſiaſticæ politiæ fundamenta compertiſſimum reddunt, poſſe Pontificem Summum tanquam Supremum Eccleſiaſticæ Reipublicæ caput penſiones ſuper beneficijs imponere, eaque penſionibus onerare, cum præſertim in beneficijs ipſis pleniſſimam, & ampliſſimam habeat poteſtatem *cap. 2. de præb. in 6. Clem. 1. in fine, vt lite pend.* idque ab eius arbitrio liberè adeò dependet, vt etiam ſine cauſa vlla poſſit penſionem conſtituère, vt poſt alios à ſe congeſtos ſcribit *Nicol. Garz.* idque verum ſic agnouit *Lother.* vt ſolum Papam aſſerat poſſe imponere penſionem, quæ in perpetuum beneficium afficiat. Vt eſſet ſacrilegum de poteſtate dubitare, ita inane eſt confirmare vberiùs. Vnde à Capite Summo ad inferiores ipſo deſcendimus.

*De benef.p.1. c.5.S.2.n.274 & 75.*

*De re benef. lib.1. qu. 35. num. 18.*

2 Se exhibet ſtatim Legatus à latere, de quo conſentiunt *Gig.Gambar. Garz.* & alij per eum citati poſſe penſiones imponere beneficijs, quæ ab ipſius collationem pertinent poſſe enim beneficia conferre in prouincia ſuæ legationi commiſſa docet *tex.in c.* 1. *de off.leg.in 6.& in c.dilectus de off. leg.* Vndè cum ordinariam ibidem habeat iuriſdictionem, concludit *Gigas* eandem habere auctoritatem reſeruandi penſiones, quã habet Epiſcopus, niſi tamen eſſent beneficia Apoſtolicæ Sedi reſeruata, quo caſu ſicut eſſet ipſi interdicta collatio, *c.deliberatione de off. leg.in 6. c.2.de præb.in 6.* Ità impedita penſionis reſeruatio; cum in huiuſmodi reſeruata beneficia ſe ingerere nullo modo poſſit, ſicut quò ad totum, ita nec quoad partem, *l. quæ de tota ff.de rei vendic.* de legatis autem miſſis, ſeù Apoſtolicis Nuntijs ſecus dicendum eſt, cum nulla beneficiorum collatio ijs competat *d. c.1.de off.leg.in 6.* vnde nec vlla penſionis reſeruatio, niſi ſpecialitèr id eis fuerit à Summo Pontifice conceſſum; quod ſi eſſet cum facultate Legati à latere. Cogitandum relinquit, nec quidquam concludere audet *Gigas*, qui pluribus rem proſequitur, quòad alios legatos.

*De penſ. 96. n. 19. de off. leg.lib.6.n.77 n. 28.*

*Num. 19.*

*Num.ſeqq.*

3 Difficultas demùm videtur redigi ad Epiſcopum, de quo ambigitur, an ſuper beneficijs, quæ ſunt Collationis ſuæ poſſit imponere penſiones. In cuius difficultatis reſolutionem obſeruare licèt diſſidium inter auctores, quos dixerimus Theoricos, & illos, qui, vtcumque in re præſertim beneficiaria eximij, ſimul tamen Curiales extitere; Vt enim Theorici agnoſcunt in Epiſcopo hanc facultatem penſiones aſſignandi ſuper beneficijs, quæ ſunt ſuæ collationis, ità Curiales plerique omninò negant Curiæ ipſius obſeruationem pro ſummo iurium afferentes.

Itaque communis opinio eſt poſſe Epiſcopum iuſtis de cauſis penſionem ſuper beneficijs Eccleſiaſticis imponere, quod quidem nil aliud eſſe videtur, niſi habitualem hanc facultatem in Epiſcopo reperiri, quam etiam agnoſcunt ex vetuſtioribus *Ab.Decius*, *& Felin.& in tract.Gigas*, *Caccialup.* *Rebuff. & Gonzal.* cui quidem facultati non incongruum præbere videtur fundamentum decretum Aurelianen. Concilii relatum à *Gratiano in c.omnes Baſilicæ 16.q.7.* per ea verba. *Omnes Baſilicæ, quæ per diuerſa loca conſtructæ ſunt, vel quotidie conſtruuntur, placuit ſecundum priorum Canonum regulam, vt in eius Epiſcopi poteſtate conſiſtant, in cuius territoiro poſitæ ſunt.* Quod quidem conciliare decretum, ſicut fundamentum præbet, vt Epiſcopus facultatum habeat conferendi omnia beneficia, quæ in eius territorio, ſiuè Diœceſi poſita ſunt, ità haud minorem præſtat auctoritatem, per quam poſſit, & penſionem ſuper iiſdem beneficiis imponere. Indeque ſatis fundamenti habet Epiſcopus, vt oſtendat hanc facultatem à iure competentem, quam ſibi oſtendi petit *Lother.* neque enim Iuris aliqua auctoritas affertur, quæ hanc facultatem, aut excludat, aut adimat, quæ enim auctoritates allegantur à *Suarez.* facilè, & apertè declinantur, quod ſi quidem preſtet inter Sacros Canones Rub. *Vt Eccleſ.benef.ſine diminut. conferant*, eodem modo eliditur, quo oſtenditur non obſtare generaliter penſionum impoſitioni, ex quo non imponuntur, in quota aliqua parte fructuum, vt in tertia, vel in quarta, ſed in certa quantitate pecuniæ, nec imponitur, in perpetuum ſed ad vitam exigentis, & eius in cuius fauorem imponitur; quæ rationes afferùntur, vt oſtendatur in conſtitutione penſionum, hæc ſacrorum Canonum decreta non temerari; ſicut, & faci-

*Ad c.conquerente n.5. de Cler. non reſid.*

*Ad c. ex parte nu. 15.de off deleg.*

*Ad c. ad audientiam n.4. & 5.de reſcrip. de penſ.q 6.de penſ q.11.de pacif.poſ. nu. 130. ad reg.3. G.ſ.3.§. 5.nu. 27. & ſeqq.*

*d.q.35.n. 33.*

*Tom. 1. de relig. lib.4. de ſim.c.24. n. 35.*

facilè poſſunt declinari *tex. in c. prohibemus de cenſibus*; Aliud enim eſt cenſum imponere Eccleſiæ, & Eccleſiam ipſam facere cenſualem, aliud Epiſcopum fructus Eccleſiarum ſuis vſibus ad propriare, quod vtrumque ea conſtitutione interdicitur aliud eſt penſionem imponere non perpetuam, non in ſuam,ſed in alienam vtilitatem, & haud minùs poſſunt euitari *tex.in c. finali 1.q.3. & in c. maioribus, & in c. Vacante de præb. tex. enim in c.fin.* idem ſtatuit, quod & Rub. *vt Eccleſ. benef.ſine diminutione conferantur*, & ſi hęc non lediturin penſionum conſtitutione, neque dici poterit lædi caput illud *fin.* minuſque duo alia iura *ex tit. de pręb.* quæ non de penſione, ſed de ſectione præbendarum loquuntur, quę ſectio, vt non cenſetur fieri, quando Summus Pontifex imponit ſuper præbenda penſionem, ità nec cum Epiſcopus; non enim hic agitur de differentia poteſtatis, de qua non eſt dubium, ſed de facto ſectionis, quod neutro caſu interuenit; & quià qui negant abſolutè Epiſcopum poſſe imponere penſionem concedunt, tamen poſſe imponere ex cauſa, non rectè arguunt nullam eſſe poteſtatem in Epiſcopo ſed limitatam,quæ limitatio aliundè quam, ex natura rei prouenire potuit, & iuſtè ac rationabilitèr quidem, tùm vt ſtet differentia inter Summum Pontificem & inferiores Præſules, tum etiam ne effuſa nimis poteſtas in omnibus Epiſcopis facilè in abuſum eiuſdem declinaret. Neganda igitur non eſt in Epiſcopo habitualis poteſtas ad penſiones conſtituendas, ſeù imponendas, vtcumque iuſtè limitata poſtea ad ſupremi Capitis libitum; cui quidem facultati rectiſſimè oſtendit *Gonzal.* non obſtare decretum Pauli IV.cuius verba regerit ex Mandos, & de quo ſibi non conſtare aſſerit, ſicut nec de Bulla B.Pii V. cui vtrique facilè, & adequatè ſatisfacit; *Nu.34.& 35.* quamuis autem hanc agnoſcamus poteſtatem in Epiſcopo habitualem, non per hoc excludimus limitationem eius quò ad vſum,ſiue à Summo Pontifice, ſiue à Curiæ ſtylo adeò, vt ſiue cauſa, eaque probata, & approbata non poſſit eam exercere, qua de re mox infra, ſi addiderimus primò neminem Epiſcopo inferiorem poſſe penſionem beneficio imponere, quæ vera penſio ſit, & eius rationis, de qua loquimur in præſenti tractatione; nam licet regularis Prælatus poſſit nonnunquam penſionem imponere ſuper beneficio manuali, & amouibili religioſo, & obedientiario ſuo, vt notauit *Panormit.* attamen hæc eſt anomala penſio, *Ad c. niſi eſſent. de præb. n.10.* penitus diuerſa ab ea, de qua loquimur, vnde ex ea facultatem in ipſo Prælato regulari imponendi penſionem non licet arguere; ſed ſtabilito, quod ſolus Papa, & Epiſcopus onerare penſione beneficium poſſint iam nunc ad cauſas accedamus, propter quas penſiones imponi poſſunt.

4 Primò igitur extrà omne dubium eſt, quod ſicut Summus Pontifex ſupremam in omnibus, & in beneficijs præſertim poteſtatem habet, ità penſionem pro ſui libito etiam ſine cauſa imponere poteſt; vt pluribus congeſtis auctoritatibus confirmat *Garz.* nihilominùs, *De benef.p.1. d.5.2. n.275* vt prudentèr, & humano modo agat, nunquam ſine cauſa id facere conſueuit; cauſa autem finalis, quę pręcipuè ſpectatur; & quodlibet rationale ages mouet, eſt cauſa alimentorum, vt ſupra iam tetigimus, quamuis cauſa impulſiua, ſiuè occaſionalis poſſit eſſe varia pro caſuum diuerſitate; licèt enim hæc cauſa alimentorum formalitèr non exprimatur, virtualitèr tamen in clauſulis, quæ adijciuntur, inuoluitur, & continetur, vt notauit *Lother.* & vtcumque reſeruatur *d. q.35. n.47.*

penſio in fauorem Cardinalium, aut aliarum ſublimium perſonarum, ſemper tamen ipſis aſſignatur, vt commodiùs viuere poſſint, quæ demùm reſoluitur in cauſam alimentorū iuxtà congruum cuiuſque ſtatum, & gradus conditionem.

Epiſcopus verò penſionem imponere non poteſt ſine iuſta aliqua cauſa, quæ quidem multiplex aſſignari conſueuit; primo enim poteſt Epiſcopus aſſignare penſionem pauperi Clerico ex cauſa ſtudiorum, vt ſupponit *Rebuff.* idque adeò verùm, vt quamuis idem *Rebuff.* neget Epiſcopum poſſe penſionem aſſignare nepoti ſuo ſuper beneficio, quod obtinere non poſſit, tamen accipiendum hoc cenſuit *Gonzal.* quando Nepos non eſſet pauper, & ſcholaris, vt nouiſſimè limitauit, & *Tondut.* & multò magis licita erit penſio aſſignata ab Epiſcopo Clerico pauperi, & egeno, quo vtilitas Eccleſiæ ſperetur ex ſeruatio, quod ipſi præſtare valeat Clericus, qui ex redditibus Eccleſiæ non habeat vndè valeat commodè ſubſtentari; Secundo, (& valdè ſingulariter inquit *Guiac.*) quandò in iudicio pro bono pacis, & concordiæ vni adiudicaret beneficium ex duobus litigantibus, alteri verò annuum reditum ſuper fructibus eiuſdem beneficij, obligando beneficiarium, non beneficium, & id faceret tanquam Iudex non tanquam compromiſſarius, quia tunc reſiperet Simoniam, vt notat *Cuiac.* & eſt ſpecies, ac deciſio *tex. in c. niſi eſſent* 21. *de præb.* Tertiò, quandò exposcente Eccleſiæ neceſſitate de conſenſu eius Rectoris erigeret Epiſcopus nouum beneficium, & ex abbundantibus eiuſdem Eccleſiæ redditibus annuam penſionem conſtitueret, quæ nouæ Eccleſiæ tanquam dos inſeruiret, ſubſiſteret enim tunc aſſignatio penſionis, & eſt caſus *tex. in c. conquerente, de Cleric. non reſid.*

*Cabeſut. in theor. & praxi iur. can. lib. 2. c. 124. n. 5.*
*De priuileg. ſ. bel. priu. 41. tom. 18. tract.*
*In concord. tit. de collat. pag. 13. ad rub.*
*Ad reg. 8. Gl. 5. §. 5. n. 29.*
*De penſionib. Eccl. c. 1. n. 4.*
*Tondut vbi ſup. n. 7.*
*Ad c. niſi eſſent. tit. 21. de præb.*
*Vbi ſup.*

Quartò, vbi beneficiorum inæqualium fieret permutatio, tunc enim ad fructus æquandos poteſt ex officio, & non ex pactione partium Epiſcopus aſſignare penſionem in fauorem beneficij tenuis, vt ſcribit *Gonzal.* affertur communitèr pro hac cauſa, *tex in c. ad quæſtiones 6. de rer. permut.* At (vtſupra notauimus cum *Suar.*) vix eſt, vt *tex.* ille id adequate probet; Auctores nihilominùs aſſertionem, & cauſam confirmant, vt teſtatur *Gonzal.* quamuis *Tondutus* de contrario ſtylo Curiæ teſtetur, & neceſſariam, omninò Summi Pontificis auctoritatem requirat; eſto nihilominùs, quod in caſu permutationis poſſit Epiſcopus aſſignare penſionem, non tamen poſſet, vbi renunciato beneficii fieret in fauorem alicuius, & tunc etiam reſeruaretur penſio, cum enim renunciationem, ſeù reſignationem in fauorem Epiſcopus recipere non poſſit, multò minùs poterit eandem recipere cum penſione Simoniaca enim tunc vt renunciatio, & Simoniaca penſionis conſtitutio.

*Vbi ſup. n. 27. & Gloſ. 14. n. 38.*
*d. n. 38. de penſ. c. 16. n. 10.*

Non ſolùm autem penſionis aſſignatio facta ab Epiſcopo debet eſſe cum cauſa, ſed & vlteriùs debet aſſignari in ipſo Collationis beneficiariæ actu, ſed ità, vt nulla pactio inter partes præcedat, nec penſio vitam perſonæ oneratæ excedat, aut beneficium afficiat; Perpetuam enim imponere poteſt ſolus Summus Pontifex, cui in his, quæ ſunt poſitiui Iuris, & tota re beneficiaria ſtat pro ratione voluntas, ſicut, & perſona, in cuius fauorem aſſignat penſionem Epiſcopus, debet eſſe certa, & non nominanda, ſed in ipſo conſtitutionis actu nominari; vndè nec poteſt Epiſcopus reſeruans penſionem ex cauſa permutationis in fauorem alicuius tertii eam reſeruare, ſed inter partes ſolum. Et ſi alitèr, hoc eſt ſine cauſa, penſio fuerit reſeruata, vel cum cauſa,

quæ

quæ tamen non fuerit probata, erit quidem penſio nulla, at non ſimoniaca. Qua ſtante poteſtate Epiſcopi aſsignandi penſiones, adeò limitata obſeruant *Gonzal. Lother. Tondut.* Et ſi qui alii vbi ſupra ſummum Pontificem non conſueuiſſe penſiones impoſitas ab Epiſcopis confirmare, aut approbare, ſed nouam prouiſionem, aut beneficii, aut ipſius penſionis concedere ex ſtylo Curiæ, vt teſtatur *Gonzal.* Nam aut aſſignatio penſionis facta ab Ordinario ſubſiſtit, aut non; ſi ſubſiſtit, non habet opus confirmatione, *l. vn. c. de theſaur. lib.* 10. ſi non ſubſiſtit, non vult Papa eam confirmando, & approbando anſam præbere Ordinariis, vt prouiſiones beneficiorum, & reſeruationes penſionum faciant facilè nimis, & frequentèr, & viam corruptioni aperire, ſed in medio quodammodò relinquit, temperamentum adhibens nouè conſtitutionis ipſius penſionis quamuis hæc ipſa noua prouiſio re ipſa effectum confirmationis pariat, vt idem *Gonz.* obſeruat. Poteſt igitur Epiſcopus penſiones ſuper beneficiis ſuæ collationis imponere, dum tamen citra fraudem id faciat, & ideò iuſta cauſa adeſſe, & probari debet, ea enim non exiſtente penſio in fraudem aſsignata intelligetur.

*Vbi ſup. n.30.*

Hæc tamen ordinarij facultas in imponenda penſione eò demùm ſe porrigit, vt non in perpetuum penſio ipſa ſubſiſtat, ſed ad vitam conſentientis beneficiarij, idque extra omnem controuerſiam eſſe teſtatur *Azor.* ita vt beneficium non afficiat tanquam ſeruitus ipſi impoſita, ſed tantùm perſonam beneficiarii, qua perempta extinguatur, & penſio tanquam perſonale onus; crediderc aliqui valere vltra vitam beneficiarij, & protendi ad ſucceſſores; quo caſu eam imponeret cauſa concordiæ, & vt à lite recedatur; verùm apertè nimis Summ. Pontifex in *d. c. niſi eſſent de præb.* hoc excludit, tolerat enim aſſignatam in ea ſpecie ab arbitris penſionem ità, vt *ad præſtationem, non dignitas prioratus, ſed perſona Prioris maneat onerata,* quamuis *Suarez* exiſtimet in hoc caſu penſionem auctoritate Epiſcopi impoſitam tranſire etiam in ſucceſſorem beneficij ex deciſione *tex. in c. de cætero de tranſac.* cui conſonat & *tex. in c.* 3. *de colluſ. deteg.* argumento ducto à contrario ſenſu ſecundum vtrumque tex. quos vſum ita declaraſſe teſtatur nihilo refragante *d. c. niſi eſſent,* vbi non auctoritate Epiſcopi, ſed arbitrorum, vtcumque delegatorum, penſio fuerat aſſignata, quibus in hac parte Epiſcopus præfertur. At verò ſemper id requiritur, vt penſio ita imponatur ab Epiſcopo, vt nulla de ea conuentio inter partes præcedat, eſſet enim illa de dando aliquo temporali pro ſpirituali cedendo, quæ ſane pactio reprobatur *in c. conſtitutus, & in c. pretereà de tranſac.* & ab Alex. III. fuit reiecta *in c. cum pridem de pac.* vndè communis eſt Pontificii Iuris interpretum ſententia, quod in hoc tranſactionis genere, qua datur vni temporalis penſio, & alteri beneficium adiudicatur neceſſario requiratur. Iudicis arbitrium, & auctoritas, & non adſit præcedens aliqua partium conuentio, cum in *c. niſi eſſent de præb.* honeſtetur ideò præcipue huiuſmodi tranſactio, quia ex ſola prouidentia Iudicis facta fuerit, & ex oppoſito improbatur in *d. c. cum pridem de pactis.* Rem tamen ad tutores terminos reuocauit *Suarez.* diſtinguendo penſionem; ſi enim penſio ſit ſpiritualis, & vere Clericalis, nullam labem incurri ſi tractatio præcedat inter partes, qua ſtatuatur penſio, quæ ſubinde Epiſcopi arbitrio & auctoritate confirmetur, tunc enim nihil datur temporale pro ſpirituali, & nihil eſt, quod impediat,

*Inſt. mor. p. 2. lib. 8. c. 6. q. 11.*

*Tom. 2. de relig. lib. 4. c. 51. n. 18.*

*Vbi ſup. n. 20*

diat, quò minùs poſſit inter partes in conuentionem deduci, & nulla eſt Canonica conſtitutio, quæ id prohibeat; præcipuè ſi bonum pacis id exigat; Si verò imponeretur penſio merè temporalis, tunc nulla poſſet præcedere inter partes conuentio, ſed res tota à prouidentia, & arbitrio Epiſcopi pendere deberet: *d. c. cum pridem de pact. c. niſi eſſent de præb.* pròut latè proſequitur *Suarez.* ad quem remittimus, contenti hæc diſſeruiſſe ſummatim de Epiſcopi auctoritate circa penſionum Eccleſiaſticarum conſtitutionem. Iam nunc recto ordine ad modum, quo Eccleſiaſticæ penſiones perimantur, & deſinant, de quo in §. ſequenti.

## Quibus Modis Eccleſiaſticæ Penſiones perimantur, & deſinant.

### §. II.

1 *Ex quibus cauſis penſio ſit nulla. Vbi cauſæ ſigillatim recenſentur, & præcipuè n. 2.*

2 *Irregularitas, de qua latè, & de diſpenſatione.*

3 *Examinantur duo caſus, in quibus dubitatur, an penſio aſſignata ſubſiſtat.*

4 *Quibus cauſis, aut modis penſio ſubſiſtens finitur, & ſinguli ſucceſſiuè ad praxim tractantur.*

Segregandi ſunt modi, ſiue cauſæ, quibus, vel ob quas penſio dicitur, & eſt nulla ab ijs, quibus annullatur iam conſtituta, ac in eſſe poſita extinguitur, vel perimitur, & de vtriſque partite agendum.

1 Cauſæ nullitatis Eccleſiaſticæ penſionis facile poſſunt deſumi ex conditionibus, ſeu requiſitis, quæ omninò adeſſe debent ad effectum, vt rite, recte, valideque conſtituantur; vt enim legitime conſtituatur penſio debet ipſa aſſignari Clerico, & illi, qui ſaltem Clericali tonſura ſit inſignitus, qui ſit legitimæ ætatis, nullis Eccleſiaſticis cenſuris irretitus, non irregularis, non illegitimus, aliaue quacumque ratione incapax, & aliter aſſignata, aut conſtituta penſio nulla erit ipſo iure, intelligendo tamen ſemper de penſione proprie Eccleſiaſtica iuxta intentionem huius tractationis, non de mere laicali, quę propter merita, aut propter temporale, ſiue laicale aliquod ſeruitium conſtituatur, huiuſce enim capax eſt etiam laicus, præcipue ſi à Summo Pontifice tanquam laico conſtituatur, Eccleſiaſtica igitur penſio nulla erit, ſi aſſignetur tanquam Clerico, qui tamen Clericus non ſit, idque maxime poſt conſtitutionem B. Pij V. Pontif. Max. de qua ſupra. Plura ſunt, quæ hanc aſſertionem confirment; primò enim incapacitas perſonæ conſtitutioni penſionis reſiſtit, quæ ideò naſci, aut vires ſumere non poteſt; laicus enim Eccleſiaſticæ penſionis capax non eſt, qua enim ratione excluditur ab Eccleſiaſtico beneficio eadem, & à penſione reijcitur, vt not. ad *c. 2. de inſtitut.* vnde ſi Papa reſeruat penſionem in alicuius fauorem tanquam Clerici, qui Clericus non ſit, nulla eſt penſio, falſa enim cauſa dans cauſam reſcripto reſcriptum nullum reddit ipſo iure: *c. ſignificante de reſcrip.* idque adeò verùm, vt etiam ſi Summ. Pontif. motu proprio reſeruaret penſionem adhuc nihilominus nulla eſſet, ſi penſionarius Clericus non eſſet, quamuis enim motus proprius excludat vitium ſubreptionis *c. ſi motu proprio de præb. in 6.* attamen non poteſt operari vltra agentis intentionem *l. non omnis ff. ſi cert. pet.* intentio autem Pontificis fuit prouidendi Clericum de penſione,

eaque

eaque ſemper præſumitur, donec contrarium conſtet, neque quidquam ſuffragaretur laico, ſi poſtea efficeretur Clericus, quia tempus conſtitutæ penſionis ſpectari debet in ordine ad capacitatem, nec habilitas ſuperueniens incapacẽ iuuat: *c. ſi eo temp. de reſcr. in 6. c. eam te eod. apud Greg. Clem. fin. eod. tit. c. ſi ſuper de off. & poteſt. Iud. deleg. in 6.* circa hanc nullitatis cauſam *Gigas* latè.

*De penſ. q. 22. per tot.*

Circa legitimam ætatem idem cenſendum non erit, ac de beneficio ſtatuitur; cum enim penſio Eccleſiaſtica tantùm lato modo ſit Eccleſiaſticum beneficium, hinc eſt, quod non ætas 14. annorum requiritur, ſed ſufficiet annorum ſeptem; verùm ſicut collatio beneficij facta non habenti legitimam ætatem non ſubſiſtit, nec ſubſiſtet Eccleſiaſtica penſio, ſed nulla erit ante ſeptem annos, niſi adſit cum aſſignatione penſionis legitima diſpenſatio; verùm cum *Concil. Trid. ſeſſ. 23. de reform. c. 6.* ſtatuerit, vt nullus ante 14. annum poſſit obtinere beneficium, idem erit cenſendum in penſione, vt declaratum à S. Congregatione teſtatur *Garz.* qua ratione nullam reddit penſionis aſſignationem defectus Clericatus, & defectus legitimæ ætatis, eadem impedit eam conſtitui, aut oriri excommunicatio, quæ ſicut reddit excommunicatum beneficij incapacem *c. poſtulaſtis de Cler. excom. miniſt.* & notauit *Couar.* ità & penſionis, eadem ſiquidem vtrobique viget ratio, quam reddit *Alex. III. in d. c. poſtulaſtis*, quia ſcilicet excommunicatio non poſſumus communicare, æque autem communicatur conferendo beneficium, ac aſſignando penſionem; cum præcipuè excommunicatus tanquam Deo, & Eccleſiæ inimicus non ſit capax Eccleſiaſticorum fructuum, nec eos ſuos facere valeat *Gloſ. ad c. præter 32. diſt.* idque adeò certum, vt etiamſi poſt aſſignatam

*De benef. p. 1. c. 5. num. 129*

*Ad c. alma mater de ſent. excõ p. 1. §. 7. num. 1.*

penſionem abſolutionem obtinuerit, nihil ipſi proficiat, cum initium, & non poſterior euentus veniat ſpectandus: *c. dudum 54. de elect.* cum enim excommunicatus ſit incapax literarum iuſtitiæ, nec eas poſſit obtinere, multò magis erit incapax literarum gratiæ *c. 1. de reſcrip. in 6.* vnde arcetur meritò ab omni iudicio non ſolùm petitorio, ſed etiam poſſeſſio occaſione penſionis, dum tamen excommunicationis exceptio fuerit oppoſita, & in actis producta, vt not. *Poſtius*, quamuis enim excommunicatus non poſſit agere, ſed poſſit ſe defendere, attamen vbi petit manutentionem in poſſeſſio penſionis non eſt Reus neceſſarius, ſed actor originarius, & præcipuè dum petit ante omnia ſibi ius dici ſuper manutentione penſionis, quo caſu vicem Actoris induit, quam gerere non poteſt; quæ tamen omnia accipienda ſunt de excommunicatione ſuperueniente poſt aſſignationem penſionis, nam ſi quæ fuiſſet tempore conceſſionis ſanata fuit per clauſulam ſalutarem, quæ tanquam ex formula in conceſſionibus omnibus apponi conſueuit. *Teque à quibuſcumque excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti alijſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutum fore cenſentes &c.* quæ clauſula, aut clauſulæ, quamuis realiter, & cum effectu non operentur; ſuſpendunt tamen impedimentum ab excommunicatione prouenien s, ad hoc vt gratia ſuum conſequatur effectum, quo adepto, cenſura ſtatim ſuas exerit vires tanquam remoto impedimento, vnde ad nil aliud habilitatem conſequitur, interim excommunicatus, & tantæ virtutis eſt ea clauſula, vt

*De manut. obſeru. 68. n. 20. 21.*

vt omnem excommunicationem comprehendat etiam reſeruatam Pontifici, etiam comprehenſam in Bulla Cœnæ Domini, vna excepta excommunicatione propter hæreſim, vt limitat *Couar.* & ſi fortè hæc eadem clauſula eſſet adiecta ab inferioribus puta legato, Nuntio Apoſtolico, aut etiam Epiſcopo non operaretur, vltra quam ſe extenderet eorum facultas, & in Epiſcopo in ijs caſibus tantùm, in quibus diſpenſare ipſi fas eſt; ſunt tamen caſus nonnulli (vt obiter hoc moneamus) in quibus clauſula illa nihil operatur adimente ipſi vim Summo Pontifice, & nolente in caſibus illis quidquam excommunicato ſuffragari, quos recenſet regula 66. Sanctiſſimi D. N. Clem. X. quæ attitulatur de inſordeſcentibus.

*Vbi ſup. p. 1. §. 11. n. 15.*

*In reg. Cancell. Apoſt.*

Excommunicato ſuccedit irregularis, de quo meritò dubitatur, an ſit capax Eccleſiaſticæ penſionis; exigit autem rectus procedendi modus, vt primò irregularitatem ipſam declaremus, ne circa ignotum ſit labor, & abſque neceſſaria terminorum notitia; quod ad nomen attinet; ſicut regulare id dicitur, quod ſecundùm regulam ſit *l. regulariter ff. de petit. hæred.* ita irregulare, quod non ſecundùm regulam; vnde cum regula fuerit ab Apoſtolis, & SS. Patribus conſtituta de ijs, qui ad ſacra miniſteria ſint admittendi, fuerintque aliqui ab ea admiſſione prohibiti 1. *ad Timoth. cap.* 3. ſiqui ex iſtis admitterentur dicebantur ſacris initiari contra regulam *c. quoniam* 44. *diſt.* hinc factum, vt inhabiles ad ſacra miniſteria dicti fuerint irregulares tanquam extra regulam exiſtentes; indeque facilis emergit irregularitatis definitio, quam ex aliorum ſententia tradidit *Couaruu.* quod ſcilicet irregularitas ſit *Canonicum impedimentum ex facto ſeu defectu proueniens, quo quis prohibetur ad Eccleſiaſticos ordines promoueri, & in eiſdem miniſtrare*. Vel breuiùs ex ſententia ſua. *Irregularitas eſt vitium, cuius cauſa iure humano Pontificio, quis prohibetur ordinem Eccleſiaſticum ſuſcipere, & in ſuſcepto miniſtrare*. Differt irregularitas à ſuſpenſione, quia ſuſpenſio eſt *cenſura Eccleſiaſtica, qua Miniſter Eccleſiæ impeditur, ne functiones Eccleſiaſticas exerceat, aliquaq; Eccleſiaſtica poteſtate vtatur*. Sic enim eam definit *Suarez* ex communi, & inde emicat differentia, quia ſuſpenſio eſt cenſura, irregularitas non item. Ideòq; ſuſpenſio nil officit in adeptione beneficij, vel penſionis propter clauſulam ſalutarem abſolutionis, de qua ſupra, & quæ in omni prouiſione, ſiue penſionis, ſiue beneficij apponi conſueuit, & appoſita cenſetur, quæ cum abſoluat à cenſuris, etiam à ſuſpenſione abſoluitur quod ſi fortè ſuſpenſio poſt adeptam penſionem ſuperueniat priuationem penſionis non inducit, niſi in ſententia id expreſsè dicatur, cum in pœnalibus, & odioſis appellatione beneficij non veniat penſio. His ſic præmiſſis ad rem noſtram. Irregularis incapax eſt beneficij, adeò, vt collatio irregulari facta ſit nulla *c. cum in cunctis* §. *fin. de elect.* & conſequenter incapax etiam erit penſionis, nec poterit ipſi penſio validè aſſignari ſaltem de ſtylo Curiæ, cui in penſionum materia omninò inſiſtendum, poſt alios de irregulari, ità ſcripſit *Garz.* Hæc tamen regula, qua dicitur quod incapax beneficij ſit etiam incapax penſionis non eſt perpetua, nam in diſpenſationem pœnali, qui declaratus fuit incapax ad beneficia, non erit ſtatim incapax etiam penſionis, id enim dictat recta interpretandi ratio, *c. ò dia. de reg. iur. in* 6. & ideò licèt irregularis nouam penſionem obtinere non poſſit, obtentas tamen non amittit, niſi eas renunciet, vel ad eaſdem inhabilis per ſententiam declaretur iuxta doctrinam

*Ad Clem. ſi furioſus de homicid. n. 1.*

*De Cenſur. diſp. 25. de ſuſpenſ. in com. ſect. 1.*

*De benefic. p. 1. c. 5. n. 35.*

nam

nam *Innocentij*. quandoquidem nec irregularis amittit beneficia iam obtenta. Sic enim *Rebuff.* & *Pariſ.* Vnde ante priuationis ſententiam facit fructus, & penſiones ſuas.

*Ad c. cũ noſtris n. 2. de conceſſ. preb.*

Neque credendum iuuari irregularem ad penſionis adeptionem ſi in diplomate aſsignatæ penſionis adhibita fuerit clauſula ſalutaris abſolutoria, de qua diximus ſuprà; Nam irregularitas non eſt cenſura, nec pro ea datur abſolutio, ſed potiùs diſpenſatio, de qua clauſula ſalutaris non loquitur.

*De pacif. poſſeſſ. q. 25. n. 280 de reſign. benef. lib. 5. q. 4. n. 182.*

Illegitimus regularitèr capax non eſt penſionis, & ipſi aſſignata nulla erit niſi Clericatum obtinuerit, ſuper quo obtenta diſpenſatione diſpenſatus etiam ad penſionem cenſetur adeò, vt peculiari diſpenſatione ad obtinendam penſionem non indigeat, inhabilis enim ad penſionem cenſetur ratione clericatus, cum Clericus eſſe non poſſit, vndè eo facto Clerico remotum cenſetur impedimentum; Quaſi penſio dicat ius quodam temporale ſeparatum formale, & per ſe diſtinctum à beneficio, vt ſcripſit *Stephan. Gratian.* niſi eſſet penſio, quę daretur in titulum beneficij, quià eius incapax eſſet illegitimus, quamuis eſſet Clericus, vt notat limitando *Nicol. Garz.* Indeque fit, vt Epiſcopus cum illegitimo diſpenſare poſſit iuxtà *tex. in c. 1. de filijs presbyt. in 6.* cuius auctoritate cum poſſit Epiſcopus diſpenſare cum illegitimo ad ordines minores, ità vt poſſit obtinere beneficium, cui cura animarum non immineat, diſpenſatio huiuſmodi proficiet, & ad penſionem etiam ſi beneficium, vel penſio ſit in Diœceſi alterius Epiſcopi, vt probat *Pyr. Corrad.* An autem filius illegitimus poſſit obtinere penſionem ſuper beneficio, aut præbenda, quam habuit Pater, vel in qua habuit ipſe penſionem videatur decretum *Concil. Tridentini*, & quæ tractat *Stephan. Gratian.* Ex quibus omnibus hactenùs recenſitis cauſis nulla redditur penſionis conſtitutio, ſeù aſſignatio ratione incapacitatis perſonę, cui aſſignatur penſio; An autem diſpenſatus incapax, aut inhabilis ad beneficia cenſeatur, etiam diſpenſatus ad penſiones obtinendas eſt valdè dubium; ſi enim ſpectemus diſpenſationis naturam, quæ quando particularis præcipuè eſt, cenſetur ſtricti iuris, & odioſa ſi (quod magis eſt) ſtylum Curiæ, certe dicendum videtur diſpenſatum ad obtinenda beneficia non cenſeri diſpenſatum ad obtinendas penſiones, niſi de penſionibus expreſſa facta fuerit mentio in reſcripto, vt teſtator *Corrad.* At ex oppoſito Auctorum plerique, & poſt eos *Gigas*, diſpenſatum ad beneficium eſſe diſpenſatum etiam ad penſiones ſubſtinet aſſerens, quod ſi Iudex ipſe eſſet, ita pronunciare, præcipuè ſi diſpenſatio eſſet concepta ad quęcumque beneficia obtinenda; penſio enim tunc ſuccedit loco beneficij, & meritò diſpenſatus ad beneficium cenſetur etiam diſpenſatus ad penſiones, præſertim quia diſpenſatio, quæ reddit illegitimum capacem beneficij non reſpicit beneficium, ſed perſonem, in qua nullum eſt amplius impedimentum, & ideò penſionem etiam obtinere poteſt, nam ſi eſſet ſolummodò diſpenſatus ad certum aliquod beneficium, tunc non intelligeretur diſpenſatus ad penſionem, quia diſpoſitio ad certum actum reſtricta accipitur tantum de primo actu, *l. Boues §. hoc ſermone ff. de Verb. ſign.* niſi fortè diſpenſatus ad certum beneficium illud poſteà reſignaſſet reſeruata ſibi penſione, tunc enim penſionem ſibi retinere poſſet tanquam ſubrogatam in locum beneficij, ad quod fuit ſecum ſpecialiter diſpenſatum vt poſt *Gig.* limitauit *Rebuff.* ſtylum nihilominus

*Diſcept. forenſ. c. 397. n. 12 1213.*

*De benef p. 1. c. 5. n 119.*

*In praxi diſpenſ. lib. 7. c. 1. n. 9.*

*d. ſeſſ. 25. n. 15.*

*d. c. 397. n. 1. & ſeqq.*

*De diſpenſat. Apoſt. lib. 2. c. 7. n. 19.*

*De penſionib; q. 19. in fin.*

*De penſ. q. 18*

*De diſpenſ. ſup. defec. natal. n. 82.*

*De diſpenſ. Apoſt. lib. 2. c. 7. n. 19.*

nus Curiæ obſtare teſtatur *Pyr. Corrad.* quo obſeruatur, vt conceſſa diſpenſatione ad beneficium eadem non ſuffragetur ad penſionem, niſi in reſcripto mentio expreſſa de penſione facta fuerit.

Verùm hoc diſſidium rationabilitèr conciliari poteſt, ſi dicamus, tutiùs quidem eſſe, vt in diſpenſatione ad beneficium fiat mentio penſionum; At ſi omiſſa fuerit ea mentio, attento iuris rigore non extendetur diſpenſatio à beneficio ad penſionem, ratio enim ſtricti iuris, cuiuſmodi eſt diſpenſatio, id non patitur. At verò æquitatè inſpecta, & ex præſumpta intentione Summi Pontificis, qui diſpenſando perſonam magis; quam rem inſpicit, diſpenſatus ad beneficium cenſebitur diſpenſatus, & ad penſionem ex traditis appoſitę per *Tondutum*, qui obſeruat diſpenſatum ad Clericatum tacitè illegitimi diſpenſatum, & ad penſionem.

*Quæſt. benef. p. 2. c. 1. §. 4. n. 10. vol. 1.*

3 Duo caſus ſunt breuiter examinandi, in quibus dubitatur meritò, an penſio reſeruata ſit ipſo iure nulla, nec vllo modo ſubſiſtat eius aſſignatio. Primus eſt quando in diplomate, ſeù Bulla adiecta eſt clauſula, *dummodò tot remaneant pro titulari*; Et tamen reuerà non remaneant, vel expreſſa per aliam clauſulam illa conditio, *dummodò penſio medietatem, vel tertiam partem fructuum non excedat*; quid enim ſi re ipſa excedat? An nulla ſit penſio, an verò ſubſiſtat, ſed veniat reducenda, aut moderanda.

Ad reſolutionem duo caſus ſunt diſtinguendi; Primus eſt, quando beneficium vacat per obitum, & tunc clauſula huiuſmodi non operatur nullitatem penſionis, ſi excedat, ſed tantum reductionem, quæ peti poterit; quia cum huiuſmodi conditiones, & clauſulæ poſſint apponi ad annullandam penſionem, & ad eam modificandam, aut moderandam, in dubio præſumendum eſt, quod ſint adiectæ potiùs ad moderamen, quam ad nullitatem, cum facienda ſit interpretatio ſemper magis, vt actus valeat, quam vt pereat, *l. quoties 13. ff. de reb. dubijs*, adeſt enim conſenſus Summi Pontificis, qui concedens quantitatem maiorem non præſumitur velle negare minorem, quę in maiori continetur, idque maxime ſi eſſet reſeruata motu proprio.

Secundus caſus eſt quando reſeruatio penſionis facta eſt ex cauſa reſignationis adiecta clauſula, *quod reſignans reſignationem facit, non alias alitèr, nec alio modo*; vel alio quocumque modo, ſub conditione; & re ſtrictione ad certam ſummam excludendo minorem, & tunc ſi penſio excedat, ità vt beneficium eam ferre non poſſit, non erit locus reductionis, ſed penſio erit nulla, & idem dicendum, quo caſu dictum fuerit penſionem non excedere dimidiam partem fructuum, & re vera excedat, tunc enim cum valor ſit expreſſus per modum conditionis, conditio deficit, & gratia penſionis tanquam ſubreptitia in totum corruit, taxatioq; facienda erit habito reſpectu ad tempus conceſſionis *c. eamte de reſcrip.* idq; adeò verùm, vt etiam ſi Penſionarius ſe offerret ad reductionem, nil proficeret, cum penſio nullo modo ſubſiſtat; idemq; dicendum, quo caſu extra cauſam reſignationis in gratia certus valor beneficii fuerit expreſſus, & penſio intuitu eiuſdem certi valoris fuerit aſsignata, tunc ſi quidem ſi penſio excedat non erit reducibilis, ſed omninò nulla, & penſio nulla in obolo eſt in totum nulla, vt exponit *Lother.* conſideratur enim tanquam vnum integrale, quo non poteſt pro parte valere, & pro parte non ſubſiſtere, & concludendo; quandò expreſsio valoris fructuum ſit

*De re benef. lib. 1. q. 38. nu. 54.*

fit reſtrictiuè, & ad taxandam principalitèr quantitatem penſionis, & conſequenter portionis remanentis penes reſignantem, ſi in reſignatione ſit adiecta clauſula, & proteſtatio *non alias, alitèr, nec alio modo.* Ex vi conditionis penſio, quæ erat diuidua ex intentione adijcientis fit indiuidua, & ſi deficiat in Obolo corruit in totum, *l. Tutor. vrgentibus* §. 1. *ff. de minor.* vt optimè explicat *Lother.* Hæc de primo caſu principali.

*Vbi ſup. lib. 1. q. 41. n. 33.*

Secundus caſus ęquè principalis eſt, in quo nulla redditur penſio ipſo Iure quandò in reſeruatione penſionis non eſt facta mentio Summo Pontifici alterius penſionis, quæ ſuper eodem beneficio vigebat, & erat iam legitimè impoſita; Penſio ſi quidem ſecunda, tanquam ſubreptitia, eſt nulla, ſi enim Summus Pontifex ſciuiſſet exiſtentiam alterius penſionis difficiliùs penſionem ſecundam conceſſiſſet, vndè cum hæc omiſſio ea ſit, quæ non facta difficiliorem gratiam reddidiſſet, meritò reddit gratiam ipſam nullam, *c. dudum* 54. *de elect. c. ſuper literis c. poſtulaſti de reſcrip.* Gratia enim ſecunda redditur nulla ſi in ea non fiat mentio primę, & præcipuè ſi ſit beneficialis; ſuppoſito tamen, quod gratia prima ſubſiſtat, alias enim ea exiſtente inualida, non officit, ſi eius non fiat mentio in gratia ſecunda, & ideò laborante prima penſione vitio nullitatis nulla eſt neceſſitas eam commemorare in reſeruatione penſionis ſecundæ, quod enim nullum eſt, nullum producit effectum, *l. non putauit in princ. verſ. non quæuis ff. de bon. poſſ. Contab.* vt limitauit *Lother.* & tunc onus probandi ei incumbit, qui nullitatem ſecundæ penſionis obiicit ob non factam expreſſionem primæ, nullitatemque huiuſmodi ipſo iure inductam cenſeri abſque vlla ope exceptionis docet idem *Lother.* addens, quod etiam ſi ceſſet prima per extinctionem, vel alium modum ſecunda non reuiuiſcit; omniumque dictorum vnica eſt illa ratio, quià in dubio non præſumitur, Papam voluiſſe Eccleſiam, aut beneficium duplici onere grauare *c. mandatum, cum duob ſeqq. de reſcrip. c. duobus eod. in 6. l. Titia* 35. §. *qui inuita filia ff. de leg.* 2. vbi eleganter Iuris Conſultus, *non eſt enim veriſimile patrem duplici præſtatione dotis filium, eundemque hæredem onerare voluiſſe*, & ideò etiam ſi motu proprio ſecunda penſio eſſet reſeruata non facta mentione primæ nulla adhuc eſſet, quia motus proprius non operatur, vbi adeſt defectus intentionis Summi Pontificis, de quo caſu *Gigas*, ſunt iſti potiores caſus in quibus penſio redditur ipſo iure nulla adeò, vt nequeat ipſa conſurgere, conſtitui, vires, aut ſubſiſtentiam aſſumere.

*d. q. 38. n. 61.*

*Ibid. nu. 59.*

*De penſionib. q. 19.*

Iam nunc tranſeamus ad caſus, ſeù cauſas, propter quas conſtituta, ac ſubſiſtens penſio finitur, deſinit eſſe, & expirat.

4 Finitur igitur, & extinguitur iam conſtituta penſio per Mortem penſionarij, in cuius gratiam, & commodum fuit aſsignata; naturalis eſt hic modus quandoquidem Mors omnia ſoluit §. *Deinceps Autb. de nuptijs*; Eſt enim ius perſonale ad inſtar vſufructus, quod cum perſona debet extingui §. *finitur inſtit. tit. de vſuf.* Secundò finitur penſio per ingreſſum Penſionarij in Religionem ſeù Monaſterium, quod tamen non ità accipiendum, vt ſolus ingreſſus ſufficiat, ſed profeſsio, & votorum ſolemnis emiſsio requiratur; apertiſsima enim eſt Alexandri IV. conſtitutio ità decernens in *c. beneficium de regular. in 6.* neque enim vita regularis, & Monaſtica aliter morti æquiparatur, niſi per profeſſionem, qua moritur fortunæ bonis ipſique ſæculo per paupertatem,

tatem, moritur propriæ ſpeciei per caſtitatem, moritùr demùm ſibimetipſi per obedientiam, qua propriam omnino abdicat voluntatem. Namque penſio venit beneficij latè ſumpti nomine, quod non vacat per ſolum ingreſſum in Religionem, aut per ſolum Nouitiatum, ſed remanet adhùc penès Nouitium, qui poteſt etiam ipſum in alterius fauorem reſignare ex *d. c. beneſ. & c. ex tranſmiſſa de renunciat.* idque vt libertas Nouitij ſit ſemper integra, & ſalua, & liberum æquè ei ſit, aut egredi, aut profiteri, quod etiam non eſt ita accipiendum, vt annus præcisè probationis intelligatur, ſed ſolùm probationis tempus, quantumcumque illud ſit, vnde ſi prorogaretur profeſſionis omiſſio vltra annum, duraret adhuc penſio, vel ſi Summi Pontificis indulto arctaretur idem probationis tempus, & maturius emitteretur profeſſio, eò citiùs etiam penſio perimeretur; anni enim tempus, quod conſideratur in *d. c. beneficium de regular. in 6.* accipitur ſecundum communem, & frequentiorem vſum, vt latè per *Sanchez*, qui addidit, quod ſi ageretur de beneficio, quod à ſui fundatione rigoroſam requireret reſidentiam adeo, vt cautum eſſet, vt abſente Cappellano beneficium vacet, adhuc non eſſet ei imputanda abſentia ex cauſa nouitiatus, quia fundatorum intentio præſumenda eſt conformis diſpoſitioni iuris communis, ex traditis *ad l. hæredis mei §. cum ita ff. ad S.C. Trebellian.* Hucque tendit *reg. 46. Cancell. Apoſt. SS. D. N. Clem. X.* fœliciter regnantis, qua cautum, *vt non dentur literæ ſuper beneficijs vacaturis per ingreſſum religionis, niſi profeſſio præceſſerit datam deſuper petitionis*, quod dictum de profeſſione expreſſa intelligetur etiam de tacita, vt ſcilicet per eam vacet beneficium, & extinguatur penſio, dum tamen in tacita profeſſione

*In præcep. decal. lib. 7. c. 4. per tot. Ibid. num. 4.*

adſint requiſita omnia, quæ recenſuit *Auguſtin. Barboſa*. Non tamen extinguetur penſio per profeſſionem, ſi Summus Pontifex expreſsè diſpenſet, vt profeſſus poſſit eam retinere, aut de eius intentione, & mente appoſitè conſtet, vt poſt *Couar. Caccialup. Gig.* & alios notat *Sanchez*, quæ diſpenſatio ad retentionem penſionis in adminiſtrationem tantùm concedi conſueuit, & ſub certa forma. Hæcque omnia de penſione ſunt intelligenda in titulum Eccleſiaſticum aſſignata, & non in temporale ſtipendium, vt ſupra notatum.

*Iur. Eccl. vniu. lib. 1. c. 42. n. 157. & ſeq.*

*De Matrim. lib. 7. diſp. 44 num. 7.*

His addemus, quod regularis incapax eſt penſionis ſuper beneficio ſæculari imponendæ ſine ſpeciali, & expreſſa Summi Pontificis diſpenſatione, regula ſiquidem generalis eſt, incapacem beneficij eſſe quoque incapacem penſionis ſuper eodem beneficio imponendæ, quamuis hæc ipſa regula limitationes ſuas recipiat, nihilominus tamen à pleriſque ſic abſolutè profertur, ac recipitur; cum enim penſio ſit fructus beneficij, & eius portio, idem cenſemus de parte, ac de toto *l. quæ de tota ff. de rei vind.* & qui non eſt capax beneficij, neque eſt capax penſionis; imò nec capax eſt penſionis, idem regularis ſuper beneficio regulari ſui ordinis ſine ſpeciali derogatione Summi Pontificis ex *Clem. vn. de ſuppl. neglig. Prælat.* qua vetitum, ne Prælati regulares beneficia applicent menſis ſuis, neue penſiones imponant, aut veteres augeant, late *Tamburin. & Barboſa*, quamuis poſſit Prælatus regularis conferens beneficium religioſo onus imponere, vt partem fructuum det alteri Religioſo indigenti propter ſenectutem, aut infirmitatem, aut det ſingulis annis aliquid pro fabrica Monaſterij, hoc enim non eſt onerare beneficium, ſed perſonam, vt aduertit optimè *Sanchez*, & præſertim in religioſis obedientiarijs, non item in ijs,

*De iure Ab. tom. 2. diſp. 9. q. 15. n. 6. Iur. Eccleſ. vn. lib. 1. c. 17. n. 36.*

*In præcep. Decal. lib. 7. c. 29. n. 99.*

ijs,qui beneficium haberent in titulum; hactenus de penſione perimenda per ingreſſum in Religionem.

Extinguitur & tertio penſio per promotionem penſionarij ad Epiſcopatum aut Archiepiſcopatum, eo modo planè, quo vacant & beneficia; *Extrauag. ad regimen de præb.* arguendo à beneficio ad penſionem ex *c. cum in cunctis* §. *cum verò de elect. & ibi ſcribent.* at verò obſeruat *Lother.* extinctionem huiuſmodi re vera non naſci ex diſpoſitione iuris communis, neque admitti illationem, à *c. cum in cunctis ad vacationem penſionis*, ſed ex ſtylo Curiæ, & expreſſis conſtitutionibus Iulij II. & Leonis X. quæ apertius etiam à Clemente VII.confirmatæ fuere,ac ſubinde per praxim inuiolabilem comprobatæ. Quamuis re vera in ſe penſio cum Epiſcopatu nullam inuoluat incompatibilitatem;& ideò attentis ſupradictis conſtitutionibus,cum vacatio & beneficiorum,& penſionum inducatur amittet eas electus Epiſcopus niſi Summus Pontifex gratiam retentionis faciat, & amittet adepta conſecratione,vel elapſo tempore ad conſecrationem præſtituto à iure. Quod ſi Papa in prouiſione Epiſcopatus exprimat, & declaret ſtatim vacare beneficia ſimul, & penſiones, expreſſa eius voluntas ſeruanda erit,non expectato, quod prouiſus poſſeſſionem adipiſcatur. At verò ſi dixerit vacare beneficia promoti, & nihil addiderit de penſionibus huiuſmodi decretum tanquam exorbitans ad penſiones non extendetur in materia præſertim odioſa, & priuatoria, & eò minùs, quo diuerſa eſt omninò ratio in hac parte inter beneficium, & penſionem, quia beneficiorum ideò inducitur vacatio, vt ſcilicet Summus Pontifex citiùs poſſit beneficijs prouidere, quæ ratio omninò ceſſat in penſionibus.Quod ſi fortè Epiſcopus non poſſit collati ſibi

*De re benef lib.1. q.41.n.7.*

*Leo to.1. Bull coſt. 5. Clem. v.i.conſt. 6.*

Epiſcopatus poſſeſſionem conſequi ad beneficia ſua poterit redire iuxta *tex. in c. ſi beneficia de præb. in 6.* ſtylus tamen Curiæ eſt, vt beneficia huiuſmodi ſtatim à promotione tanquam vacantia poſſint conferri non expectata conſecratione,adeò,vt nec poſſint renunciari,niſi prorogatio, aut retentio conceſſa fuerit,vt teſtatur *Barboſa*, limitabitur tamen aſſertio de vacatione beneficiorum per promotionem ad Epiſcopatum, vt non obtineat in Epiſcopo promoto ad Epiſcopatum in partibus infidelium, & ſimpliciter titulari, per eum enim non ſtat,quo minus adipiſcatur poſſeſſionem, vt poſt alios tradit idem *Barboſa*, & conſequenter nec vacabunt penſiones iuxta illationem à beneficijs ad penſiones.

*De off. & poteſt.Ep.alleg. 53.num. 68.*

*Vbi ſup.n.74*

An autem per promotionem ad excelſam Cardinalatus dignitatem vacent penſiones dubitari licet; & quæſito facile poteſt ſatisfieri diſtinguendo; aut enim eſt Cardinalis Epiſcopus,aut ſimpliciter Presbyter,ſeu Diaconus, primo caſu vacabunt penſiones, ſicut in alio quocumque Epiſcopo ex *c.cum in cunctis* §. *cum verò de elect.*ſed exigua hæc eſt iactura, quia Cardinalibus datur retentio, & iuſtiſſima ſanè ratione, cum ingens ſit Cardinalium onus ſuſtinendę Eccleſiaſticæ viſibilis Maieſtatis, ad quod ferendum ingenti etiam opus eſt prouentuum ſubſidio; ſi verò ſit Cardinalis Presbyter, aut Diaconus neutiquam vacant penſiones, ſicut nec vacant beneficia,ſed ea retinet Cardinalis, qui poteſt etiam obtinere Canonicatum in Cathedrali, vt conſtat in *c. Eccleſia veſtra 57. de elect.*niſi eſſet beneficium curatum,quod poſſideret, vel inferior aliqua dignitas,aut officium, hæc enim vacant per promotionem ad Cardinalatum iuxta *Extrauag. execrabilis* §. *qui verò de præb.* Hæc nihilominus impugnantur acerrimè à *Martino Laudenſi*,

*2. tract. de Card. q. 15. De præſtantia Card. q. 12.*

*denſi, & Andrea Barbatia*. At quidquid ſit de iure hactenus tradito, quod dici poteſt antiquum, certè penſiones non vacant per promotionem ad Cardinalatum, ſed nouiſſimo iure res vniuerſa redditur indubia per conſtitutionem SS. Sixti V. qui ſtatuit, quod per promotionem ad Cardinalatum vacent omnes Eccleſiæ, & omnia beneficia cuiuſcumque generis ſint, niſi conceſſa fuerit retentio, quæ tamen cenſetur ſemper indulta ad Patriarchales Metropolitanas, & Cathedrales Eccleſias, ad Monaſteria etiam commendata, ad Prioratus, & omnia alia beneficia, quæ non repugnant gradui, & dignitati Cardinalatus, vt Archipresbyteratus, Archidiaconatus, Decanatus, & Canonicatus, quæ huiuſmodi beneficia pugnant cum dignitate Cardinalatus, cum ea obtinentes debeant reſidere in Choro poſt Epiſcopum, quod non decet dignitatem Cardinalatus, vnde conſequens ſit omninò indubium penſiones non vacare, nihil enim inuoluunt, quod repugnet gradui Cardinalatus.

*In Bull. nouo conſt. 79.*

Vacat non minùs penſio per promotionem ad Abbatiam, ſicut vacant & beneficia, & præcipuè ſi Abbatia ſit regularis, cum beneficia omnia cum regularibus ſint incompatibilia *c. cum ſingula 32. de præb. in 6.* ſed cum ea differentia, quod per Epiſcopatum vacant beneficia poſt adeptam conſecrationem, aut tempus elapſum ad conſecrationem obtinendam. At verò in Abbatia poſt electionem, & confirmationem benedictione nondum etiam obtenta, quæ non ſit de ſubſiſtentia; immo etiam ſi ſit ſæcularis, quandoquidem dignitas eſt *c. ſicut deinceps 16. q. 7. & c. Abbates de priuilegijs in 6.* media inter maiores, & minores dignitates, ſed de ſæcularibus Abbatijs vacatio penſionis eſt intelligenda, quæ in Eccleſia habent plenam, & quaſi Epiſcopalem iuriſdictionem ità vt Abbas dici poſſit illius Eccleſiæ Sponſus, & per eius obitum Eccleſia viduari, non item de alijs inferioribus Abbatijs; idem dicendum de Prioratibus, quorum poſſeſſores ex natura beneficij Prælati dicuntur, & Abbatis gerunt vicem, cum principalem habeant dignitatem in Eccleſia ſiue Regulari, ſiue Collegiata.

Pendet à vacatione penſionis hactenus tractata alia ſingularis vacationis cauſa non omittenda, puta cum quis ſuper Epiſcopatu, aut alio beneficio penſionem exigit, & ſubinde conſequitur eiuſdem Epiſcopatum, aut idem beneficium, tunc enim per conſolidationem extinguitur penſio, & meritò ad inſtar vſusfructus, qui conſolidatione, & adeptione proprietatis extinguitur §. *item finitur inſt. tit. de vſuf. l. cum filius* §. *Dominus ff. de vſuf.* Sed quid ſi Epiſcopatum, aut beneficium adeptus poſt aliquod tempus illum, vel illud dimittat, numquid ipſi debetur adhuc penſio ab eo, qui idem beneficium fuerit adeptus? vix affirmaueris quia vſusfructus ſemel extinctus non reuiuiſcit *l. quod tamen* §. *non tantùm quibus mod. vſuf. amittat*, ſicut & actio, quæ ſemel interijt non amplius deſurgit *l. Mæuius* §. *duorum ff. de leg.* 1. Nodum ſoluit diſtinguendo *Cigas*, aut enim Penſionarius, qui beneficium, ex quo exigit penſionem eſt adeptus, illud dimittit ex cauſa neceſſaria, puta quia illud ſibi fuerit euictum ab eo, qui ſuper ipſo potiora habebat iura, & tunc reuiuiſcit conſolidata penſio, *l. ſi Maritus c. de inoff. teſt.* vbi ad rem pulchrè, reſciſſa per inofficioſi querelam hæreditatis aditione reuiuiſcunt actiones, quæ aditione ipſa fuerant confuſæ, quod & dixeris de vſufructu ex eadem ratione, & ad rem noſtram de penſione. Aut dimittit beneficium ex cauſa merè voluntaria, puta reſignationis,

*De penſ. q. 49. n. 7. & ſeqq.*

tionis, & tunc extincta ſemel penſio non reuiuiſcit; ſicut nec reuiuiſcit vſuſfructus ſemel per conſolidationem extinctus, quo caſu vſufructuarius quæſitam ſibi proprietatem ex cauſa merè voluntaria, eandem proprietatem alienauerit, *l.ſi tibi fundi ff.quib.mod.vſuf. amitt. & d. l.cum filius* §.*Dominus ff. de leg*.2. Niſi fortè acquiſitio illa proprietatis eſſet reuocabilis, tunc enim facta reuocatione acquiſitionis iura priora reuiuiſcunt, aut reſtituuntur, vt in puncto ſeruitutis acquiſito fundo reuocabilitèr, notat *And. Tiraquel. ex l. legatarius ff. de leg*.1. & meliùs *ex l. ſi ei ff. com. præd.& l. Papinianus ff.de ſeruit*. quaſi per acquiſitionem dominii extinguatur quidem forma vſusfructus, non tamen ſubſtantia eius, ſeu effectus, & emolumentum, eo modo planè, quo reuiuiſcit vectigal ſuper fundo, quo caſu ab exigente vectigal comparetur, & acquiratur fundus, qui poſteà retrahatur, vt tradit idem *Tiraquel.* Neque admittimus differentiam, quam ponit *Gigas*, an ſcilicet impetrans beneficium, ſuper quo exigit penſionem ſciuerit, ſe minùs iuſtè impetraturum beneficium, quod poſteà veniat euincendum, & fuerit euictum, an verò ignorauerit, vt in primo caſu non concedat reuiuiſcentiam penſionis, at vtique in ſecundo. Nam ſiue ſciuerit, ſiuè ignorauerit ruuiuiſcet penſio, neque imputatur culpa *l.hæredem* 17.*ff.de his quib. vt indign.iunc.l.eum qui* 21.§.*fin.ff.de Inoff. teſt.l.cum bonis* 85.*ff.de acq. hæred*.niſi dolus, & non ſola culpa interueniſſet; vt in *l.propter veneni*.§.*neptis ff.ad Syllanian*.vbi omiſſa vindicta necis defuncti punitur hæres, & non reuiuiſcunt extinctæ actiones; *dolus enim hæredis punitus eſt*, ait ibi *Papinianus*, & dolus eſt, ſi ſciat, & non vindicet, ait ibi *Gloſ.*

*De retract.ſign. §.1.Gloſ. 7.n.71.*

*Vbi ſup. n.80.*

Extinguitur penſio per contractum matrimonij à penſionario initum, ea ipſa ratione, qua amittitur beneficium coniugati enim beneficij Eccleſiaſtici ſunt incapaces, & ſtatus coniugalis cum beneficio Eccleſiaſtico eſt incompatibilis, vnde matrimonio contracto per Clericum per verba de præſenti, cadit ipſe illicò beneficio, quod poſſidet, vtcumque ſub aliquibus circumſtantiis priuilegium fori, & Canonis retineat. *c.1.de Cler.coniug.in 6.* & conſequenter penſionem etiam amittit; de amiſſione beneficij concors eſt auctorum, & vnanimis aſsertio *Garz. Gonzal. Lother. Sanchez. Gigas*, & de amiſſione penſionis communem etiam teſtatur ſententiam, *Pariſ.* Quamuis enim adhuc in minoribus ordinibus conſtitutus liberè, & impurè poſſit contrahere matrimonium *c.1.& 2.de Cler.coniug.* attamen contrahendo renunciare cenſetur, & beneficio, ſi quod habeat, & penſioni, quę licèt quid temporalitatis inuoluere videatur, quia tamen datur intuitu Clericatus, & præcipuè poſt conſtitutionem Pij V. ideò eius vacatio meritò inducitur; idque contigiſſe ſibi teſtatur *Gigas*, matrimonio à ſe contracto, qui enim penſionem exigit, & matrimonium contrahit cenſetur habere penſionem pro derelicta, & ideò ipſa meritò expirat; & demùm rem extrà omne dubium conſtituit ſtylus Romanæ Curiæ, quo obſeruatur, vt per matrimonium penſionum vacatio inducatur, de quo teſtatur *Couarru.* & poſt alios *Sanchez.*

*De benef.p. 11.c.8.n.1. Ad reg.8.Gl. 15.n.43. De re benef. lib.3.q.26.n. 61. De matrim. lib.7.diſp.42. n.1. De penſ.q.54. De reſign.beneſ.lib.2.q.1. n.15.& lib.6. q.2.n.115.*

*Vbi ſup. n.4. in fine.*

*In 4.decretal p.2.c.6.§.3. in fin. De matr. lib. 7.diſp.42.n.6*

Idque adeo verùm, vt obtineat, etiamsi Clericus in minoribus oidinibus conſtitutus matrimonium contraxerit copula carnali non ſubſecuta, ſtatus enim iam eſt inductus, qui cum beneficiis, & penſionibus Eccleſiaſticis pugnat *d. c. 1. de Cler.coniug. in 6.* Immo, quod magis eſt, adeo vacant beneficia, & penſiones per matrimonium

nium ratum, vt etiam ſi contrahens religionem ingrediatur, quod ipſi ante copulam licèt, *c.deſponſatam* 27.*q*.2. *c*.2. *c.ex publico de conuerſ. coniug.* & nouiſsimè *Concil. Trid.* adeò vt Sponſa remanens in ſæculo liberè poſsit cum alio matrimonium contrahere nihilominus penſio vacet, ſicut & beneficium, quamuis poſsit denuò idem beneficium impetrare, cum ſit iam à matrimonio liber, *c*.2. *de renunciat.* & ex noua collatione obtinere. Ampliatur adhùc hæc ipſa veritas, vt etiam ſi contractum matrimonium eſſet nullum, penſio nihilominùs, & beneficium vacaret, vt notat *Gigas*, ſatis enim apertè etiam per actum huiuſmodi nullum iudicat Clericus intentionem ſuam recedendi à ſtatu caſtitatis, & aſſumendi ſtatum incapacem beneficii, & penſionis Eccleſiaſticæ; *l. fin. ff. de reb. eor.* & *l. obſeruare in fin. ff. de off. Proconſ.* Verùm quia non vna ex cauſa poteſt eſſe matrimonium nullum, ideò obſeruandum, quod ſi nullitas ſit quia in eo non ſint ſeruata, quæ ſtatuit Concil. Trid. & ſunt ideò de forma, aut quia contraxerit cum aliquo impedimento dirimente, ſiuè ſciuerit, ſiuè ignorauerit impedimentum ipſum, vacabit penſio, ratione à ſimili deducta, quam reddit *Couarr.* qui enim beneficium Eccleſiaſticum, quod cum primo ſimul obtinere non poteſt, abſque aliquo iure occupat ipſo facto primùm amittit, *c. cum qui. de preb. in* 6. ſic, & à pari, qui matrimonium facto magis, quam iure contrahit, amittit ipſo iure beneficia Eccleſiaſtica, quià actum gerit beneficiorum poſſeſsioni contrarium, qua ratione vacare debet, & penſio, ſi qua contrahens gaudeat. Quod ſi contraxerit penſionarius cum puella impubere matrimonium, quamuis *Fernand. Vaſquius* diſtinguendum cenſuerit, an ſciuerit Clericus puellam eſſe impuberem, an verò ignorauerit, ità vt ſciens beneficium, & penſionem amittat, ignorans vero non item; Attamen verius videtur, ipſum nullo caſu amittere, quia matrimonium cum impubere contractum ſubſtinetur tantum in vim ſponſaliorum de futuro, quæ non priuant beneficio, aut penſione, niſi puella eſſet proſſima pubertati, quo caſu adeſt ſufficiens conſenſus, & Clericus velle ſe recedere à Clericali ſtatu ſatis euidenter indicat. Adeò autem amittit penſionem penſionarius, qui matrimonium per verba de præſenti contraxit, vt ſi tranſactionem fecerit poſteà cum titulari ſine approbatione Apoſtolicæ Sedis de recipienda penſione in minori quantitate, conuentio non ſubſiſtat, & titularis penſionem ſoluere non teneatur, vt notat *Aug. Barboſa*, idemque dicendum, quo caſu matrimonium ſit nullum ex eo, quod de facto fuerit contractum à penſionario in ſacris ordininibus conſtituto, priuatio enim penſionis inducetur, an autem ipſo iure, an verò requiratur ſententia? requiri ſententiam ex communi opinione refert idem *Barboſa*.

Quæ quidem vt generalitèr obtinent in matrimonio inualido, & nullo non tamen locum ſibi vindicant, in eo caſu, quo matrimonium ſit nullum ex defectu conſenſus, puta quia per vim, & metum fuerit initum, aut quia tunc contrahens non fuerit ſanæ mentis, ſine conſenſu enim non poteſt dici attentatio ad ſtatum incompatibilem, nec vlla facta productio illius ad aliquod eſſe etiam de facto, ſicut fit quandò matrimonium eſt nullum ex alia cauſa, quam ex defectu conſenſus, vt optimè aduertit *Lotber.* qui defectus conſenſus, ſi adſit ex parte viri, res extrà omne dubium eſt, ſi verò ſit ex parte mulieris, quia ſcilicet fuerit ad contrahendum compulſa per metum cadentem in conſtantem

*Seſſ. 24. de matrim. Can. 6.*

*d. q. 54. n. 9.*

*Vbi ſup. n. 4.*

*De ſucceſſ. creat lib. 3. §. 23. lim. 17 n. 47.*

*Ad c. 1. de Cler. coniug. in 6.*

*Vbi ſup. n. 7.*

*De re benef. lib. 3 q. 26. nu. 80.*

tem

tem virum, nihilominùs vacatio penſionis inducetur, quando enim mulier eſt impubes, aut non ſanæ mentis, tunc eſt penitùs inhabilis ad præſtandum conſenſum, at verò cum metu compellitur, tunc adeſt conſenſus, cumque non ſtet per Clericum, quo minùs matrimonium contrahatur, meritò beneficijs, & penſionibus priuatur, idque ipſo Iure, ſiuè ſcientèr, ſiuè ignoranter ſiuè cum bona, ſiuè cum mala fide, excepto caſu, quo in ſponſa deficeret conſenſus propter impubertatem, quia tunc non eſt matrimonium, ſed reſoluitur in ſponſalia de futuro, vt iam ſupra tetigimus; ſemper enim alias contrahens matrimonium Clericus animum, & intentionem ſuam aperit recedendi à Clericatu, & aſſumendi ſtatum cum eo incompatibilem; ſemper interuenit factum, quod lex punire intendit, non attento Iuris affectu; quo caſu ex actu nullo cõmittitur pœna; vt diſtinguit appoſitè *Molina*; Quod ſi lex iuris effectum attenderet, ex actu nullo pœna non incurritur, quæ enim contra legem fiunt, etiam ſi nulla ſint, tamen in odium committentis in legem ſubſiſtere cenſentur, *c. quod in dubijs de renunciat.* Et ideò pęna ex actu nullo, in quo lex factum attendit, incurritur; Præſertim ſi factum ipſum matrimonij eſſet notorium, tunc enim nulla ſententia declaratoria requiritur, at verò in non notorio ſententia declaratoria requiritur, *c. cum ſecundum leges de hæret. in 6.* & ſententia retrotrahit ad tempus Matrimonij, à quo contracto deſinit deberi penſio, ſicut beneficium, vt vacans poteſt ſtatim impetrari. At de beneficij vacatione non hic pluribus agendum.

*De Hiſpã. Prim. lib. 2. c. 16. n. 19.*

Succedit penultimus conſiderandus modus vacationis penſionis, & eſt adſcriptio Clerici penſionarij militiæ ſęculari; Hac ſi quidem adſcriptione amittitur penſio, ea ratione, quia ſcilicet Clericus militiam ſæcularem aſſumens facit actum militię Clericali contrarium, & aſſumit ſtatum cum ſtatu Clericali incompatibilem, non ſecùs ac ſi matrimonium contrahatur, ſtatus enim Clericalis eſt directè oppoſitus, contrarius ſtatui militiæ armatæ; quæ ſecum non compatitur lenitatem illam quam Clericus profiteri debet, *c. qui in aliquo 51. diſt. c. diuerſis de Cler. coniug c. fin. de voto*, & ideò aſſumens ſtatum militare renunciare cenſetur ſtatui Clericali, ac proindè reditus penſionis incapax penſionem ipſam amittit, hoc æuo præſertim, quo ex ſtylo Romanę Curiæ non ſolent penſiones niſi Clericis aſſignari; vigore tacitæ renunciationis, quæ ſine vllo ſuperioris conſenſu fieri poteſt; vt probat fundatè *Garz.* & arridere aſſertioni appoſitè illud videtur, quod Clericus in ſacris conſtitutus incapax eſt fęudi, immò & ſi eſſet ſolis minoribus ordinibus inſignitus, aut prima tonſura, & beneficium habeat adhuc fęudum obtinere non poteſt propter incompatibilitatem ſpiritualis officij, & ſeruitij temporalis, vndè fęudum amittitur per ordinum, & beneficii aſſecurationem, vt expreſſè ſtatuitur in *c. 1. §. ex hoc illud de fęud. ſæmin.* & *c. 1. §. qui Clericus ſi de fęudo fuer. controu. inter Dom. & agnat. Vaſſal.* fęudum autem nil aliud eſt niſi militia, quæ inde apparet cum Clericatu incompatibilis, cum igitur penſio ratione ſtatus Clericalis detur, non poterit ipſa ſubſiſtere cum ſtatu, qui pugnet cum ſtatu Clericali.

*De benef. p. 11. c. 3. n. 243.*

*Roſental. de feud. c. 7. Concl. 29. & 30.*

Probabitur autem quis militiam aſſumpſiſſe, vbi in militari matricula fuerit adſcriptus, tunc enim incipit gaudere priuilegijs, quæ militibus conceduntur, *l. ex eo ff. de milit. teſtam.* ac proinde verus Miles dici poteſt etiam ſi ſæua nondùm exercuerit, neque enim

licèt arguere ab amiſsione priuilegiorum Clericatus, & præcipuè Canonis, & fori, pro quibus amittendis non ſufficit ſola adſcripto militiæ, ſed requiritur, vt miles adſcriptus ſæuo tractet, ac ter monitus non pareat, ſed contraueniat, vt tradit *Caſſaneus*, vndè, & dimiſſa militia priuilegia recuperantur, quia longè diuerſa eſt ratio penſionis, & priuilegiorum; Priuilegia ſi quidem, & Canonis, & fori reſpicit potiùs ſtatum clericalem, & eius fauorem, quam perſonam Clerici, qui ideò priuilegio fori renunciare non poteſt, *c. ſi diligenti de foro compet.* & ideò nec amittuntur adeò facilè, & dimiſſa militia tanquam ceſſante impedimento recuperantur.

*Ad conſuetud. Burgund. tit. de Inſtit. Rub. 2. §. 5 n. 52. 53.*

*Clem. 1 de vita & honeſt. cler.*

At penſio reſpicit commodum perſonæ; quæ ſtatim ac renunciat ſtatui amittere eam debet, eaque amiſſa, illicò ius quæritur ſoluenti irreuocabilitèr adeò, vt nec penſio, nec beneficium amiſſum ſine noua prouiſione queat iterum acquiri; neque rectè infertur ex eò, quod per ſolum contractum ſponſaliorum de futuro non amittatur penſio, quod neque debeat amitti ex eo, quod quis ſe addicat militiæ niſi eam etiam actualitèr exerceat, quia ſponſalia contrahendo de futuro non conſummat, aut perficit actum ſtatui Clericali contrarium, ſicut neque ſi cogitaret, aut deliberaret militiæ ſe addicere; At verò vbi deſcribitur in matricula actu militiam aſsumit, ſicuti ſi contraheret matrimonium ratum, etiam ſi ipſum non conſummaret, perficit enim actum ſtatui ſuo contrarium, vnde arguitur ſtatus ſic deliberata renunciatio, qua inducta conſurgit incapacitas penſionis, & beneficij.

Sed dices; eſto, quod hæc obtineant in Clerico minorum ordinum, qui ſtatui Clericali renunciare poteſt, at locū habere non poſſunt in Clerico maiorum ordinum, cui integrum non eſt ſtatui Clericali renunciare, ideòq; non videtur per adſcriptionem militiæ poſſe priuari penſione, aut beneficio in vim tacitæ, aut præſumptæ renunciationis. At reſpondetur, quod quamuis Clericus in maioribus ordinibus conſtitutus non poſſit ſtatui Clericali renunciare, poteſt tamen aliquos actus facere ſtatui ſuo omninò contrarios, propter quos, & beneficio, & penſione veniat priuandus & quo caſu fecerit, & actus ſint notorij cadet beneficio, & penſione, ſi non ſint notorij requiretur ſententia declaratoria eiuſdem actus, & interim ſi beneficium ab alio fuerit impetratum valebit impetratio, quamuis eo non citato impetrans in poſſeſſionem mitti non poſſit iuxtà *tex. in c. licet Epiſcopus de præb. in 6.* ſecùs in penſione, in qua facta declaratoria non eſt opus alia citatione, cum ius titulari ſtatim quæratur ſine alia poſſeſſione; Sunt nihilominus militiæ nonnullæ, quibus, licet Clericus penſionarius addicatur, non tamen penſiones amittet, ſed eas retinere poteſt, vſque ad certam ſummā; At hoc eſt indulto, & conceſſione Pontificia in vim ſingularis priuilegij toti illi militiæ conceſſi cuiuſmodi ſunt Militia SS. Mauritij, & Lazari; Lauretana, quorum Equites retinere poſſunt penſiones vſque ad certam ſummam ducatorum auri de Camera; Milites, ſeu Equites Pii, Equites S. Stephani Florentiæ, quorum religioni id priuilegium conceſſum à Summis Pontificibus, quod firmat ius commune contrarium, *l. Ius ſingulare ff. de legibus.*

Iam ſuper eſt modus poſtremus perimendæ, ſeù finiendæ penſionis, & eſt redemptio, ſeù extinctio per anticipatas certorum annorum ſolutiones, qui modus plane frequens eſt, & venit explicandus; de penſione mere temporali,

tali, & quæ propter ſeruitium aliquod mere temporale, vt pro pulſandis Campanis, pro curandis infirmis, pro aduocatione Eccleſiæ, aut alio huiuſmodi munere datur in hac tractatione non fuit nobis, nec eſt modò ſermo; Nihilominus tamen dicimus breuitèr redimi eam poſſe anticipatis ſolutionibus, ſicut poteſt ipſa ſine vlla Simoniæ labe vendi, ſtando in terminis ſoliùs iuris diuini, & naturalis, quod non alitèr locum in hoc caſu habere poteſt, niſi, quia huiuſmodi penſio ex bonis Eccleſiaſticis, & ſuper beneficium Eccleſiaſticum ſit conſtituta; eſt ſiquidem ipſa merè temporalis, nec extrà humanum commercium, quamuis enim ex fructibus beneficij ſit aſſumpta, non tamen dici per hoc poteſt annexa beneficio, ità, vt per annexionẽ aliquid ſpiritualitatis ſortiatur, immò eſt portio ſeparata à beneficio, & eius titulo habito reſpectu ad illũ, qui ipſam exigere debet ideo niſi in ipſo ſit alius titulus ſpiritualis nulla dici poteſt adnexio temporalis ad ſpirituale; eo modo planè, quo fructus decimarum Eccleſiaſticarum iam ſeparati, & quæſiti Clerico poſſunt ab ipſo ſine vlla Simoniæ labe vendi; Et licèt prouentus, ex quibus penſio conſtituitur, ſint deſumpti ex beneficio, tamen ſe habet beneficium ipſum tanquam materia remota, quæ nihil influit ſpirituale, ſicut & cauſa conſtituens penſionem ipſam licet id faceret per poteſtatem ſpiritualem, non tamen per hoc fecit rem eſſe ſpiritualem, aut annexam ſpiritualem, ac proindè venditionis, aut redemptionis incapacem.

At verò de penſione, quæ datur Clerico, aut ad ſui ſuſtentationem, aut cum reſpectu ad aliquod beneficium, ſiuè ſpirituale miniſterium noſtra diſquiſitio erit, & quamuis circa primam ſpeciem penſionis, quæ aſſignatur ad Clerici ſuſtentationem poſſet pro temporum diuerſitate in Eccleſia variè cenſeri, quoad eius venditionem, ſeu redemptionem, nihilominùs nos reſtringemus ad ſtatum illum, in quo conſiderari poſſunt penſiones, hoc æuo, quo obtinet conſtitutio B. Pij V. Sanctiſſimi Pontificis, qua penſiones omnes redditæ ſunt ſpirituales, ex quo dantur cum obligatione ſpiritualis, & Clericalis muneris. Vndè cenſentur adnexæ Clericali officio, & non tantum exigunt ſtatum Clerici tanquam conditionem, ſed obligant etiam ad miniſterium ſpirituale, ex quo penſionarius tenetur ſaltem recitare officium Beatiſſimæ Virginis, quæ lex obligat, nec contraria conſuetudine, aut alia Pontificis conſtitutione eſt abrogata. Hoc igitur ſtatu penſionum attento dicemus penſionem Clericalem redimi non poſſe ſine Pontificis auctoritate natura rei id detractante, huiuſmodi enim penſio eſt beneficium ſaltem latè ſumptum, & adnexionem habet muneri ſpirituali, qui ſanè reſpectus commercium temporale non admittunt ſine Simoniæ labe; cui fundamento appoſitè addi poteſt conſideratio, quam exhibet *Nauar.* Nam quod auctoritate Prælati *Manu. cap. 23 num. 111* conſtitutũ eſt non poteſt auctoritate priuata deſtrui; verùm illud ius ſpirituale quod eſt in penſione auctoritate Pontificis conſtitutum eſt, & per eandem addictum huic Penſionario, cum eo commodo, & prouentu temporali, ergò non poteſt ſine eadem auctoritate deſtrui, accipiendo per redemptionem penſionis totum commodum temporale; Neque dicas in huiuſmodi redemptione nullam poſſe adeſſe ſimoniam, cum nihil ſpirituale detur; aut accipiatur; Quia adhuc poteſt aſſignari Simoniæ labes in hoc, quod extinguens penſionem vendit ſpiritualem titulũ, non quidem transferendo illum in alium, ſed extinguendo ipſum, ſic

enim emi aliquandò, & vendi ſolent res temporales non transferendo in Emptorem, ſed extinguendo, vt ſi quis det pretium alteri, vt ſcripturam laceret, vel comburat, quod quidem eſſe videtur contra excellentiam rei ſpiritualis, præterquam quod, qui acceptat redemptionem penſionis vendit annuos fructus, qui ſunt ſtipendia ſpiritualis muneris, ſicque vendit rem adnexam per Pontificem muneri ſpirituali, ergo de ſe vendit rem ſpiritualem, & ipſum titulum, quamuis illum non transferat in alium; quibus ſi addas Curiæ ſtylum damnantem tanquam ſimoniacam huiuſmodi redemptionem, de qua teſtatur *Nauar.* iam res extra omne dubium ſtatuitur.

*Conſi. 63. de ſimon:*

Verùm allata hactenùs fundamenta nimis probare videntur, adeòque minùs concludere; nam ſi ea attendas, non poterit Penſionarius gratis, & liberaliter remittere penſionem ità, vt ſe à ſpirituali onere liberet, ſicut non poteſt beneficiarius renunciare beneficio ſine auctoritate ſuperioris; cum enim onus per Pontificem ſit impoſitum, non poterit oneratus propria voluntate, etiam gratis ſe liberare, quod tamen durum nimis videtur, neque ex intentione Pontificis, cum præſertim remittendo penſionem beneficium quodammodo à ſeruitute liberetur, quod fieri, Eccleſiæ intereſt, at differentiam agnoſcit *Suarez* rationemque aſſignat inter vtrumq; caſum; quia quando quis gratis penſionem remittit, renunciat officio, & ſimul etiam commodo illius, quod nihil inordinatum inducit; at velle accipere temporale commodum, & per illud liberari à ſpirituali debito eſt quid planè inordinatum, & proinde malum, ideòq; prohibitum, & contra intentionem Pontificis, qui penſionem conceſſit, non item, quando gratis fit remiſſio, non enim præcepit Pontifex, vt Penſionarius ſibi aſſignatam penſionem ſemper retineret, aut officium B. Virginis abſolutè recitaret, ſed ſolùm quamdiu penſionem exigeret; vnde quando liberè penſio remittitur tollitur materia obligationis, & nullum violatur præceptum; at quando anticipatis ſolutionibus penſio extinguitur, durat adhuc cauſa, & viget præceptum, nec obligatio ceſſat, & ideò ſi fortè ita fieret extinctio ſpiritualis penſionis, vt omninò non extinguatur titulus ſpiritualis in Penſionario, ſed ita vt maneat ipſe obligatus ad penſum ſpirituale, quaſi in ſe retineat titulum penſionis, tunc huiuſmodi extinctio non eſſet ſimoniaca, immo nec prohibita, quia non eſſet ea propria, & vera redemptio penſionis, ſed potius locatio, aut anticipata venditio fructuum.

*Tom. 1. de Relig. lib. 4. de ſimon. c. 16 n. 15.*

Quod dictum eſt hactenus de Clericali penſione circa eius extinctionem multò magis ſeruari debet in penſionibus, quæ ſuccedunt loco beneficij, de quibus *Panorm.* & *Card.* & quæ tripliciter conſtitui poſſunt, primò cum reſeruatur ſuper beneficio, cui quis renunciat, cum illud pacificè poſſideret, & commodè poſſet illi inſeruire; ſecundò cum ſuper litigioſo beneficio per tranſactionem, & arbitrium Iudicis vni datur beneficium, alij verò ſuper beneficio aſſignatur penſio, & tertiò, quando Parochus ſenex, ac ætate confectus, qui per plures annos Eccleſiæ inſeruijt dimittit beneficium, & ei datur penſio ad ſui ſuſtentationem; penſiones ſiquidem iſtæ, quæ dicunt reſpectum ad beneficium multo magis cenſentur comprehenſæ ſub Bulla Pij V. nec vllo modo poſſunt redigi ad penſiones laicales vnde nec vendibiles, nec redimibiles dici poſſunt ſine Summi Pontificis auctoritate, attenta præcipuè Bulla prædicta Pij V. quæ normam huic materiæ præbere debet, quàm cum anteceſſerit

*Ad C. ciquerente de cl. non reſid:*

ætate

ætate *Gigas*,& ſi qui alij,qui de materia ſcripſere, vel quæſtionem de redemptione penſionum tractarunt,nil mirum ſi abſolutè eas poſſe redimi aſſeruerunt, vt pluribus fundauit *Gigas*, qui tractatum ſuum ſcripſit anno 1541. longe ante Pontificatum Pij V. *Lotherius* nihilominus, qui longe poſt Pium V.floruit, facilius admiſit redemptionem penſionis etiam ſine auctoritate ſuperioris,quandoquidem cenſuit eam eſſe quid mere temporale,nec tanti fecit recitationem officij B.Mariæ, vt poſſit ſpiritualitatem penſioni imprimere; attamen tutior eſt opinio, quæ in penſione Clericali exigit auctoritatem ſuperioris, vt redimatur, quam firmant Theologi inſignes conſcientiæ legitimi, & periti directores; & ideò ipſi omninò in praxi ſtandum eſt, cum de conſcientiæ diſcrimine agatur. Iam ergo ad Coronidem totius materiæ de tranſlatione penſionum agendum eſt.

*Lib. 3 de re benef. q.19 nu. 7 & ſeq.*

---

## CAP. XII.

## De Tranſlatione Penſionum.

1 *Definitio traditur,& triplex modus tranſlationis faciendæ,eaque à ſolo Papa poteſt indulgeri.*
2 *In quas perſonas poſſit fieri tranſlatio penſionis, & de Patre reſpectu filij diſtinguendo.*
3 *Quatenus conſenſus Penſionarij in tranſlatione requiratur.*
4 *Quo tempore fieri poſſit.*
5 *Transferendi facultas quanto tempore duret.*

Fatalis, vt & ſublunarium omnium eſt terminus penſionum, mors ipſius Penſionarij, quia nihilominus poſſunt ipſæ nonnunquam vltra fatalem ipſum terminum porrigi, & de hoc caſu agendum eſt, qui non adeò infrequens eſſe conſueuit, ac proinde dignus, qui ex omni facie,qua ſpectari poteſt, examinetur.

1 Penſionem vſufructui comparari aliàs ſupra ſæpius dictum; & cum vſus fructus morte extinguatur, §. *finitur inſt.tit.de vſuf.* & morte extinguitur penſio,nec in priuati hominis poteſtate eſt eam vltra vitam ſuam prorogare, niſi deſuper *Dijs æqua poteſtas* facultatem præbeat; hac igitur ſuppoſita,tranſlatio penſionis ex vi vocis ſe ipſam definit, ſolaque æthimologia eam aſſignat,ſed definiuit *Paris,quod ſit mutatio obligationis ſoluendi eandem penſionem de vna perſona in aliam facta auctoritate Papæ*. Sic enim in tranſlatione de vna Eccleſia ad aliam mutatio dicitur fieri *c.mutationes 7.q.1.*& tranſlatio ipſa mutationis nomine exprimitur;vnde dici poteſt,& renunciatio penſionis in alterius fauorem, adeò vt transferens poſt tranſlationem nihil iuris in tranſlata penſione retineat. Triplex aſſignatur modus tranſlationis faciendæ, primus cum in primordiali penſionis conſtitutione inſeritur clauſula transferendi, & ſimul conceditur penſionario, vt conceſſam ſibi penſionem poſſit in alium transferre; ſecundus, cum aſſignata iam penſione ſupplicatur Penſionarius,vt ſibi liceat in alium transferre, qui modus ita circumſcribitur, vt ſcilicet extincta penſione eadem ad fauorem eius,in quem fit tranſlatio,reſeruetur,& non aliter; ſicque vtriuſque conſenſu ex ſtylo Curiæ extincta penſio denuò renouatur. Tertius demùm cum in fauorem ordinum militarium largitur Summus Pontifex priuilegium, vt milites eorum ordinum poſſint penſiones, quibus gaudent, vſque ad certam ſummam in alium transferre. Quale priuilegium conceſſum legimus militibus S.Petri,S.Pauli,militibus Pijs,Laureta-

*De reſig. benef. lib: 6. c.4. n.4.*

retanis, Conclauiſtis, & ſi quibus alijs voluerit Papa indulgere; reſoluitur enim tota hæc facultas in Summi Pontificis poteſtatem, & voluntatem, à qua vna deſcendit, & promanare ea poteſt, cum ipſe vnus in re beneficiaria omnimodam habeat diſpoſitionem *c. propoſuit de conceſſ. præb.* adeò vt nec legatis de latere; nedum Ordinarijs ſine ſpeciali conceſſione poſſit competere, vt ſtylus Curiæ dictat, & ideò, vtcumq; partium conſenſus exigatur, & interueniat, magis dicitur tranſlatarius ius conſequi à Papa, quam à transferente. Quo nomine factum, vt circa perſonam, cui hæc transferendi facultas conceditur, aut circa cauſam, propter quam concedatur nihil certi ſtatui poſſit, cum tam perſona, quam cauſa pendeat à beneplacito Papæ, & arbitrio concedentis, Cardinalibus præcipuè largiri hoc priuilegium Papa conſueuit, & ſi cui alij benè ipſi viſo.

2 At verò circa perſonas, in quas debeat fieri translatio tutior, & certior obſeruatio habenda eſt; fieri ſiquidem ipſa debet in perſonas capaces, ideòque & tempore tranſlationis is, in quem fit, Clericus eſſe debet, nec ſat eſſet, ſi poſt factam tranſlationem Clericus fieret; niſi in facultate transferendi adiecta eſſet clauſula. *Poſtquam Clericali caractere fuerit inſignitus, & præcipuè ſi dictum fuerit ex nunc, prout ex tunc.* Sed interim donec conditio fuerit impleta penſio non debetur; Clericatus tamen (vt ad intentum proficiat) debet eſſe legitimè collatus, & ſi à non ſuo Epiſcopo fuiſſet, quis Clericus factus, capax tranſlatæ penſionis non eſſet *c. 1. & 3. de temp. ord. in 6.* cum paria ſint aliquid non fieri, & minus rectè fieri.

Indeque exorta dubitatio, an Pater penſionem in filium ſuum poſſit transferre? de legitimo affirmandum eſt; nil enim refragatur Canonum conſtitutio, & præcipuè illa Clem. VII. quam regerit *Gigas*. Canonum enim, & Clementis ea eſt ratio, quod in beneficijs non debet admitti ſucceſſio, aut ſucceſſionis vmbra, quæ ratio non viget in penſione, in qua nulla datur miniſtratio, quod ſi filius ſit illegitimus, non poteſt in eum transferri penſio ſuper fructibus beneficij, quod Pater eius obtinet, vel obtinuit; quare ſi Pater habeat facultatem transferendi penſionem impoſitam ſuper beneficio ſito in alia diſtincta Eccleſia, in qua Pater nullum beneficium obtinet, aut obtinuit, Pater poſſet eandem penſionem in filium, etiam illegitimum transferre, vt tradit *Gonzal. & Gratian.* qui ita aliàs deciſum à S. Congregatione teſtatur. Concilium enim Tridentinum prohibet quidem penſionem filijs ſuper beneficio, quod obtinuit Pater, at non penſionem ſuper alio beneficio, quod ſi ea eſſet penſio, quæ conſueuerit aſſignari in titulum, de qua ſcribit ad *c. conquerente de fil. Presbyt. & ad c. dudum, de præſump.* non poſſet ea in filium transferri illegitimum, cum cenſeatur beneficium Eccleſiaſticum, adeòque comprehenſa ſupradicto Concilij decreto; cui par eſſet, & penſio illa, quæ patri reſignanti beneficium eſſet reſeruata eo titulo, *ne nimium detrimentum in reſignatione patiatur*; transferre enim illam in filium illegitimum pater non poſſet, ne fraus fieret ijdem Concilij decreto; quæ autem poſſit habere filius illegitimus reſpectu beneficij, aut Eccleſiæ paternæ exequitur latè *Auguſtin. Barboſa*, ad quem remittimus.

3 Pendet autem adeò tranſlatio penſionis à Summi Pontificis arbitrio, & poteſtate, vt poſſit facultatem concedere Penſionario transferendi penſionem etiam ſine conſenſu Titularis, qui debet penſionem, & poſſidet beneficium oneratum, merè enim poſitiua eſt

*De penſ: q: 60 in princ:*

*Ad Reg: 8 Gloſ. 5 §: 5 n: 22 & 23*

*Diſcept: Forenſ: c: 397 n: 1: Seſſ: 25: de Refor. c: 15.*

*Ad Conc: Trid: ſeſſ: 25 de ref cap: 15.*

mate-

materia,& in ea ſumma eſt, & abſoluta Pontificis poteſtas *Clem. 1. in fin. vt lite pend.* qua vtitur in caſu tranſlationis ſupplendo conſenſum,& derogando regulæ de præſtando conſenſu, & quæ ideo ſemper in ſe habet quid amari ( vt inquit *Lother.*) aliàs enim de poteſtate ordinaria regulariter conſenſum alterius non poteſt ſupplere; neque de hoc ſine crimine liceret dubitare; quod ſi fortè in caſu reſignationis beneficij cum penſione adderetur tranſlationis facultas, vel impoſita eſſet penſio ſine clauſula tranſlationis, & poſtea de conſenſu partium extingueretur penſio, & noua conſtitueretur ad fauorem alterius, quæ tranſlationis ſpecies eſt,tunc in vtroque caſu conſenſus requireretur,& ſine conſenſu nihil cenſeretur actum,ſed penſio tranſlata eſſet inualida,ex enim caſu rationem quandam contractus tranſlatio inducit, qui à conſenſu partium eſſentialiter pendet; & ſtylus Curiæ ita obſeruat, & ideò conſenſus huiuſmodi præſtatur,ſicut in reſignationibus beneficiorum,& aſſignationibus penſionum non ſolùm per conſentientem ipſum, ſed etiam per Protectorem.

De re benef. lib. 1 q. 36 nu. 116.

Neque obijcias, quod penſio tranſlata ſit noua penſio, quæ nouum conſenſum ſemper videatur requirere, quia diuerſo reſpectu,& eadem,& noua dici poteſt; abſolutè, & ſecundum ſubſtantiam eſt eadem cum antiqua,& cum omnibus qualitatibus eiuſdem, & quamuis reſpectu caſſationis antiquæ dicatur,noua attamen cum caſſatio ipſa ſit correſpectiua ad reſeruationem nouę quia per hanc ipſam reſeruationem non augetur aliquod onus Eccleſiæ,nec poteſt propriè dici noua penſionis impoſitio, ſed ſola perſonæ mutatio, & vnius in locum alterius ſubrogatio,quæ duo ſunt planè extrinſeca, nec rei naturam immutant; at quòad certos effectus,quos dicere poſſumus accidentales,noua penſio dici poteſt, puta quòad mutationem perſonæ, & vt vnus tantùm poſſit exigere,vt cognoſcatur, per cuius mortem debeat extingui, quæ ſanè ſunt merè accidentalia, nec tanti cenſenda,vt eſſentiam, ſiue ſubſtantiam immutent; ex eo autem fundamento, quod tota transferendi facultas pendeat à voluntate, & poteſtate Summi Pontificis pendet, & oritur quod ad fundandam transferendi ipſam facultatem requirantur literæ Apoſtolicæ, vt poſſit ea probari, & de ipſa conſtare, pròvt ſeruare nouiſſimum Curiæ ſtylum teſtatur *Paris*, qui addidit, quod facultas transferendi non competit, niſi ſit conceſſa, nec in ea per præſumptiones inceditur, adeò vt ex clauſulis quantumuis prægnantibus non poſſit ipſa deſumi,odioſa ſiquidem eſt, cum per eam prorogetur ſeruitus beneficii, & ideò ſtrictiſſima facienda eſt interpretatio, nec ex coniecturis debet induci; ex quo fit,vt ſi Penſionarius, cui iam eſt conceſſa tranſlatio fiat Epiſcopus,quo caſu vacare, ſeu extingui penſionem iam diximus, ſi gratia retentionis ipſi fiat,nec exprimatur tranſlatio, hæc ipſa competere amplius non poterit; facultas enim transferendi non eſt quid acceſſorium ad penſionem,aut ipſi naturaliter cohærens, ſed quid planè extrinſecum, & ideo ſingulari, & ſpecifica nota ſignanda,& tanquam odioſa reſtringenda,potiùs, quam amplianda; immò cum retentio ſit diſpenſatio quædam *c. cum in cunctis §.cum verò de elect.*& hoc nomine continet odium, quod ampliationem excludit *c. odia de reg.iur. in 6.* operatur enim translatio perpetuitatem penſionis,quæ ex ſui natura debet cum vita Penſionarij extingui ad inſtar vſusfructus *c.fin.de pignor.* ſicque nulla ratio patitur, vt ſine expreſſa conceſſione competat.

Vbi ſup.n.27.

4 Vbi verò expreſsè eſt indulta tranſlatio

ſlatio poteſt. Penſionarius tranſlationem facere quocumque tempore, etiam in articulo mortis, proficiunt enim ad id ipſa conceſſionis verba, & formula, qua gratia extenditur, & quæ non venit hic regerenda, ex qua etiam colligitur coram quibus perſonis ea fieri poſſit. Et iuxta tenorem conceſſionis transferens operabitur, ſiue per modum contractus, ſiue vltimæ voluntatis transferat, quo caſu regula de infirmis reſignantibus non attenditur, vt notat *Gomeſ.*

*Ad reg. de Infirm. reſig. q. 16. num. 3.*

5 Durat transferendi facultas ad vitam eius, cui eſt conceſſa, & quòuſque ea vtatur, & actum ipſum translationis conſummat, quæ ſanè conſummatio per primum actum intelligitur facta, & per primam translationem, nec poteſt extendi ad ſecundam; verba enim intelliguntur de primo actu *l. boues* §. *hoc ſermone ff. de verb. ſign.* Quod ſi tranſlatio fiat inter viuos, ius transferendi non intelligetur abdicatam à transferente, donec penſio fuerit irreuocabiliter translatario quæſita, præcipuè ſi adiecta eſſet clauſula *non aliàs, aliter &c.* quæ reddit actum conditionalem; ſicut in reſignatione ad fauorem certæ perſonæ obſeruatur. Hæc ſummatim de translatione penſionum, cuius materia iuridicis fundamentis non potuit, nec poteſt immediatè firmari, cum pendeat maximè à ſtylo Curiæ, & ideò de ipſa ſcribentes aſſertiones omnes comprobant auctoritatibus Romani Auditorij, coram quo ſæpius tractari, & diſcuti contigit, vt videre eſt apud *Pariſ. Garz. Lother. Tondutum*, & alios de materia tractantes. Nobis ſatis iuxta intentum, & aſſumptum ſcribendi inſtitutum ſumma Capita tradidiſſe, & theoriam breuiter deſcripſiſſe, eaque contenti Tractatum vniuerſum rei Beneficiariæ claudimus, ad alia tranſeuntes.

*Libri Sexti Finis.*

# LIBER SEPTIMVS.

# TRACTATVS XI.

## DE MATERIALI ECCLESIA

### CAP. I.

### De Sacrorum Locorum ędificatione, Inſtauratione, Conſecratione, & Dedicatione.

1 *Partitio materiæ, & de multiplici nomine idem denotante.*
2 *Quænam origo.*
3 *De forma conſtruendæ Eccleſiæ exactè, & per partes ſingulas.*
4 *De Euchariſtiæ aſſeruatione, & modo eius aſſeruandæ in Eccleſia.*
5 *De fontibus præforibus Eccleſiæ.*
6 *Quæ requirantur ad nouam Eccleſiæ conſtructionem.*
7 *De conſtructæ Eccleſiæ conſecratione, & ad eam requiſitis.*
8 *Caſus, in quibus iterari poſſit Eccleſiæ conſecratio.*

AB

AB attitulatione Sacræ Reipublicæ, de qua dictum aliàs à nobis exactè, traducta eſt fœliciter hæc vox *Eccleſia* ad loca indigitanda, ad quæ fideles pro Dei cultu impendendo per Synaxim, & per preces conueniant, ibiq; Dei verbum audiant, Sacramenta percipiant, & quidquid veræ religionis eſt decenter exerceant. Beneficia, de quibus huiuſque à nobis actum, iiſdem ſunt adnexa locis, ac proinde huiuſmodi locorum, ſiue Eccleſiarum conſideratio Sacræ Iuriſprudentiæ non poſtremam ſibi vindicat partem, eamque nos ad potiora tractationis capita aptè reuocabimus.

*Tom. 1. c. 1. lib. 1. tract. de Eccleſia.*

1 Originem retegentes primò, facultatem conſtruendi, ſecundò, formam ex veterum monumentis exhibentes, & demùm quidquid iuris loca huiuſmodi reſpicit, nullo neceſſario omiſſo, pertractantes.

Synonymæ ſunt voces iſtæ, Eccleſia, Templum, Baſilica; ædes ſacra, & ad idem ſignificandum frequenter adhibitæ; Eccleſia ideò dicta, vt aliàs notatum, quod ſit conuocatio, & cętus, & quod ad eam; quaſi ad locum conuocentur fideles, vbi diuina percipiant, & audiant; Templum à tuendo, hoc eſt intuendo dictum, ſumpta denominatione à loco, quem augur in Cęlo, vel in Terra deſignaſſet, quod ex omni parte, vel ex eo omnis pars conſpici poſſet; & à loco præcipuè, quod conceptis verbis in terra augur definiuiſſet, cępere dici templa Sacra ædes, indeque tranſmiſſa ad fideles, & purgata denominatio, quaſi ab eo loco, vndique liceat diuina ſpectare, & contemplari.

Baſilica dicta etiam Eccleſia tanquã locus regius, cum apud veteres locum ſignificaret hæc vox templo perſimilem, ambulationibus ampliſſimis inſtructum, ad quem multi ex Vrbe tota, alij cauſas agendi, alij conſultandi, alij aliud agendi gratia confluebant; quo reſpexit appoſitè Seneca. *Hi ſunt, propter quos oculi clamore exprimuntur fremitu iudiciorum Baſilicæ reſonant*; & facem admouet Lipſius. *Quæ de induſtria circa fora, vt in ijs ſole feruido, aut aere aliàs confuſo iudicia exercerentur*. Hinc Baſilicam in Pandectis haud infrequenter legimus tanquam locum publico vſui addictum, vt in *l. inter ſtipulantem §. ſacram ff. de verb. oblig. Iunc. l. continuus §. cum quis ff. eod.* miſſis ijs, quæ congeſſit eruditè *Briſſon*. Haud immeritò igitur tranſlata hæc vox ipſa ad Eccleſiam, & ſacrum locum, vtpote publicum, & publico vſui ſtatutum ſignificandum, quamuis præ ſui excellentia non propriè quamlibet Eccleſiam ſignificet; ſed Eccleſiã maiorem, & Nobiliorem, ſicut Romæ, denominari conſueuerunt, Baſilica SS. Saluatoris, Baſilica S. Petri, & ſi quæ aliæ: dicitur demùm Eccleſia, & ædes ſacra, domus ſcilicet Sacra, domum enim appellauit Chriſtus Dominus Templum Salomonis, dum eijciens ementes, & vendentes ait, *Nolite facere domum Patris mei domum negotiationes*. Potioribus hiſce nuncupationibus exhibitis magis communem retinebimus, & locum huiuſmodi ſacrum Eccleſiam appellabimus, ad originem ſcrutandam accedentes.

*De Ira lib. 4. cap. 33.*

*In notis ibid.*

*De verb. ſignif. lib. 2.*

*Ioan. c. 2. 16.*

2 Scimus Diuino inſtinctu hominem ſacrificium. Deo obtuliſſe ſtatim, ac conditus fuit, & licet de Adamo adeò euidenter non conſtet, at certè primos fratres Cain, & Abel id præſtitiſſe ſcriptura teſtatur, dum vtriuſque nobis exhibet ſacrificia, inuidiæ inter ipſos occaſionem, & fomitem; Enoc etiam omnium primùm inuocaſſe nomen Domini; Noe pariter inſtaurato Orbe à Catachyſmo ſacrificium Deo obtuliſſe,

*Geneſ. cap. 4.*

*Geneſ. c. 8. 20*

liſſe, *ædificauit autem Noe Altare Domino*;at hæc,vt Altare erectum arguunt & probant, non item Eccleſiam, ſiue templum concludunt,ante Chriſti ſalutarem aduentum Gentilium templa apparuere falſis excitata Numinibus, at omnium maximum ie,& figura ſimul, quod Salomon Dei iuſſu in Iudæa erexit ad veri Dei cultum,ac veræ religionis obſequium. Poſt Chriſti verò aduentum iam ex ore Petri impellente Diuino Spiritu Eccleſiarum prodit figurata conſtructio,cum enim in Monte Thabor excelſo illi Transfigurationis ſpectaculo adeſſet raptus, inquit *faciamus hic tria tabernacula tibi vnum, Moyſi vnum, & Eliæ vnum*. Subinde poſt Chriſti aſcenſum in Cœlum completo redemptionis opere certum eſt ſtatim non extitiſſe loca certa, in quæ Apoſtoli cum fidelibus apertè conuenirent ad orationem,& ſynaxim,ſed ad id adhibebantur priuatæ domus, & ampliora earum membra, quæ cœnacula *Act.cap.10.* dicebantur, vt paſſim ex Actibus Apoſtolicis ſpectare licet, & præſertim ex facto Pauli ſuſcitantis Iuuenem Euthicum, qui eo prædicante, & ſermonem protrahente per multam noctem ſomno merſus cecidit de tertio Cęnaculo *Erant autem lampades copioſæ in Cœnaculo, vbi eramus congregati*. Ait ibi *Lucas*,ſubinde propagata fide,& Euangelio cœperunt erigi ſacræ ædes ad Conuentus fidelium pro oratione, & ſynaxi celebrandos, cuius rei nullum apertius poteſt proferri teſtimonium, quam ex Imperatorum edictis de Chriſtianorum ſacris ædibus demoliendis, quorum meminit *Euſebius*,quibus Ec- *Hiſt:lib.8.c.2 & 3* cleſiæ nomen fuit inditum, & ſemper ſucceſſiuè conſeruatum.

In ipſa Vrbe Roma poſtquam Chriſtiana fuit prædicata fides, Eccleſiæ etiam eſſe cœperunt,& propagari;vnde legimus Pudentis Senatoris, diſcipuli B. Petri, domum in Eccleſiam ad ſacra obeunda conuerſam; Euprepiam Matronam domum ſuam in titulum ad Miſſas celebrandas erexiſſe, pluraque alia ad idem confirmandum congeſſit teſtimonia. *Baron.* nedum ex Eccle- *Tom: 1. annal.anno 57* ſiaſticis,ſed etiam Ethnicis monumentis, inter quæ illud planè dignum,quod memoretur ex *Lampridio* teſtante Alexandrum Imperatorem locum,in quo à *In Alexand.Imperat.* Chriſtianis erigeretur Eccleſia adiudicaſſe,ac pro iiſdem reſcripſiſſe; ait enim *cum Chriſtani quemdam locum, qui publicus fuerat, occupaſſent; contra popinarij dicerent ſibi eum deberi, reſcripſit melius eſſe, vt quomodocumque illic Deus colatur, quam popinarijs dedatur*. At vbi demùm Conſtantinus ſuaui Chriſti iugo ſe ſubmiſit, & Chriſtianam fidem eſt amplexatus libertatem omnimodam fecit, vt vbique poſſent Eccleſiæ erigi,& ædificari; cœperunt demùm extrui Baſilicæ, & liberè verus Dei cultus exerceri, immò & Conſtantinus ipſe exemplum ad id pietatis præbuit, nam & in ſuo Lateranenſi Palatio Eccleſiam Saluatori dedicauit, & ei continentem Baſilicam nomine S.Io:Baptiſtæ condidit eo loco quo à S. Sylueſtro baptizatos, & à lepra mundatus fuerat; & haud minus illuſtre Chriſtianæ humilitatis ſpecimen præbuit, cum octauo poſt ſuſceptum baptiſmum die, depoſito diademate, profuſis lacrymis,ipſe ligone,& bidente terram eruit,& ablatis duodecim terræ cophinis in honorem duodecim Apoſtolorum, deſignatoque loco Baſilicæ Principis Apoſtolorum Eccleſiam ædificauit,ab hiſce igitur principijs cum Euangelij prædicatione cœpta eſt Eccleſiarum conſtructio, & cum eiuſdem propagatione, auctus etiã ędificationis progreſſus,vt & circa ædificationem ipſam ſint iura condita, quæ excurrenda breuiter haud immeritò ſuſcepimus.

Verùm

3 Verùm antequam ad id accedamus, poſtulat ordo, vt ædificationi Eccleſiarum formam conſtructionis adnectamus, quæ vel à primordio non ſine myſterio, & ingenti conſideratione fuit diſpoſita; quamquam reddidit diligentiſſimè *Baron.* Nobis ſummam colligere ſatis erit.

*Vbi ſup:*

Primò igitur ità quòad ſitum diſponebantur Chriſtianorum Eccleſiæ, vt ad Orientem ſpectarent, quò *Pamellio* teſte, adluſit *Tertullian.* dum ſcripſit. *Noſtræ Columbæ domus ſimplex, etiam in æditis ſemper, & apertis, & ad lucem: amat figuram Spiritus Sancti Orientem Chriſti figuram.* Siue vt imitarentur Salomonis templum, quod ad Orientem ſpectabat, vt conciliando diſſentientium opinionem notauit *Baronij Epitomator Spondan.* ſiue quia Chriſtiani orantes ad Orientem ſe conuertere conſueuiſſent, quod ſi quid impediret, quò minùs conſtruere ad Orientem Eccleſiam poſſent, Altare ſaltem eò dirigebant, vt factum ſæpius Romæ obſeruamus, & in Eccleſia noſtra Cathedrali Paduana intuemur.

*Adu. Valent. c. 3.*

*Ad Ann: 58 n. 42*

Vltra ſitum ſic erant membra Eccleſiarum diſpoſita ad diuerſorum ordinum officia, vt imaginem quandam eiuſdem Hieroſolymitani Templi referrent; aderat ſiquidem primò Porticus, ſiue atrium, quod Græcis πρόναος, veſtibulum arcubus, & columnis ſuffultum, quod ſubeuntibus primùm ſe offerebat; de veſtibulis enim *Zonar.* de vetitis mercimonijs in Eccleſia, *ita vt neque in templorum veſtibulis, neque anterioribus aliquid huiuſmodi ſinat.* ſtabant in hac parte primi ordinis pœnitentes, qui flentes dicebantur, & ſi qui Eccleſiæ ingreſſu eſſent interdicti, & de hac parte exactiſſimè *Leo Allatius* congeſtis Græcorum teſtimonijs.

*Ad Can. 76 Trullan:*

*De rect: Græc. ſimplic.*

Pars erat ſecunda Eccleſiæ, quæ dicebatur ναῦς, nauis, ſeù gremium, quæ pars muro, ſeù tabulato in duas partes diuidebatur vſque ad locum, qui dicitur ἄμβων, & Latinis pulpitum, & in ea parte, quæ ingreſſuris ſiniſtra erat morabantur fœminæ, in dextra autem viri; de qua mulierum à viris ſeparatione, & mulierum etiam inter ſe iuxtà diuerſum earum ſtatum, *S. Clemens Romanus in Conſtitutionibus Apoſtolicis*, & vtinam hæc ſtructura, & hæc diſciplina in Eccleſijs adhuc ſeruaretur. Qui locus ingredientes immediatè ſuſcipiebat græcè dicebatur νάρθηξ Narthex, iſque deſtinatus erat pęnitentibus ſecundi ordinis, qui ἀκροώμενοι, hoc eſt audientes appellabantur; Vndè & locus ipſe auditio, & fletus nuncupatus; vlteriùs, & in eodem Narthece ſtabant Cathecumeni, & energumeni, qui expleta ad populum homilia, poſt lectum in Miſſa Cathecumenorum, euangeliũ haberi ſolita, & recitatis nonnullis ſuper ipſos ſolemnibus orationibus alta voce à Diacono dimittebantur, & exibant cum pęnitentibus, audientibus, & proſtratis, non enim ipſis dabatur ſacrorum myſteriorum celebrationi intereſſe; & de Narthece eruditiſſima habetur diſertatio eiuſdem *Leonis Allatij*; qui, & de Cathecumenorum miſſione latè; nauim penitus ſubeuntibus ſe obijcebant hinc indè tranſuerſi parietes ex virorum parte alter, alter ex fęminarum, & in parietibus portæ, quibus ex parte virorum præ erant Clerici Oſtiarij, ex parte fęminarum Diaconiſſę, ſtatim poſt portarum ingreſſum ſtabant pœnitentes illi qui ὑποπιπτόμενοι dicti hoc eſt proſtrati, vndè ὑπόπτωσιν, ideſt proſtrationem vocat *Gregorius Taumaturgus Epiſcopus Neocæſarienſis* intra portam nauis, poſt quos vlterior ſtatio dabatur alteri pęnitentium ordini, qui συνεστῶτες dicti hoc eſt conſiſtentes, quique ſoli ex pęnitentibus diuinis myſterijs intererant vſq;

*Lib. 2. c. 61*

*Epiſt. Can: Can: 11*

ad finem, nec tamen ſacramentalis communionis fiebant participes, nos omnes antecedebant fideles communicantes, inter quos intimo nauis loco Sanctuarium versùs ex parte virorum ſtabant Monachi, ex parte mulierum Sanctimoniales Virgines, aut Viduæ Deo dicatæ.

Per nauem hinc indè porticus erant cum arcubus, & columnis, & hi porticus Alæ dicebantur; Intrà porticus cubicula ad orandum deſtinata, hæc ipſa erant ſacella, in quibus & erigebantur Altaria. Tertia Eccleſiæ parerant Ambo, ſeù Chorus muro einctus, ad quem per aliquot gradus aſcendebatur, & Ambo poſitus erat inter nauim, quæ, & gremium dicebatur, & Sanctuarium; Ex ambone Clerici ordinum inferiorum pſallebant, vt teſtatur *Can. 15. Laodiceni Concilij*, quo cautum: *Quod non oporteat ampliùs, præter eos, qui regulariter Cantores, eixiſtunt, qui & de Codice canunt, alios in pulpitũ, ἄμβωνα, conſcendere, & in Eccleſia pſallere*. Ibidem Diaconus in Miſſa cantabat ſolemnitèr Euangelium, promulgabantur Epiſcoporum edicta, præcepta, & cenſuræ, recitabantur ex diptychis fidelium tam viuentium, quam defunctorum nomina; à lectoribus legebantur populo ſacra volumina, & ad eundem habebantur Homiliæ.

In ambonibus, quatuor, vt plurimum, erant portæ, ex quibus geminæ nauim ſpectantes vocabantur ſpecioſæ, aliæ duæ aditum ex ambone ad Sanctuarium aperientes Sanctæ Portæ dicebantur, quarum cura, & cuſtodia ſubdiaconis credita erat, ijſque ideò vetitum, *Can. 21. & 22. Laodiceni Concilij* ab ipſis recedere, & Diaconium intrare; in Græcorum Eccleſijs ponunt aliqui locum amboni, & Sanctuario intermedium, qui σώλέα appellatus legitur, & erat ambone, ſeù choro aliquot gradibus altior, ad quem vſque procederent pro euchariſtica communione quicumque fidelium de Sacro Clero non erant, vel ipſi etiam ſacri Clerici, qui ob aliquam culpam redacti eſſent ad laicam communionem, vnde ſolea inter iacebat inter ambonẽ, & Sanctuarij Cancellos, in quibus cancellis apud Græcos erant ſacræ portæ; verùm quià circà ſoleam ambigit, valdè *Allatius*, vt eumque in templis Grçcorum deſcribendis accuratiſſimus, nec ſibi conſtare fatetur, an fuerit thronus, ſeù ſolium, an locus Bemati, ſiuè Tabernaculo contiguus, an pauimentum, quod ante ſacrarium iacet, ſeù pars illius, vel aliud intrà Chorum, & certi aliquid ſibi auguratur, ideò, & nos ſubſiſtimus non ommiſſiſſe contenti, ad quartam demùm partem Eccleſiæ deſignandam accedimus.

*De recentior. græc. templis pag: 171*

Quarta hæc pars diuerſo nomine vocabatur, apud Latinos, Sanctuarium, Secretarium, Tribunal, Sancta-Sanctorum, apud Græcos verò haud abſimiliter ijs vocibus, quæ Sacrum, & Sanctum quid ſignificarent, erant quippe Eccleſiæ pars ſacratiſſima, & penitiſſima, in cuius medio ſtabat erectum altare primarium, ex quo Sacerdos ſacrum faciens, ſtabat facie ad populum conuerſa, qualia ſpectantur. Romæ Altaria in præcipuis Baſilicis, & in noſtra Paduana.

Ex altari Primario ſuper poſitum eminebant Tabernaculum ex lapide, aut metallo quatuor ſuffultum columnis, quod Græcis æquè, ac latinis Ciborium dictum, licèt non eadem adluſione, ſed Latinis præcipuè à Cibo, pane ſcilicet ſuper cçleſti, quo aluntur fideles in æternam vitam; Græci verò ἀκιβ, ſeù κιβωτὸς hoc eſt arca, & ὄραι quod eſt videri quaſi ſit area viſionis, ſeu manifeſtationis Domini Saluatoris, Sanctuarium vndique per circuitum val-

vallatum erat cancellis, quos exhibet *Euſebius* ſtructuram reddens Eccleſiæ, quam Paulinus Tyri Epiſcopus inſtaurauerat, apud quem ſingularia plura legere licet.

*Hiſt. lib. 10 c. 4*

In Sanctuario præter intermedium Altare geminæ ſtabant menſæ, in ea, quæ ad læuam ſacra vaſa ponebantur, nec non panes partim conſecrandi partim communicaturis diſtribuendi partim pro eulogij poſt ſynaxim diſpenſandi, quæ Græcis πρόθεσις dicta, hoc eſt propoſitio, quamuis *Allatius* eam locum potiùs, quàm menſam innuat;in altera verò ad dexteram collocabantur ſacra indumenta pro Epiſcopo celebraturo. In interiori Sanctuarij circuitu ſtatutæ erant pro Sacerdotibus exedræ, & his excelſior Cathedra Epiſcopalis in medio, ac in imo Sanctuarij emicyclo ex aduerſo Altaris à qua & Altare, & populum ſedens Epiſcopus proſpiceret, ex qua tamen, aut ex ambone non ſermocinabatur, ſed vbi ſermonem ad plebem eſſet habiturus, ponebatur ei Cathedra ſuper altiori Altaris gradu è regione nauis, quo alludens prudentiùs cecinit Hyppoliti Martyris Baſilicam deſcribens.

*Carm. de Hyppol. Martyre*

*Fronte ſub aduerſa gradibus ſublime Tribunal*
*Tollitur Antiſtes prædicat vnde Deum.*

Memorat præterea S. *Clemens Romanus* duo paſtophoria, tanquam ſolita in Eccleſia conſtrui, quorum meminit & *Paulinus* ſub nomine Secretariorum, eaque eſſe dicit ad abſidem hinc inde,quare cum abſis ſit fornix Sanctuarium tegens colligitur duo hæc paſtophoria, ſeu ſecretaria fuiſſe ad vtrumque Sanctuarij latus locata, quorum alterum creditum pleriſque ad Euchariſtiæ cuſtodiam, vel Sacriſtia dictum Græcis σκευοφυλάκιον, vnde & is, cui credita ipſius cura iiſdem σκευοφύλαξ Latinis Sacriſta. Alterum verò ſacris volumininibus ſeruandis; primùm hiſce carmin ibus ſe deſignaſſe teſtatur idem *Paulinus*.

*Lib. 2. ep. 61.*

*Ep. 12 ad Seuer.*

*Hic locus eſt veneranda penus, quo conditur, & quo*
*Promitur alma ſacri pompa myniſterij.*

Secundum verò hiſce.

*Si quem Sancta tenet meditandi in lege voluptas,*
*Hic poterit ſacris reſidens intendere libris.*

4 Et cum de Euchariſtiæ aſſeruatione inciderit oportunè ſermo, ab re non erit,quomodo ea aſſeruaretur apud veteres,indicare. Modum apud Græcos id præſtandi reddit *Allatius* locum ad tanti myſterij cuſtodiam deſtinatum fuiſſe armarium ad latus Sanctuarij indicat *Concilium Turonenſe II. Can.* 3. quo in ea verba cautum. *Vt Corpus Domini in Altari non in armario, ſed ſub Crucis titulo componatur*, poterat eſſe loculus concinnè diſpoſitus in illa Crucis media parte, qua ſe duo ligna committunt, ità vt Chriſti Corpus verum ſtaret ibi pro imagine Crucifixi, vel crucis titulus ſit ipſa crux, vt intendat Concilium, reponi Euchariſtiam in medio Altaris in loculo apto ſub ipſa Cruce;erat & alius Euchariſtiæ aſſeruandæ modus, quem innuit *Baron.* vt ſcilicet in ſuſpenſa ſupra ſacrum Altare columba aurea,ſiue argentea reponeretur; teſtatur libellus exhibitus à Monachis Antiochiæ in generali quinta Synodo Conſtantinopolitana contra Seuerum Pſeudo Patriarcham Conſtantinopolitanum, inter cætera ſiquidem,quæ ipſi obijciunt, hæc leguntur. *Præſumptum eſt autem ab ipſo, & hoc ò Beatiſſimi,nam Columbas aureas, & argenteas in formam Spiritus Sancti ſuper Diuina lauacra, & altaria appenſas vna cum alijs ſibi appropriauit.*

*Vbi ſup. pag. 150.*

*Tom. 1. Annal. Ann. 57.*

Digitized by Google

uit. Et ad vſum conſeruandæ Euchariſtiæ adhibitas haſce aureas Columbas indicant acta S. Baſilij, quæ Amphilochij nomine inſcripta leguntur. Proſtat Venantij Fortunati carmen de turri, quam Fęlix Epiſcopus Bituricenſis conſtrui mandauerat, vt conderetur in ea tantum Sacramentum, ritum huius eiuſdem aſſeruationis apud Græcos, & pleraque alia circa hoc ipſum curioſa habeas apud *Allatium*; nobis indicaſſe ſatis; Iam aliquid ſubdamus ad coronidem de Altaribus.

*Vbi ſup: pag. 150.*

5 Diximus intra porticus,qui hinc inde producebantur per Eccleſiæ nauem inſeri conſueuiſſe cubicula ad ſecretius orandum deſtinata, quæ non alia, niſi ſacella,in quibus etiam Altaria erigebantur præter Altare maius, quod erectum in Sacrario oſtendimus;cum enim eſſent in Eccleſia ſepulchra Martyrum, vbicumque eſſet Martyr conditus,illhic Altare ſuperſtruebatur, ac proinde quot ſepulchra,tot Altaria, vnde vſque ad tredecim memorat in eadem Eccleſia Magnus Gregorius *Baronio* teſte; apud Græcos pro vario ritu duo Altaria notat *Allatius* in Bebmate, ſeu Sanctuario vnum minus, & boreale, in quo fit πρόθεσις, quaſi dicas præpoſitio à cæremonia, quæ in eo peragitur nomen habens, nam in ipſo Sacerdos, & Miniſtri omnes res ad Sacrum perficiendum neceſſarias,vt panem,vinum, & alia præparant; Aliud maius, quod ἁγία τράπεζα ſacra menſa vocatur. Deníque fontes etiam pro foribus Eccleſiarum ſtatui ſolitos, in quibus ingreſſuri fideles faciem, manuſq; abluerent,teſtantur antiqui Patres *Clemens Romanus*,*Tertullian.* qui ablutionem fidelium ſanctè caſtigat, & ad moralem ſignificationem reuocat,ait enim *Cæterum quæ ratio eſt manibus quidem ablutis ſpiritu verò ſordente orationem abire? quando & ipſis manibus ſpiritales munditiæ ſint neceſſariæ, vt à falſo à cęde, à ſæuitia, à veneficijs, ab idolatria, cæteriſque maculis, quæ ſpiritu conceptæ manuum opera tranſiguntur, puræ alleuentur: hæ ſunt veræ munditiæ,non quas pleriqueſuperſtitioſè curant, ad omnem orationem etiam cum lauacro totius corporis aquam ſumentes*;*Euſebius*, *Paulinus*, *Chryſoſtom.* & ſi qui alij,quorum fontium vicem ſupplent,nunc vaſa aquæ benedictæ, quæ pro foribus Eccleſiarum proponuntur, ſicut, & in templis Gentilium aderant luſtrales aquæ, quibus ingredientes aſpergebantur ex *Theodoreti*, & *Solomeni* teſtimonio, ne alia à profanis auctoribus conquiramus.

*Lib. 3 Regiſt. Indic. 14 ep: 50*

*Lib. 8 Conſtit. Apoſt. cap. 58*

*De orat. c. xi.*

*Hiſt. Eccleſ. l. 10 cap. 4.*

*Ep. 12. ad Seuer. hom. 72. in Ioan.*

*Lib. 3. hiſt. Eccl. c. 5.*

*Lib. 6. hiſt. c. 6.*

Opportuni erant pro foribus Eccleſiarum ſtatuti illi fontes,vt viri, præſertim communicaturi, manus lauarent, quibus Sacramentum accepturi erant, erat enim in veteri Eccleſia ritus, vt vnicuiq;communicaturo Sacerdos Euchariſtiam porrigeret, & qui recepiſſet manu propria ori admoueret,vel ſecum etiam domum deferret, eòque reſpexit *Tertullian.* dum inquit,*eas manus admouere Corpori Domini, quæ Dæmonijs corpora conferunt*. Ac proinde mundiſſimas eas eſſe decebat ab omni etiam reali,ne dum morali ſorde; mulieres verò non manu recipiebant, ſed linteolo ad id parato, quod dicebatur *Dominicale*,vnde nec ijs neceſſe manus abluere, ad rem apertiſſimè *S. Maximus Martyr*, qui contra Monothelitas egregiè pugnauit,& cuius auctoritatem regerit *Baron.* *Omnes viri, qui communicare deſiderant prius lauent manus ſuas,vt mente pura, & nitida conſcientia Chriſti Sacramenta ſuſcipiant ſimiliter, & mulieres nitida exhibeant linteamina, vbi Corpus Chriſti accipiant pura mente, & munda conſcientia*. Hæc de Eccleſiarum ſtructura,circa quam plura ſingularia expendemus,

*De Idolol. c. 7.*

*Vbi ſup. Ann. 57*

cum,

cum, dante Numine, de pœnitentia, & pœnitentibus opportunè tractabimus. Mole Eccleſiæ conſtructa ad ius circa ipſam gradatim accedamus.

6 Ad conſtructionem igitur nouæ Eccleſiæ primò requiritur Epiſcopi, & Eccleſiaſtici ſuperioris auctoritas, & conſenſus, ſine quo ædificari non poſſe apertiſſimi Canones decernunt *c. nemo 9. de conſecr. diſt. 1. nemo Eccleſiam ædificet antequam Epiſcopus Ciuitatis veniat, & ibidem crucem figat, publicè atrium deſignat, & ibidem crucem figat c. placuit 1. q. 2. c. ad hæc de relig. domibus c. cum olim 14. de priuileg. auth. de Eccleſ. tit. § ſiquis autem col. 9. ſiquis autem* (ait ibi Imp.) *voluerit fabricare venerabile Oratorium, aut Monaſterium præcipimus non aliter incboandum fabricam, niſi locorum Sanctiſſimus Epiſcopus orationem ibi fecerit, & venerabilem fixerit crucem Aut. de Monacbis §. illud igitur collat. 1.* & quamuis rationabilis ordo ſit, vt Præſulis conſenſus ædificationem præcedat tanquam conditio quædam prærequiſita, attamen ſi ædificationem ſubſequatur, ipſamque ratam habeat Epiſcopus ſat erit, ſi poſt ædificationem ipſam conſentiat, ſiue faciat id expreſsè, ſiue tacitè, hoc eſt videns Eccleſiam conſtrui tacuerit, nec contradixerit, vt notat *Card.* An autem in ſolo alieno, ſine conſenſu Domini poſſit Eccleſia ædificari dubitant ſcribentes, & ex ſententia *Raynerij*, *Hoſt. & Sylueſtri* reſpondet *Azor* negatiuè, naturalis enim iuris dictamini id maximè congruit, cuius lumen æquitate duce ſacri Canones ſequuntur, vnde quam ſit æquum appatet, vt ex Principis ſæcularis conſenſus in ædificatione Eccleſiæ, & loci religioſi in ſua ditione ſpectetur, cuius conditio illa priuati hominis non debet eſſe deterior, quidquid ſit de auctoritate, at certè explorare. & accipere conſenſum, vt debitæ vrbanitatis eſt, ità nullius lædit libertatem, quod ſi locus, in quo conſtrui debet Eccleſia ſit exemptus à iuriſdictione Epiſcopi nil poterit largiri eius auctoritas, at illa Apoſtolicę Sedis erit neceſſaria *c. authoritate de priuil. in 6.* quod ſi exempta perſona velit in loco non exempto Eccleſiam erigere, facere id non poterit ſine Epiſcopi auctoritate, *d. c. auctoritate*, quæ quidem adeſſe debet non ſolum vbi quis ſimpliciter ædificare intendit, ſed & nonnunquam poterit ſuffragari, etiamſi id præſtare velit in alterius præiudicium, dantur enim rationabiles cauſæ, ob quas poteſt ſuperior decernere, vt noua ædificetur Eccleſia, etiam in alterius præiudicium, eiuſque caſus plura aſſignantur exempla, vt ſi caſtrum intra alterius Eccleſiæ fines conſtruatur eiuſque incolæ ad Eccleſiam priorem nequeant conuenite *arg. tex. in c. vnio §. fin. 10. q. 3.* vel ſi ob nimiam diſtantiam Parochiani ad percipienda Sacramenta ad Eccleſiam non poſſint accedere *c. ad audientiam 3. de ædif. Eccleſ.* quam Alexander III. conſtitutionem nouiſſimè confirmauit *Concil. Trid.* niſi tamen in loco minimè incomodo, & difficili Oratorium adeſſet, aut Eccleſia cum fonte baptiſmali, cæteriſque ad Parochiam neceſſarijs, ibique Parochus Sacerdotem poneret, qui ſe adiuuaret, huc reuocari poteſt & caſus, quod de ſuperiotis conſenſu poſſet in alterius præiudicium noua Eccleſia ædificari, vbi ſcilicet ita aucta eſſet multitudo fidelium, & vna Eccleſia omnibus non poſſet ſufficere propter nouarum habitationum diſtantiam *c. præcipimus 16. q. 1.* & in ſumma tunc demùm noua poterit conſtrui Eccleſia, cum pro temporis qualitate, & locorum diſtantia, & cauſis ſuperiori bene viſis conſtruendam ratio ſuaſerit, *c. & temporis ead. 16. q. 1.* Quod ſi forte ſine cauſa, & ſine

*AlC. Cura de iur. patr.*

*Inſt. Mor. p. 2 lib. 9 c. 3. q. 3.*

*Seſſ. 21. de Reform. c. 4.*

ſine ſuperioris auctoritate fuerint conſtructa Eccleſia, deſtruenda ea erit, præciuè ſi noui operis nunciatio præceſſerit, *c.* 1 *& per tot. de noui op. nunciat.*

Præiudicium autem intelligitur, & definiendum eſt præter damnũ ædificij cohærentes, aut ex participatione ſumptuum in ipſa conſtructione aut expenſarum pro ſuſtentatione Rectoris, *d. c. ad Audientiam de ædif. Eccleſ.* aut ex damno in iuriſdictione, ſiuè ex diminutione in oblationibus, vt ex Concilio Cabilonenſi deſumpti *Gratian. in c. Eccleſiæ, & ex Concil. Vuormatienſi in cap. ſeqent.*

Spectare autem maximè debet Epiſcopus, vt is, qui Eccleſiam ædificat, dotem etiam congruam eidem aſſignet ad luminarium, & cuſtodiam ſuſtentationem, *c. nemo Eccleſiam, de conſecr. diſt.* 1. aliàs enim permittens Epiſcopus conſtrui Eccleſiam ſine congrua dote de ſuo dotare tenetur, *cum ſicut, Iunc. ibid. Gloſſ. de conſec. Eccleſ. vel altar.* quæ dos manſus dicitur in *c.* 1. *de cenſib.* ideſt tanta pars agri fertilis, quantam vnum par boum exarare poteſt, & niſi aliud obtineat, Eccleſia non tenetur ſoluere cenſum, nec aliud beneficij onus tenetur ſuſtinere, niſi pro facultatibus ſuis *d. c.* 1. *de cenſib.* quamuis ſingulari priuilegio excipiantur ab ea obſeruatione Eccleſiæ mendicantiũ, quæ poſſunt ſine dote ædificari, ſicut Eccleſiæ illæ, quæ ædificantur in Monaſterijs, quæ habent prouentus, vt *not. ad d. c.* 1. ſufficienter enim dotatæ cenſentur, quæ poſſunt ex redditibus Monaſterij apte ſuſtentari. Eccleſia autem ſic conſtructa debet ſub eius Epiſcopi poteſtate, & ordinatione conſiſtere, in cuius Diœceſi poſita eſt *c.* 1. *cum ſeqq.* 10. *q.* 1. *c. omnes Baſilicæ* 16. *q.* 7. nec eſt ab eius iuriſdictione ſeparanda, & quamuis poſſeſſio territorij eſſet alterius, illius tamen Epiſcopi erit Eccleſia, cuius eſt populi conuentus ad eam *c. poſſeſſio* 16. *q.* 2.

7 Conſtructa ſic Eccleſia conſecrari debet, ideòque de conſecratione, ſeù dedicatione pauca ſunt adnettenda. Vtcumque autem voces iſtę dedicatio, & conſecratio videantur ſynonymæ, aliquam nihilominùs inter ipſas agnoſcimus differentiam, nam dedicationis verbum latiùs patet, quàm conſecrationis, omne ſiquidem conſecratum eſt dedicatum, at non è conuerſo, quià poteſt fieri dedicatio ſine conſecratione quæ ritum, & cęremoniam dicit ſupra dedicationem, ſed tamen ipſam continet, ac inuoluit, quià ſacrare reuerà nihil aliud eſt, niſi Deo dicare, & rem ſacram efficere; & conſecrare ſimul ſacrare, hoc eſt eum interuentu, & opera plurium perſonarum concordi animo, & actione ſacrare, *c. pudenda* 14. *q.* 1. attamen quælibet ſacrartio conſecratio dicitur à ſacrando; eaque operatur illud, vt ex profano, & impuro locus fiat ſacer, ſanctus, & purus, dęmones indè pellantur, & fiat de priuato publicus, *l. in tantum*; *l. ſacra ff. de rer. diuiſ.* & omninò extrà commercium, & ęſtimationem; vndè factum, vt ſolemne hoc conſecrationis encęniorum nomine denotetur à voce græca ἐγκαινόω, quod eſt in nouo, dedico, ἐγκαινισμὸς, enim innouatio eſt, ſeù dedicatio apud *Feſtum*; cum ſiquidem conſecratio fit, aliquid innouatur, quia de profano fit ſacrum: Ritum conſecrandi Eccleſias, & ſacra Deo loca primus S. Sylueſter Papa inſtituit, quamis in lege ipſa naturæ aliqua huiuſce rei imago præceſſerit; Noe enim primus Altare Domino dedicauit, & ſine vlla conſecratione Iacob ſubindè poſt viſionem à Deo receptam tulit lapidem, quem capiti ſuo ſuppoſuerat, & erexit in titulum fundens oleum deſuper ipſiſſimo conſecrationis ritu *Geneſ. c.* 28. *&* 31.

Mors

Moſes ſubinde olei vnctione Tabernaculum,& vaſa conſecrauit *Exodi* 40 & demùm Salomon Templum ſolemniter Deo dedicauit 3.*Reg*.8. *c*. 7. nam licèt ab Apoſtolorum æuo loca fuerint Deo dicata, quæ Oratoria, & Eccleſiæ dicebantur; attamen chriſmate non vngebantur, nec in eis erat adhuc erectum altare in titulum, ſed ſumpto baptiſmo per Conſtantinum, & ab eo data facultate publicè verum Deum colendi, & Eccleſias conſtruendi,ipſe immò in Vrbe Roma plures Eccleſias erexit, eaſq; S. Syluester ſolemni ritu conſecrauit, inter quas fuit omnium prima Baſilica Saluatoris,Lateranenſis dicta;& quamuis, vt doctè notat *Baron.* Dedicatio Eccleſiarum ad cultum latriæ Deo debitum pertineat ex *Auguſtino* non vno in loco,attamen ita dedicari Deo conſueuerunt,vt in memoriam Martyrum, & ſub eorum inuocatione erigerentur, ſicut & in memoriam Martyrum offerri Deo ſacrificium aliàs obſeruauimus. Ritum ipſum conſecrandi Eccleſias, adhibitaſque cæremonias hìc non regerimus,quæ ex Pontificali Romano facilè poſſunt haberi, verùm ad ea, quæ iuris ſunt circa Eccleſiæ conſecrationem deſcendimus.

Tom. 3. ann. 330.

Lib. 22. de Ciuit. c. 10.

Ad conſecrationem igitur quatuor requiruntur, vt ritè, & rectè fiat; Miniſter ſcilicet verus, forma legitima, materia debita, intentio Canonica, locus quoque aptus, & tempus à iure ſtatutum, quod dixeris legitimum, & ritus ſolemnes præſcripti. Primò igitur debet eſſe Miniſter verus,iſque non alius, quàm Epiſcopus, *c. Nemo il primo de conſecr. diſt.* 1. *vbi Gloſ. & ſcribentes continenter*,non autem quilibet,ſed ille, in cuius Diœceſi ſita eſt Eccleſia, *c. tua fraternitas de conſec. Eccleſ. vel Altar.* neque enim in Diœceſi aliena poteſt Epiſcopus conſecrare Eccleſiam ſine proprij Epiſcopi conſenſu, *c. piæ mentis & c. ſeq.* 16. *q.* 7. quamuis Eccleſiam ipſam ibidem conſtruxerit *c*. 1. 16.*q*.5. & hæc conſecratio adeò eſt Epiſcopi propria, vt ſimplici Sacerdoti demandari non poſſit,*c. aqua de conſecr. Eccl. vel Alt.* immò tanti olim habebatur hoc conſecrationis ſolemne, vt ſine Apoſtolicæ Sedis licentia non poſſet celebrari *c. de locorum cum ſeqq. de conſecr. diſt.* 1. In regularium fauorem ex ſingulari priuilegio illud indultum eſt, vt ſi forte Epiſcopus requiſitus eorum Eccleſiam conſecrare detrectet,quilibet alius Epiſcopus hoc facere poſſit, vt poſt alios notat *Auguſtin. Barboſa*.

Iur. Eccleſ. lib. 2. c. 2. n. 33.

In conſecranda autem Eccleſia nonnulla aduertere debet Epiſcopus; primò ſpectare debet, vt Eccleſiæ de congrua dote ſit prouiſum *cap. piæ mentis, & ibi Gloſ.* 16.*q*.7. niſi in conſtructione hoc fuerit præſtitum,quo caſu,qui petit Eccleſiam conſecrari compelletur dotem congruam aſſignare tanquam ex debito *c. cum ſicut de conſecr. Eccl. vel Altar.* etiamſi ipſe Eccleſiam non conſtruxerit,petens enim conſecrari videtur ipſam in ſui tutelam accipere, idque maximè curandum, ne locus Diuino cultui conſecratus deſtitutus debita impenſa derelictus, quaſi profanus remaneat; & ideò *Bracarenſe Concilium in c.* 1. 1. *q.* 2. *Hoc tamen vnuſquiſque Epiſcoporum meminerit, vt non prius dedicet Eccleſiam,niſi antea dotem Baſilicæ, & obſequium ipſius per donationem cartulæ confirmatum accipiat*. Plura hac de re diximus ſupra, cum ageremus de iurepatronatus, ſecundò obſeruabit,ne Eccleſiam conſecret, niſi ea intentione, vt ſit in honorem Dei, & Sanctorum directa, non eleemoſynarum,aut lucri alicuius gratia,*c. ſi quis Baſilicam de conſec. diſt*. 1. Tertiò, vt ritus, & ſolemnia ad conſecrationis actum præſcripta diligenter obſeruet iuxta Pontificalis Romani cæremo-

nias *c. omnes Baſilicæ de conſec. diſt.* 1. Quartò, & vltimò, ne quidquam exigat pro conſecratione Eccleſiæ, ſed gratis ſolummodo oblatum, & ſponte ab ijs, qui non egeant, recipiat, ſicut & Canonicas procurationes, aliàs enim ſimonię labem incurret *c. cum ſit Romana de ſimon. c. ſtatuimus il* 1. 1. *q.* 1. & hæc Eccleſiæ conſecratio conueniens eſt, vt fiat in die feſto, quamuis qualibet die ea fieri poſſit *c. tua de conſec. Eccleſ. vel Altar.*

8 Semel autem conſecrata Eccleſia non eſt iterum conſecranda *c. Eccleſijs* 63. *diſt. c. Eccleſijs de conſec. diſt.* 1. *c. propoſuiſti Iunc. ibid. Gloſ. c. ligneis, de conſec. Eccl. vel Altar.* excipiuntur caſus nonnulli, primus cum nullatenus de conſecratione conſtat *c. ſolemnitates il* 2. *c. Eccleſiæ, vel altaria de conſec. diſt.* 1. puta quia non probetur, aut nullum appareat conſecrationis veſtigium, non enim dici poteſt iteratum, quod nullatenus conſtat factum *c. ſolemnitates, c. placuit de conſec. diſt.* 4. quod ſi forte aliquod extaret conſecrationis veſtigium, licèt monumento aliquo publico de ea exactè non conſtaret præſumenda eſſet conſecrata *c. fin.* 24. *q.* 2. ſecundus, ſi parietes ſint combuſti, & exterius diruti, non autem ſi pauimentum ſolum, aut tectum dirueretur *c. ligneis, de conſec. Eccleſ. vel Alt.* & ideò, ſi parietes ipſi interiùs, & exteriùs igne decruſtarentur, Eccleſia iterùm eſſet conſecranda, quia conſecratio, & linitio fit in parietibus *Gloſ. ad d. c. Eccleſijs de conſec. diſt.* 1. ex quibus præcipuè Eccleſia ipſa videtur conſtare, & ideò illæſis remanentibùs parietibus ex maiori parte, vel in totum Eccleſia minimè execrata cenſebitur *d. c. ligneis.*

Tertius eſt, vbi totã Eccleſia corruit, vel ex iiſdem lapidibus, aut etiam alijs refecta eſt, tunc enim non poteſt dici eadem omninò Eccleſia, ſicut de naui diſſoluta, & iterum refecta reſpondit *Vlp. in l. quid tamen ff. quibus mod. vſuff. amitt.* Conſecratio ſiquidem eſt accidens quoddam Eccleſiæ inhærens, qua ſoluta, tanquam ſubiecto deficiente, & ipſum corruit.

Quartus eſt, quando Eccleſia per partes fuit refecta tota, quamuis enim adhuc dici poſſit eadem Eccleſia, hoc tamen fictè, & per æquipollens intelligitur, non verè; in ſpiritualibus autem veritas attendenda eſt; conſecratio ſiquidem fit liniendo parietes oleo, qui ſi mutantur omnes reficiendo, iam nulla dici poteſt conſecratio remanere, neque enim partes non conſecratæ, quæ ſuperueniunt, dici poſſunt conſecratæ, ſi nulla ex conſecratis remaneat, quia non eſt ea commixtio, ſed mera acceſſio, vnde non videtur poſſe dici, quod magis dignum trahat ad ſe minus dignum; quamuis hanc opinionum varietatem aliquid conciliare ita ſtuduerint, vt vbi viget conſuetudo, quod Eccleſia in totum refecta non conſecretur, ea ſit ſeruanda, vbi verò ea non adeſſet conſuetudo, veniat iterùm conſecranda, quia conſuetudo in ijs, quæ mei iuris poſitiui ſunt plurimùm valeat. Quid autem ſi Epiſcopus decedat in ipſo conſecrationis actu, an ſit Eccleſia de nouo conſecranda, an verò reſumenda cœpta conſecratio, ex decreto S. Congregationis rituum reſolutum caſum tradit *Barboſa*, ad quem remittimus; hincque ad immunitatem Eccleſiæ, & ſacrorum locorum tranſimus. *Iur. Eccl. vniuerſ. lib. 2. c. 3. nu. 51. & 13.*

TRA-

# TRACTATVS XII.

## DE IMMVNITATE ECCLESIASTICA

### CAP. I.

1 *De immunitatis voce, & eius differentia à libertate, & exemptione.*
2 *De libertate Eccleſiaſtica in ſpecie, & diſtinctè.*
3 *De exemptione in ſpecie, & agitatur notabilis difficultas.*
4 *Diuiditur materia, & eius tractatio.*

DIſſertationi de materiali Eccleſia, ædificatione, conſecratione, ac dedicatione eiuſdem adnectimus de ipſius priuilegijs, & immunitate tanquam iure planè connexo. Et quia materia ampliſſima eſt frequens, & pars non modica Eccleſiaſticæ Politiæ, ideò exactè, ac luculenter pro viribus; & inſtituto operis eam proſequemur, vtcumque proſtent de eadem re abſolutiſſimi tractatus, qua ratione caput generaliter de immunitate Eccleſiaſtica inſcripſimus, vt inde ad vniuerſæ materiæ examen viam aperiamus, & immunitatem conſideremus non ſolùm quatenus loca ſacra, & templa reſpicit, ſed & quatenus generali nomine priuilegia Eccleſiæ, & Eccleſiaſticis rebus, ac perſonis competentia continet.

1 Generali vocis ſignificationi alludit perappoſitè immunitatis nomen, eiuſque deriuatio, ſeu æthimologia, quam inſinuauit *Paul. I.C. in l. munus* 18. *ff. de verb. ſign.* vbi præmiſſa triplici huius vocis *munus* ſignificatione ait; *munus* ſignificare etiam opus, *altero opus* (inquit *Paulus*) *quod cum remittatur vacationem militiæ, muneriſque præſtat, inde immunitas appellari*. Vnde haud immeritò immunitatem vacationem, ſeu vacuitatem muneris dixeris. Qua ſignificatione attenta cum Eccleſia a munere, & onere ſit exempta, ac libera, meritò hæc ipſa Eccleſiæ vacuitas, ſiue vacatio immunitas appellatur nomine, quod priuilegia quælibet natum ſit ſua generalitate comprehendere, ſiue ius vacandi à munere ſpectes, ſiue effectum ipſum vacationis attendas, vtrumq; enim immunitatis nomine exprimitur, ſicut vtrumq; eadem voce continetur, quo reuocari poſſe videtur gemina inſcriptio tituli in Pandectis, *de vacationibus, & excuſationibus munet. & de iure immun.* ne repetita eadem Rub. videatur.

Immunitati proximè accedunt duo alij termini, ſeu voces, libertas ſcilicet, & exemptio; & quoàd libertatem attinet, ea proxima adeò eſt immunitati, vt plerique auctores grauiſſimi immunitatem, & libertatem Eccleſiæ pro eodem accipiant, & quidquid factum contra immunitatem Eccleſiæ, id ipſum factum contra Eccleſiaſticam libertatem intelligant, vt ſcribit *Couar.* quod ipſum ſenſit & *Caietan.* Qui mox inferius differentiam aſſignauit inter immunitatem, & libertatem, ità vt immunitas loca, ſeu Eccleſias materiales reſpiciat, libertas verò perſonas innixus auctoritate *Benedicti XI. in Extrauag.* 1. §. *incendiarios de priuileg. inter communes*; Ibi *Eccleſiarum immunitatis, & libertatis Eccleſiaſticæ violatores.*

*Var. reſol. lib. 2. c. 20. nu. 1.*

*In ſum. verbo Immunitas §. fin.*

*tores*. Et immunitatem à libertate condiſtinguit; ſed hoc non admiſit *Couar.* quandoquidem Benedictus diſtinguat ſanè immunitatem Eccleſiarum ab Eccleſiaſtica libertate, at non item immunitatem Eccleſiaſticam ab Eccleſiaſtica libertate, quæ proinde idem ſignificent.

At verò in ſenſum noſtrum intereſſe aliquid inter immunitatem, & libertatem Eccleſiaſticam comperiemus ſi terminos exactè diſtinguamus, & libertatis nomine tranſcendentale quidpiam indicari dignoſcemus.

2 Non diſtinguemus libertatem in ſpecies varias, prout diſtingui obſeruamus à Theologis poſt *D. Bernard.* & ab Anonymo, qui deprauatè de libertate Eccleſiaſtica ſcripſit, addens ſpecies à ſe ſi non excogitatas à locatu applicatas, vt ſcilicet alia ſit à peccato, alia à miſeria, alia à neceſſitate, at libertatem morali modo accipiemus, prout definitam habemus *à I.C. Florentino in l. libertas 4. ff. de ſtatu hom. libertas eſt naturalis facultas eius, quod cuique facere libet*, in quem planè ſenſum liberam facultatem conueniendi ad cultum Dei ad Synodorum celebrationem, munerum immunitatem ab Imperatoribus largitam *Euſebius*, *Optatus Mileuitanus*, & ſi qui huiuſmodi vetuſtiores, libertatem Eccleſiæ nuncuparunt, indeq; facta extenſio facilis, vt & priuilegia Clericis, & Eccleſiæ conceſſa à Principibus libertates dicerentur, ſicut & quæ indulta Monaſterijs *libertates Monaſteriorum* appellata, vt paſſim ex *Marculpho*, & ipſis libertatum diplomatibus colligere fas eſt.

*Lib. de Gratia & lib. arb. non procul. a princ.*

Cui quidem libertatis acceptioni adluſit *Felix III. Rom. Pontif.* & poſt eum *Greg. VII.* Eccleſiaſticæ libertatis aſſertor, & propagator acerrimus, Fœlix enim legationem miſerat Conſtantinopolim ob cauſam Acacij Conſtantinopolitani, qui Petrum Alexandrinum abſque Apoſtolicæ Sedis mandato anathemate ſoluerat infectum Euthichiana hæreſi, & cuius occaſione Fęlix Acacium à communione ſua excluſerat, cumque malè à Zenone habiti eſſent Legati, vt narrat *Baron.* literas ſcripſit Zenoni, quibus de illatis Legatis ſuis iniurijs conqueritur, hortaturque, vt in damnationem Petri, & Acacij conſentiat, literas non regeſſit *Baron.* ſed eas exhibuit Sirmondus, ex quibus pauca ad rem deſcribemus. *Puto* (ait *Fęlix*) *quod vobis ſine vlla dubitationi ſit vtile, ſi Eccleſiam Catholicam veſtri tempore Principatus ſinatis vti legibus ſuis, nec libertati eius quicquam permittatis obſiſtere, quæ Regni vobis reſtituit poteſtatem. Certum eſt enim hoc rebus veſtris eſſe ſalutare, vt cum de cauſis Dei agitur iuxta ipſius conſtitutum regiam voluntatem Sacerdotibus Chriſti ſtudeatis ſubdere, non præferre, & ſacroſancta per eorum Præſules diſcere potius, quàm docere; Eccleſiæ formam ſequi, non huic humanitùs ſequenda iura præfigere, neq; eius ſanctionibus velle dominari, cui Deus voluit clementiam ſuam piæ deuotionis collum ſubmittere, & dum menſura cœleſtis diſpoſitionis exceditur, eatur in contumeliam diſponentis.* Verba, quæ non minùs Eccleſiæ libertatem inſinuent, quàm pium Chriſtiani Principis munus declarent, quæque Eccleſiæ libertatem in eo ſtatuunt, vt iure, & legibus ſuis liberè vtatur in cauſis Dei. Hanc eandem expreſſius, quaſi ſpecificando, expoſuit *Gregorius VII.* ita expoſcente tunc rerum ſtatu, cum de inueſtituris Epiſcopatuum ardua illa controuerſia agitaretur, tunc enim maximè agi de libertate Eccleſiæ cenſuit. Vnde ſcribens Epiſcopo Patauienſi, & Hirſaugienſi Abbati. *Scimus quidem* (inquit) *quod fratres noſtri longo certamine,*

*Tom. 5. Annal. an. 484. in princ.*

*In append. ad cod. theod. pag. 138.*

*mine, diuerſiſque perturbationibus fatigantur. Nobilius tamen eſſe dignoſcitur multo tempore pro libertate S. Eccleſiæ decertare, quam miſeræ, ac diabolicæ ſeruituti ſubiacere.* Eaque libertas conſiderabilis non ſolùm eſt, vbi de ſæcularis principatus poteſtate agitur, ſed & vbi inter Epiſcopos ipſos controuerſia eſt, ac periculum imminet, ne priuilegijs, & iuribus alicuius Eccleſiæ derogetur. Quod planè ſenſit *Concilium Epheſinum Can.* 8. cum enim Antiochenus Patriarcha ordinationem Epiſcoporum Cypri ſibi vindicare contenderet, & è contra Archiepiſcopus, & Epiſcopi Cyprij ordinationes per ſe ipſos factas ex peruetuſta conſuetudine aſſererent, quæ eſt Αὐγκεφαλία, illa Cypria, de qua eruditè *Morinus*. Concilij Patres de cauſa exempli, & Eccleſiarum libertate agi cenſentes Cyprijs Epiſcopis ordinationes, ſecluſo Antiocheno Patriarcha, adiudicarunt; cauentes præcipuè, *ne Sanctorum Patrum Canones tranſiliantur, nec ſub Sacerdotalis muneris prætextu ſæcularis poteſtatis faſtus ſubeat, nec libertatem paulatim imprudentes amittamus, quam nobis proprio ſanguine dedit Dominus Ieſus Chriſtus.* Libertatem appellant Patres Epheſini ius illud, quo poſſit Eccleſia agere iuxta leges, & mores ſuos, & ſua ſibi iura tueri.

*Lib. Exerc. II. l. c. 4.*

*Can. 8. apud Balſam.*

Ex quibus manuducimur facilè ad dignoſcendum, quid ſit libertas Eccleſiæ, & in quibus conſiſtat. Quam quidem (dixit *Guilielm. Barclarius*) multos in ore habere, qui prorſus cuiuſmodi illa ſit ignorant, & vtinam non morte præuentus fidem ſuam ſoluere potuiſſet, de ea ſe acturum pollicitus cap. vlt. tractatus ſui, & intueri liceret, quid afferret homo dignus, *qui meliora vellet*, vt de Seneca dixit *Quintilian.* ſic igitur inferimus meritò ex dictis libertatem Eccleſiæ eſſe facultatem, qua Eccleſia ipſa libere agere, & vti iure ſuo poteſt iuxta poteſtatem à Deo traditam in finem ſupernaturalem, & priuilegia ſibi à Deo, à Pontifice, ab Imperatore, & Principibus conceſſa, de qua etiam libertate impletur dictum Apoſtoli. *Itaq; non ſumus Ancillæ filij, ſed liberæ, qua libertate Chriſtus nos liberauit.* Ideòq; eam conſiſtere in poteſtate ſibi propria, & in priuilegijs conceſſis ſuper ſpiritualibus, vel temporalibus, generaliter, vel ſpecialiter à Deo, à Papa, aut Principibus, & eiuſdem poteſtatis, ac priuilegiorum libero vſu, vt notat *Innoc.* & exemplis illuſtrat, ac confirmat.

*Lib. de poteſt. Pontif. c. 32.*

*Ad Galat. c. 4 in fine.*

*Ad d. c. nouerit de ſent. excom.*

Cum enim Eccleſia ſit in Republica vt inquit *Optat. Mileuitan.* immò ipſius Reipublicæ pars præcipua, ac nobilior, & Reipublicæ, & Eccleſiæ ſit poteſtas omninò diuerſa, & diſtincta, decuit vnam aliam non impedire, liberum vtriuſque eſſe vſum, & Eccleſiaſticam ſic inſertam non violari in iuribus ſuis; eaque meritò dicitur Eccleſia, & Eccleſiæ libertas; cui planè conſequens eſt, hanc ipſam libertatem eſſe iuris diuini, vtcumque ea, circa quæ verſatur, ſint iuris humani *c. quamquam de cenſibus in 6.* in quem etiam ſenſum ſumpta libertas latiùs aliquantò patet, quam pateat immunitas, quæ regulariter definitur quod ſit *libertas &c.* & per libertatem aſſignatur tanquam per genus, quamuis communis opinio pro eadem accipiat libertatem, ac immunitatem, quod alio ſenſu ſtrictiori veriſſimum eſt, vt ſupra notauimus cum *Couar.* & demùm colligi facilè poteſt facere contra libertatem Eccleſiaſticam eos, qui aliquid ſtatuunt, per quod libertas huiuſmodi tollatur, minuatur, turbetur, aut per quod Eccleſiaſtici homines timidiores fiant, & quoquo modo terreantur, quò minùs poteſtate ſua, & priuilegijs vigore libertatis Eccleſiaſticæ competentibus vtantur, aut fruantur, vt

poſt

*Concl. 345.* *De iuriſd. lib. 2. c. 2. num. 25*

poſt *Card. Tuſcum*, qui latiſſimè materiam pertractat, tradidit nouiſſimè omiſſis alijs *Zipeus*, quæ dicta videntur ſatis ad inſtitutum circa libertatem Eccleſiaſticam.

Ex hac autem libertatis Eccleſiæ, ſeu Eccleſiaſticæ deſcriptione potius, quàm definitione rigore Logico non exeutienda, ſed ea diſcretione, qua iuridicæ definitiones ſunt examinandæ, vt aduertunt paſſim vtriuſque iuris interpretes; colligere fas eſt, quàm rectè de libertate Eccleſiaſtica in genere diſſeruerit *Anonymus*, qui de ea eruditè, ſed animosè nimis ſcripſit, ne dicamus captiosè, cuius ſummam, & generalem diſſertationem breuiter percurremus in dictorum ſupradicta, ſeu potius, veritatis elucidationem. Is igitur in libertatem Eccleſiaſticam conſurgens poſt plura tragicè congeſta, & exagerata, quam ipſe tanquam nouum commentum exagitat, demùm definitionem attexit à ſe excogitatam, & libertatem aſſignat, quam ſibi fingit. Ait enim, quod libertas Eccleſiaſtica *eſt ius quodam primariò quidem Pontifici Romano adhærens, quo vniuerſi orbis dominium illi paratur. ſecundariè verò Eccleſijs, quo viritim, & in commune eximuntur ipſi, & bona ipſorum ab omni omnium Principum ſubiectione, iuriſdictione, & poteſtate, laici verò ipſis ad omne obſequium redduntur obnoxij*.

*Apud Melchior. Goldaſt de Monarch. Sac. Ro. Imp.*

Hocque libertatis nomen, ante dixerat ab ijs prætexi, qui alienum ſeruitium, & dominationem concupiunt, hanc libertatem, addit, tanquam recenter excogitatam aliam omninò eſſe ab ea, quam agnouit, & profeſſa eſt vetus, & pura Eccleſia, quæ vt nec græca, vnquam ea eſt vſa, hæcque congeruntur, & exaggerantur in inuidiam Pontificiæ Romanæ Maieſtatis, quæ liuorem ſemper punxit, & pungit, neque de dicterijs curandum, ſed ad rem.

Quam laudabilis ſit hæc libertatis Eccleſiaſticæ definitio, vel ex eo vno deſumi poteſt, quod tradita à poſteriori, & per effectus deficiens omninò redditur, cum non debuerit ad tres tantùm reſtringi, ſed omnes omninò complecti, & ità generaliter tradi, vt ſine vlla enumeratione omnes virtualiter contineat, qualem agnoſcere fas eſt ſupra traditam, licèt non profiteamur exactam, aut numeris omnibus abſolutam.

Libertas illa, qua poſſit agere Eccleſia iuxta leges, & mores ſuos, & ſua ſibi iura tam actiua, quam paſſiua tueri eſt Eccleſiæ ipſi connaturalis, & coæua, *quam proprio ſanguine ei dedit Dominus Ieſus Chriſtus*, dixere Patres Concilij Epheſini, licèt loquentes de libertate Eccleſiæ Cypriæ pro morum ſuorum libero, & integro vſu, eaque à ſui ortu ſemper competijt, vtcumque vſus pro vario eiuſdem Eccleſiæ ſtatu varius fuerit, & effectus pro vario tempore varij, pauciores, aut plures prodierint. Nam & libertas in homine ingenuo eſt ipſi connaturalis à ſui ortu §. 1. *inſtit. tit. de ingenuis*, quamuis pro ætatis diuerſitate non eoſdem ſemper producat effectus, neque enim per hoc aliam dixeris libertatem in puero, aliam in viro, aliam in ſene, neque per hòc libertatem qua vtitur homo ſenex aliam concludas ab illa, quam habuit puer, ſed vtiq; effectus alios, planèque diuerſos.

*Sup. cit. can. 8.*

Indeque quàm fallax ſit diſſerendi modus, facilè euincitur, dum tria tempora Eccleſiaſticæ libertatis diſtinguit citatus Anonymus primum ab ortu Eccleſiæ ad tempora Conſtantini Magni; ſecundum à Conſtantino ad Pelagium Summum Pantificem, & S. Gregorium Magnum eius ſucceſſorem, & tertium ab hoc ad Gregorium VII. ſub quo (dicitur) *& à quo hodiernæ libertatis Eccleſiaſticæ confirmata ſunt fundamenta, ac inſigniter aucta, & confirmata,*

*& ſu-*

*& ſubinde ſequenti æuo per varias occaſiones, & artes diuerſas amplificata*, & demùm concluditur poſteriorum ſæculorum libertati nihil fuiſſe commune cum illa priori,cuius Auctor Conſtantinus Magnus; ſic ergo tot libertates Eccleſiæ,quot tempora,quod quàm rectè,& quàm verè ſit dictum, non eſt cur oſtendamus, mox enim ſupra tradita ſatis loquuntur.

Iam igitur qualiter inceſſerit Eccleſiaſtica libertas per hæc ſpatia, & has ætates intueamur eodem auctore præmoſtrante,ſed breuiori ſtylo pro noſtro inſtituto,quàm eo, quo ipſe tractat.

A Chriſti Domini Aſcenſu propagata per Apoſtolos Eccleſia primis annis tercentis vſque ad Conſtantinum vagiebat infans Eccleſia in cunis non faſcijs circumligata, ſed perſecutionem vinculis vndique cincta habituali ſibi à conditore indita libertate gaudens, ſed quam exerere per actus ſibi connaturales non poterat ſine vitæ, & ſanguinis ſuorum ciuium diſpendio,& ſine aperto diſcrimine; affulſit lux de Cœlo, & Conſtantinus Cæſar Chriſti fidem ſuſcipiens ſoluit vincula Eccleſiæ,& vſum ſuæ libertatis non libertatem Eccleſiæ dedit,eamque ad quatuor capita redigit *Anonymus*, ad libertatem Religionis, immunitatem, quam vocat Iuſtinianus libertatem à publicis oneribus; exemptionem Eccleſiaſticorum à iudicijs ſæcularibus, & demùm auctoritatem de laicorum etiam cauſis cognoſcendi. Sint quidem hæc omnia, & actualem libertatem tunc dicemus adeptam Eccleſiam non habitualem, quàm habuit in ſui ortu à Chriſti ſanguine, factaque tunc Eccleſia, quæ erat in Republica, pars Reipublicæ, ſed pars alijs partibus excellentior, & longè ſublimior.

Religionis libertatem hæc ſunt conſecuta generaliter,facultas omnia exercendi,quæ ad religionem ſpectant; ſingulariter ius conueniendi ſine impedimento,& diſcrimine ad ſacras ſynaxes, & preces publicè fundendas ædes ſacras ædificandi, ſynodos cogendi, & diſciplinæ Eccleſiaſticæ exercendæ, & propagandæ,quæ vtcumque facerent Chriſtiani,tanquam ad religionem ſpectantia,non tamen faciebant liberè vinculis per vim remorantibus.

Mittit Anonymus duo prima capita conueniendi ad ſynaxes, & preces, ac ædificandi ſacras ædes, & ſe recipit ad libertatem ſynodos cogendi, hancque planè ignotam primæ illi ætati aſſerit, ſuſtinens acriter ſynodos omnes, & ſingulariter Nicęnam omnium primam, ſola Imperatoris auctoritate fuiſſe conuocatam,& peractam,vt inde euincat libertatem,qua modò gaudet, & quam ſibi aſſerit Eccleſia fuiſſe primæ illi ætati planè ignotam.

Verùm non eſt, cur circa huiuſce aſſerti veritatem,ſeu falſitatem moremur, cum iam ſatis hac de re ſit actum Tomo Primo huius Operis, vbi de Concilijs ageremus,& ſingulariter de auctoritate ea cogendi,ſeu conuocandi, eòque lectorem remittimus. Vnde percipiet, cuius ſit conuocare Concilia, dirigere, & præſidere,idque confirmatum intuebitur per ſingula Concilia pręſertim quatuor illa prima, quæ ſuſpicienda decreuit *S.Gregorius Magnus* tanquam quatuor Euangelia. *Lib. 3. c. 3. tract. 3.*

Secundum caput Eccleſiaſticæ libertatis in definitione aſſignatum examinabimus hoc ipſo tractatu,quem aggredimur de Eccleſiaſtica Immunitate, quatenus reſpiciat perſonas Eccleſiaſticas, & eius originem retegemus, cunctaque ad eam ſpectantia,Deo dante, promemus.

Tertium caput ex definitione reſpondet primò eiuſdem, quod vtrumq; imputat in odium Eccleſiaſticæ libertatis id,quod ſano modo acceptum, prò-

vt

vt decet, ac ex veritate eſt, omne odium, quoad pios, & fideles animos excludit. Ait enim definitio, quod *libertas Eccleſiaſtica eſt ius quodam primariè quidem Pontifici Romano adhærens, quo vniuerſi orbis dominium ipſi paratur*. Hoc dominium nemo, quod ſciam, Summo Pontifici, nedum tribuit, ſed nec excogitauit. Poteſtatem in eo agnouit ſemper, & agnoſcit fidelis quilibet, eamque ipſam, quam habuit Chriſtus Dominus in carne degens, & quam totam intenſiuè, & extenſiuè tradidit Petro, vt ordinariam, & in omnes ſucceſſores eius legitimos tranſmittendam, quæ poteſtas quòvſque ſe porrigat, & quæ attingat, & attingere poſſit, iam alias dictum, neque hic repetendum. Quidquid ſit de Chriſti dominio, de quo pluribus actum loco ſuo, at certè in Summo Pontifice poteſtatem aſſerimus non dominium omnium temporalium, quo nihil opus ad æternam fidelium ſalutem, & ad plenam Eccleſiæ adminiſtrationem, ſuumque dominium penès quaſcumque perſonas ſiue publicas, ſiue priuatas relinquit, vſurus poteſtate vbi neceſſariam ad finem ſui ampliſſimi muneris nouerit.

*Vid. Tom. 1. lib. 2. tract. 2. in Excurſu pag. 194.*

*Tom. 1. lib. 1. c. 7.*

*Tom. 1. lib. 2.*

Et ideò iuxta hanc normam ſunt dirigenda verba, quæ inuidioſè, & aculeatè ſunt adiecta definitioni, *laici verò ipſi ad omne obſequium redduntur obnoxij*. Ad omne ſanè obſequium, ſed quod debetur ſupremo capiti Eccleſiæ, & ſummo fidelium Moderatori ad æternam ſalutem, ſaluo ſemper obſequio illo, reuerentia, & obedientia, quam diuino, & naturali iure Principibus, quibus ſunt ſubiecti debent, & quam ſemper velle, & intendere ſaluam proteſtati ſunt Apoſtoli Petrus, & Paulus primi Eccleſiæ fundatores.

*Ep. 1. c. 2.*

*Epiſt. ad Timoth. c. 2.*

Vna igitur Eccleſiæ libertas, quam ipſi acquiſiuit Chriſtus, ſanguine ſuo, ipſique Eccleſiæ connaturalis, & ſecum nata; eadem ſemper qualibet eius ætate, & non alia ante Conſtantinum, alia ſub Conſtantino, alia poſt eum ad S. Gregorium Magnum ad Gregorium VII. & ab eo ad ſubſequens, & præſens æuum eadem ſemper licèt non eodem modo exercita, & ad actum perducta, ſicut cum homine ingenuo naſcitur ipſi libertas *d. §. 1. inſtit. tit. de ingen.* & tamen aliter vtitur ipſa puer, aliter vir, aliter ſenex, nec alia eſt, & alia, ſemper eadem.

Non à Conſtantino, aut alijs Principibus data, ſed liber eius vſus conceſſus, quem pro varia ætate variè exercuit, neque enim vires ſuas ſtatim exercuit, vt paſſim contra Barclaium aduertit *Bellarmin.* & ante eum *D. Auguſtinus ep. 48. ad Vincent.* ſed ſucceſſiuè prò vt ceſſarunt impedimenta, & Principes eius Nutritij obſequenter permiſerunt, ſibique conducere fuit viſum; tranſit ſubinde *Anonymus* poſt latiſſimam diſſertationem de ſynodis à Principe, & conuocatis, & confirmatis, & thema conſtuit in ea verba: *A ſententijs ſynodalibus appellabatur illis temporibus ad maiorem Synodum, vel ad Principem*, vt inde ſibi viam aperiat ad conuellendas appellationes ad Romanam Sedem, & ad Summum Romanum Pontificem. Hæc de libertate Eccleſiaſtica pro inſtituto ſcripſiſſe contenti rem à nobis aſſumptam proſequamur.

3 Iam ergo ad propoſitam terminorum partitionem redimus, qua diſtinximus immunitatem, libertatem, & exemptionem &c. ac de exemptione adnectamus.

Exemptio Eccleſiaſtica idem in re ſignificat, quod immunitas, & libertas ità, vt vox vna per aliam explicetur. At verò ſi ſubtiliùs expendamus, iam aliquid in exemptione detegemus, in quo à libertate, & immunitate differat; exemptio enim, vt aduertit *Suarez*, videtur eſſe

*In diſenſ contr. error. ſect. Ang. ic. lib. 4. c. 1. n. 10.*

Digitized by Google

eſſe magis facti, quam iuris, ac proinde magis effectum priuilegij, quàm priuilegium ipſum indicare immunitatis, & ideò dubitari meritò poteſt, num omnis exemptio per priuilegium conceſſa locis, rebus, aut perſonis Eccleſiaſticis intelligatur ad libertatem; aut immunitatem Eccleſiaſticam pertinere ità, vt qui exemptionem huiuſmodi violat cenſeatur in libertatem, aut immunitatem Eccleſiaſticam derelinquere? adeòq; incurrere in pœnas, aut cenſuras violatoribus Eccleſiaſticæ immunitatis conſtitutas; in cuius difficultatis reſolutionem notandum duplex eſſe poſſe huiuſmodi priuilegium, aliud enim poteſt eſſe generale Eccleſiæ conceſſum, vt Eccleſia eſt, & perſonis Eccleſiaſticis, vt tales ſunt, & hoc priuilegium ad immunitatem Eccleſiaſticam pertinere nemo ambigit ad effectum, de quo ſupra. Alia verò poteſt eſſe exemptio data ex priuilegio particulari alicui Eccleſiæ, dignitati, aut perſonæ Eccleſiaſticæ ſingulari eius intuitu, & de hac exemptione ambigitur, num ad Eccleſiaſticam immunitatem pertineat adeò, vt huiuſmodi exemptionem violans cenſeatur immunitatem Eccleſiaſticam temerare. Aſſerit *Rebuff.* & poſt cum *Card. Tuſcus* alios latiſſimè congerens, nec non *Io: Lupus* ea potiſſimum ratione, quod immunitas Eccleſiaſtica compræhendat omnia priuilegia Eccleſijs, & Eccleſiaſticis perſonis conceſſa, ità quod ad agendum contra libertatem Eccleſiaſticam ſufficiat agere contra libertatem vnius Eccleſiæ; nam ſtatuta priuata alicuius Reipublicæ, vt eumque tanquam Eccleſias tantùm illius territorij, ſunt tamen contra Eccleſiaſticam libertatem, quia in vna Eccleſia læduntur omnes, ſicut in percuſſione vnius Clerici totus Clerus iniuria afficitur, vnde nec Clericus ſingularis poteſt renunciare priuilegio fori, vtpote

*Ad concord: tit. de firm: & irreuoc. concord. Ballbil. Spen. verb. quaſo, quæ ſunt ſtatut.*
*Conc. 342 nu. 17. de liber. Eccleſ. caſu 12. & 16.*

non ſibi, ſed toti ordini Clericali conceſſo *c. ſi diligenti de for. compet.*

Verum in contrarium eſt alia ſententia, quod ſcilicet illa ſola exemptio pertineat ad Eccleſiaſticam immunitatem, aut libertatem, quæ prouenit ex generali priuilegio Eccleſiæ indulto, vel in honorem, & debitum cultum ſacri loci, vel ob dignitatem Eccleſiaſtici ſtatus, & clericalis ordinis, ità communiter ſcribentes. Vndè *Caietan.* obſeruat, quod ſi reſpiciamus ad pœnas, quæ infligendæ veniant violatoribus Eccleſiaſticæ immunitatis, non veniunt niſi exemptiones illæ quæ ex generali priuilegio competunt Eccleſiæ; ſi verò reſpiciamus ad culpam, quam ijdem violatores incurrunt, eiuſdem rationis dici poſſe violationem exemptionis alicui Eccleſiæ conceſſæ, cum violatione immunitatis Eccleſiæ generalitèr indultæ, quamuìs prior culpa non puniatur eadem pœna, ac poſterior, & ideò verè dici poteſt, quod exemptio alicui Eccleſiæ competens ex ſpeciali priuilegio, ſit immunitas quædam, & libertas Eccleſiaſtica, eſt enim liberatio ab onere, quam vox *Immunitas* generaliter ſignificat; verùm quià eſt conceſſa rei ſacræ, quatanùs ſacra eſt, ſicque, & religioſa, fit, vt violatio eius ſacrilega, & irreligioſa ſit, atq; adeò ſecundùm rationem formalem eiuſdem rationis, ac ſpeciei cum violatione immunitatis ex generali priuilegio competentis, & tamen iura non puniunt eadem pœna violatione immunitatis ex generali priuilegio, ac immunitatem ex ſingulari conceſſione, nec de hac loquuntur, quandò libertatem, & immunitatem vindicant, ſed de ea, quæ competit ex generali priuilegio, & in pœnalibus, ac odioſis ſtricta facienda eſt interpretatio, *reg. Odia. de reg. iur. in 6.*

*Ad c. nouerit. de ſent. excom. & ad Auth. Caſſa. c. de Sacroſanct. Eccleſ.*
*In ſumma verbo immunitates.*

Ideòque in vſu iuris nomine immunita-

nitatis Eccleſiaſticæ ſolæ exemptiones veniunt, quæ competunt ex priuilegio generali, ac proindè determinatio immunitatis (prout Eccleſiaſtica dicitur) reſpectum inuoluit ad Eccleſiam, prout vniuerſalis eſt, non particularis, non quidem quaſi debeat eſſe priuilegium conceſſum Eccleſiæ in omnibus membris ſuis; ſed vt tangat totam Eccleſiam pro illis membris, vel locis, qui huius immunitatis ſunt capaces: vndè nec eſt neceſſe ad violationem huius immunitatis, vt violenter in tota Eccleſia, etiam in omnibus eius membris, ſed ſatis eſt, vt violetur in vno, vel quolibet eius membro, cui ex vi generalis priuilegij competit, cum iniuria facta vni perſonæ contra generale priuilegium communitatis, & propter communitatem conceſſum, in totam communitatem redundat, tuncque eſt vera immunitatis violatio, quam leges puniunt. Hæc tamen dicta profiteor in ſola forma diſcurſiua, non enim ignoro Sacræ Congregationis Immunitatis ſe vtentium eſſe quid etiam de violatione iuris alicui Eccleſiç ſeu Monaſterio aut perſonæ ratione Eccleſiæ de priuilegio particulari competente, læſa dicitur immunitas, etiam ad effectum incurrendi cenſuras iuxta Decretum *Sacr. Concil. Trd. ſeſſ. 22. de reformat. c. 11. & Bulla in Cœn. Domini can. 17.* Hæc de exemptione prout ab immunitate diſtinguitur, aliqualiter, aliquanto fuſius. Terminis ſic declaratis ad partitionem materiæ accedamus.

6 Immunitas igitur generaliter ſumpta, aut reſpicit loca, aut res, aut perſonas, iuxta definitionem, quam tradit *del Bene*, vt ſcilicet ſit ius, quo loca, res, aut perſonæ Eccleſiaſticæ à communi onere, ſeu obligatione liberæ, & exemptæ ſunt, & quæ reſpicit perſonas adhuc duplex eſt, alia enim reſpicit iuriſdictionem, & dicitur fori, alia verò Canonis, prout tangit ſanctitatem perſonæ, quæ debet eſſe inuiolabilis; & de ſingulis partitè, ac diſtinctè agemus. Exordiemur autem ab immunitate locorum, quamuis enim nobilior ſit perſona ſacra, quàm locus ſacer, attamen inſtitutus ordo, qui ad tractatum immunitatis nos promouit occaſione ſacrorum locorum exigit, vt de eorum immunitate agamus primò, & vniuerſam hanc de immunitate locorum tractationem in tres ſequentes §. diſtinguemus.

*De immunit. eccl. ... dub. 1. num. ..*

## De Immunitate Sacrorum Locorum.

### §. I.

1 *Vnde eius origo, & quis vſus.*
2 *Examinatur aſſertio, quod primis quingentis annis Eccleſiæ fuerit ignota, & ab Imperatoribus inducta.*
3 *Inde ventum ad Canones, & ſacras conſtitutiones circa eandem, quæ recenſentur.*
4 *Cuius iuris ea ſit, Diuini, an Humani.*

SAcrorum locorum immunitatem tractaturi non aliunde aptiùs ducemus exordium, quàm ab eius origine, ea enim retecta ad plura, quæ ipſam eneruare videntur ex improborum peruerſa intentione, facilis patebit illatio.

1 Peruetuſta adeò eſt ſacrorum locorum immunitas, & tutum ad ea confugium, vt non immeritò ipſi religioni, & templorum erectioni coæuam dicere poſſimus, & non tam ex ſcripti alicuius iuris auctoritate, quàm ex naturalis rationis lumine cum ipſa humanitate, & religionis inſtinctu profectam, eo enim ipſo, quo Deum colendum, templa, & aras ipſi erigendas homines agnouere,

& immunitatem aris,& templis ſeruandam credidere, vt qui ad ipſa confugerent tuti numinis maieſtate extrahi, aut euelli,inde non poſſent impunè. Et hoc priuilegium templorum immunitatis græco nomine ἀσυλὸν fuit dictũ, quaſi ἀσυρὸν Seruio teſte, à verbo σύρω, quod eſt traho,eo quod inde quempiam auelli nefas eſſet, per lambdaciſmum litera ρ mutata in λ, & ab aſylo eſt ἀσυλία ideſt ius libertatis, & veniæ, quod quis apud aras conſequitur.

Vix ergo qualiſcumque aſſumpta religio,& ſtatim ius Aſylorum emerſit; nam nec barbaræ,& efferatæ gentes hoc ipſam ius ignorarunt, ſed immò impensè coluerunt. In Aſia enim,& in Græcia quamplurima fuiſſe Aſyla, habitamque maximam templis religionem refert *Tucidides*, & vtcumque ex hiſtoricorum monumentis conteſtatam apud omnes nationes templorum immunitatem habeamus; attamen vetuſtiſſimum hunc morem ex elegantiſſimo *Taciti* loco exhibebimus non alijs certè, quàm ipſius auctoris verbis reddendo. Is igitur Tiberij aſtum imperium ſibi firmantis deſcribens ſpecie aliqua auctoritatis Senatui relicta, ſic inquit. *Sed Tiberius vim Principatus ſibi firmans imaginem antiquitatis Senatui præbebat, poſtulata Prouinciarum ad diſquiſitionem Patrum mittendo, crebeſcebat enim Græcas per Vrbes licentia, atque impunitas Aſyla ſtatuendi. Complebantur templa peſſimis ſeruitiorum, eodem ſubſidio obærati aduerſum creditores, ſuſpectique capitalium criminum receptabantur.* Hicq; notat *Lipſius*. *Tribus ergo generibus hominum perfugium in Aſylis, ſeruis, obæratis, maleficis*. Proſequitur *Tacitus*. *Nec vllum ſatis validum imperium erat coercendis ſeditionibus populi flagitia hominum, vt cæremonias Deum protegentis. Igitur placitum, vt mitterent ciuitates iura, atque legatos; Et quidam, quod falſo vſurpauerant ſponte omiſere: Multæ vetuſtis ſuperſtitionibus, aut meritis in populum Romanum fidebant; magnaque eius diei ſpecies fuit, quo Senatus maiorum beneficia, ſociorum pacta, Regum etiam, qui ante vim Romanam valuerant decreta, ipſorumque numinum religiones introſpexit libero, vt quondam, quid firmaret, mutaretur*. Mox ad regerenda ſingulorum populorum fundamenta, quibus ſua Aſylorum iura tuerentur, deſcendit,& ab Epheſijs exorditur. Inde & alios diſtinctè proſequitur,qui eo excreuere,vt feſſi Patres rem ad Conſules remiſerint, *vt perpetuo iure, & ſi qua iniquitas inuolueretur, rem integram rurſum ad Senatum referrent*. Et demùm quid deciſum ſubdit. *Conſules ſuper eas ciuitates, quas memoraui apud Pergamum, Eſculapij compertum Aſylum retulerunt, cæteros obſcuris ob vetuſtatem initijs niti*. Demum recenſitis nonnullorum iuribus petitionemCretenſiũ ſubdit,ac S.Conſ. quæ in ea reprodiere, ait enim. *Petiere & Cretenſes ſimulacro Diui Auguſti. Facta Sen.Conſ quis multo cum honore modus tamen præſcribebatur, iuſſique ipſis in templis facere aras*. Corrigit ex Curtio Pichena appoſitè *Lipſius*, & legit *figere æra*, nempe voluit Senatus in ære ſculpi, & proponi hæc decreta, & has ſuas modificationes. *Sacrandam ad memoriam, neu ſpecie religionis in ambitionem delaberentur*. Hactenùs *Tacitus*, cuius locum integrum non reddidimus, fuſiſſimus enim eſt in regerendis populorum iuribus, quæ allegabant,& is eſt auctor, qui facilè haberi poſſit.

Iam igitur vna hæc *Taciti* auctoritas omnium inſtar erit, quas redditis gentium quam pluriũ honoribus circà ius Aſylorum recenſent Auctores grauiſ-

*Lib.1.Belli Peloponeſiaci.*

*Lib. 3. Annal.*

*Lib. 3. Annal.*

*Lib. 6. c. 25. tract. crimin. ſyntagm. iur. lib. 33 c. 21. de ſacror. immun. lib. 1. c. 15.*

uiſſimi *Decian. Tholoſan. Germon.* Ex ea enim perlecta, liquidò apparet, quot & quàm vetuſti populi, qui ab antiquioribus fermè vltrà memoriam ſe receperiſſe profitebantur ius aſylorum agnouerint, non alio certè, quàm rationis, & naturali lumine à Deo humanæ menti inditio, quod diuinum nemo inficietur, vndè, & huic ipſi acceptum ferendum ius aſylorum non immeritò inferre liceat.

Reſoluamus mente naturæ humanę primordia, & intuebimur ſacra loca ab omni humana, & profana poteſtate libera, & in iiſdem exiſtentem, vtique tutum non ſecus, ac in templo.

Locus enim in quo Deus alicui loquebatur, aut in quo inſuetum aliquid eius opus apparebat, habebatur pro Dei domo, & pro templo. Loquitur Deus Noè, & ibi erigit Noè altare, holocauſtum offert, & templum agnoſcit, nec abſimiliter Abraham, ſed & apertiſſimè Iacob, poſt viſum enim in ſomnis Deum, eumque alloquentem auditum; *Verè* (inquit) *Dominus eſt in loco iſto, & ego neſciebam, quàm terribilis eſt locus iſte, verè non eſt hic aliud niſi Domus Dei, & porta Cæli.* Moxque vncto lapide, quod capiti ſuo dormiturus ſuppoſuerat locum ſanctũ conteſtatur ſubdens. *Erit mihi Dominus in Deum, & locus iſte, quem erexi in titulum vocabitur domus Dei, cunctorumque, quæ dederis mihi, decimas offeram tibi &c.* Parum eſt ſic conteſtatum Iacob, niſi, & Deus ipſe verbo ſuo firmaſſet, loquitur enim Moyſi de rubo. *Ne appropies huc, ſolue calciamenta de pedibus tuis, locus enim, in quo ſtas, terra ſancta eſt*; Vndè, & Paradiſus in quem à Deo tranſlatus primus homo, & in quo loqutus, & operatus eſt Deus, locus ſacer, & ab omni poteſtate, præter vnius Dei, liber dicendus eſt; Liber in eum ſenſum, vt

*Geneſ. c. 8.* *c. 12.* *c. 28.*

à quo non poteſt quis extrahi, & abduci maximè ad ſupplicium, & mortem, ſine Domini ipſius loci licentia.

Et demùm poſt expulſionem Adæ à Paradiſo loca, quæ idem tenuit, ac incoluit Rex, idemque ſacerdos, æquè in eundem ſenſum fuere libera. Ideò poſt patratum à Cain eius filio fratricidio Deus ipſum expulit à loco, quem tenebat Adam, videnſque Cain ſe eiici à loco in quo naturali lumine ſe nouerat tutum, ait; *Ecce eiicis me hodiè, à facie Terræ, & à facie tua abſcondar, & ero vagus, & profugus in terra, omniſque igitur, qui inuenerit me, occidet me*, quaſi extrà locum immunem, vbi tutus degebam; quæ quidem piè, & rectè conſideranti ſacrorum locorum immunitatem cum homine natam dictant, & dictando confirmant. *Sup. c. 11.*

Naturalis luminis ductum probauit demùm diuina auctoritas literis exarata, ſtatuit, *qui percuſſerit hominem volens occidere mortem moriatur; qui autem non eſt inſidiatus, ſed Deus illum tradidit in manus eius conſtituam tibi locum, in quem fugere debeat.* Et Numer. c. 35. *Decernite, quæ vrbs eſſe debeant in præſidia fugitiuorum, qui nolentes ſanguinem fuderint, in quibus cum fuerit profuguus, Cognatus occiſi non poterit eum occidere, donec ſtet in conſpectu multitudinis, & cauſa illius iudicetur*: quæ repetita legimus *Deuteronom. c. 10. & Ioſue c. 20.* Parùm eſſet Deum legibus ius aſylorum probaſſe, niſi, & inter belluas hoc idem ius (fas ſit dicere) adumbraſſet; loca enim fuere (reficiente vbi ſup. *Deciano*) ad quæ ſi confugiſſent, quæ inſectarentur belluæ territæ maieſtate, ceù religione loci, dimitterent vlteriùs inſectari non auſæ. In Parthenio enim monte ſtabat Panos delubrum, vbi locus nomine Aula, quem Leones, & Lupi feras inſectantes, ſi illò confugerent,

*Exod. c. 21.* *Num. 11* *N. 3. in fin.*

rent,

rent, ingredi non audebant; idem feciſſe Cane, Dianæ Aetoliæ lucum verentes, nec ingredi auſi, vbi feræ eò ſe recepiſſent, & traditum ab Ariſtotele memorat idem *Decian.* in Montibus, quos Græci Merculas vocant: Græcorum hæc tribuantur commentis, at vel attegiſſe ab re non fuerit. Quanti apud Romanos ius aſylorum fuerit non inquiremus exactiùs, quandò Roma ipſa rerum Domina ab aſylo incrementi ſui primordia traxia, vt enim Cadmus Thebarũ conditor ſeruis aſylum aperuit, quo faciliùs Vrbem incolis repleret, ità, & Romulus Romam fundans, *vt Liuius, Plutarchus, Halicarnaſ. & Strabo* teſtantur, vndè elegantèr *Ouid.*

*Faſt. 3.*

*Romulus; vt ſaxum luco circumdedit alto,*
*Quilibet hùc (inquit) confuge, ſaluus eris.*

Vſum eſt obſeruantiam nemo reddet melius, quàm *Plautus* morum apud Romanos (dixerimus) ſpeculum; is ergo Trachalionem ſeruum exhibet Paleſtræ, & Ampeliſcæ mulieribus inter anguſtias ſuccurrentem, eaſque ſic affantem.

*In rudēt Act.3. ſcen.3.*

*Ne inquam timete, aſſidete hìc in ara. Ara plus iſtæc, quid ara.*
*Prodeſſe nobis plus poteſt, quàm ſignum in fano hìc intus.*
*Veneris, quod amplexæ modò, vndè abreptę per vim miſeræ?*

*Trachal.*

*Sedete hìc modò: ego hinc vos tamèn tutabor, aram habete hanc*
*Vobis pro caſtris mœnia, hinc ego defenſabo.*
*Præſidio Veneris, malitiam lenois contrà incedam.*

Nec pigeat addere deprecationem mulierum ius aſyli conteſtantium. Subdit enim.

*Ampliſ.*

*Tibi auſcultamus; & venus alma, ambæ ted obſecramus.*
*Aram amplectentes hanc tuam, lacrumantes genibus nixæ*
*Nos in cuſtodiam tuam, vt recipias, & fuere.*
*Illos ſceleſtos, qui tuum fecerunt fanum parui*
*Vt vlciſcare, noſque, vt hanc tuæ pace aram obſidere*
*Patiare &c.*

Huic affinè frequens illud ad ſtatuas Principis confugium, de quo idem *Tacit. Incedebant enim deterrimo cuique licentia impunè probra, & inuidiam in bonos excitandi arrepta imagine Cæſaris. Libertique etiam, ac ſerui patrono, vel domino cum voces, cum manus intentarent, vltro metuebantur.* Statuæ igitur, & ſimulacra Principum non ſecùs, ac Eccleſia ſecuritatem præbebant, & ad ipſas confugiendi mos erat, non ſolùm ſeruis *l. quis ſit §. apud ff. de ædilit. edic.* verùm etiam ingenuis euitandi metus cauſa, vt indicat *tex. in l. vnic. c. de his, qui ad ſtatuas confug.* Principes enim inſtar Deorum eſſe, dixit Caius Ceſtius apud *Tacit.* & quid ni tantus cultus Principis imagini exhibeatur, quando conſecrari eas conſueuiſſe, ac proinde exhibitas diuinis planè honoribus recipi à populis *inhiantibus*, vt loquuntur *Cæſares in l. 4. c. Theod. ne quid publicæ lætitiæ Nuntij.* Teſtatur *Gothofred. ad l. 4. c. Theod. de imaginib. Imperialib.* & cum adoratione præeuntibus cereis, & incenſis; cui quidem excedenti adorationis cultui occurrit *Theodoſ.* vni Numini relinquendum ſtatuens in *l. 1. c. Theod. de maginib. Imperialib.*

*Lib. 3. Ann.*

*Vbi ſup.*

Conſequens igitur omninò fuit, vt & ſtatuis, ac Principum imaginibus ius Aſyli, ac immunitatis concederetur. Iam ergo ex hucuſque relata ſerie inane omninò apparet inquirere originem huiuſce ſacrorum locorum immunitatis quam mores hominum ſolo luminis

naturalis,& rationis rectæ ductu reuerentiam hanc Numini in locis ipſi dicatis debitam agnouere, eamque eò iuſtiorem aſſerere debemus, quò Deus ipſe inter leges Iudaico populo præſcriptas recenſuit, ſeruandamque iniunxit tanquam Diuini cultus æquiſſimam partem. Quæ ſi gentium moribus, Iudæorum legibus obtinuit, & in ipſis naſcentis Eccleſiæ cunabulis obſeruatam credendum omninò eſt, neque enim imaginari poſſumus, fideles fraudata voluiſſe loca vero Deo dicata eo cultu,& ea reuerentia, quam exhibitam à gentilibus commentitijs eorum Dijs præſcriptam Iudaico populo non ignorabant,quamquam in proprijs animis Dei digito impreſſam, vt ſentiebant,ſic eam expungere, aut diſſimulare nullo modo poterant. *Signatum eſt enim ſuper nos lumen vultus tui Domine.* Pſal. 4.

2 Et ideò probari, aut admitti non poteſt Neoterici I.C.aſſertio, qui ſcripſit immunitatem Eccleſiaſticam reſpectu locorum fuiſſe priſcis fidelibus omninò ignotam. Idque ſibi conſtare ex eo. Credidit, quod(inquit) *ſi Chriſti fideles,ea tempeſtate, nulla ratione in Eccleſijs admittebant eos, qui cuiuſuis generis delicta publicè admiſiſſent,quanam ratione fieri poteſt,vt eoſdem contra lictores, & magiſtratus tuerentur in templis, à quibus perpetuò arcebantur?* Ea ſiquidem verba illa confundunt, quibus diſtinctis veritas ſtatim emergit. Aliud enim eſt priſcos fideles non admiſiſſe in Eccleſiam eos, qui cuiuſuis generis delicta publicè admiſiſſent, aliud eſt eoſdem ad Eccleſiam confugientes tutos eſſe voluiſſe. Illud enim Chriſtianæ religionis perfectio, & Eccleſiaſtica diſciplina docebat, vt ſic confuſi,& à cœtu fidelium, ac publico conuentu ſequeſtrati reſipiſcerent. Hoc verò loci ſanctitas, & inhabitantis Numinis maieſtas exigere iuſtè videbatur,

Pet.Sarpi. de iure aſyl.c.1. [illegible]

cum Eccleſiaſtica immunitas non in delinquentium fauorem, ſed in loci reuerentiam ſit inducta, neque enim ea intentione confugæ ad Eccleſiam tuti ſunt,vt ſcilicet delicta ſint impunita,vel quod Eccleſia delictis, & delinquentibus velit patrocinari,ſed vt Numini, & loco ipſi dicato reuerentia ſit ſalua, quam quidem ſaluam nationes omnes Dijs ſuis eſſe voluere, vt ex exemplis iam ſupra remiſſiuè inſinuatis ſatis conſtat. Sicut nec tranſire poteſt ſine cenſura dictum, quo parùm conſideratè idem Auctor caput primum operis ſui de iure Aſylorum exorditur. Ait enim *Totis quingentis annis poſt Chriſtum Ieſum natum, nullus eſt Eccleſiaſticus Canon.qui de hac immunitate decernat Imperatorum tantummodo legibus ſtatuitur,quarum ſex à Iuſtiniano in iuris ciuilis corpus relatæ ſunt.*

Vt quid enim erat opus Eccleſiaſtico Canone in eo ſanciendo, quod religio ipſa, & religione illuſtrata recta ratio inter gentes, & qualiſcumque religionis cultores per tot ante ſæcula obſeruabat? numquid deterioris conditionis eſſe debuerat vera religio; & magis ſtupidi veri Dei cultores, vt quod cæca gentilitas in ſuorum Deorum reuerentiam obſeruabat, ipſi obſequium non agnoſcerent, aut agnoſcentes non admitterent? Reuoluamus, & expendamus quinque ſæcula illa, quibus aſſeritur nullum Canonem de Eccleſiaſtica immunitate conditum,& conſtabit non quidem fuiſſe ipſam ignotam,ſed occaſionem defuiſſe,ob quam Canones huiuſmodi conderentur. Primum enim à quingentorum annorum ſpatio ſubtrahendi ſunt anni illi, quibus diuexata Eccleſia diris perſecutionibus, nedum caput erigere, ſed vix reſpirare potuit. Quamuis enim ſtatim à prædicata Chriſtiana fide cœperint erigi Eccleſiæ, & loca Diuino cultui deſtinata, vt aduertit

1. ad Corint. c. 2. Annal. 16. 1. Anno Christi 17. ueſtit ex *D. Paulo*, *Baron.* attamen vix eſt, vt tunc temporis de Eccleſiarum immunitate fas eſſet vel cogitare, quando nedum in perſonas Chriſtianorum ſæuiebant Imperatores, ſed & loca ipſa inſectabantur edicta fanciendo de ipſis demoliendis, quæ memorat *Euſebius* (Lib. 8. hiſt. c. 1. 2. 3.) ſub Diocletiani perſecutione, & de facto omnia eius iuſſu proſtrata, quæ à fidelibus in ampliorem etiam formam fuerant redacta, quomodo ergo potuit Eccleſiæ immunitas tunc obſeruari, cum Eccleſiæ ipſæ nec tutæ eſſent?

Neque vlli ſperari poterant Canones tunc cum vagiente adhuc in cunis Eccleſia Epiſcoporum generales conuentus haberi non poterant, cum & nondum Principes, nec Imperator ipſe, Chriſtianam fidem ſuſcepiſſent; & ideò à primis quingentis annis ſubducendi ſunt anni trecenti, & vigintiquinque, in quorum poſtremo celebrata fuit magna Nicæna Synodus trecentorum decem, & octo Patrum, quæ fuit prima generalis promouente, immò & interſſente Conſtantino Magno tunc imperante. Fuere quidem habita Concilia nonnulla ante Nicœnum, aut Ancyranum (Sub eod.) Anno Chriſti 320. ſub Syluestro Papa, vt & Nicœnum ipſum, Arelatenſe primum anno 310. ſub Melchiade, Eliberinum in Hiſpania ſub Marcello I. anno circiter 305. Laodicenum ſub Syluestro anno 318. Neocæſarienſe ſub eodem Syluestro anno 316. Romanum ſub Melchiade anno 313. Verùm fuerunt hæc omnia prouincialia, quibus fas non erat Canones condere pro vniuerſa Eccleſia, & circa immunitatem vbique ab omnibus ſeruandam. Non enim potuit Eccleſia ſtatim vires ſuas exerere, ſed paulatim, & ſucceſſiuè, prò vt occaſio ſe ſe offerret, ſicuti ſæpius aduerſus *Barclaium* notat *Bellarmin.* (Præcipuè c. 6.) ſubtractis ergo tercentis, & vigintiquinque annis, remanent centum, & ſeptuaginta quinque, in quibus nihil adhuc cautum ab Eccleſia circa ſacrorum locorum immunitatem, at ipſam tunc, aut non extitiſſe, aut fuiſſe ignotam inferri non poteſt; extitiſſe enim vnà cum veri Dei cultu neceſſarium omninò eſt, ſicuti iam ſupra allata euincunt, at fuiſſe in vſu aſſerere ſine teſtimonio non poſſumus. Nec mirum, praxis enim huius priuilegij cum Principibus ſæculi erat tranſigenda, & non conſentiente, aut reluctante Imperatore eius vſus non poterat ſperari, vt innuit *Concil. Tolet.* 12. c. 10.

Regerit *Baron.* ex *actis S. Syluestri*, (Annal. tom. 3. anno 324.) Conſtantinum Magnum poſt baptiſmum Romæ ſuſceptum per octo illos dies, quibus in albis extitit, diebus ſingulis plura in fauorem Eccleſiæ conſtituiſſe, & præcipuè quinta die *conceſſam eſſe* (ſunt *Baronij* verba ex actis prædictis) *ab eodem Imperatore immunitatem Eccleſijs, vt ad eas confugientes ſecuri in omnibus eſſent*. Vbi quod legitur *conceſſam eſſe* non ita accipiendum, quaſi ante non competeret, competebat enim ex vi Diuini cultus, & reuerentiæ Numini debitæ, at *conceſſam eſſe*, vt liberè eius vſus, & exercitium haberetur, nam & *prima die* dicunt eadem acta Syluestri, *Baptiſmi ſui hanc legem dedit, Chriſtum eſſe Dominum verum, qui ſe mundaſſet à lepra, & hunc ab omni Orbe Romano coli debere*. Quibus ſanè verbis Dei cultum conceſſum, qui non competeret, nemo dixerit, ſed vtique conceſſum liberum eius vſum, & exercitium. Nil ergo mirum, ſi per primos quingentos Eccleſiæ annos nulli legantur Canones circa ſacrorum locorum immunitatem, vnde nec malignè inferre licet, nullam omninò eo æuo fuiſſe, aut planè ignotam.

Non defuerunt qui dicerent, nullam extare conſtitutiuam Imperatoris legem circa ſacrorum locorum immunitatem.

tatem. Non extet quidem, at non conditam aſſerere ſine temeritate non poſſumus, quando acta antiquiſſima S. Syl-ueſtri ſupra citata teſtantur. Et vt deficiant Canones, non adſit primis illis temporibus leges, ac traditio Eccleſiaſtica declinari non poteſt ab Apoſtolorum ore, & auctoritate profecta, vnde meritò dixit *Suarez*, probabile eſſe cum ſolemni templorum dedicatione ipſam incepiſſe, & cum Principum conſenſu, ac pietate fœliciter propagatam fuiſſe; & obſeruabile maximè eſt, quod quamuis plures ſubinde proceſſerint Imperatorum circa immunitatem conſtitutiones, attamen non eæ ità conditæ, vt immunitatem largirentur, ſed vt iam competentem, & in abuſum vergentem moderarentur, & compeſcerent, vel meliùs fortaſſe declararent, vt dubietas aliqua emergeret. Et ideo non poſſumus non mirari callidam loquendi formam, qua auctor ſupradictus tractatum de iure Aſylorum exorditur; ait enim. *Totis quingentis annis poſt Chriſtum Ieſum natum nullus eſt Eccleſiaſticus Canon, qui de hac immunitate decernat.* Moxq; ſubdit quaſi Imperatorum conſtitutionibus ſit primitùs inducta. *Imperatorum tantummodo legibus ſtatuitur, quarum ſex à Iuſtiniano in iuris ciuilis corpus relatæ ſunt.* Verùm ſi attentè & ingenuè conſtitutiones iſtæ legantur, & conſiderentur, iam conſtabit immunitatem Eccleſiarum non ab ipſis inductam, ſed ſuppoſitam, vtcumque aliquo abuſu corruptam, & nimis excreſcentem, vt notauit *Gotbofred.* ea enim *l. 1. Theodoſius Magn.* modum Aſylo Eccleſiarum imponit, vbi de publicis debitoribus agatur, quos defendi à Clericis conſueuiſſe indicat, ius immunitatis Eccleſiaſticæ loco ſacro competens propugnantibus.

*De relig. tom. 1. lib. 3. c. 8. numero 2.*

*Ad l. 1. Theod. de his, qui ad Eccl. confug. in princ.*

Certum ſiquidem eſt, & ante eundem. Theodoſ. Magnum, paſſim obſeruatam fuiſſe Eccleſiarum immunitatem, & ius Aſyli, vel ex gentilium ſcriptorum teſtimonio *Zoſini*, & *Amiani Marcellini* exempla regerentium. Eandem moderatus eſt, & Arcadius Cæſar in ordine ad Iudæos, eiuſq; conſtitutio legitur in *l. 1. cod. Iuſtin.* & *in l. 2. Theod. de his, qui ad Eccleſ. confug.* Verùm & exceſſit idem Arcad. pridemque ſanctè cuſtoditam Eccleſiaſticam immunitatem violauit, conſtitutionem ſanciens directè ijdem contrariam. Suaſor eiuſdem condendæ fuit ipſi Eutropius Eunuchus, qui ad ſummam gratiæ Arcadij peruenerat, illeque ipſe eſt, quem oratione ſua iuſtè exagitauit *S. Io. Chryſoſtom.* & in eum lepidiſſimè inuectus *Claudianus*, ſceleſti conſilij auctorem, impiamque eius operam non alijs reddemus, quàm *Baronij* verbis. Is igitur hac de re ità ſcribit. *Violatum nempe fuit ab eo intemeratum hactenus ſacrum Eccleſiæ Aſylum, dum non ſolùm ad eam confugientes violenter abſtraxit, ſed & malus auctor extitit Arcadio ſanctionis ſacrilegæ conſcribendæ, qua iuberentur confugientes ad Eccleſiam extrahi.* Hactenùs *Baron.* proſtat conſtitutio in Theodoſ. cod & eſt *l. 3. c. de his, qui ad Eccleſ. canfug.* eiuſque tenorem, ne quid lectori deſit exhibebimus. Sic itaque ſtatuit. *Si quis in poſterum ſeruus, ancilla, curialis, debitor publicus, procurator, murilegulus, quilibet poſtremò publicis, priuatiſque rationibus inuolutus ad Eccleſiam confugiens, vel Clericus ordinatus, vel quocumque modo à Clericis fuerit defenſatus, nec ſtatim conuentione premiſſa priſtinæ conditioni reddatur Decuriones quidem, & omnes, quos ſolita ad debitum munus functio vocat, vigore, & ſolertia iudicantum ad priſtinam ſortem, velut manu mox iniecta reuocentur. Quibus vlteriùs legem prodeſſe non pati-*

*Lib. 5. pag. 783. Lib. 15. pag. 48.*

*Ann. 15. ann. 399.*

*patimur, quæ ceſſione patrimonij ſubſecuta Decuriones eſſe Clericos non vetabat. Sed etiam ij, quos œconomos vocant, (hoc eſt, qui Eccleſiaſticas conſueuerunt tractare rationes) ad eam debiti, vel publici, vel priuati, redhibitionem amota dilatione cogantur, in qua eos obnoxios eſſe conſtiterit, quos Clerici defenſandos receperint, nec mox crediderint exhibendos*. Ità conſtitutio quam quidem non eſſe abſolutam, & per ſe ſubſiſtentem conſtitutionem in commentar. ad eandem notat *Gotfred.* ſed eſſe partem Areadianæ vnius maioris conſtitutionis, cuius etiam eſſe partes aſſerit *l. 16. de pœnis l. 57. de appellat. & l. 33. de Epiſcopis eod. cod. Theod.* eaſque huic *l. 3.* coaſlandas idem *Gothofred.* cenſet, & eam totam eſſe conſtitutionem illam ab Arcadio de vetito ad Eccleſiam perfugio latam auctore Eutropio, cuius meminere Eccleſiaſticæ hiſtoriæ auctores, *Socrate, &* *Sozomen.* Verùm vix lata conſtitutio, & Deus ſtatim ad fuit vltor, euerſa enim Gainæ opera Eutropij fortuna, qui petijt ab Imperatore, vt malorum omnium auctor Eutrop. ſibi dederetur, vt in eum pro libito faceret, exauctoratus ab Arcadio omni dignitate, concitatiſq; in eum militibus, & vniuerſo populo, cum ſpei nihil adhùc ipſi ſuper eſſet, confugit ad Chriſtianorum Eccleſiam, cuius immunitatem, conſilio ſuo auctor factus legis, violauerat, vt ab ea præſidium obtineret, cuius prærogatiuam ſuperbè infregerat. Aderat tunc S. Io: Chryſoſtomus, qui inſœlicem in ſui tutelam aram prenſantem à furente populo protexit, nec permiſit indè abſtrhai à ſatellitibus, quàm adhibito ab Imperatore iureiurando, non ſinendum Eutropium ad necem Gainę. Extat feruida illa, & ex temporanea homilia, vel oratio, qua in Eutropium, & pro Eutropio diſertiſſimè declamauit miro eloquentiæ artificio.

Lib.6.c.5 Lib.8.c.7

In Eutropium enim quaſi inſultans exorditur veluti ex abrupto, *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas*; ſingula exprobrat, in quibus argui poterat Eutropius, & concludit. *Eccleſia à te hoſtilitèr habita expanſo ſinu te ſuſcepit; Theatra autem magnis obſequijs à te culta, quorum cauſa nobis ſepiùs infenſus fuiſti, & prodierunt te, & perdiderunt. Attamen nunquã deſtitimus biſce verbis alloqui, cur iſta facis? In Eccleſiam de baccharis? Et te ipſum inexitium præcipitem agis? & tu hæc omnia monita neglectim prætercurrebas: & Circenſis quidem multitudo exhauſtis in ſe tuis facultatibus gladium in te acuit; Eccleſia verò tuo furore exagitata vltrò; citròque curſitat, ſi quò pacto te ex his caſibus implicitum extricare queat*. Inuectiua expleta ſe ipſum excuſat, & pro Eutropio orat, ea facundia, eaque vi, quæ non niſi ex oratione ipſa intelligi poteſt; quæ planè digna eſt, quæ legatur, & per legatur; diuino enim afflatùs ſpiritu ſe ipsũ ſuperauit Chryſoſtomus, & populũ exardeſcentem in Eutropiũ, eumque ad mortem poſcentem leniuit, ad lacrymas compulit, & ità conuertit, vt pro vita Eutropij intercederet, ac Imperatorem deprecaretur, impetrauitq; fœlicitèr, vt mors in exilium commutaretur eo relegata in Inſulam Cypri. Tanti fuit eloquentia charitate inflammata! quæ & reum protexit, & immunitatem Eccleſiæ fortiſſimè propugnauit.

Huiuſce legis obtentu inductos credimus Africanos Patres Concilij Carthaginienſis quarti, vt legationem ad Honorium mitterent, qua pro conſeruanda Eccleſiarum immunitate deprecarentur, ſic enim ipſi, *vt pro confugientibus ad Eccleſiam quocumque reatu inuolutis legem de glorioſiſſimis* Can. 56. cod. Can. Eccleſ. Afric.

*Principibus mererentur, ne quis eos audeat abſtrahere.* Ex quo Carthaginienſis Concilij decreto arguere quiſpiam contendit, ſecularis principis adcò eſſe de immunitate Eccleſiaſtica ſtatuere, vt hanc ipſam facultatem agnouerint, & Africani Patres, & ad Imperatorem, non ad alium recurrendum cenſuerit; At legis conditæ ſupra reddita hiſtoria veritatem detegit, ac neceſſitatem recurſus, non legitimam auctoritatem euincit; huc que ſpectare cenſuit *Baron. l.34. c.Theod. de Epiſcop. & Cler.* qua ità cautum ab *Arcad. & Honor.*

*Si Eccleſiæ venerabilis priuilegia cuiuſquam fuerint vel temeritate violata, vel diſſimulatione neglecta commiſſum quinque librarum auri (ſicut etiam prius conſtitutum eſt) condemnatione plectatur. Si quid ergo contra Eccleſias, vel Clericos per obreptionem, vel ab hæreticis, vel ab huiuſcemodi hominibus fuerit contra leges impetratum huius ſanctionis auctoritate damnetur.* Spectare ad legationem prædictam Concilij Carthaginienſis colligit *Baron.* ex epigraphe, ſeu legis inſcriptione, quæ eſt, *idem Sapidiano Vicario Africæ*, occaſionemque præbuiſſe legationi, adeòque & conſtitutioni factum maſcetzilis Africani Ducis Fratris Gildonis, qui anno præcedenti 398. immunitatem Eccleſiaſticam violauerat, aliquos ab Eccleſia abſtrahendo, quique Diuinam vltionem, ideò expertus eſt. Vtcumque nitatur *Gothofred.* immò non ſpectare, ex eo præſerrim, quod loquatur de priuilegijs, quorum appellatione venire tantum immunitatem aſſerit à muneribus extraordinarijs, & ſordidis, non autem ad Aſyli Eccleſiaſtici rationem, quod priuilegij nomine non veniat, cum Aſylum nullum Eccleſiarum commodum contineat, cum tamen ſi non commodum ſenſibile, decus certè, & cultum reſpiciat, qui quodammodò, & quatenùs Eccleſia materialis capax eſt, priuilegium inuoluit. Præterquamquod non ſine re conſtitutio *Eccleſias, vel Clericos* exprimit, ac condiſtinguit, vt ſcilicet ſalua cuique ſua iura reſpectiuè, ſeu priuilegia indicet; neque enim immunitatem ſacrorum locorum dici priuilegium inconuenit, cum certè ſit ius ſingulare, nec alijs locis commune *Can. priuil. 3. diſt.*

*Ad d. l. 34.*

3 Demùm conſtitutionem Arcadij de abrogando Eccleſiarum Aſylo reuocatam ab eodem Arcadio poſt damnatum Eutropium ſcribit *Sozomen.* quamuis nimis liberalitèr dictum ab eodem *Sozomeno* velit *Gothofred.* attamen dicto celebris, ac probati hiſtorici, quàm coniecturis eſt deferendum. Inducta, & ampliata Eccleſiarum immunitas, vt proceſſu temporis pro caſuum, & locorum diuerſitate variè agitari cœpit, ità varij ſucceſſiuè manarunt ſacrorum Conciliorum Canones, Sanctorumque Patrum decreta, quæ eandem in dies magis, ac magis confirmarent, eiuſque obſeruantiam vrgerent. Quæ quidem decreta in rapſodiam ſuam tranſtulit *Gratian.* & quæ excurrere, ac referre ſaltem non pigebit.

*Hiſt. Eccl. lib. 8. c. 7.*

*Ad eandem l. in fin.*

Primò enim Nicolaus Papa huius nominis Primus excõmunicat, qui ſtatutos Eccleſiæ fines aliquid intra eos extrahendo temerauerit, & eſt *in Can. ſicut antiquitus 17. q. 4.* D. Auguſtinus acriter reprehendit Bonifacium, eique communionem interdicit, quod hominem de Eccleſia rapuiſſet *Can. miror 17. quæſt. 4.*

Carolus Magnus in Capitularibus ſuis. *Reum confugientem ad Eccleſiam nemo abſtrahere audeat, neque inde damnare ad pœnam, vel ad mortem, vt honor Dei, & Sanctorum eius conſeruet. & eſt in Can. Reum ead. cauſ. & quæſtione.*

*Lib. 5. c. 90.*

Gela-

Gelaſius Papa I. excludendum ab ingreſſu Eccleſiæ decernit illum, qui aliquem de Eccleſia violenter rapuerit fuſus ſatis eſt Canon, & habetur in *c. frater* 17. *q.* 4. eiuſque Epiſtola eſt directa ad varios nonnullos Epiſcopos, vt ex Epigraphe tex.

Idque ipſum in Epiſcopos expreſsè ſancitur ab eodem *Gelaſio in Can. ad Epiſcopos immediatè ſequenti*. Qui nec minus & ſeruis conſuluit ad Eccleſiam præ metu Dominorum confugientibus, iuſſit enim, vt præſtita ſecuritate reſtituantur Dominis *Can. metuentes ead.* 17. *q.* 4. idemque in *Can. vxor ſequenti* de obligatis ad ratiocinia cauetur; Pontificum ſtatutis conſimilia accedunt Conciliorum decreta. *Ilerdenſe* enim voluit, vt nullus Clericorum ſeruum, aut diſcipulum ſuum fugientem ad Eccleſiam diſtrahere audeat, vel flagellare præſumat. Quod ſi fecerit, donec dignè pœniteat à loco, cui honorem non dedit, ſegregetur in *c. nullus* 19. *ead.* 12. *q.* 4. *Triburienſe*, ſiquis fugientem ſeruum ſuum, vel quem ipſe perſecutus fuerit de atrio Eccleſiæ, vel de porticibus quolibet modo Eccleſiæ adhærentibus per vim abſtraxerit pro immunitate nongentos ſolidos Epiſcopo componat, & ipſe publica pœnitentia iudicio Epiſcopi mulctetur *c. ſi quis contumax eod. Toletanum* 12. certos limites pro immunitate præſcripſit, & ad triginta paſſus in circuitu cuiuſcumq; Eccleſiæ aſſignauit. *Siquis autem hoc decretum tentauerit violare, & Eccleſiaſticæ excommunicationi ſubiaceat, & ſeueritatis regiæ feriatur ſententia c. diffiniuit ibid.*

Demùm *Concilium Aurelianenſe I.* conſtituit, *vt ab Eccleſiæ atrijs, vel domo Epiſcopi reos abſtrahere omninò non liceat, ſed nec alteri conſignare, niſi ad Euangelia datis Sacramentis de morte, & debilitate, & omni pœnarum genere ſint ſecuri, ità vt ei, cui reus fuerit criminoſus de ſatisfactione conueniat Can. Id. conſtituimus* 17. *q.* 4.

Quæ quidem Conciliorum decreta varijs temporibus condita fuere, prout proceſſu temporis ſacrorum locorum reuerentia ab improbis hominibus temerabatur, quibus occurrendum nouere, vt Eccleſiaſtica diſciplina in hac parte etiam pro Dei cultu ſpectanda ſarta tecta ſeruaretur. At verò quia in progreſſu noui ſemper caſus emergunt, ideò conſultus Innocentius III. à Rege Scotiæ eidem reſcripſit, *iuxta ſacrorum ſtatuta Canonum, & traditiones legum ciuilium* diſtinguendo, an liber homo ſit, qui deliquit, an ſeruus. Si liber, quantumcumque grauia delicta perpetrauerit, non eſt violenter ab Eccleſia extrahendus, nec inde damnari debet ad mortem, vel ad pœnam, ſed Rectores Eccleſiarum ſibi obtinere debent membra, & vitam. Super hoc autem, quod iniquè fecit, eſt aliàs legitimè puniendus. Excipit ſubinde tria delinquentium genera, de quibus in *tex.* & eſt in *c. inter alia de immunitate Eccleſ.* & quia dubitatio aliquando emerſerat, an Eccleſia non conſecrata, in qua tamen celebrabantur Diuina Myſteria, immunitate gaudeat? Ideò *Gregor. IX. in c. Eccleſiæ de immunitate Eccleſ.* non adimi priuilegium immunitatis huiuſmodi Eccleſiæ reſcripſit. Cui tamen immunitati non adeò fauendum voluit, vt ſi quis ſub ſpe immunitatis in Eccleſia, vel eius cœmeterio non veretur homicidia, ſeu mutilationes membrorum committere immunitatis priuilegio gaudere debeat; non enim dignus eſt priuilegio, qui abutitur priuilegio, *cap. immunitatem ſequenti* idque ad hæreticos etiam extendit Ioannes XXII. *in Extrauag.* & diſpoſitionem præfati textus in *cap. immunit.* innouauit Greg. XIV. *in ſua Conſt.* 7.

4 Sunt hæc potiora iura, quæ ſucceſſiuè circa Eccleſiaſticam immunitatem ſacrorum locorum prodiere, cuius origine, ac progreſſu retecto iam inane credimus inquirere, ac diſceptare, quo iure hæc ſacrorum locorum immunitas ſit introducta, cuiuſue iuris ea ſit; num diuini, num humani; ſat fuerit iuxta inſtitutum opinionum diſſidium proponere, ac citra exactam diſceptationem rem declarare.

Eſſe meri humani iuris cenſuit *Pater Suarez* ea potiſſimum conſideratione; aut enim eſſet à iure diuino naturali, aut poſitiuo. Non naturali, quia non eſt per ſe, & intrinſecè malum hominem delinquentem ab Eccleſia extrahere per vim, cum enim non fiat formali, & directa intentione hæc abſtractio in contemptum, vel irreuerentiam loci ſacri, ex vi ſolius operis non eſt irreuerentia, ac contemptus, & ideò in certis caſibus, quibus non eſt vetitum, hæc ipſa abſtractio impunè fieri poteſt, indeque arguere concludenter licet, quod extrahere ſontem de templo non eſt prohibitum, quia malum, ſed malum, quia prohibitum in caſibus interdictionis, hocque eſt veriſſimum indicium poſitiui iuris; ſummaque ratio omnium ea videtur, quia actio huiuſmodi extrahendi delinquentem per ſe iuſta eſt, nec indecens in eo loco, præcipuè ſi ſit neceſſaria; nec demùm locus ipſe ex vi conſecrationis ſuæ habet peculiare ius tuendi ad ſe, vel in ſe confugientes, niſi ab aliquo poteſtatem habente concedatur, & nullum poteſt ex ſolo iure naturæ aſſignari principium, vnde conſtet illi eſſe conceſſum hoc priuilegium. Demùm non eſt à iure Diuino poſitiuo, quia aut eſſet à lege veteri, aut à lege noua, ſeu lege gratiæ. Non à lege veteri, quia eſto, quod fuerit conceſſum veteri lege legali tabernaculo, attamen non licet extendere de caſu ad caſum *c. ſanè de priuileg.* præcipuè cum ius huiuſmodi eſſet tunc temporis merè cœremoniale, quod reddita lege inutili euanuit, nec vim ſibi vindicat in lege noua.

*De relig. to. 2. lib. 3. c. 7. n. 9.*

Tandem, quod nec ſit à iure diuino poſitiuo legis gratiæ, facilè euincitur. Cum tale ius nec ſit ſcriptum, nec ab Apoſtolis, aut Sanctis Patribus traditũ, Chriſtus enim Eccleſiæ ſuæ, non alia tradidit præcepta, quàm fidei, & ſacramentorum; nec vlla cæremonialia præſcripſit niſi ſubſtantiales ritus ſacrificij, & Sanctorum ſicque cum præciſus non aſſignaretur fons (vnde hoc priuilegium proceſſerit) iam iuris diuini dici non poteſt.

At è contra iuris diuini eſſe placuit *Ioanni Igneo, & Anaſtaſio Germon.* vbi, & teſtatur communitèr recipi à ſacri iuris Interpretibus; & veriſſima eſt ſententia; cum præcipua ratio, propter quam locis ſacris hæc conceditur immunitas, alia non ſit, quàm Dei cultus, & in Diuinam maieſtatem reuerentia, quæ tunc planè exhibetur, cum reus homo ſecurus redditur dum confugit ad Eccleſiam, ac in ea moratur, vt inde extrahi non debeat; vnde quo iure Deo reuerentia debetur, eodem & ſacris locis immunitas; præcipuè cum non adeò facilè poſſit aſſignari diſcriminis, & differentiæ ratio, propter quam Clericorum perſonæ iure Diuino ſint exemptæ, loca verò non item; Verùm Clericos eſſe exemptos diuino iure oſtendemus loco ſuo; vt cumque enim *D. Thomas* dicat Clericos eſſe exemptos ex priuilegio Principum ſæcularium, ſtatim explicat, quod id æquitatem naturalem habeat, & ſic quod ſint exempti etiam iure diuino naturali, ſeù poſitiuo iure, Diuino naturali dictante, quale dictamen in aſyli iure excludere non poſſumus, quandò tot proſtant eiuſdem æquitatis veſtigia iàm ſu-

*Ad l. 1. in pr. ff. ad Syllan. De ſacr. immunit c. 16.*

*C. 13. Ad Roman. lec. 1.*

ſupra à nobis recenſita. Et quamuis in Euangelica lege, hæc immunitas non legatur, & ideò nec iuris diuini poſitiua eſſe dici poſſe videatur, attamen ſat eſt, quod in veteri lege à Deo tradita ea fuerit agnita, dum ipſa cautum, vt ab altari nullus ad punitionem criminis abſtrahi poſſit, & licèt veteris legis obſeruatio, & auctoritas per aduentum Chriſti, & Euangelij promulgationem expirauerit, vt inquit *Apoſtolus*, attamèn ceſſarunt quidem cęremonialia, & Iudicialia, vt moralia non item; at verò lex de immunitate templi iudicialis quidem non eſt, at nec cęremonialis, moralis verò vtique, ideò ceſſare non debuit, vndè non excluſa expreſſè in lege noua, & aſſiduè ſeruata repetita intelligitur; & eſto quidem, quod non ſit iuris Diuini poſitiui, at erit iuris Diuini naturalis quandoquidem ratio, & æquitas naturalis, naturæque lumen dictat reuerentiam hanc ſacris locis habendam, & diuino cultui dicatis eo modo planè, quo Clerici exempti à Magiſtratuum ſęcularium poteſtate ſunt priuilegijs quidem Principum (qua de re infrà ex profeſſo, & exactè tractabimus) at quia hæc exemptio rationi omninò eſt conformis, & æquitatem naturalem inuiolauit, indè eſt, quod exempti iure diuino naturali dicuntur, vt obſeruat *D.Thom.* Idemq; appoſitè dici poteſt de Sacrorum locorum immunitate, vt cum ratio naturalis, Diuinumque lumen homini inſitum eam omnibus cuiuſcumque religionis fecerit communem, iam à iure Diuino naturali profectam ſuffragante humano iure poſitiuo aſſerere poſſumus, & meritò *Sac.Conc.Trid.Seſſ.* 25. *de reformat.cap.*20. determinauit hanc Eccleſiam, & perſonarum Eccleſiaſticarum immunitatem Dei ordinatione, & Canonicis ſanctionibus conſtitutam fuiſſe.

*Ad hebraeos c.7.*

*C.13. ep. ad Rom. lect.1.*

Neque admittimus non eſſe per ſe, & intrinſecè malum hominem per vim à loco ſacro abſtrahere, hoc enim nunquam, nec vllo caſu liceret. Vnde non poſſit dici immunitas à iure Diuino naturali, nam ſtare poteſt, vt quid ſit per ſe, & intrinſecè malum, & tamen aliquo caſu licitum, nam ex doctrina *D.Thomę* ſunt aliquæ actiones humanæ, quæ deformitatem habent inſeparabiliter adnexam, & nullo modo poſſunt honeſtari, vt adulterium, fornicatio; aliæ verò ſunt actiones, quæ continent quidem deformitatem, aut inordinationem per ſe, attamen periſtaſes, & circumſtantiæ ſuperuenire poſſunt, quæ actionem ipſam honeſtent. Exemplum dabimus in homicidio, quod quidem eſt per ſe, & intrinſecè malum, idemque Decalogi præcepto vetitum, *Non occides*. Et tamen, ſi fiat homicidium, aut à priuato homine ad neceſſariam ſui defenſionem cum moderamine inculpatæ Tutellæ, aut à publica manu, & auctoritate licitum eſt, nec occidenti imputatur, adeòque nec malum. Idem ergo, & de ſacrorum immunitate ſentiendum. Extrahere enim reum ab Eccleſia abſolutè malum eſt. Attamen eæ adeſſe poſſunt circumſtantiæ, quæ ſuadeant immunitatem, tunc non eſſe iuſtam, & ideò eam non ſeruare non eſt malum. Poteſt igitur eſſe, immunitatem iuris Diuini naturalis, & tamen extrahere reum confugientem eſſe licitum, quià caſus is ſit, qui immunitatem, & eius obſeruantiam non mereatur, quo caſu immunitas non eſt permiſſa; nil itaque impedit. Immunitatem ſacrorum locorum eſſe à iure diuino naturali, & aliquandò licitè, & iuſtè eam non ſeruari. Neque eſt cur obijciatur, & nullibi ſacrarum literarũ, aliquod veſtigium Eccleſiarum immunitatis legi; nam (*ex Auguſtino*) quod ſeruatur in Eccleſia, nec obſeruationis aliquod exhibetur initium, & tamen pari-

*Quodlib.9.q.7.art.15.*

*D.Thom.1.2.q.1.n.3.ad 3. D. Auguſtin. de Ciuit. Dei lib.1. cap.22.*

pariformiter cuſtoditur traditio Eccleſiaſtica dicenda eſt, quam Apoſtoli à Chriſti Domini ore hauſerint, quo caſu immunitatem ſacrorum à traditione Apoſtolica expoſitam iuris Diuini, & poſitiui aſſerere poſſumus. Ac proinde (quodcumque eius adſtruamus initium) cum reſpiciat Dei cultum, ac reuerentiam, quam omninò debitam natura clamat, fauorabile maximè cenſendum eſt priuilegium, adeòque ampliandum benigna potiùs interpretatione, quàm reſtringendum, ſed cum eo moderamine, quod æquitas ex prudentia dictat. Neque enim in inuidiam trahenda eſt Eccleſiaſtica lenitas, aut ſcribentium pietas, quaſi tuendo, & ampliando priuilegium velint delictis patrocinari, ac Eccleſiam ipſam reddere ſpeluncam latronum, quod Chriſtus ore ſuo abominatus eſt; at ita volunt reuerentiam per immunitatem ſacris locis ſaluam, vt non ſubuertatur iuſtitia, neque enim omnibus criminibus præbet refugium, ſed plura, eaque certa ſunt excepta, & in non exceptis immunitatem quidem tuetur ſed ita, vt iuſtitia obtineat, nec Eccleſia vnquam in necem, & ſanguinem conſentiat. Ideò circa immunitatem generaliter hucuſq; verſati iam ad ſingularia deſcendamus. Videmuſque primò quænam ſint loca, quæ immunitate gaudeant, ſecundò quænam perſonæ, & pro quibus delictis, quænamque cenſeantur excepta; & tandem quid circa abſtractionem ipſam à ſacro loco, quo caſu Reus immunitate non gaudeat, faciendũ, ſi quid ſeſe obtulerit conſiderandum expendemus.

*Del Bene de immunit. c. 1. dub. 2. sect. 1. num. 55.*

## De Locis, quæ immunitate gaudeant.

## §. II.

1 *Quibus legibus locorum immunitas iudicanda.*

2 *An Eccleſia non conſecrata gaudeat; quid de interdicta, polluta, diruta.*

3 *Quid de Cœmeterio, atrio, foribus.*

4 *Quid de Hoſpitali, Oratorio, Sacerdote Euchariſtiam geſtante.*

5 *An de ſolo ambitu parietibus concluſo immunitas intelligatur.*

6 *Quid de Palatio Epiſcopi, & Cardinalium.*

7 *De Monaſterijs, & Religioſorum domibus, de conſtitutione Greg. XIV. relatiuè.*

8 *De illicitis fieri in Eccleſia vetitis.*

1 TRactationem hanc aggreſſuri præmittemus in materia, & tractatu immunitatis Eccleſiarum rem totam decidendam eſſe, etiam apud Iudices ſæculares, per iuris Pontificij decreta, & ſtatuta potiùs, quam per iuris ciuilis ſanctiones, reſpicit enim hæc materia reuerentiam, & cultum locis ſacris debitum, quorum tutela ad Pontifices, & Eccleſiæ Prælatos pertinet, & ideò eorum leges profanis conſtitutionibus præferendæ ſunt, prout cumulatis ſcribentium auctoritatibus firmat, vbi ſupra *Couar.* quorum opinio (inquit) communis eſt, ac omninò tenenda contra diſſentientes, quos ibidem regerit.

*Sarpio n. 4. in pr.*

2 Poſito igitur tanquam extra omne dubium, quod Eccleſia vtpote locus Diuino cultui addictus immunitate gaudeat, hoc ipſum ita interpretabimur, vt intelligamus non ſolùm de Eccleſia, quæ ſit conſecrata, ſed & de illa, quæ conſecrata non ſit *c. Eccleſ. de immunit. Eccleſ.* & quamuis *Gloſ.* ibidem ſentiat, id demùm obtinere, quatenus in ea Diuina officia iam celebrentur; attamen communis ſcribentium conſenſus demùm euicit, Eccleſiam Epiſcopi auctoritate erectam gaudere nihilominus priuilegio, quamuis non conſecratam, nec

nec in ea fuerint celebrata Diuina Officia, vt poſt alios *Anaſtaſ. Germon.* vtcumque *Couar.* conſuetudinem hac in re maximè attendendam cenſeat,& cauendum attentè moneat, ne hoc æuo Canones extendamus, vt perditi homines à criminibus deterreantur, in quæ facilè corruunt freti ſacrorum locorum immunitate,quæ fuit cauſa, vt Prælati in aliquibus Vrbibus immunitatem admittant pro ijs Eccleſijs tantum,in quibus ad publicam venerationem Sacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum aſſeruatur aſſiduè. Laudandus ſanè in crimina zelus, non tamen probanda opinio vtpote contraria decretis Sacræ Congregationis Immunitatis.

*De Sacr. immun. lib.3.c.16 nu.22.in fin. Barboſ. iur. Eccl. lib.2. c.3 n.59. Vbi ſup.*

Qua eadem interpretatione fiet, vt etiam ſi Eccleſia ſit interdicta, nihilominus immunitatis prærogatiua gaudeat,vt ad *d.c. Eccleſiæ de immunit.Eccleſ.* notant communiter ſcribentes, alijque ad praxim de materia tractantes quos congerit latiſſimè *Barboſ.* qui cum *Suarez* ampliat ad Eccleſiam licèt pollutam,immò & dirutam, ac deſtructam etiam ſine auctoritate Superioris, dum tamen ſpes refectionis adſit, cum *Clar.Farinacc. & alijs.*

*D. lib. 2. c.3.n.60. Lib.3.c.9 num.6.*

3 Neq; ſoli Eccleſiæ conceditur hoc immunitatis priuilegium, ſed & Cœmeterio, ſiue Eccleſiæ proximo, & adhærenti, ſiuè diſiuncto, & ab ea diſtante, dum tamen auctoritate Epiſcopi ſit definitum, & ſacratum, *c.cum Eccleſia de immunit.Eccleſ.* nàm vt rectiſſimè conſiderauit *Anaſt. Germon.* Cœmeteria conſecrantur ità, vt religioſa ſint, non ſolùm per humani cadaueris illationem, ſed, & per propriam, & peculiarem conſecrationem,& rituum: *C. vn. de conſecr.Eccleſ.vel altar.in 6.* vnde interdicta Eccleſia, & Cœmeterium interdictum cenſetur, *c. ſi Ciuitas 17. de ſent. excomm. lib. 6.* ac proindè pari cultus, ac venerationis dote gaudere debet; idemque cenſendum de atrio, ſeù porticu Eccleſiæ contiguo, & adhærente, *c. ſi quis contumax. 17. q.4.*& approbant *Menoch. & Farinac.* intelligentes de porticu Eccleſiæ priuato quæ proptèr proximitatem pars ipſius Eccleſiæ cenſetur, nec minùs de foribus, & ianuis Eccleſiæ, ſi ſaltem manibus tangantur, quo caſu ſint clauſæ, vt à Sacr.Congregatione deciſum teſtatur *Farinac.* De hoſpitali dubitatum, & immunitate gaudere ſentiunt Auctores quam plures apud *Barboſa*, dum tamen auctoritate Epiſcopi ſit erectum; idemque de Oratorio publico ſentiunt eadem auctoritatè conſtructo, *Hoſt. Io. And. Ancharan. Butr.*

*S. fin. q. 30. verſ. manus dubium n.6 Tract.de immun. n.69.*

*De arbit. iud. caſ.95.n.110. Farinac.nu. 268.*

*Vbi ſup.n.80*

*Vbi ſup.n.67.*

*Ad cap. inter alia de immunit.Eccleſ.*

4 De Hoſpitali congruit per appoſitè Leonis,& Anthemij Imperatorũ conſtitutio, *in l. omnia priuilegia c. de Epiſc. & Cler.* qua indultum, vt omnia priuilegia, quæ competunt Eccleſijs, hoſpitalibus etiam communicata intelligantur; de oratorijs vero adimit omne dubium, quod auctoritate Epiſcopi ſint conſtructa, quià hæc ratio facit,quo minùs valeant ad priſtinos vſus reuocari; cum enim locus auctoritate publica, & legitima ſit ad Diuinum cultum translatus, non poteſt pro libito ad alium vſum transferri, *l. 1. §.quod autem ff.de rerum diuiſ.* quæ fuit cauſa, vt plerique cenſuerint, Oratorium immunitate non gaudere, quod tamen non de Oratoria publico accipimus,ſed de priuato in palatio priuati viri deſtinato, idque decreuiſſe Sac.Congregationem Negocijs Epiſcoporum, & Regularium præpoſitam teſtatur *Barboſ.* Piè vix dubitari poſſe credimus, num Sacerdos Auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum geſtans immunitate gaudent; cum enim conceſſum ſacris locis priuilegium in maieſtatis Diuinæ reuerentiam ſit ſtatutum, quantò maior exhibenda Deo ipſi ſub Speciebus Sacramen-

*Vbi ſup.n.68.*

mentalibus verè, & realitèr latenti; vulgatum enim, ac planè naturale eſt axioma, propter quod vnumquodque tale, & illud magis *auth. multò magis c. de ſacroſ. Eccleſ.* neque enim literæ legis eſt adeò inhærendum, vt deſeratur ratio, quam eſſe animam legis, inquit *Iaſ. ad l. quod dictum ff. de pac.* & ideò tanti non eſt cenſendum, quod cùm immunitas ſit tota à poſitiua lege, lex tamen de Sacerdote geſtante Euchariſtiam non loquatur, quæ ratio dubium *Variar. lib. 2. c. 10. num. 6.* reddidit *Couar.* vtcumque fateatur, ac præmittat maiorem deberi reuerentiam Euchariſtiæ, quàm templis. Ratio enim tam euidens eſt, vt vel Ethnicis ipſis in- *In vita Numæ.* notuerit, quando auctore *Plutarcho*, Romani probauere, vt ſi ductò ad ſupplicium fortè, & non ſtudio Virgo Veſtalis occurreret, liberaretur in Numinis reuerentiam ab imminente ſibi pœna.

5 Cum fauorabilis ſit hæc Eccleſiarum immunitas; dubitatum ideò aliquandò fuit, an huiuſmodi priuilegium ſolo parietum Eccleſiæ ambitu contineretur, an verò ad aliquod ſpatium exterius porrigeretur, & ex Nicolai Papæ decreto obtinuit, vt quòad Eccleſiam matricem ſpatium quadraginta paſſuum attenderetur extra Eccleſiam, at verò quòad alias triginta *c. ſicut antiquitùs 17. q. 4. c. quiſquis c. definiuit ead.* per matricem Eccleſiam intelligimus Eccleſiam maiorem illam nempe, in qua adminiſtrantur Sacramenta, & præcipuè baptiſmus; quæ ſic nuncupatur ad differentiam ſacellorum, ſeu Capellarum, & ideò Toletano Concilio cautum in *c. plures* 54. 16. *q.* 1. ne plures eſſent Eccleſiæ baptiſmales *in vna terminatione*, ait Concilium, *ſed vna tantum cum ſuis Capellis*, quod *Ad c. 1. nu. 38. & ad Villan. ad c. quiſquis 17. q. 4.* tamen non eſſe vſu receptum teſtatur *Io. Igneus*, & licet *Arcbid.* ſenſerit, Eccleſias intra muros ciuitatum conſtructas non gaudere immunitate intra præfinitum tot paſſuum numerum, quod quidem ad conſuetudinem maximè accedit, hoc tamen venit accipiendum de Eccleſijs intra caſtellorum muros conſtructis *d. c. quiſquis* 21. 17. *q.* 4. intra exiguum ſiquidem ambitum nimis exorbitans eſſet immunitas, cum ſic fauendum Eccleſiæ ſit priuilegio, vt delictorum facilitati via non aperiatur. De paſſus autem menſura, ſeu quantitate exactè, & eruditè *Couar.* *D. c. 20. n. 5. lib. 2. var.*

6 Indeque inferre licèt opportunè, num palatium Epiſcopi immunitate Eccleſiaſtica fruatur, ſi enim intra 40. paſſus ab Eccleſia contineatur non ambigimus, quin gaudeat, ſiquidem Clericorum domus intra 40. paſſus poſita ſit reus ab ea extrahi non poteſt *d. c. definiuit* 17. *q.* 4. & ideò quæſtio redigi eò videtur, vbi palatium Epiſcopi extra 40. paſſus poſitum ſit, vel vbi conſuetudo ſpatium quadraginta paſſuum non ſeruetur, & magis communis opinio immunitatem ei largitur vbicumque poſitum ſit, pròvt cumulata interpretum manu ſentit *Germon.* & ante eum *Couar. ex d. c. id conſtituimus* 17. *q.* 4. *d. c. 16. n. 46. vbi ſup. n. 5.* poſthabita *Hugon.* opinione, quam refert *Card. à Turrecrem.* vt ſcilicet ſi in palatio Epiſcopi adſit Capella immunitatem habeat, etiam ſi extra limites quadraginta paſſuum, non item ſi Capellam non habeat; nam cum Concilium Aurelianenſe I. *in d. c. id conſtituimus* generaliter, & indiſtinctè priuilegium palatio Epiſcopi indulgeat, & in- *Ad d. c. id conſtituimus in princ.* diſtinctè accipi debet, quandoquidem ſi attendatur Capella iam immunitas non palatio, ſed Capellæ cenſebitur conceſſa. Vbicumque igitur fuerit palatium Epiſcopi confugiens ad ipſum tutus erit, nec extrahi inde poterit, quod ſi duo habuerit vnum intra limites, aliud verò extra, alterum, in quo habitat, gaudebit, & non vtrumque *arg. tex.*

in

*in l. quod ait lex in fine princ. ff. ad l. Iul. de adult, ſed ſi Pater* (ait ibi *Vlp.*) *alibi habitet, habeat autem, & aliam domum, in qua non habitet; deprehenſam illo filiam, vbi non habitat occidere non poterit*: Ad rem aptiſſimè.

Cardinalium domus, ſeu palatium, in quo adſit Oratorium, vbi Diuina celebrentur gaudere Eccleſiaſtica immunitate aſſerunt *Clar. Tuſc. Farinac.* & alij plures apud *Barboſ.* temperantes tamen, vt non obtineat aſſertio in Vrbe Roma, ne delinquentibus ob palatiorum huiuſmodi frequentiam facilis ad delinquendum aditus referetur; id enim publici boni ratio non patitur.

*§. fin. q. 30. verſ. itaque. adde de immunit. eccl. q. n. 12. de immunit. ſ. n. 274 num. 71.*

7. Monaſteria, & Religioſorum domus, ſiue Regularium, ſiue ſæcularium hoc immunitatis non deſtituuntur priuilegio, vt poſt alios à ſe citatos tradit *Barboſ.* per Monaſterium intelligens ad hunc effectum non ſolùm Eccleſiam in qua Diuina peraguntur, ſed & totum habitationis ambitum, qui vno clauditur oſtio, quamuis quòad alia loca, quæ interiacent dubitet, & circa ea potiſſimum erit attendenda conſuetudo; ſicut controuerti ſolet an domus, quas Monachi habent recreationis gratia, ſeu hoſpitalitatis exercendæ immunitate fruantur, non enim immunitas indiſtinctè conceditur domibus regularium, vt huiuſmodi ſunt, ſed quatenus in ipſis vita regularis obſeruetur. His addenda eſt nouiſſima conſtitutio *Greg. XIV. Sum. Pontif.* qui cum perturbatio in vſu, & praxi huius priuilegij proceſſu temporis exorta eſſet, omnia diſpoſuit, ac elucidauit, & quid ſeruandum tam circa loca, quàm circa perſonas ſtabili decreto muniuit.

*Num. 72* *Num. 73* *Conſt. 7. Bull. 1. 2.*

Ex ſingularibus autem iam ſupra definitis refellitur eorum ſententia, qui immunitatem anguſtare ſtudentes, quaſi gratiam ſæcularium Principum aucupantes ſola ea loca immunitatis priuilegio comprehenſa aſſerunt, quæ expreſsè lege, ſeù canone continentur, ſi quæ autem ſint alia, ea non legitima aliaqua auctoritate, ſed interpretum crebrinis placitis comprehendi; & ideò Eccleſiam, quæ verè Eccleſia ſit, ad priuilegium admittunt, & 30. aut 40. paſſus extra eam, ſi quæ verò alia ſint loca, non item; non Oratorium licèt ſacra in eo fiant, non Cœmeteria, non Hoſpitalia, non religioſorum domus; non demùm palatium Epiſcopi, non fores Eccleſiæ quantumuis quis eas arripiat; aut teneat; eſto enim, quod canones, de ijs explicitè non loquantur, at mens, & intentio eorundem canonum diſſimulari non poteſt; quam ſecuti interpretes ex identitate rationis ampliarunt, vbicumque enim ſacra fiunt ex peculiari deſtinatione, iam adeſt diuinus cultus, & ideò præſtanda meritò reuerentia venit, à qua tota hæc Immunitatis prærogatiua procedit; & ne quid minimum dubij remaneret, conſuluit Gregorij XIV. *Conſtitutio ſuper abducendis, vel extrahendis ab Eccleſijs Monaſterijs, ſacellis, domibus regularibus, & ſæcularibus, locisue ſacris, aut religioſis*; Quæ ſanè ſingularis enumeratio ſcribentium interpretationem roborat, nec ſinit imputari in merum interpretum placitum facta ab ipſis iuſtà, ac rationabilis extenſio; Palatio Epiſcopi immunitatem aſſerit commendatus adeò ab arctantibus Epiſcopus *Couarruu.* ſed commendatus, ac citatus in eo, quod reſtringendam potiùs admonet immunitatem; ne inde facinoroſi homines ad delicta incitentur, nec enim ſine Canonis auctoritate palatio Epiſcopi fauet, & eſt in *Can. id conſtituimus* 17. *q.* 4. iam ſupra à nobis citato. Rident ijdem, quod apprehendens, ac tenens fores, ſeu oſtium Eccleſiæ debeat cenſeri immunitate tutus, cum qui hæret parieti Eccleſiæ, aut te-

*Vbi ſup. d. conſt. 7. §. 2.*

ćto inſidiet neutiquam ſit ſecurus, æquè enim iſti, ac qui tenet fores extrà Eccleſiam ſunt; at nemo eſt, qui diſcrimen facilè non videat; qui enim fores Eccleſiæ tenet, vt ingrediatur, iam vt ingreſſus haberi debet, non tam in ſui fauorem, quàm Eccleſiæ, in cuius gratiam, & honorem immunitas eſt impertitia; at verò, qui tećto inſidiet, aut parietibus hæret ingreſſum ſperare non poteſt, nec proximus dici valet, vt ingrediatur, cum immò potiùs parietes, & tećtum excludant, & arceant, vndè nulla ſpes ingreſſus adeſt; ideoque nec immunitatem ſperare debet, niſi quatenus ſe intrà legitimum ſpatium triginta, aut quadraginta pedum tutum, prætendat, ad hæc, quæ fortaſsè leuiora graui lećtori videbuntur; proferenda compulit leuiſſimum exemplum à parietibus, tećto deſumptum, quod immunitatem extenuans attulit Neotericus aućtor; quamquam controuerſia etiam ſit opinio, an parieti Eccleſiæ adhęrens ſeù tećto inſidens gaudeat nec ne immunitate. Immunitati loci hucuſq; traćtatæ proximè accedit, & illa, quæ illicita in Eccleſia fieri prohibentur; & de hac meritò adnećtemus ſubindè ad perſonas, quæ immunitate gaudeant rećta ſerie tranſituri.

8 Eccleſiam igitur tanquam Dei domum, decet ſanćtitudo, idque Deus ipſe conteſtatus eſt, non Propherarum ore, ſed facto Vnigeniti filij ſui in carne, qui de templo eiecit profana in eo exercentes; ac proinde immunis facer locus ab illicitis huiuſmodi eſſe debet, in quo ſacra ſolummodò fas eſt, ac diuina traćtari.

*Pſal. 92. 6. 5.*

*Ioan. c. 2.*

Et ideò primùm negotia ſæcularia ab Eccleſiæ ambitu eliminari debent, nec in Eccleſia traćtari, placita in ea fieri non debent, non contraćtus, qui negotiorum ſæcularium nomine veniunt; negotia per ſe licita facer locus facit illicita, vnde, & negotiatores Chriſtus Dominus eiecit de templo; vix eſt enim, vt negotium, ac mercimonium geratur, & ſimul integritas vigeat; *Negotiatores illi abominabiles exiſtimantur* (inquit *Caſſiodor.*) *qui iuſtitiam Dei minimè conſiderantes per immoderatum pecuniæ ambitum polluunt merces ſuas plus periurijs oneranda, quàm pretijs. Tales eiecit Dominus de templo, dicens nolite facere Domum Patris mei, Domum negotiationis. Quid eſt aliud negotium, niſi quę poſſunt viliùs comparari cariùs velle diſtrahere?*

*In Pſ. 70. verſ. quoniam.*

Connaturalem contraćtui fraudem, aliqualem, ac deceptionem agnouit *Vlp.* ideoque *in l. in cauſæ* §. *item Pomponius ff. de minor.* inquit; *idem Pomponius ait in pretio emptionis, & venditionis naturaliter licere contrahentibus ſe circumuenire.* Ab Eccleſia autē & Dei oculis non ſolum malum, ſed, & quælibet vmbra, ac ſuſpicio mali arceri meritò debet; pari ratione ſæculare iudicium, etiam ſi ſit mere ciuile, in Eccleſia fieri non debet; *c. 1. de immunit. Eccleſ.* & ideò vel citatio, vt pote immediate præparatoria iudicij, in Eccleſia fieri nequit, & multò minùs ſententia, quæ eſt terminus totius iudicij, ac veluti præparatum à iudice ibidem ferri poteſt; *c. decet* §. *fin. de immunit. Eccleſ. in 6.* adeò, vt lata ſit nulla provt decernit ibidem Summus Pontifex.

Multò longe minùs ſententia ſanguinis in Eccleſia ferri poteſt, & eam ferens iudex excommunicatur, *c. cum Eccleſia: de immunit. Eccleſ.* quod ſi forte in cauſa voluntariæ iuriſdićtionis ſententia, vel à iudice laico ferretur, vt eſſet interpoſitio aućtoritatis in aćtu aliquo legitimo, amicabilis compoſitio, aut ſimile quidpiam, vtique ſuſtineretur vt notauit *Panorm.* ſecus ſi iuriſdi-

*Ad c. cum Eccleſ. de immunit. Eccleſ.*

riſdictio eſſet contentioſa, actus enim huiuſmodi, qui ſine fori ſtrepitu fieri nequeunt in Eccleſia omninò prohibentur, *c. qua fronte in princ. de appellat. d.c. decet de immunit. Eccleſ. in 6. ceſſent fori cuiuſcumque tumultus*, ait ibi *Text.*

Et ideò ſi quæratur de actuum geſtorum in Eccleſia validitate, ſegregandi ſunt actus in Eccleſia geſti, ſæculares, iudiciales, & extraiudiciales, ab Eccleſiaſticis tantùm. Seculares iudiciales in Eccleſia geſti nullius ſunt momenti, ſic ſtatuente, *text. in d.c. decet §. Ordinarij de immunit. Eccl. in 6. communi careant robore firmitatis*, dicitur ibi; ſoli enim iudiciales proceſſus ibidem annullantur, quæ ratio eſt, vt actus extraiudiciales, quamuis ſæculares ſubſiſtant, cum de ijs non loquatur *Tex*; qui vt pote pœnalis extenſionem non admittit, *c. in pœnis c. Odia. de reg. iur. in 6.* Vnde contractus, cum ſint extraiudiciales, celebrati in Eccleſia ſubſiſtunt, ſicut, & actus iudiciales Eccleſiaſtici, quamuis ſint contentioſi, ſat enim eſt, ſi ſint Eccleſiaſtici, vt geri in Eccleſia poſſint; & vtcumque in Eccleſia prohibeantur conclamationes, ſeditiones, & Vniuerſitatum Conuentus, qui ſine tumultu celebrari non conſuerunt, *d. c. decet*; attamen ſi hæc ipſa fiant pietatis intuitu, piorumque operum gratia, etiam ſi per ſæculares, permittuntur.

Generaliter ab Eccleſijs procul abeſſe debent profana, ſaltationes, muſicæ, quæ laſciuiam neſcio quam præſeferunt, & melodiam quandam theatralem exhibent, deteſtatur Concilium Tridentinum, cuius vna auctoritas omnium inſtar erit. *Ab Eccleſijs muſicas eas, vbi ſiue organo, ſiue cantu laſciuum, & impurum aliquid miſcetur, item ſæculares omnes actiones, vana, atque adeò profana colloquia, deambulationes, ſtrepitus, clamores arceantur, vt Domus Dei verè Domus orationis eſſe videatur, & dici poſſit.* De debita ſacris locis reuerentia non eſt cui congeramus auctoritates. Natura ipſa rationalis clamat, conſcientia lancinat, animus horret, & tamen ſurdi fideles Eccleſiarum reuerentiam peſſundant, adeò vt incorrigibile, ac planè conclamatum videatur malum, nec noſtrum eſt acriùs inſurgere.

*Seſſ. 22. in decret de obſ. & vit. in celeb. miſſar.*

Eſſe videretur planè indubium, an liceat in Eccleſia epulari, & conuiuari, niſi antiquum inter fideles naſcentis Eccleſiæ inſtitutum adeſſet, conuiuia in Eccleſia exercendi, quæ *Agape* dicebantur, ab amore, ſeu charitate, quæ in ipſis præcipuè exhibebat, vt teſtatur rituum Eccleſiaſticorum condus *Tertullian.* graphicè deſcribens *Cœna noſtra de nomine rationem ſui oſtendit, vocatur enim ἀγάπη id, quod dilectio penès Græcos eſt. Quotieſcumque ſumptibus conſtet, lucrum eſt pietatis nomine facere ſumptum; ſiquidem inopes quoque refrigerio iſto iuuamus; nihil vilitatis, nihil immodeſtiæ.* Dicerem procedente æuo corruptam hanc conuiuiorum ſanctam ſimplicitatem, quando idem *Tertullian.* in eam inuehitur, at Montani deliramentis ipſe corruptus carpit, ſed ita, vt morem confirmet, ideò reddemus eius verba. *Apud te* (Pſichicos alloquitur) *Agape in Cacabis feruet, fides in Culinis calet, ſpes in ferculis iacet.* Triplicis generis hæ erant Agapes, ſeu conuiuia, *Nazianzeno* teſte. Alia enim fiebant in Nuptijs, eaque connubialia dicta; alia in Martyrum ſolemnibus, & hæc natalitia appellata; alia demùm in exequijs defunctorum, & hæc funebria nuncupata. *Clemens Romanus. Qui in exequijs defunctorum ad conuiuium funebre inuitati eſtis ordine, & timore Dei epulamini, vt poſſitis preces pro* de-

*In Apologet. c. 39.*

*De ieiun. c. 17*

*Conſtit. Apoſt. lib. 8. c. 44.*

*defunctis adhibere Deo*. Deferueſcente tandem Charitate,qua Agapes maximè conſtabant,ac feruebant, in nimiam libertatem diſſolutæ interdictæ fuere Conciliorum Canonibus,& Sanctorum
c. 28. Patrum decretis, *Laodiceno Concilio*,
c. 50. *Carthaginienſi III. Conſtantinopoli-*
c. 74. *tano VI.* quibus inhærentes prohibuere SS. Patres, *Ambroſius*, *Auguſti-*
Ex 64. *nus*, indeque factum (ad rem) vt abſolutè loquendo illicita cenſeantur conuiuia in Eccleſia, ac proinde rectiſſimè ſupradictum, conuiuia, & epulas non eſſe in ipſa Eccleſia faciendas, niſi ex cauſa aliqua rationabili, tuncque in angulo eiuſdem Eccleſiæ, & modeſtè. Quæ ratio Agapes ab Eccleſia proſcripſit, eadem & vigilias extinxit; nocte enim præcedente ſolemnitatem Martyris, aut alterius Sancti vigilabant fideles ad eius ſepulchrum in eiuſdem honorem totam noctem in hymnis, pſalmis, & canticis tranſigentes, eaſq; vigilias, *nocturnas conuocationes* ap-
L. 2. ad uxor. c. 4. pellauit *Tertull.* & quia proceſſu temporis res plena periculis viſa eſt, ideò commutatæ ſunt Vigiliæ in ieiunium diei antecedentis feſtum, & mos vigilandi in Eccleſia ad Martyrum ſepulchra ſublatus, quodque innocentia æui introduxit, & fouit, corruptio, & procacia deteuit;neque einm de proculcato templorum cultu dolendum hic nobis impenſiùs.

Nefas olim fuit defunctorum cadauera in Eccleſia tumulare,quale etiam inſtitutum præceſſit apud Ethnicos veteres,qui nedum in templis, ſed nec in Vrbe ſepelliebant. Verùm de ſepulchris,& ſepulchrorum iure agemus infra loco ſuo, & Cap. proprio. Interim hoc certum,quod cadauera non in Eccleſia, ſed in atrio,porticu, aut exhedris Eccleſiæ *c. præcipiend.* 13. *q.* 2. condebantur, ſicut nec propè altare vbi Corpus,& Sanguis D. N. Ieſu Chriſti conficitur *d. Can. præcipiendum*. Permittebatur ſingulari iure, Epiſcopis, Abatibus, Presbyteris, & fidelibus laicis *c. nullus* 13. *q.* 2. ex Concilio Moguntino, ibi per fideles laicos plerique intelligunt laicos miracula patrantes, alij verò laicos in dignitate conſtitutos, ſed demùm inuidioſa hæc differentia ſublata remanſit, ſolis enim exceptis excommunicatis,interdictis,infidelibus,& notorijs peccatoribus reliqui omnes in Eccleſia ſepelliuntur; ſublato per Conſtitutionem B. Pij V. eo more, & nobiliores ornatis loculis ſublimes in Eccleſia collocarentur, quem morem expunxit iubens, vt omnia ſepulchra huiuſmodi deijciantur, & oſſa ſub terram condannantur, quod ſi fortè excommunicatorum, aut infidelium corpora humata in Eccleſia fuerint, tanquam polluta reconcilliatur, ſicut, & ob certa crimina in ea contracta.

Ab ingreſſu etiam arceantur Eccleſiæ ſolemnitèr ad tempus pœnitentes, & notoriè criminoſi, *c. in cap.* 15. *diſt.* & præſertim ſacrilegi quādiù ſunt contumaces *c. qui iubente* 11. *q.* 3. ſicut & mulieres non velato capite ingredi Eccleſiā
prohibentur, *c. pen.* 33. *q.* 5. ex Apoſt. Conſtit. lib. 2. c. 9
tradidit *S. Clemens Rom. Tertullian.* De Virg. vel. c. 3.
*Operiri debet facies tàm periculoſa, quæ vſque ad Cœlum ſcandula iaculata eſt*. Demùm quanta Eccleſijs ſit impendenda reuerentia,quæ declinanda,à quibus abſtinendum, ſub qua pœna latiſſimè cumulata leguntur in Conſtit. B. Pij V. edita Kal. April. An. 1566. ad quam remittimus, potiora capita huius localis immunitatis attigiſſe contenti.

## De perſonis, quę immunitate gaudeant vel non.

## §. III.

1 *Traditur generalis doctrina* ex cap. inter alia de immunit. Eccleſ.

2 *Ad*

2 *Ad ſingulares perſonas delinquentes deſcendentur, & latè de homicida aſſaſſinio, delinquente in Eccleſia.*

3 *Clerici, & Religioſæ perſonæ fugientes de manu Epiſcopi, aut alius ſuperioris immunitate fruantur, nec ne.*

4 *Quid de debitoribus merè ciuilibus.*

5 *De modo extrahendi reos confugientes ad Eccleſiam, & cuius auctoritate.*

IAm ergo ad perſonas accedamus, quarum intuitu hæc ipſa localis immunitas eſt indulta, quæue ea gaudeant, vel non gaudeant. Conſtito enim, quod in Diuini Numinis cultum confugiens ad Eccleſiam non ſit indè extrahendus, videndum ſupereſt, an id indiſtinctè de quolibet delinquente obtineat, an verò crimina aliqua veniant excipienda; qui enim priuilegia anguſtare ſtudent tot excipiunt, vt vix ſint, qui immunitate gaudeant.

1 Conſultus fuit olim Innoc. III. A Rege Scotiæ, ſiue vt Vaticani Codices legunt Conatiæ, vt poſt *Germon. not. Gonzal. ab c. inter alia de immunitate Eccleſ.* de pluribus quæſtionibus, & ijs præcipue, quæ Eccleſiaſticam immunitatem tangerent, ac perſonas confugientes reſpicerent, & quæſito præcipue reſpondet *in c. inter alia de immunit. Eccleſ.* Aut igitur, qui confugit ad Eccleſiam liber eſt, aut ſeruus, ſi liber; quantumuis grauia delicta, patrauerit, non eſt violenter ab Eccleſia extrahendus, nec ad mortem, aliamue pœnam damnandus, ac Eccleſiæ Rectores, & Clerici ſibi obtinere debent vitam, & membra. Si verò ſit ſeruus, ſi Dominus iureiurando Clericis cauerit de ipſo non puniendo, vel inuitus ad ſeruitium Domini redire compellitur, alioqui poterit Dominus per vim eum vindicare. At quidquid ſit de ſeruis, quorum vſus inter fideles euanuit; certe regula de libero homine, quam ſtatuit Innocentius exceptionem patitur in odium ſceleſtorum hominum, quod quidem preſſiùs vrget, ac præferendum eſt Eccleſiæ fauori.

2 Excipiuntur enim publici latrones, graſſatores, nocturnæque agrorum depopulatores; viarum obſeſſores, quique frequentata itinera vi, & inſidijs turbant, ac imperuia reddunt, hique non item alij, immunitatis beneficio priuantur, vt ex communi ſacri iuris interpretum ſententia cenſuit *Io: Igneus*, & indubiam eodem Pontificio iure teſtatur *Iul. Clar.* & quamuis iure ciuili Virginum raptores, homicidæ, & adulteri his adiungantur, vt ex *Baſilicis* notauit *Germon.* attamen ius ciuile in hac parte à Pontificio fuiſſe correctum Summiſtæ conſentiunt, hocque ipſum attendendum, vtpote conſuetudine firmatum, ſcribunt *Io: Fab. & Proſp. Fagnan.* De homicida meritò ambigitur, num immunitate ſe tueri poſſit, ſi poſt delictum ad Eccleſiam confugiat? Dubitandi anſam præbere videtur lex ipſa Diuina, ex qua deſumptus *tex. in cap. 1. de homicid. Si quis per induſtriam* (ait ibi *tex.*) *occiderit proximum ſuum, vel per inſidias, ab altari meo euelles eum, vt moriatur.* Verùm Interpretes ſegregant homicidam proditorem, quique alium inſidiosè occiderit à ſimplici homicida, illumque aſſerunt non iuuandum Eccleſiaſtica immunitate, ſed vel inuitum ab Eccleſia extrahendam, vt puniatur, idque communi opinione, & vſu receptum congeſtis auctoritatibus teſtatur *Couar.* reiecto *Panorm.* intellectu *ad d. c. 1. de homicid.* de ſolo Clerico, non item de laico *tex.* accipientis. Proditorium homicidam eum intelligemus, qui occiderit non ſibi inimicum, nibilque tale præcauentem, ex

*Ad l. 1. § ſubuenitur n. 107 & 117. ff. ad S. C. Syllan.*

*In prac. crimin. quaeſt. 30. num. 8. & 9.*

*De ſacror. immunit. lib. 2. c. 16. num. 2.*

*Ang. verbo immunitas n. 17.*

*Sylueſt. verb. immunitas 3. in p. g. 9. n. 2.*

*Ad §. hoc tempore num. 2. inſt. de his qui ſui iuris, vel alien. iuris.*

*Ad cap. inter alia num. 9.*

*Exod. c. 21.*

*Ad c. 1. de homicida.*

*d lib. 2. c. 20. num. 7.*

quo

quo nulla ſubeſſet præcauendi cauſa, ſed inſidioſè *ex Gloſ. ad c. Clericus 46. diſt.* Vnde fit, vt ſi quis apertum inimicum ſuum etiam à tergo, & incautum occiderit, proditorius non ſit homicida; cogitare enim debuit inimicus, & ſibi cauere, quod ſenſere quamplures, quorum ſententiam improbauit *Couar.* ex quo negari non poteſt, quin huiuſmodi homicida per inſidioſam induſtriam occiderit, adeòque proditorius ſit. Quid autem ſi quis ſine vlla proditione, conſultò tamen, ac deliberatione præuia deferueſcente, iam, immò & extinctò iræ feruore alium occidat? Et ab Eccleſia abducendum aſſerunt plurimi apud *Couar.* qui grauiùs puniendum aduertunt delictum ex deliberatione, & conſultò patratum, quàm quod ex feruore iracundiæ, & ideò indignum eſſe Eccleſiaſtica immunitate, ſed negari non poteſt, quin huiuſmodi homicida ſit omninò diuerſus à proditorio, & ideò diuerſo iure cenſendus vtcumque ob. ſcribentium auctoritatem contrarium ſeruari notet *Couar.* quod ſi homicida ſit ſimplex vtcumque ſponté, & non fortuitò, ſed iniurioſè alium occiderit, non erit per vim abducendus ab Eccleſia; ſtat enim pro ipſo regula Eccleſiaſticæ immunitatis, cum inter caſus exceptos *in d. c. inter alia*, non connumeretur, nec *in d. c. 1. de homicid.* quidquid in contrarium afferri poſſit ex *auth. de mand. Princip. §. nec autem homicidis*, cui conſtitutioni Pontificio iure eſt derogatum. Hæc tamen Doctorum diſceptatio ceſſare debet poſt ſupracitatam Bullam Gregorij XIV. in ordine 7. aſſ. in qua §. 3. excipiuntur nonnulli caſus, in quibus Eccleſiaſtica immunitas non ſuffragatur, & reſpectu homicidij, hæc habentur *quiquè homicidia, & mutilationes membrorum in ipſis Eccleſijs, eorumue cœmeterijs committere non verentur, aut qui proditoriè proximum ſuum occiderint.* Vnde, quatenus non concurrant requiſita veri, & proprij homicidij proditorij & non agatur de homicidio commiſſo in ipſamet Eccleſia, ſeu Cœmeterio, controuerti amplius non poteſt quod homicida gaudeat immunitate.

*vbi ſup. verſ. in his profectò in fin.*

Aſſaſſinus immunitate non gaudet, cum huiuſmodi crimen vix ſit, vt proditoriè non fiat. Aſſaſſinum intelligimus, qui pecunia pacta, aut recepta mandato alterius hominem interficit, *c. 1. de homicid. in 6.* crimen execrabile, & vtinam hoc æuo non adeò frequens, in cuius vltionem, & Canones inſurgunt. Vnde mandans, & mandatarius omni Eccleſiæ perfugio meritò priuantur. Non diffitemur *Couaruu.* aliquantò preſſiùs Aſſaſſini nomen accipere, & pro certa natione hominum, qui ad nutum capitis, ſeu Principis eorum, quemlibet etiam inimicum interficiebant, vnde infert ſubinde iura de huiuſmodi Aſſaſſinis loquentia, & pœnam aliquam ipſis infligentia ad alios præter eos non eſſe extendenda. Verùm communi vſu etiam extra vnius nationis ſignificationem extendi hoc nomen certum eſt, ac proinde cum crimen hoc à mandante per mandatarium conductum non niſi occultè, & inſidioſè ac proditoriè patretur meritò, & aſſaſſinio huiuſmodi, licèt non adeò proprio nomine, ſed proditionem inuoluente immunitatis fauor denegatur, qui idem haud minùs iuſtè, & ei qui in Eccleſia deliquerit aufertur, vnde aut membrum mutilans occidens, in Eccleſia eius protectionem implorare non poteſt; *c. de viro, 12. q. 2. c. an ſit de appellat. c. quia fruſtra de vſur.* & demùm apertiſſimè *tex. in cap. fin. & ibi ſcribentes de immunit. Eccleſ.* Indignum enim eſt Eccleſiam auxilium præbere ei, qui delinquendo iniuriam intulit Eccleſiæ, & eò quidem iuſtiùs immunitas ſic delinquenti

quenti denegatur, quo præſumitur eo animo,& ea ſpe deliquiſſe, vt ab Eccleſia defenderetur,& ideò meritò hoc priuilegio cenſetur indignus,tanquam anſam,& occaſionem delinquendi ab ipſa Eccleſia aſſumens; ſi tamen probari poſſet, cum non tali animo, aut intentione deliquiſſe adhuc ab immunitatis priuilegio arceretur, & non ſolùm pro delicto,quod præcisè in Eccleſia commiſit, ſed etiam pro quocumque alio delicto, etiam extra Eccleſiam commiſſo. Iuſtè quidem, nam qui Sacroſanctam Eccleſiæ maieſtatem delinquendo ſemel temerauit planè indignus eſt, vt ad eam imploret confugium *c. ad Epiſcopos Iunc. c. ſeq.* 17. *q.* 4. *d. c. fin. de immunit. Eccleſiar.* indignus eſt enim Eccleſiæ ingreſſu,qui Eccleſiæ, polluit maieſtatem, ſed non eſt omittenda quæſtio, quam fuſiſſimè

Nu.135. examinat idem Auctor,& quæ frequens in praxi eſſe poſſit; num Clerici, & re-

Num. 3. gulares perſonæ de manu Epiſcopi, aut ſuorum ſuperiorum reſpectiuè ad Eccleſiam confugientes poſſint ſe tueri immunitatis priuilegio, vt non valeant inde extrahi.

3 Diſſidium ingens inter auctores ſpectandum exhibet *Barboſa* diſtincta vtraque acie, ennumeratiſque eorum votis, ac relatis rationibus. Quæ ſingula apud eundem poterunt facilè videri.

*Ad c. inter alia de immunit. Eccl. num. 13.* *Panormitan.* ergo non gaudere immunitate Clericum ſic confugientem cenſuit,aſſerens nullum extare textum, qui hac de re conſtituat; ſectatoreſque habuit plures,quos congeſtos vbi ſupra habeas. A ſingulis fundamentis regerendis temperabimus ſolidioribus contenti.

Ciuilia ſiquidem iura, & Principum conſtitutiones de ſacrorum immunitate ſancientes de laicis ſolùm loquuntur, cum alioqui de Clericis neutiquam poſſent ſtatuere. Pontificia verò iura, vtcumque Clericos à laicis non diſtinguant in hac parte, ità tamen loqui videntur, vt ſolos laicos reſpiciant, cum dicant Eccleſiaſticos Iudices impetrare debere,ne ſic extractos ad mortem condemnent, quod de Eccleſiaſticis perſonis nequit intelligi ſuppoſito fori priuilegio, de quo infra; vnde fit, vt Epiſcopi Clericos, Abates, & alij ſuperiores religioſos in Eccleſijs, & Monaſterijs frequenter puniant, & verberent *c. vniuerſitatis de ſent. excom. c. fin. de regular.* quod nefas eſſet ſi ijs ſuffragaretur immunitas. Immo non in honorem,ſed dedecus conuerteretur Eccleſiæ,quaſi vellet delicta fouere, & delinquentibus patrocinari, cum enim Clerici frequenter in Eccleſia, vbi maxime conuerſantur, delinquant, ſicut & Religioſi in clauſtris, iam impunibilia eſſent eorum delicta, ſi immunitate loci, ſe poſſent tueri. Eòque minùs id videtur ipſis largiendum, quo ſicut perſonæ præſtant rebus,& locis ità longe excellentior eſt conſecratio perſonæ, quàm illa locorum, quod ſi perſonali conſecratio Clericum non reddit immunem, nec illa reddet,quæ prouenit ex circumſtantia loci *c. vniuerſitatis de ſent. excomm.*

Oppoſitam grauiſſimi auctores ſuſtinent,ex recentioribus præſertim, negantque poſſe Epiſcopum, aut alium Eccleſiaſticum Iudicem delinquentes Clericos ab Eccleſia educere. Diſpoſita ſerie quaſi per aciem eos enumerat *Barboſ.*Expendens præcipuè,quod Canones,& leges de immunitate Eccleſiarum ſtatuentes generaliter loquuntur, & indiſtinctè, adeòque generaliter, & indiſtinctè ſunt accipiendæ ità, vt æquè laicos, & Clericos comprehendant *vulg. act. l. de pretio ff. de publician. in rem act.* Ratio ſiquidem, propter quam immunitas Eccleſijs, & locis ſacris *Vbi ſup. nu. 137.*

cris

cris eſt indulta, vt iam ſupra vidimus, eſt Diuini cultus reuerentia, ac maieſtatis Diuinæ, cui locus dicatus eſt, obſequium. Quæ ſanè ratio eadem eſt, ſiue laicus, ſiue Clericus extrahatur, immo cum Clericus domi propriæ eſſe cenſeatur, dum eſt in Eccleſia, iam & ipſi tutum, tanquam domus, debet eſſe refugium *l. nemo de domo ff. de reg. iur.* Neque enim iuſtitia patitur, vt ſi Eccleſia immunitatem ſacrorum locorum induxit, hac eadem non vtatur in ſuos, nec in Clericos ſeruet *Rub. & l. 1. ff. quod quiſq. iur.* aliàs enim Clerici longè deterioris eſſent conditionis, quàm laici, quandoquidem, ſi cum laici ſunt, immunitate gaudent, malè cum ipſis actum videtur, ex quo Clerici fiunt. Extremæ opiniones iſtæ ſuſpenſum, meritò reddunt iudicium, conciliandaſque plerique cenſuerunt, ſegregantes Clericum, qui iuxta Concilij Tridentini decretum, Clericali priuilegio non gaudeat, ex quo licèt Clericali tonſura inſignitus, Eccleſiæ tamen non inſeruit, aut non eſt adſcriptus, aut in Seminario non degit, & aut demùm nullum habet beneficium, tunc enim Epiſcopus eum ab Eccleſia extrahere non poteſt, cum reputetur, vt laicus, nec deterioris eo debeat eſſe conditionis. Verùm Sacra Cong. Immunitatis inconcuſsè tenet contra opinionem Panormitani, quod Epiſcopus non poſſit ab Eccleſia extrahere Clericum, ità vt æquè ac laicus gaudeat immunitate quatenus non agatur de aliquo ex caſibus exceptuatis, vnde in hac negatiua in deciſione indubitanter eſt reſidendum.

*Seſſ. 23. c. 6.*

4 De debitoribus merè ciuilibus ambigitur haud immeritò, num ad Eccleſiam confugientes tuti ſint, nec valeant à creditoribus inde vrgeri. Aſſeruit *Iaſ.* arguens à tempore ad locum ex eadem *l.* aliiſque iuribus penès *Euerard.* Debitor enim capi poteſt etiam die feriato in honorem Dei, & eius Sanctorum, vt notauit *Accurſ. ad l. fin. c. de fer.* cui ſubſcribunt vetuſtiorum plerique apud *Germon.* longè melius, qui ſpectandam conſuetudinem volunt, ac pro varia eius obſeruantia, variè etiam in largienda debitoribus Eccleſiarum immunitate ſentiendum, ità vt gaudeant immunitate vbi vſus id ſeruat. Sin minus extrahi impunè ab Eccleſia poſſint; debitores enim quaſi in ſeruitutem quandam rediguntur, vt notauit eruditè *Couar.* ſerui autem à dominis extrahi inuiti ab Eccleſia ad ſeruiendum poſſunt *l. ſi ſeruus c. de his, qui ad Eccleſ. confug.* Adnuit, & conſtitutio *Theod. Arcad. & Honor. Caeſſ. in l. 1. c. Theod. de his, qui ad Eccleſ. confug.* Sunt hæc eius verba. *Publicos debitores ſi confugiendum ad Eccleſias crediderint, aut illicò extrahi de latebris oportebit, aut pro his ipſos, qui occultare probantur, Epiſcopos exigi.* Ad eundem *tex.* notauit *Gothofred.* Hæc demum (quibus lata fuit hæc lex, & hoc datum reſcriptum) fuiſſe tempora illa, quibus excreſcente in dies Eccleſiaſtica immunitate, Clerici non iam amplius intercedendo confugientes tuebantur, ſed & ad ſpeciem quandam violentiæ procedebant, qua etiam vi adhibita, reos, & debitores à pœnæ diſcrimine, & iudicio ſubducere audebant, obuiandum credidere *Caeſſ. l. 11. & 16. c. Theod. de pœn. l. 31. c. eod.* & circa debitores publicos hac ipſa *l. 1.* qua ſubditur. *Sciat igitur præcellens authoritas tua neminem debitorum, poſthac à Clericis defendendum, aut per eos eius, quem defendendum eſſe crediderint, debitum eſſe ſoluendum.*

*Ad l. vinum ff. ſi certum pet. num. 5.*

*Loc. de temp. ad locum.*

*Vbi ſup. num. 100*

*Var. reſol. lib. 1. c. 1.*

De publicis debitoribus loquitur præciſè principum legis, & de iiſdem (ne diuertat) finem legis accipias; debitoris enim nomen in conſtitutionibus ſimpliciter prolatum de publico accipit

Digitized by Google

*Ad l. 6. C. Theod. de Diu. reſcript. ad calcem cod. Theod.*

pit probat fuſè *Gotbofred.* & in *Gloſſar. Nomico*, quod ſi id ſpeciale in publico debitore; oppoſitum in priuato ſeruandum, ratio omninò dictat, quidquid de conſuetudine dicatur, quæ non tanti in hac re, vt aduerſus aperta Canonum decreta præſcribat; nullibi enim legimus cautum, vt ciuiles debitores immunitate non gaudeant, ac proinde inſiſtendum iuris regulæ, quæ Diuinæ Maieſtatis cultui fauens immunitatem generaliter largitur, neque eſt cur publicos debitores excipias ex ſupradictis *l. 1. verbis c. Theod.* nec non & *Iuſtiniani*, ex quo enim huiuſmodi conſtitutiones directè ſacris Canonibus aduerſantur non ſunt attendendæ, vt notauit *Couar.* qui addidit, quod quamuis in Hiſpania, debitores tradantur creditoribus tanquam ſerui, attamen illud ſeruatur, vt ab Eccleſijs extrahi non poſſint. Nec plaudendum Iaſoni arguenti à tempore ad locum, non enim immutabilis eſt illatio, vbi diuerſitas viget; homicidæ enim, & alij criminum rei die feriato capi poſſunt *l. Prouinciar. c. de fer.* at non item ab Eccleſia extrahi; niſi fortaſſe *Iaſ.* opinionem amplecti velimus de improbis decoctoribus illis, qui luxu perdito aliena vorantes mox ſe ſubducunt, & nouo fallendi mercimonio locupletantur alienis, ac ad Eccleſiam confugiunt. Extrahi enim hos deceret, tanquam illos, in quos Sanctiſſimus Pontifex B. Pius V. conſtitutione ſua inuehitur, quoſq; ſeueriſſimè damnat, ac proinde Eccleſiaſtica immunitate videntur indigni. Optandumque eſſet, quod iſte caſus adderetur alijs exceptis in ſupracitata Bulla Gregorij XIV. verùm quouſque non emanet ſuper hoc Pontificia Sanctio, recedendum non eſt à diſpoſitis in dicta Gregoriana, & præciſè quod iſti debitores decocti licèt improbi, & fraudolenti gaudeant immunitate latiſſimè probat *Diana coordinatus part. 9. de immun. reſol. 61. 62.*

*Auth. de mand. Princ. §. publicor.*

*Var. lib. 2. c. 11. n. 16.*

*In Bulla contra fraudul. & doloſ. decret.*

Hæc de ſingularibus, quoad Eccleſiaſticam locorum immunitatem; Theoria enim tradita, vt noſtri eſt inſtituti, caſus praxim reſpicientes ad materiæ tractatores remittimus. Hoc ſatis, quod enumeratis pluribus caſibus, in quibus ſacrorum locorum apparet immunitas, euincitur parùm pia opinio, quæ immunitatem vniuerſam ad caſus pauciſſimos reſtringit; ſic enumerando illos, qui immunitate non gaudent, vt longè pauciores remaneant, in quibus immunitas ipſa veniat ſeruanda, quaſi odioſa ſit materia, & ſtrictiùs tractanda. Eſto enim quod crimina odium ſecum trahant, at Dei cultus, Eccleſiæ decus, & reuerentia fauorem maximum exigunt.

5 Iam nunc modum extrahendi eos, qui priuilegio non iuuantur expendamus de eo enim controuerſia non deeſt, præſertim quanam, ſeu cuiuſnam auctoritate extractio fieri debeat.

Duos caſus diſtinguunt communiter ſcribentes ex praxi, & re ipſa conſurgentes. Primus eſt cum verſamur in ea ſpecie, qua certum ſit reum, ac delinquentem non gaudere immunitate, alter verò vbi id ipſum eſt anceps, ac dubium.

Primo caſu, inſpecto antiquo iure, tradi debebat reus, recepto tamen à ſæculari Iudice iuramento de eo corporaliter non puniendo, prout Eccleſiaſticam lenitatem decere videbatur. Et hanc veluti alteram, eamque principalem priuilegij partem agnoſcit. *D. Nicol. Ant.* quem in cultus argumentum hic citatum volumus. Conſtitutum id legimus ex *Capitularibus Caroli Magni in c. Reum 17. 4.* & ex *Aurelianenſi Concilio I. in c. id conſtituimus ibid.* Quæ tamen iuramenti præſtandi neceſſitas conſuetudine contraria fuit omninò ſublata; fuga enim, ſeu confugium in Eccleſiam nihil prodeſſe, aut

*De exil. lib. 1. c. 34.*

poteſt, aut debet, vbi caſus eſt exceptus, quæ ſanè reſolutio moderamen recipit ex conſtitutione *Greg. XIV.* qua huius iuramenti præſtandi nulla iniungitur neceſſitas, ſed reus liberè, ac perinde ac ſi ad Eccleſiam non confugiſſet venit tradendus; confugium enim in caſibus à iure exceptis nihil reo prodeſſe debet, vt iam diximus.

Verùm ex eiuſdem conſtitutionis tenore hæc ipſa traditio de mandato Epiſcopi, vel eius Vicarij, aut alterius perſonæ Eccleſiaſticæ ad id ſpecialiter deputatæ fieri debet, adhibita tamen prius cognitione ab Epiſcopo, Vicario, aut aliàs deputata perſona, num reus verè crimen exceptum commiſerit, & ideò non poterit Reus extrahi ſine expreſſa Epiſcopi, aut alterius ex ſupradictis licentia, Epiſcopi autem nomine verus, & proprius Epiſcopus intelligitur, non Prælatus alius inferior, vt Abates locorum, regularium Superiores, aliiue ſæcularium Eccleſiarum Prælati, vtcumq; Ordinarij, & exempti; & ex eiuſdem vi conſtitutionis quælibet facultas, quæ in certis caſibus extrahendi reum ab Eccleſia propria auctoritate indulget, intelligitur ſublata; & reuocata. Quod ſi fortè caſus contingeret in loco exempto, & nullius Diœceſis, tunc cognitio ad Epiſcopum viciniorem ſpectaret, & non ad alium, ipſeque ſolus licentiam, & conſenſum extrahendi præſtare deberet.

Si verò (qui eſt hominum zelus) Epiſcopus, Vicarius, aut alius ab eo deputatus licentiam concedere renueret culpabiliter, & reum in caſu à iure excepto Curiæ ſæculari tradere, tunc Iudex ſæcularis poterit auctoritate ſua, ſeruato tamen moderamine, & reuerentia Eccleſiæ, quantum fieri poſſit, ſalua, reum ab Eccleſia extrahere, & carceribus Eccleſiæ, non autem Curiæ ſuæ committere, vbi tutò, & ſub cuſtodia etiam, ſi viſum fuerit, eiuſdem Curiæ ſæcularis detineatur, donec per Epiſcopum, aut alium, vt ſupra cognoſcatur, an patratum delictum ſit exceptum, an verò immunitate dignum. Hæc omnia Gregor. conſtitutione ſua, quæ quidem, vtcumque recentior, nihil tamen exorbitat à iure communi, quo attento, probabile admodum eſt, & longe probabilius oppoſita ſententia, etiam ſi recepta conſuetudine munita, vt ſcilicet in caſu excepto reus confugiens ad Eccleſiam, non poſſit inde extrahi ſine expreſſa licentia Epiſcopi, hoc eſt eo inconſulto, id enim æquitas, & honeſtas nedum exigere videtur, ſed & ius ipſum ſupponendo ſtatuere; *Gelaſius* enim *Sum. Pontif.* relatus in *c. frater 17. q. 4.* inuehitur in municipes Beneuentanæ Ciuitatis, quod in contumeliam religionis acerba nimis, & plectibili contumacia eò proſiluiſſent, vt Curialem ſuum ad Eccleſiæ ſepta confugientem &c. & hominem in Sanctuarijs conſtitutum (*captata Sacerdotis abſentia*) *reluctantem, reclamantemq; violenter abſtraherent*. Non ſine re Gelaſius circumſtantiam illam *captata Sacerdotis abſentia* ſingulariter ſignat, quaſi aggrauatum crimen indicans ex eo, quod inconſulto Sacerdote, eoque abſente reus fuerit abſtractus; cum eo abſente conſenſus, ſeu licentia nec peti, nec obtineri poſſet.

Adnuunt & omnia illa iura, quæ in traditione rei iuramentum exigebant à laico magiſtratu de reo ipſo non corporaliter plectendo *c. frater c. id conſtituimus c. diffiniuit 17. q. 4. c. inter alia de immunit. Eccleſ.* neque enim præſtari hoc iuramentum poſſet niſi tradenti, adeòque conſentienti Eccleſiæ, ſiue Epiſcopo. Nec recedunt Imperiales conſtitutiones *aut. ſi quis c. ad l. Iul. de adult. l. pateant c. Theod. de his, qui ad Eccleſ. confug. in fine.* Vbi *Theod. &*

*Valen-*

*Valentin. Ceſſ. ſed neque Epiſcopo inconſulto, nec ſine noſtra, ſiue Iudicum in alma Vrbe, vel vbicumque iuſſione armatum quempiam ab Eccleſijs abſtrahi oportebit.* Ratione etiam breuiter reddita in pauciſſima verba. *Ne ſi multis paſſim hoc liceat confuſio generetur.* Conſimilem hac de re Vuiſigothorum legem memorat ad eundem

*Lib. 3. c. 5.* *tex. Gothofred.* in ea verba ſtatuentem. *Etiam ſi contigerit homicidam voluntarium ad Altare Sanctum fortaſſe confugere, non quidem præſumat eum abſque conſultu Sacerdotis perſecutor eius abſtrahere.* Moxque de ſuo ſubijcit *Gothofred. Non quaſi hi legem dare, aut reniti poſſint, ſed vt conſultiùs, & ſine tumultu res peragerent.*

Iam igitur & ſacra, & profana iura id volunt, vt inconſulto Epiſcopo in caſibus à iure exceptis reus extrahi de loco ſacro non poſſit, nec difficile erit aſſignare rationem; captura ſiquidem reorum eſt actus iuriſdictionis, quæ nulla penès ſæcularem Magiſtratum in Eccleſiam, vtpotè de alieno territorio *l. extra territorium ff. de iuriſd. omn. Iud. c. 2. de conſt. in 6.*

*De iure aſyl. c. 6.* Quidquid renitatur nouiſſimè *Sarp.* arguens ſubtiliter; ait enim primò; non videri violatam Eccleſiaſticam immunitatem, ſi per vim in ea comprehendatur is, qui eadem immunitate defendi non poteſt. Cum itaque in grauioribus delictis nemo immunitate gaudere poſſit. Igitur & à quocumque comprehendatur, Eccleſiaſtica immunitas illæſa remanet.

Addit, quod prehendendi facultas ab ijs peti debet, qui negare poſſint. Verùm Iudex Eccleſiaſticus hanc facultatem negare non poteſt, non igitur ab eo petenda; adhuc nemo iudicare poteſt, quod ſibi non eſt cognoſcendum. Iudex verò Eccleſiaſticus ſæcularium facinora, vt Iudex non cognoſcit, ideo nullum efficax decretum hac de re fieri poterit. Vtcumque in hiſce ſibi admodum placeat auctor re ipſa tamen, & efficaciter facilè diluuntur.

Nam licèt Eccleſia (vt dicitur ratione prima) crimina excepta non protegat, inde tamen non rectè infertur, poſſe reum extrahi inconſulto Præſule, & ſine eius licentia; inciuile enim id, ne dum irrationabile nemo non dixerit; & quamuis Epiſcopus in caſu excepto hanc licentiam negare non poſſit, petenda nihilominus adhuc eſt ea ipſa ratione, quam reddit *Imp. in d. l. pateant c. Theod. de his, qui ad Eccleſ. confug.* ne ſcilicet fiat confuſio, & irreuerentia in Eccleſiam committatur, neque enim eſt nouum Pontificio iure, vt licentia veniat ab eo petenda, qui negare eam non poteſt; ſic enim in *c. licèt de regular.* Regularis Prælatus non poteſt negare ſubdito licentiam tranſeundi ad arctiorem religionem, & tamen ſubditus petere eam tenetur; ſic etiam Epiſcopus negare non poteſt licentiam regularibus prædicandi in eorum Eccleſia, & tamen tenentur eam petere licèt non obtineant ex nouiſſimo *Concilij Trid.* decreto. Vnde quamuis Epiſcopus ſæcularium crimina iudicare non poſſit, non tamen per hoc eo inconſulto reum ab Eccleſia extrahere licet, neque enim ſi quod ab eo concipiendum eſt decretum, ſuper crimine, aut perſona delinquente illud concipitur; ſed ſuper ipſo extractionis facto, cum enim Eccleſia ſit domus Dei, eiuſque cuſtodia Epiſcopo commiſſa ab ea quid extrahi ſine eius auctoritate, & licentia ratio, aut æquitas non patitur.

A caſu, quo ſit certum confugam non gaudere immunitate tranſimus ad caſum; quo ſit dubium num immunitas competat; & tunc certius eſt non poſſe Iudicem ſæcularem reum extrahere ſine expreſſa Epiſcopi licentia, ſiue

eo inconſulto, donec enim conſtet caſum eſſe exceptum immunitas obtinere debet, & Eccleſia in ſui iuris quaſi poſſeſſione ſeruari; ſic enim ex communi *Decian.* & poſt eum *Farinac.* Verùm emergit hic difficultas, ad quem ſcilicet ſpectet de dubio caſu cognoſcere? num ad Eccleſiaſticum, an verò ad ſæcularem Iudicem? Et Neotericus, cui ſtudium ius Aſylorum quantum poteſt extenuare, qua ſolet auctoritate, pronunciat ex Tripode, communem eſſe opionem ad ſæcularem ſolummodo Iudicem pertinere omnem de medio tollere dubitationem, ipſumque pariter huius rei cognitorem, & Iudicem eſſe, ratione id manifeſtè conſtare ſubdit. *Id enim fieri nequit* (ſunt eius verba) *abſque certa cognitione eorum omnium quæ acciderunt, atque delictum grauiùs, aut leuiùs reddere, culpamque, aut aliqua dignam excuſatione, aut enormem, & atrocem facere poſſunt. Quare quæſtiones neceſſariò habendæ, & omnia diligenter euoluenda, & cognoſcenda ſunt; longè alienum munus ab Eccleſiaſtico, cui res ſpirituales ſolummodo committuntur.* De communi teſtantes regerit auctores, & receptiſſimo vſu in tota Italia. Pulchrè quidem, & ingenuè.

*Tract. crim. lib. 6. c. 36. n. 3.*

*In append. de immun. c. vlt. n. 370.*

*De iure Aſylorum c. 6. pag. 63.*

At verò ad Iudicem Eccleſiaſticum pertinere dubiæ huius difficultatis ſolutionem ſentiendum eſt ratione adæquata ſatis; negari ſiquidem non poteſt, quin cauſa immunitatis ſit cauſa Eccleſiaſtica, cuius cognitio ad ſolum Iudicem Eccleſiaſticum ſpectare poteſt *c. Eccleſia S. Mariæ de conſtit.* vbi enim agitur de immunitate Eccleſiaſtica de re agitur, quæ reuerentiam Dei, & Eccleſiæ tangit, indicant iura in *c. ad Epiſcopos 17. q. 4. in t. fin. de immunit. Eccleſ. in c. ex parte de verb. ſignif. l. pateant C. Theod. de his, qui ad Eccl. confug.* quo caſu ſolus Iudex Eccleſiaſticus ſe ingerere poteſt *c. 2. & ibi not. omnes de Iudic.* nec aduerſari cenſendum, doctrinam vulgatam *Bart. Panorm. & recent.* quæ iam omnium ore iactatur, quod vbi circa rem Eccleſiaſticam ſola facti quæſtio vertitur Iudex ſæcularis ſit competens; nam dignoſcere, an confugiens ad Eccleſiam ſit dignus immunitate, nec ne, non tam eſt quæſtio facti, quàm iuris, nam quæſtio facti eſt, an commiſerit delictum, nec ne an confugerit, nec ne an verò gaudeat immunitate, eſt meri iuris reſpicientis, vt dicebamus Dei cultum, ac reuerentiam, & proinde Eccleſiaſtici Præſulis propria, cuius quidem nulla rationabilis concipi poteſt, aut debet ſuſpicio, quaſi in cauſa, & re propria ſit Iudex ipſe futurus, quod merito leges abnuunt *Rub. cod. ne quis in ſua cauſa Iud.* Nam cauſa huiuſmodi communis Eccleſiæ, quàm Epiſcopi cenſenda magis eſt, quem in cauſa ſuæ Eccleſiæ Iudicem eſſe poſſe certum eſt; vt tradit expreſsè *Gloſ. communiter recepta*, & cum ea *Panorm.* & eò magis in hoc caſu, in quo de cognitione, & ſtatu ſuæ iuriſdictionis agitur, dum de ea dubitatur, & de eius quodammodo competentia, tunc enim nil impedit, quo minùs ſine aliqua ſuſpicione cognitionem exerceat, vtcumque de re ſua agi videatur; ſic in *l. ſi quis ex aliena 5. ff. de iudic.* inquit, *Vlpian. Prætoris eſt æſtimare an ſua ſit iuriſdictio*; ſic in *l. 2. ff. ſi quis in ius vocandi non ier. Ex quacumq. cauſa* (ait ibi *Paul.*) *ad Prætorem, vel ad alios, qui iuriſdictioni præſunt, in ius vocatus venire debet, vt hoc ipſum ſciatur, an iuriſdictio eius ſit.* Vbi *Gloſſ.* expendit quatenùs hic non ledatur edictum, *neque in ſua cauſa iudicet.* Qua de re Iulius Carthar. in luculentiſſima diſput. ſua de Immunit. Eccleſ. vbi tota hæc competentiæ materia eruditiſſimè pertractatur

*Al l. Titia ff. ſol. matr. ad c. ſuam de ord. cognit.*

*Ad c. ſi erga n. 9. 7.*

*Ad c. ad audientiā de appellat. nu. 8.*

tur, hancque diſputationem non adeò obuiam, habuimus ab humanitate D.Caroli Cantharij Sac. Conſill. Aulæ Aduocatorum Decani, viri ſumma eruditione inſignis, eiuſdem Auctoris digniſſimi filij. Nil ergò ſuſpicionis inducit, quod in dubio cognoſcat Epiſcopus, num reus ad Eccleſiam confugiens immunitate gaudeat; & quamuis actus ipſe extractionis ſit, quod meri facti, adeoque res ſæcularis, & non Eccleſiaſtica; ex quo à Iudice laico fieri debeat, attamen cognitio cauſæ extractionis dicit quid iuris, quod cum reſpiciat Dei cultum, & debitam ſacro loco reuerentiam, meritò huiuſmodi cognitio ad Epiſcopum pertinet; vndè corruit, quid ſupra in contrarium afferebatur; quod cognoſcens Epiſcopus in hoc caſu plura cognoſcere, & præſtare debeat, quæ ſpheram Eccleſiaſtici iudicis excedunt, & in appoſita ratione enumerantur, nàm cum tota cognitio verſetur in qualitate imputati delicti, eius cognitio adeò exacta non requiritur, vt ad torturam, & ſæua huiuſmodi deueniri debeat, ſed ſuppoſito delicto, ſpectandum ſolummodò eſt, an illud ſit, quod immunitate non gaudeat, quod tamen ad effectum conſignandi reum Curiæ ſæculari vt puniatur, (quidquid ſit ad effectum extrahendi) concludentiſſimè probandum eſt, & cognoſcendum ab Epiſcopo, neque admittuntur indicia, niſi quatenus ageretur de aſſaſſinio *iuxtà text. in cap. pro humani de homicid. in 6.* præterquā quod ſi quid ratio probaret concluderet etiā, quod Epiſcopus delicta mixti fori cognoſcere non poſſet, quod planè falſum; Et ſi cognoſcere debet Epiſcopus, cognoſcet modo ſuo, & qui ſtatum, & conditionem Eccleſiaſtici Iuriſdictionis deceat, & quo veritatem admiſſi criminis aſſequi poterit.

Verùm nulla remanet dubitatio poſt Conſtitutionem Gregorij XIV. ea enim cauetur expreſsè nimis, & apertè id determinatur, cum in ipſâ hæc verba leguntur; *Niſi cognitio priùs per Epiſcopum, vel ab eo deputatum, an delinquentes verè crimina excepta commiſerint &c.* Cuius quidem conſtitutionis tanta eſt vis, vt omnem conſuetudinem contrariam tollat ſi non expreſsè ſaltèm tacitè; cum enim modum extrahendi reos ab Eccleſia ad vnicum tantùm redigat, adiecta particulâ taxatiua *tantùm*, quæ excludit omnem aliam formam etiam per conſuetudinem inductam *l. Properandum C. de iudic.* præſertim cum contineat clauſulam irritantem, quæ operatur, vt contra conſtitutionem non vſus, aut contrarius vſus allegari non poſſit; vt *Farinac. not.* & eò magis, quò, & *Concil. Trident.* contrarias conſuetudines reuocat; quatenus renouat, & diſtrictè præcipit obſeruari ab omnibus Sacros Canones, Apoſtolicas ſanctiones, & generalia Concilia, circà libertatem, & immunitatem Eccleſiaſticam ſtatuentia, eo enim ipſo contrariam conſuetudinem reuocare cenſetur, aliàs enim antiquarum conſtitutionum, & canonum obſeruantia non diceretur innouari.

*In append. de immun. c. 2. num. 15. Seſſ. 25. c. 20. de reform.*

## CAP. II.

## De Immunitate Eccleſiaſtica, quoàd Perſonas.

1. *Partitio materiæ, & diſpoſitio, exordiendo à priuilegio fori, & eius introductio cum ſuis fundamentis.*
2. *Adducuntur, quæ in contrarium, & ſoluuntur.*
3. *Deducitur eſſe hanc immunitatem à iure Diuino, confirmatur, & ſatisfit inſtantiæ ab immutabilitate iuris Diuini.*

Immu-

IMmunitas hæc Eccleſiaſtica perſonas reſpiciens pro reſpectu tripliei venit expendenda; aut enim reſpectu fori, aut reſpectu legum, & conſtitutionum ſæcularium, aut demùm ratione munerum, tributorum, & onerum, quæ à ſæculari poteſtate proueniant, & de quolibet capite; ſeu qualibet immunitatis ratione paritè, & diſtinctè agemus, quibus ſubinde adnectemus, & de priuilegio Canonis, quod ad immunitatem quandam poteſt reuocari.

1. A priuilegio fori exordiemur tanquam nobiliori, & grauiori, eo enim fundato immunitas, & in reliquis facilius firmata conſiſtet. Segregabimus iuſta methodo ſpiritualia, & merè Eccleſiaſtica à temporalibus, ſeu ſæcularibus, & de vtriſque appoſitè, & diſtinctè.

Supponimus poteſtatem Eccleſiaſticam, eamque coactiuam in foro exteriori, quam iuriſdictionem neceſſariam, ſeu contentioſam, vt vocant ſeribentes, pròvt & parte prima huiuſmodi operis exacte oſtendimus, dari ſcilicet eam in Eccleſia diſtinctam à laica, & ſæculari, quidquid voluerit *Marſilius de Padua*, & cum eo recentiores ſectarij, quorum fundamentis occurrendo reſpondimus. *Defenſ. pac. p. 2. c. 4. Tom. 1. tract. 1 lib. c. 6. n. 7.*

Hac igitur ſuppoſita, conſequitur euidenter Clericos in cauſis Eccleſiaſticis, ſeu ſpiritualibus immunitate omnimoda gaudere à laica, ſeu ſæculari iuriſdictione; poteſtati enim non purè abſtractæ, ſed verè exiſtenti, ac regimen Eccleſiæ reſpicienti, pròvt dicit Rempublicam à ciuili, ſeu politica diſtinctam; vtcumque non omninò ſeparatam, cum Eccleſia ſit in Republica, huic (inquam) poteſtati ſua debet reſpondere materia circa quam verſetur, & circa quam exerceatur, eaque non alia eſſe poteſt, niſi cauſæ Eccleſiaſticæ ſpirituales, quæ cum nec directè, nec indirectè cadant ſub poteſtatem, & cognitionem ſæcularis, & laicæ poteſtatis, ideò Clerici ratione earundem huiuſmodi poteſtati non debent ſubijci, cuius ſphera eòvſq; non protenditur.

Adſtruunt fundamentale hoc principium Diuinæ auctoritates illæ, quæ Eccleſiæ regimen eiuſdem Præſulibus addicunt; *Quodcumque ligaueris ſuper terram erit ligatum, & in Cœlis*, *Io. 21.* *Qui vos audit me audit. Qui vos ſpernit me ſpernit. Dic Eccleſiæ; Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi tanquam Ethnicus, & Publicanus.* *Matt. 16* *Lucæ 10.* *Matt. 18.*

Quibus adſtipulantur, & illæ, quæ ex Diuina inſtitutione iuditiariam poteſtatem in Eccleſia, & tribunal exhibent, ex quo in ſibi ſubiectos iuriſdictionem neceſſariam exerceat Eccleſia, & in ea Eccleſiaſtici Præſules. *Quid vultis in virga veniam ad vos?* eiuſdem. *Ego quidem abſens corpore præſens autem ſpiritu, iam iudicaui, vt præſens, eum, qui ſic operatus eſt.* Et iterùm. *Quid enim mihi de his, qui foris ſunt iudicare? non ne de iis, quæ intus ſunt vos iudicatis?* Adhuc. *In promptu habentes vlciſci omnem inobedientiam.* Et inferiùs. *Nam etſi amplius gloriatus fuero de poteſtate noſtra, quam dedit mihi Dominus in ædificationem, & non in deſtructionem veſtram, non erubeſcam.* Demùm. *Ideò hæc abſens ſcribo, vt non præſens duriùs agam ſecundum poteſtatem, quam dedit Dominus mihi.* Et ad Coronidem *Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis.* Quæ ſanè auctoritates eam in Eccleſia ſupponunt poteſtatem, qua dirigere non ſolùm, ſed & coercere, ac punire ſubditos Eccleſiaſtici Præſules poſſunt *Chryſoſtomus* mentis D. Pauli interpres tutiſſimus ad verba illa. *In virga veniam ad vos, in virga, in* *D. Paul. 1 ad Corint. c. 4. & 5.* *2. ad Corint. c. 10 13.* *Ad Hebr. c. 13.* *Homil. 14 in 1. ad Corint. c. 4. poſt med.*

pœna,

Digitized by Google

*pœna, & ſupplicio, hoc eſt perdam, & cœcabo, quod in Saphira Petrus effecit, quod ipſe in Elima mago.* Immo & poteſtatem fori exterioris in Clericorum regimen agnouit, idem Apoſtolus ad Timotheum ſcribens. *Aduerſus Presbyteros accuſationem noli recipere niſi ſub duobus, aut tribus teſtibus;* quę verba criminale iudicium præſeferunt, & in crimina poteſtatem, quæ data à Chriſto Domino, à quo vno tota Eccleſiæ poteſtas, ſolis Eccleſiæ Paſtoribus, ipſorum etiam eſt propria excluſiuè quoad alios, vtpote tota Diuina, & à Diuino iure excelſior humana, quæ penès ſæculares magiſtratus, & ab ea planè diuerſa.

Et ad hæc fundamenta reſpexere Summorum Pontificum, & ſacrorum Conciliorum auctoritates ſacrorum hominum immunitatem perſonalem aſſerentes; ſic enim *Ioann. Papa in c. ſi Imper. 96. diſt. ſi Imp. Catholicus eſt (quod ſalua pace ipſius dixerim) filius eſt non Præſul Eccleſiæ.* Paucis interiectis. *Habet priuilegia ſuæ poteſtatis, quàm adminiſtrandis legibus publicis Diuinitus conſecutus eſt, vt eius beneficij non ingratus contra diſpoſitionem cœleſtis ordinis nil vſurpet. Ad Sacerdotes enim Deus voluit, quod Eccleſiæ diſponendæ ſunt, pertinere, non ad ſæculi poteſtates.* Mox inferiùs. *Non à legibus publicis, non à poteſtatibus ſæculi, ſed à Pontificibus, & Sacerdotibus Omnipotens Deus Chriſtianæ Religionis Clericos, & Sacerdotes voluit ordinari, & diſcuti.*

*Gelaſius in Can. nunquam* immediatè ſequenti *Nunquam de Pontificibus niſi Eccleſiam iudicaſſe. Nicolaus in Can. denique ead. diſt. Denique hi, quibus tantum humanis rebus, & non Diuinis præeſſe permiſſum eſt, quomodo de his, per quos Diuina miniſtrantur iudicare præſumant penitùs ignoramus. Fęlix Papa in c. certum eſt. Nicolaus I. in c. Imperium, in c. quoniam 10. diſt. Innoc. III. in c. Eccleſia S. Mariæ de conſtitut. in c. ſolitæ de maior. & obed. & in c. nouit. de Iudic.* & demùm *Honor. III. in c. 2. de iuram. calumn.*

Sunt quidem hæc Romanorum Pontificum teſtimonia, & decreta, at non ideò minoris fidei, & quaſi in cauſa propria ſuſpecta. Neque enim aliud dictum, aut aliter creditum ab antiquioribus etiam Eccleſiæ Patribus *Gregor. Nazianzen. in Can. ſuſcipitis 10. diſt. & Ambroſio in Can. conuenior. 23. q. 8.* qui Eccleſiaſtici quidem, at Sanctiſsimi Viri, in quos nulla cadat vſurpationis ſuſpicio, & quos, alioſque pares Eccleſia tanquam Doctores legitimos ſemper ſuſpexit, à quibus & ſanam doctrinam, & Eccleſiaſticarum traditionum traducem tanquam per fidiſſimas manus recepit, ſimulque ſacrarum ſcripturarum veram, eamque germanam intelligentiam; at de iudiciaria hac iuriſdictione Eccleſiæ fuſiùs, & altiùs cum de iudicijs tractatum inſtituemus.

Sunt igitur Clericorum perſonæ à ſæculari poteſtate, & iuriſdictione immunes, quod tamen non ita accipimus, vt pridem ſubiectæ mox fuerint ab eadem ſubtractæ, ſed ita vt nunquam ea conceſſa ſæculi Principibus, nec vnquam eandem in Clericos habuerint. Erexit ſiquidem Chriſtus Dominus Eccleſiam ſuam Rempublicam ſibi conſtantem, atque perfectam, ac proinde omni inſtructam poteſtate, qua & ſe, & ſuos regere, dirigere, coercereque poſſet, aliàs enim non fuiſſet ſibi ſufficiens, erectiſque in ea magiſtratibus, ac aſſignatis Paſtoribus, iiſdem poteſtatem in ſibi ſubiectos tradidit, & non ſæculi Principibus, qui ideò hanc eandem poteſtatem non natam, ſed traditam adrogare

gare

gare ſibi nunquam potuerunt; in primis enim Eccleſiæ cunabulis nulli extitere Chriſtiani Principes, ſed omnes Ethnici, ſeu Gentiles, quos poteſtatem iuridicam in Eccleſiaſticas perſonas habuiſſe nemo dixerit, cum à Chriſto ipſis tradita vix cogitari poſſit.

Nec magis eam acquiſiuerunt, cum agnita veritate, ſuaui Chriſti iugo colla piè ſubmiſere, cum tradita ipſis nunquam fuerit ab eo, qui vnus ipſam tradere poterat, vnde cum pro ſpiritualibus,& Eccleſiaſticis cauſis in Eccleſiaſticas perſonas iuridicem nunquam habuerint ſæculares Principes, iam Clerici non per ſubtractionem, aut poſitiuum aliquod priuilegium, ſed (dixerimus) per negationem, ita, vt nunquam à primæua conſtitutione fuerint ſubiecti immunes ſemper extitere; idq; non de ſolis Clericorum perſonis intelligendum,ſed & de laicis, quatenus de cauſis eorum ſpiritualibus agatur, cum huiuſmodi ſpirituales cauſę ſint materia propria ſpiritualis, & Eccleſiaſticæ poteſtatis,eaſque dicemus eſſe, quæ fidem, Sacramenta,Diuinum cultum, & animæ ſalutem reſpiciunt, vt notant communiter ſcribentes *ad c. Eccleſia S. Mariæ de conſtitut.* & poſt eos *Couar.* & hac de re exactius, cum (vt iam diximus) materiam Eccleſiaſticorum iudiciorum ex profeſſo tractabimus.

*Prac. quaſ. c.31.verſ.1. conc.*

2 Nec veritati obloquuntur auctoritates, quas ex *Marſilio de Padua* congerunt ſectarij, vt hanc poteſtatem ab Eccleſia excludant,eamque ſæculi Principibus tanquam ſummis Reipublicæ capitibus aſſerant. Dixit quidem *Diu. Paul.*, *Qui poteſtati reſiſtit Dei ordinationi reſiſtit*. Dixit Sapientia. *Per me Reges regnant,& legum conditores iuſta decernunt*.

*Epiſt. ad Rom. cap. 13.*

*Prouerb. c.8.*

At poteſtati præcipienti parendum, nec ei reſiſtendum, ait *D.Paul.* ſed diſtributiuè accipiendus vnicuique ſcilicet in foro ſuo,& intra ſpheram iuriſdictionis ſuæ imperanti. Nam & generalitèr præmiſit, *omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*. Non omnis, & quælibet anima cuilibet poteſtati, ſed quælibet Principi ſuo, exhibita tamen omnibus reuerentia, & cultu; Quò & reſpexit, dum monuit; *Obedite Præpoſitis veſtris*; non Præpoſitis abſolutè, ſed limitatè, *Veſtris*, vt ab vno quoq; parendum ſuo indicaret legitimè imperanti, & intra fines iuriſdictionis ſuæ,*l.fin.ff.de iuriſd.omn.iud.*

Nec attendimus, quod Iuſtinianus Imperator conſtitutiones ediderit de perſonis Eccleſiaſticis, & Eccleſiaſticis rebus, ſuo *Cod.* inſertas, quamuis hoc tempus ſummopere ſpectandum voluerit Neotericus neſcio quis tanquam verùm ſtatum Eccleſiæ quòad regimen, veramque formam eius adminiſtrandæ exhibens; non enim eſt nouum, quod Imperatores Orientis typho nimio elati,& inſtigantibus etiam non nunquam Epiſcopis ipſis (vt alias aduertimus) exceſſerint in rebus Eccleſiaſticis tractandis; vndè & eorum veſtigia ſecutus Iuſtinianus pariter exorbitauerit; & ideò conſtitutiones huiuſmodi nullam vim obligandi habent, nec veræ leges ſunt credendæ, ſed ad ſummum ad inſtructionem, & directionem accipiendæ;vt admonent ſacri iuris Interpretes.

*Felin. ad c. Eccleſ. S. Maria n. 36. Ab. n. 15.*

Nec mirùm (vt hoc obiter dicamus) videri debet, ſic exorbitaſſe Iuſtinianum, cum enim, vt aduertit *Baron.* fuerit ipſe literarum omninò rudis, vt nec alphabetum aliquandò didiciſſet,& ideò (inquit *Suidas*) dictus fuerit analphabetus; eumque Tribonianus, cuius opera in legibus ſanciendis, & codice conſarcinando potiſſimũ vtebatur, ethnicus eſſet, veroſimilimum eſt, omnes Eccleſiaſticas Iuſtiniani conſtitutiones fuiſſe Epiphanij Conſtantinopolitani Epiſcopi, & Mennæ, qui ei in Epiſcopatu

*Annal. t.7. ann. 528. in princ.*

patu ſucceſſit, qui edi eas ideò conſenſerint ab Imperatore, vt paratiorem executionem, & obſeruantiam haberent, adeò vt verè dici poſſit, vt quot ſunt Iuſtiniani conſtitutiones de perſonis, & rebus Eccleſiaſticis loquentes, totidem ſint Conſtantinopolitanorum Antiſtitum decreta.

Niſi dicere velimus, in ſanciendis huiuſmodi legibus non adeò impudenter egiſſe Iuſtinianum Chriſtianum Principem, vt crederet imperiali auctoritate, ſe idem præſtare potuiſſe, ſed potiùs ex præſcripto Sacrorum Canonum, adeò vt non vt legum conditorem, ſed vt Sanctorum Canonum executorem, vindicem, & aſſertorem ſe gereret qualem ſe pluribus conſtitutionibus ſuis apertè nimis conteſtatur; à quarũ verbis regerendis conſultò temperamus; quod ſi aliò iure, aut titulo id ſe facere potuiſſe credidit Iuſtinianus, errauit, ideòque *Baron.* poſt relata Procopij verba de nimio Iuſtiniani ſtudio circa ſacra, claudit: *Quibus, dum plus; quàm Imperatorem decet curioſè vacaret, vniuerſum dedit peſſum Imperium*.

*Nouel. 3.6.123. 133.137.*

*Annal. to. 7. ann. 549. in fin.*

3 Ideoque Clericorum, & ſacrarum perſonarum exemptionem ab altiori, eoque diuino pendere, ac orin principio, ante Iuſtinianum agnouerunt *Theodoſ. & Valentian. Cæſſ.* conſtitutione edita, quæ habetur *in Cod. Thod. de Epiſc. Eccleſ. & Cler. l. 47.* quàm, & reddit *Baron.* ſic ſtatuentes *Clericos etiam, quos indiſcretim ad ſæculares Iudices debere deduci infauſtus præſumptor* (Ioannes ſcilicet Tyrannus) *edixerat Epiſcopali audientiæ reſeruamus. Fas enim non eſt, vt Diuini muneris miniſtri temporalium poteſtatum ſubdantur arbitrio.* Et ante eos haud minùs piè *Valens, Gratian. & Valentianus Auguſti in l. 23. eiuſd. Cod. Theod. ſub eod. tit. Qui mos eſt cauſarum ciuilium idem in negocijs Eccleſiaſticis obtinendus eſt, vt ſi qua ſunt ex quibuſdam diſſentionibus, leuibuſque delictis ad religionis obſeruantiam pertinentia, locis ſuis, & à ſuæ Diœceſeos ſynodis audiantur.* Recitat, & *Baron.* Subſequentia conſtitutionis verba non diſſimulamus, ſed ommittimus, oportuniùs de ijs acturi. Id ipſum, & legibus ſuis ſanxiſſe *Valentianum ſeniorem* teſtatur *Ambroſ.* ſcribens ad Valentianum iuniorem eiũs filium. *Cum hoc aſſeram, quod auguſtæ memoriæ Pater tuus non ſolum ſermone reſpondit, ſed etiam legibus ſuis ſanxit. In cauſa fidei, vel Eccleſiaſtici alicuius ordinationis eum iudicare debere, qui nec munere impar ſit, nec iure diſſimilis; hæc enim verba reſcripti ſunt; hoc eſt ſacerdotes de ſacerdotibus voluit iudicare. Quin etiam ſi aliàs quoque argueretur Epiſcopus, vt morum eſſet examinanda cauſa, etiam hanc voluit ad Epiſcopale iudicium pertinere.* Moxque *quando audiſti Clementiſſimè Imperator in cauſa fidei laicos de Epiſcopo iudicaſſe? Ita ergo quadam adulatione curuamur, vt ſacerdotalis iuris ſimus immemores, & quod Deus donauit mihi, hoc ipſe alijs putem eſſe credendum?* Et inferiùs. *At certè ſi vel ſcripturarum ſeriem diuinarum, vel vetera tempora retractemus, quis eſt, qui abnuat in cauſa fidei, in cauſa,* (inquam) *fidei Epiſcopos ſolere de Imperatoribus Chriſtianis, non Imperatores de Epiſcopis iudicare?* Hactenùs *Ambroſ.* qui haud obſcurè innuit, vndè tantum iuris Eccleſiaſticis Præſulibus, vt de cauſis Eccleſiaſticis, ſiuè fidei, ſiue morum Eccleſiaſticorum hominum iudicent, dum inquit; *Quod Deus donauit mihi. Et diuinarum ſcripturarum ſeriem retractemus.* Non enim aliundè, quàm à Deo ipſo, & Diuino iure profectum indicat, quòd & communi

*Tom. 5. annal. an. 425.*

*Anno 376. tom. 4.*

*Epiſt. 13.*

muni voto approbant Catholici Doctores.

At quomodo duo hæc ſtare ſimul poſſunt? vt ſcilicet Clericorum immunitas ſit Diuini iuris, & à Diuino iure, quod eſt immutabile, & poſſit Summus Pontifex cauſas Eccleſiaſticas, & Eccleſiaſticam iuriſdictioné laico mandare, quod tamen poſſe fieri eſt commune ſcribentium aſſertum; Augetur inſtantia; quia hæc immunitas dicta ſupra eſt Diuini iuris negatiuè, ità vt ſæculi Iudicibus nunquã data à Chriſto Domino fuerit poteſtas, aut iuriſdictio in Clericos, & Eccleſiaſticas perſonas; ſi hoc ius Diuinum eſt, vt re vera eſt, immutabile, nunquam fieri poterit, vt ſæcularis Magiſtratus ex vi ſuæ poteſtatis de cauſis huiuſmodi cognoſcere valeat, neque hoc, tanquam pugnans cum ratione naturali, videtur poſſe vlla diſpenſatione honeſtari, ſed tanquam quid Diuinum, aut Diuini iuris immutabile, & ſemper idem eſſe debet.

Non pugnant tamen duo hæc, eſſe quid iuris Diuini, adeòque immutabile, & tamen pro vario reſpectu poſſe variè determinari; nam ius naturale, & ipſum Diuinum eſt, ſimulque immutabile, §. *ſed naturalia inſt. tit. de iure nat. gent. & ciu.* & tamen idem permanens poteſt pro varia exigentia diuerſimodè determinari; vndè appoſitè *Vlp. in l. ius ciuile ff. de inſtit. & iure*; *ius ciuile, dixit, quod neque in totum à natura recedit, nec per omnia ſeruiat, ſed ei vel aliquid addat, vel aliquid detrahat*, haud abſimiliter immunitas, & ſi à Iure Diuino, & Diuini Iuris, non tamen annuit, quò minùs in caſu aliquo ſingulari à Summo Pontifice variè determinetur ſæculari etiam delegando, qui tunc, vtcumque aliàs iuriſdictionem propriam habeat, non tamen iure ſuo, ſed beneficio alieno cognoſcet; ſic enim ad rem rectiſſimè *Julian. & ſi Prætor ſit is qui alienam iuriſdictionem exequitur; non tamen pro ſuo imperio agit, ſed pro eo cuius mandato ius dicit, quoties partibus eius fungitur in l. 3. ff. de off. eius, cui mand. iuriſd.* quod & dixerat *Papinian. in l. 1. §. qui mandatam ff. eod.*

Non enim vetitum diuino iure, quin ſpiritualis iuriſdictio laico committatur; vetant quidem id Sacri Canones, nec facili, aut frequenti diſpenſatione ſolet concedi, non tamen implicat, vt à Summo Pontifice ſuprema, & abſoluta ſua poteſtate poſſit id fieri, vt obſeruant *Panorm. & Felin.* non vt quaſi Ordinarium regimen Eccleſiæ Principibus ſæculi committatur, cum iure diuino ſit cautum, vt Eccleſia ab Epiſcopis regatur, *in quo Spiritus Sanctus vos poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*; ſed vt ſingulariter cauſa aliqua particularis cognoſcenda, & decidenda mandetur. Hactenùs circa merè ſpiritualia, & Eccleſiaſtica; ſuccedunt temporalia, de quibus longè maior eſt difficultas, & controuerſia, eamque exactè, & ſeparatim pertractabimus.

*Ad c. Eccleſ. S. Mariæ de Conſtit.*

*Act. Apoſtol. c. 20.*

## De Sacrorum Hominum, ſeu perſonarum Immunitate in Ciuilibus, ſeu Temporalibus, & præſertim in Criminalibus.

### §. I.

1. *Proponitur, an potuerit exemptio fieri, & negatiua ſententia adſtruitur.*
2. *Veritas aſſeritur, & fundatur, & oppoſita opinio retorquetur per ſingula cuius fundamenta.*
3. *Proferuntur auctoritates antiquitatem, & veritatem huius priuilegij confirmantes.*

Vt-

Vteumque veritas, & ſeruata à pijs Principibus praxis ſatis per ſe clamet, Clericos, & Eccleſiaſticas perſonas à ſæculari iuriſdictione in temporalibus eſſe exemptas, ac proinde potuiſſe etiam iuſtè eximi, ab re tamen non erit inquirere impenſiùs huiuſce exemptionis veritatem, quæ quidem penes Politicos ſuas paſſa eſt impugnationes. Expendemus itaque pro inſtituto breuiter; an potuerit ipſa fieri, vt inde facta facilius concludatur, & ſubinde à quo, & quatenùs ſucceſſiue fuerit obſeruata.

1 Qui factam negant huiuſmodi exemptionem, vt *Marſil. de Padua*, & eius ſectatores non poſſe id meliùs probari crediderunt, quàm negando potuiſſe ipſam fieri, ſaltèm ità efficaciter, vt Princeps ſupremi ſæculares illam obſeruare teneantur, quaſi in ea facienda contra ius naturale, & diuinum ſit apertè peccatum.

Principum enim ſæcularium poteſtas à Deo eſt; *Per me Reges regnant* ait Dei ſapientia, ipſiſque Diuino, & naturali iure debetur obedientia, tanquam eodem iure omninò neceſſaria, *non ſolum propter iram, ſed propter conſcientiam*, inquit *D. Paulus*, & eadem poteſtate omnes homines ſibi ſubiectos regere, & poſſunt, & debent; & ideò ſubditus nemo videtur poſſe ab huiuſmodi poteſtate ſubtrahi ſine diuini, & naturalis iuris notabili violatione; & vt ad actum id redigamus; aut potuit fieri hæc exemptio à Deo, aut ab homine. Non à Deo; qui ſibi metipſi videretur contrarius, dùm iubens ſubditis obedientiam in principem, è contrà eoſdem ſubtraheret, ac ab obedientia ſolueret, cum id operetur exemptio, & præſertim adeò vniuerſalis, vt per eam non ſingularis aliquis, aut pauci numero homines, ſed tota Clericalis conditio eximatur; neque eſſet hoc aliud, quam diſpenſare in Diuino, & naturali iure, in quo, vt poſſit Deus diſpenſare; non tamen poteſtate ſua ordinaria diſpenſat.

*Prouerb. c. 8. 25.*

*Ad Rom. c. 13. 5.*

Non ab homine, miſſo enim, quod homo iuri diuino, & naturali, cui innititur debita Principibus obedientia, derogare non poteſt, vix eſt, vt aſſignari poſſit quiſnam exemptionem huiuſmodi indulſerit.

Non Pontifex Supremus Romanus, cum non poſſit priuare Reges poteſtate ſua;

*Non eripit mortalia, qui regna dat Cœleſtia.*

Canit Eccleſia in ſolemni Epiphaniæ, immò nec intendit ea, quæ ſunt Principum vllo modo inuadere, *c. per venerabilem qui fil. ſint legit.* & ſi non poteſt reſpectu vnius Regis particularis, minùs reſpectu regum omnium, & Principum fidelium; immò ſicuti; quo caſu Clerici eſſent ſubditi Regibus, & Principibus, ethnicis, & infidelibus non poſſet exemptionem huiuſmodi Clericis ipſis largiri; ità minùs reſpectu Principum, & regum fidelium, tùm quià non minùs ſunt ipſi ſupremi, ac ſit ethnici, tum quia fideles Principes deterioris non debent eſſe conditionis, quàm ſint infideles.

Non Imperator, aut Reges; qui priuilegium indulgere non poſſunt, per quod Regia, & ſuprema dignitas, aut Maieſtas minuatur, quæ ipſorum dominium longiùs ſuper excellit; indeq; Celebres, & Politici, & Iuris-Conſulti aſſeruere Maieſtatis iura eſſe penitùs inabdicabilia, nec Principem quantumuis ſupremum abdicando aliquid agere; immò ſubditum, quantumuis ad ſublimem gradum euehatur, non poſſe tamèn maieſtatem. Principis ſui naturalis excutere, adeò ius hoc ſublime

*Poſt alios Bodin. de Rep. lib. 7. c. 9.*

eſt infixum immutabilitèr; vndè & hæc maieſtatis iura cenſentur omninò impræſcriptibilia; hucque reſpiciens *Martin. Nauar.* aſſeruit non poſſe Regem, aut Principem ità ſoluere ſubditos ſuos, vt nec ſibi, nec Magiſtratibus ſuis parere teneantur, quaſi ſolutio huiuſmodi pugnet cum ea naturæ lege qua parentibus; & Patriæ parere tenemur, *l. de licti de inſtit. & iure*; cumque (ad rem) Clericorum exemptio nil aliud operetur, niſi vt Clerici ipſi ſoluantur ab obligatione, qua Regi, & Principi ſuo naturali, & Diuino iure parere tenentur; iam ea non potuit ab Imperatore Rege aut Principe, quantumuis ſupremo, pugnante, & refragante Diuino, & naturali iure, concedi. Abſurdum ingens retexit Neotericus quidam, quia cum Eccleſia, & Eccleſiaſtici Præſules pœnam ſanguinis, & alias huiuſmodi immaniores abhorreant, nec eas poſſint infligere, eximere Clericos à ſecularium Principum poteſtate, nil aliud eſſet, niſi delictis iiſque grauioribus, laxare habenas, & libertatem delinquendi ampliſſimam indulgere; ſicque nunquam factam Clericorum exemptionem concludunt quam ipſi non facienda euincere per hactenùs dicta ſtudent.

2 Verùm retorquetur egregiè paralogiſmus arguendo immò à facto ad potentiam, inferendoque fieri id optimo iure potuiſſe, quod factum intuemur, & dum Eccleſiaſticos homines iam exemptos, pro fidelium Principum pietate, aſpicimus, eximi etiam eos potuiſſe, inde iuſtè concludimus, & è conuerſo iiſdem illis fundamentis id ipſum probamus, quibus hactenùs oppoſitum ſuadere niſi ſunt impugnantes.

Pugnare enim cum Dei voluntate hanc exemptionem vix patienter admittunt aures, minuſque fieri eam potuiſſe à Deo; Deus enim omnium Dominus; *Domini eſt terra, & plenitudo* (Pſalm. 23. 1.) *eius*; idemque Dominus vitæ, & necis, hocque dominium; dictante naturæ lumine, deoque ipſo inſpirante quolibet mundi æuo, & ſub qualibet lege, ſiue naturæ, ſiue ſcripta, ſiue gratiæ, per ſacrificium ſemper conteſtati ſunt, & conteſtantur quotidie homines, ſiue fideles, ſiue infideles modo ſuo, vt omittamus, frequentiſſima ſacrorum vatum elogia ſupremum hoc dominiũ in Deo extollentium; ideoque non ambigiendum, quin eadem illa poteſtate, qua regna transferre poteſt, potuerit Clericos à poteſtate illa, quam Regibus tradidit, ſubtrahere, & in poteſtatem Summi Pontificis, adeoque ſpecialem ſuam, transferre, eo planè modo, quo primogenita cuncta in lege veteri ſibimetipſi conſecrauit; *ſanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vuluam in filijs Iſrael, tàm de hominibus, quàm de iumentis*; (Exod. c. 13. 2.) Reddita etiam immediatè ratione; *Mea ſunt enim omnia*.

Nec veremur indè, aut mutationem in Deo, aut diſpenſationem ab ipſo factam in naturali iure penitùs indeſpenſabili, quod ſubiectionem principibus terræ dictat; iam enim nihil mutabile, aut variabile eſſet in Mundo, vel in Eccleſia, ſi ſemel ſtatuta non poſſent mutari ſine Dei mutatione, immutatus ſiquidem ipſe manet, & mutat, quæ mutanda pridem decreuerat, poſueratque ſemper cum reſpectu ad beneplacitum Diuinæ voluntatis ſuæ iuxtà varia ſuæ prouidentiæ decreta.

Nec magis diſpenſatio contingit in lege naturali penitùs indiſpenſabili, vis enim diſpenſationis in eo conſiſtit, vt docet, poſt alios *Suarez* vt integra, (De legib. lib. 6. c. 10 num. 2.) & ſalua obligatione legis, quis ità ſoluatur, vt parere, & ipſam implere non teneatur, idemque dicendum de iuriſdictione, & Principis poteſtate, vt ſcilicet ea ſtante, ac vigente, ſubditus nihilo-

bilominus ei obedire non teneatur; & in hunc ſenſum diſpenſare in lege naturæ, nec Deus ipſe poteſt; at verò vbi ab habente poteſtatem tanquam ſuperiore, aut tollitur lex, aut admittitur iuriſdictio alicui, ità, vt in aliquem, aut in aliquos eam ampliùs non habeat, iam non eſt diſpenſatio in lege obedientiæ, ſed mutatio per quam, qui pridem erat ſubditus, deſinit eſſe ſubditus, & qui ſuperior deſinit eſſe ſuperior, & in hunc ſenſum potuit Clericorum exemptio à Deo fieri ſine vlla naturalis præcepti diſpenſatione, in quem diſpenſare Deum poſſe in naturali præcepto ſenſiſſe Theologos notat idem *Suarez*, mutata ſcilicet materia, & variatis circumſtantijs; qua mutatione inducta ceſſat per ſe legis obligatio, ſicque non violato legis naturalis præcepto, nec facta in eo diſpenſatione ſubſiſtit Clericorum exemptio. *De legib. lib. 2. c. 15 num. 26.*

Nec magis repugnat potuiſſe eam fieri à Pontifice ſummo, in quo cum poteſtas poſſit conſiderari, & humana, & diuina, fatemur quidem ſola humana Clericorum exemptionem fieri non potuiſſe; nulla enim huiuſmodi humana poteſtas, poteſt in Summo Pontifice conſiderari, qua poſſit connaturalem Principibus poteſtatem tollere, qui cũ maieſtate gaudeant in dictione ſua, ſuperiorem agnoſcunt Deum immortalem, & præterea neminem, à quo ſuprema eorum poteſtas poſſit minui; nec ad præſcriptionem poteſt haberi confugium, cum ea quæ ſunt maieſtatis, ſint omninò impræſcriptibilia.

Remanet ergo poteſtas ſupernaturalis, adeoque Diuina, qua potuerit Summus Pontifex hanc Clericorum exemptionem inducere. Agnoſcunt enim, ac ſuſpiciunt ſublimem hanc poteſtatem in Chriſti Vicario, & huius poteſtatis medio potuiſſe induci Clericorum exemptionem à ſeculari poteſtate, vix ambigere licet ſalua fide, de facto dubitatio aliqua excitari poſſet, an reuera Summus Pontifex illam fecerit, qua de re agemus loco ſuo; nec congrua eſt illatio ab ethnicis Regibus, ad Catholicos Principes, qui non ideò dici debent deterioris conditionis, ad plura enim obligat ſuaue Chriſti iugũ volentes, ad quæ ethnici non tenentur, qui cum verum Deum non cognoſcant nec ea admittunt, quæ verum Dei cultum conſequuntur, *de his autem qui foris ſunt nihil ad nos, ait D. Paul.* *1. ad Corinth. c. 5. 12. 13.*

Supereſt itaque vt à Regibus, & Principibus ſæculi potuerit fieri, idque admittimus; cum potuerint, & poſſint ipſi iuri, & fauore ſuo renunciare, ipſum abdicare *l. fin. C. de pactis*, & in Summum Pontificem, aliosque Eccleſiæ Præſules transferre; admittimus non poſſe Principem, quantumuis ſupremum, ea, quæ ſunt maieſtatis à ſe abdicare, aut in alium transferre; verum vbi non homini, ſed Eccleſiæ vniuerſali, aut eius capiti Pontifici Summo fiat exceſſio, aut contigat donatio, in eum illa, quæ ſunt maieſtatis tranſeunt, non enim eſt hoc cedere, aut transferre, ſed reſtituere Deo omnipotenti, cuius omnia ſunt, vt latè, & eleganter diſſerit *M. Anton. Peregrin.* Vndè potuere Principes pietatis intuitu pro eo ſupremo dominio, quod vocant interpretes iuriſdictionis, & quo poſſunt de rebus, & perſonis ſibi ſubiectis in commune bonum diſponere, cedere iuriſdictionem in perſonas Eccleſiaſticas, & Deo dicatas, ac quidquid iuris in eas habent, in Summum Pontificem transferre, & Eccleſiæ Prælatos, quæ ſanè translatio argui nullo modo poteſt, cum nec vlli legi repugnet, nec deficiat poteſtas in transferrente, vt potè qui à Populo omnem poteſtatem in ſe tranſmiſſam habeat, *l. 1. ff. de conſtit. princ.* ſupponimus enim ſemper ſupremum *Conſ. 4. vol. 1.*

mum

mum Principem ſuperiorem non agnoſcentem, qui nec vtilius eadem poteſtate vti potuerit, quàm in Dei obſequium, & Chriſtianæ Fidei cultum.

Neque pugnat eum iuſtitiæ lege, quaſi dimittantur à Principe Clerici, vt nullius regimini ſubdantur; & fiant quodammodò acephali ſine rectore, ſine Iudice, quo caſu eſſet planè irrationabilis libertas, & ipſi Reipublicæ in detrimentum; verùm dimittendo à ſe, ità ſoluit Princeps, vt regimen in Summum Pontificem, & alios Eccleſiæ Præſules transferret, quod quidem potuit eſſe recto regimini magis conueniens, vt ſcilicet ſacræ perſonæ, & Deo dicatę ſicùt gradu, & caractere à cęteris ſubditis diſtinguunt; ità & regimine ſegregentur; & ab ijs regantur, qui Dei vices viſibilitèr ſuſtinent, ſacra enim à ſacris tractari maximè decet.

Quæ ſanè ratio facit, vt hæc exemptio nullo modo pugnet cum Diuino, aut naturali iure, à quo eſſe Regiam poteſtatem; & ſupremorum Principum iuriſdictionem aſſerunt oppugnantes ſectarij, quo iure tenentur ſubditos ſuos regere; non enim deſtituunt, aut muneri ſuo deſunt, dum in alios magis competentes transferunt, ac in Diuinum obſequium alijs cedunt.

Neque moramur quod hæc exemptio nil aliud ſit, niſi libertas, qua ad delinquendum laxantur habenæ, ex quo Eccleſiaſtici Præſules ob lenitatem, quam profiteri debent, inſurgere in delinquentes condignis pęnis non poſſit, nil enim prohibet, quò minùs Summus Pontifex legibus, conſtitutionibus ſuis pęnas corporales, & mortem ipſam comminando infligat, vt notant, *Innocent. Bald. & Couarruu.* quamuis ob lenitatem, quam decet maximè Eccleſiam horrentem ſanguinem, ipſa actu, & per ſententiam eam non infligat, *C. per venerabilem in fin. qui fil. ſint legit. C. 1. de homicid. in 6.* non enim eſt, quod non poſſit, licèt non debeat, *ad l. qui iuriſdict. ff. de iuriſd. omn. iud.* At verò vbi criminis atrocitas pęnam mortis exigit, tradit Eccleſia reum ſæculari poteſtati, quæ meritam pęnam infligat, aduocans enim brachium ſæculare vtitur iure ſuo, & pij Principes operam ſuam obſequentèr præſtant in malorum hominum vindictam, idque ſatis, ne dici iuſtè poſſit Eccleſiam viam criminibus aperire, ex quo pares ijs pęnas nequeat infligere; præcipuè cum citrà pęnam mortis poſſit delinquentes Clericos grauiſſimis alijs pęnis afficere, vt arcti, & perpetui carceris, ad triremes, exilij perpetui, quæ quidèm haud immeritò morti æquiparantur, eum ſint reuerà veluti mors diuturna *C. Nouimus §. vn. de verb. ſignif.* quod verò ſceleſti homines anſam delinquendi inde recipiant; per accidens omninò eſt, & ex eorum prauitate, neque conſiderabile, vt arguatur, non debuiſſe, aut potuiſſe fieri exemptionis Clericalis priuilegiū.

*Ad C. 2. de Maiorit. & obed. Var. lib. 2. C. 20. n. 10.*

3 De qua ſine grauiſſimo errore ambigere non ſinunt vetuſtiſſimorum Pontificum, Conciliorum, & Canonum teſtimonia, quæ tanquàm de re antiquiſſima, & ipſi Eccleſiæ coeua, adeòque non vſurpata, ſed iuſtiſſimè inſtituta, loquuntur; vt enim mittamus. *Alexandrum I. Summum Pontificem in Epiſtola ſua ad omnes Orthodoxos. Caium paritèr Pontificē Epiſt. ad Felicem Epiſcopum; Syluestrum in Concil. Romano, Gelaſ.* Vndè ſumpſit *Gratian. C. Chriſtianis C. Syluester 11. q. 1. C. Nullus ead.* qui Can. deſumptus videtur ex, *Auth. Nullus. c. de Epiſc. & Cleric.* ſed omnium diſertiſſimè, *S. Leo Magnus*, & ipſe antiquiſſimus, *in Epiſtola ſua ad Epiſcopos, & Presbyteros intra Traciam Prouinciam conſtitutos*, ſic exorditur.

*Tom. 1. Ep. decr. ſum. Pont. p. 1.*

*Tan-*

*Tanta ſæculiq; poteſtates circa ſacerdotalem ordinem reuerentia præualuere, etiàm hi, quos ſub Imperiali nomine in terris diuina potentia præeſſe præcepit, vt iùs diſtringendorum negociorum Epiſcopis ſanctis, iuxta Diualia conſtituta permiſerint; quòd, & cum iuris antiqui formulis, & illibatis frequentiùs ſit legibus confirmatum, præſenti tamèn tempore à pleriſque inuenimus fuiſſe calcatum; Nàm prætermiſſo ſacerdotali iudicio paſſim ad examen ſæculare tranſiere; quà circà nobis viſum eſt, vt hanc, & ſacræ legis, & noſtri ordinis contumeliam, & ad præſens vlciſceretur plena diſtrictio, & obſeruandam formulam conſtitueret in futurum. Cenſemus itàq; vt quicumque prætermiſſo ſacerdote Eccleſiæ ſuæ ad diſceptationem venerit ſæcularium ſacris liminibus expulſus à cæleſti arceatur Altario, &c.* Hactenus, *S. Leo* vetuſtioris ante ſe obſeruationis teſtis, quæ quidem Sacrorum Conciliorum Canonibus, quolibet Eccleſiæ æuo antea ſancita, vt *Concilij Chalcedonen. Carthaginen. III. Toletan. III. Agathen. Aurelian. Meleuitan. Matiſconen. I. & II.* quod ſanè Concilium vetuſtatem Clericalis exemptionis conteſtatur; *c. 9. licèt Reuerendiſſimi Canones, atque Sagratiſſimæ leges de Epiſcopali audientia in ipſo penè Chriſtianitatis principio ſententiã protulerint, tamèn quoniam eadem poſtpoſita humana in Sacerdotes Dei graſſatur temeritas.* Hiſq; accedunt ſummorum Pontificum Decretales conſtitutiones nec non conciliorum decreta in corpore iuris inſerta, vt *Concil. Pariſien. in c. 2. de foro comp.* cuius verba planè digna ſunt, quæ regerantur. *Nullus Iudicum ſæcularium, neque Presbyterum, neque Diaconum, aut Clericum vllum, aut minores Eccleſiæ ſine permiſſu Pontificis per ſe diſtringere, aut condemnare præſumat.* Omnium inſtar, vel hoc vnum Eccleſiæ Gallicanæ decretum; addendi, & *text. in C. cum non ab homine in C. Clerici in C. qualitèr, & quando de iud.* diſtrictiſſimè loquentes. Conſonant pijſſimo concentu Principum conſtitutiones, de quibus oportunè loco ſuo. Iam nùnc ergò, & fieri potuiſſe Clericorum exemptionem in temporalibus cauſis, & in criminibus, & factam conſequentèr concludimus, idque nouiſſimè firmauit, & *Concil. Trid.* ſic ſtatuens *decernit, ac præcepit S. Synodus, Sacros Canones, & Concilia Generalia omnia, nec non alias ſantiones Eccleſiaſticas in fauorem Eccleſiaſticarum perſonarum; ac libertatis Eccleſiaſticæ, & contrà eius violatores edita, quæ omnia præſenti etiàm decreto innouat, exactè ab omnibus obſeruari debere.* Potuit igitur immunitas hæc concedi; fuit conceſſa, iàm ergò videamus; à quo ſit conceſſa, vt inde pateat, & quo iure. *ſeſſ. 25. de refor. c. 20.*

## A quo Immunitas Clericorum in Sæcularibus, & in criminibus, & quo iure.

### §. II.

1 *Opinio prima, quod ſit ab humano Iure cum ſuis fundamentis.*

2 *Opinio ſecunda, quòd ſit à Diuino Iure, cum naturali, tum poſitiuo & confirmatur.*

3 *Proponitur reſolutio, quæ opiniones conciliet, & exactè fundatur.*

A Triplici fonte manare potuit hæc perſonalis Clericorum & ſacrorum hominum immunitas, triplicemque habuiſſe cauſam; Deum, Summum Pontificem, & ex Principum ſæcularium pie-

pietate Imperatorum conſtitutionibus, quas tamen tres cauſas ad duo ſumma capita reuocabimus; & quiremus breuiter, an diuino, an humano iure, hæc immunitas fori proceſſerit? ingentis enim momenti eſt in alterutram partem quæſitum reſoluere.

*Releƈt. 1. de poteſt. Eccleſ. q. 6. concl. 2.*
*In 4. diſt. 25. diſp. 3.*
*2. p. 4. qu. 20. art. 4. concl. 2. & 3.*
*De Eccl. Hierarch. lib. 5. c. 7.*
*Praƈt. quæſt. c. 31. n. 3. concluſ. 2.*

1. Humani iuris aſſerunt auctores grauiſſimi theologi præſertim *Victoria*, *Soto*, *Ledeſma*, *Salon*, *Albertus*, *Pigbius*, *Couarruu.* & alij plures, qui occaſione controuerſiæ conſimilis in praxi ſcripſerunt. Summa ratio ſic aſſerentium eſt, quod nulla afferatur Diuina auctoritas, quæ id aperte confirmet, & ſine hac nihil diuino iure inductum dici poteſt.

*Matth. c. 2. 17*

Affertur quidem ex verbo Dei illud; *Ergo liberi ſunt filij*. Sed hoc de filijs naturalibus Regis intelligit Chriſtus Dominus, qui protulit, vt ex communi interpretantium expoſitione, qualis cũ ipſe eſſet; ſtatuens Petrum vice ſua caput Eccleſiæ eidem etiam hanc prærogatiuam communicauit; at vniuerſo Clero non item.

Neque inferre licet à filio naturali Regis immuni, ſeu libero ad immunitatem, & libertatem ſuorum familiarium, quales videntur Clerici omnes reſpectu Chriſti. Quià non eſt hoc neceſſarium ex natura rei, cum totum pendeat à Regis Patris voluntate, quàm quidem Chriſtus Dominus declarauit in fauorem Petri, at non vniuerſi Cleri; & eſto, quod famulia filij liberetur, non tamen neceſſariò, quòad omnes; immò, quidquid ſit de huius intellectu auctoritatis loquitur ipſa de immunitate à tributis, non de immunitate à foro, de qua noſtra modo inquiſitio, & ab vna ad aliam minus tuta eſt illatio *l. Papinianus exuli ff. de minor.*

Excluſa poſitiui diuini iuris auctoritate, iam ad Diuinum naturale vix poteſt haberi confugium; vt inde huius immunitatis repetantur primordia; Hæc enim immunitatis prærogatiua non nititur ſolo naturali lumine, ſed ſupponit qualitatem, aut dignitatem aliquam ſuper naturalem, in qua potiſſimum fundetur, quam aſſignare non eſt adeò obuium, nam ſi dixerimus eſſe ſacrum ordinis caracterem, iam ſtatim obſtabit, quod ſi ſeruus refragante Domino ordinetur, non illicò liberatur à Domini ſeruitute, *c. 2. & c. pen. de ſeru. non ord.* quod ſi non adeò potens eſt ſacerdotalis, aut ſacer alterius cuiuſcumque ordinis caracter, vt ſeruum à Domini poteſtate eximat, nec poterit ſoluere naturale illud vinculum, quo Ciuis quilibet naſcitur, ac viuit ſemper ſubiectus Principi ſuo, & eius iuriſdictioni, non pugnat enim eſſe hominem per ordinis caracterem addictum Diuino cultui, & adhùc ſubiectũ Principi ſuo, attenta natura rei, aliàs enim fieret, vt & omnes fideles ſubtraherentur à Principis iuriſdictione per baptiſmi caracterem, neque Clerici ſola prima tonſura inſigniti, quo caſu alia requiſita ad ſint, neque Regulares laici gauderent fori priuilegio, cùm nullum habeant ſacri ordinis caracterem; excluſio igitur caractere nulla adſit ſupernaturalis qualitas, cui huiuſmodi immunitas fori nitatur, nec dici ea poteſt à iure Diuino naturali, alias enim eſſet intrinſecè, & per ſe malum iudicari Clericum, aut ſacrum hominem à ſæculari magiſtratu, nec vllo omninò caſu licitum, quià ſemper eſt malum, quod iuri naturali repugnat, ideòque non fuere ſemper in Eccleſia exempti Clerici à ſæculari foro. Apertiſſimè *Diu. Paul.* & illimitatè. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Chryſoſt.* ad rem apertiſſimè. *Huius rei plurimum, & in alijs epiſtolis meminit, quemadmodum famulos heris ſuis, ità & ſubditos Principibus ſubijciens. Facit autem hoc ideò; vt oſtendat Chriſtum*

*Epiſt. ad Rom. c13 nu. 1.*
*Hom. 23. in ep. ad Rom.*

*Chriſtum leges ſuas non ad hoc induxiſſe, vt politias euertat, ſed vt ad melius inſtituat*. Infriùs ibidem, *oſtendens (Apoſtolus) quod iſta imperentur omnibus, & ſacerdotibus, & Monachis non ſolùm ſæcularibus, sed quod ſtatim in ipſo exordio declarat, cum dicit, omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit; etiamſi Apoſtolus ſis, ſi Euangeliſta, ſi Propheta, ſiuè quiſquis tandem fueris &c.* Nil aptiùs ad excludendum ius naturale, quod ſemper idem, ac immutabile eſt §. *ſed naturalia inſtit tit. de iure nat. gent. & ciu.* & tamen non omnes Clerici æqualiter eo priuilegio gaudent; non Clerici coniugati *c. vn. de Cler. coniug. in 6.* ſi tonſuram, & habitum clericalem non deferant, ſi in minoribus conſtituti beneficium Eccleſiaſticum non habeant, alicui Eccleſiæ non ſint adſcripti in ſeminario non degant, nec cum tonſura, & habitu incedant ex nouiſſimo *Tridentini decreto*; ſi cauſam feudalem habeant *c. ceterùm 5. de iud. c. verùm c. tranſmiſſa de foro comp.* ſi demùm agens contra laicum clericus coràm ſæculari Magiſtratu coram eodem reconueniatur *Gloſ. & ſcribentes communitèr ad c. & ſi Cler. de iudic.* vbi *Felin.* & poſt eos innumeri apud *Barboſ.* quæ ſanè varietas circa vnum, & eundem clericalem ſtatum exemptionem fori à iure naturali omninò excludit; immò nec deeſt auctoritas, quæ ſubditos Principibus iure naturali probet; apertiſſimus Canon, *in c. nos ſi competenter §. ſed notandum 2. q. 7. Dauid ergò, & ſi ex regali vnctione ſacerdotibus, & prophetis præ erat in cauis ſæculi, tamen ſuberat eis in cauſis Dei*. Auctoritas ſanè euidens ex veteri lege.

*Seſſ. 23: de refor. cap. 6*

*Iur. Eccl. vn. lib. 1. c. 39. n. 137. Ma. ta. de iuriſd. cent. 4. caſ. 107.*

Demùm ex lege noua Euangelica, & ex verbis Chriſti nunquam legitur hæc fori exemptio, cum potiùs ſubiectionem re ipſa, & factis tum Chriſtus, tùm Apoſtoli agnouerint. Chriſtus enim; *Reddite, quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ Dei Deo*, & mandauit Petro, vt didracma in tributum pro Chriſto ipſo, & pro ſe ſolueret; ſubiectionis euidens argumentum, Apoſtoli verò non minùs; Petrus enim generaliter, & indiſtinctè. *Eſtote ſubditi ſiue Regi tanquam præexcellenti, ſiuè Ducibus ab eo miſſis*. Paulus verò præter iam ſupra redditam auctoritatem, facto ipſo idem conteſtatur, dum in criminali cauſa, de qua inſimulabatur, Cæſarem appellauit tanquam legitimum ſuperiorem, quæ quidem omnia, aut ſubiectionem iure diuino concludunt, ità exemptionem ex vi eiuſdem diuinis iuris excludunt.

*Matth. c. 22.*

*Matth. c. 17.*

*Epiſt. 1. c. 3.*

*Act. c. 25.*

2 At verò quæ ſententia immunitatem à foro iuris Diuini aſſerit, ſuos habet doctiſſimos, & pijſſimos aſſertores, & haud minùs vrgentia fundamenta; auctores non enumerabimus, quos recenſent *Bellarmin. & Couar.* At ſtatim huius opinionis potiora momenta promentes, non immorabimur in traditione, *Gloſſ ad c. ſi Imperator verb. diſcuti 96. diſt. & ad c. quamquam verbo diuino de cenſibus in 6.* cum eius illatio eleuari facile poſſit; vtraque tamèn non poſthabita auctoritate expendemus dictum Alexandri Papæ I. quod tranſtulit *Gratian. in c. relatum 11. q. 1.* inuehitur Alexander in accuſatores ſacerdotum, ſed eos præcipuè, qui apud Iudices publicos eos deferre præſumunt; Et de ijs ſcribit. *Taliter præuaricantes præuaricati ſunt in Deum ſuum, & non obediunt præceptis eius*, mox in eoſdem ex Oſeę Propheta. *Veh eis, quoniam receſſerunt à me; veſtabuntur quià præuaricati ſunt in me*. Verba, quæ in accuſatione ſacerdotis apud laicum Iudicem immediatam Dei offenſam, ac diuinam præuaricationem teſtantur, atque adeò diuini iuris tranſ-

*Lib. 1. de Cler. c. 28. & in oppend. ad tom. 2. vbi ſup.*

*Ep. 1. c. 1. tom. 1. Ep. Decretal. Summ. Pontif.*

greſſionem. Concilium Lateranenſe ſub Innoc. III. in *C. Nimis de iure iur. Nimis de iure diuino quidam laici uſurpare nituntur, cum viros Eccleſiaſticos, nihil temporale obtinentes ab eis, ad præſtandum ſibi fidelitatis iuramentum compellunt. Bonifac. VIII.* apertiſſimè in, *C. quamquam* §. 1. *de Cenſibus in 6. Cum igitur Eccleſiæ Eccleſiaſticæq; perſonæ, ac res ipſarum non ſolùm iure humano, quinimmò, & diuino à ſecularium perſonarum exactionibus ſint immunis.*

Nec turbat, quòd loquatur præcisè de tributis, quià ex rationis paritate inferre licèt ad ſubiectionem reſpectu fori inſinuante Apoſtolo; qui ius regen-
Ad Roma 13 di temporalitèr, & exigendi tributum æquiparat; tanquam inuicem correlatiua. De magiſtratu enim ait; *Non ſine cauſa gladium portat; Dei enim Miniſter eſt vindex in iram ei, qui malè agit*; & mox inferiùs. *Ideò enim & tributa præſtatis; Miniſtri enim Dei ſunt in hoc ipſum ſeruientes.*

Celebre eſt factum illud Conſtantini in magna Nicæna Synodo. Super exhibitis ſibi libellis in Epiſcoporum accuſationem, & eſt in *C. continua* 11.
Seſſ. 9 in Bulla reform. Curiæ q. 1. & in *C. futuram* 12. q. 1. ijs enim reiectis, *Vos à nemine* (inquit) *iudicari poteſtis, ſed iudicio Dei reſeruamini.*
Seſſ. 25 de reform. c. 20. Lateranenſe Concilium ſub Leone X. *Cum à iure tàm Diuino, quàm humano laicis poteſtas nulla in Eccleſiaſticas perſonas attributa ſit.* Tridentinum *Eccleſiæ, & perſonarum Eccleſiaſticarum immunitatem Dei ordinatione, & Canonicis ſanctionibus inſtitutam.*

Ius diuinum naturalę teſtatur lumen illud, quo Gentes nullum agnoſcentes Dei præceptum ſacerdotum exemptionem admiſerunt; ſic enim Lateranenſe Concilium in *C. Non minùs de immunitate Eccleſiarum*, commemorat factum Pharaonis; *Qui legis Diuinæ notitiam non habebat* (ait ibi tex.) *Ille quidem omnibus alijs ſeruituti ſubiectis, Sacerdotes, & poſſeſſiones eorum in in priſtina libertate dimiſit, & eis alimoniam de publico adminiſtrauit*; lumen autem, cuius ductu operatus eſt Pharao, & pietatem in Sacerdotes exercuit, aliud non eſt, quàm ius naturale, ipſumque diuinum. Artaxerſes apud Eſdram; *Vobis autem notum facimus* 1 cap. 7.
(inquit tex.) *de vniuerſis ſacerdotibus, & leuitis, & miniſtris domus Dei huius, vt vectigal, & tributum, & annonas non habeat is poteſtatem imponendi ſuper eos*; Nec alio certè quàm naturali lumine à natura, & naturæ auctore, eaque omnia exemptionem Clericorum à foro arguunt Naturalis diuini iuris.

Induxit ad idem Anacletus Papa dictum illud ex Dauid. *Nolite tangere* Epiſt. 2. tom. 1.
*Chriſtos meos, & in prophetis meis nolite malignari* Auctor Pſalmi eſt Dauid, ſed ſe ipſum immutans, hæc verba profert ex ore Dei; in teſtamentum æternum non ſolùm Iudaicæ genti, ſed & fidelibus omnibus obſeruandum. Epiſt. decretal. Summ. Pontif. pſal. 104.

Tangendi verbum ingentis ſignificationis eſt ad intentum præſens; tangi enim prohibentur nonnulla ob ſummam reuerentiam, & cultum, cuiuſmodi erant in veteri lege vaſa ſanctuarij, & in Euangelica Sanctiſſimum Chriſti Corpus, & vaſa ad illud conficiendum deſtinata, vt calices, patenæ pallæ, quæ in vtraq; lege vnctione ſanctificabantur & ſanctificantur; & in hunc ſensũ ſacri homines tangi non debent in reuerentiam, & cultum; quod ſi tangere non eſt permiſſum, vetitum multò magis cenſebitur quidpiam in eos, aut res eorum attentare, quod eis quoquo modo obeſſe poſſit; ideòque in eodem qui ſupra, pſalmo; *Non reliquit hominem nocere eis, & corripuit pro eis Reges.* Tangitur enim homo non ſolùm phyſicè

ficè quòad corpus, ſed & moralitèr quòad animum per angores, & curas; & cum facta verbi translatione tangere aliquem dicatur, quod quauis ratione, aut cauſa ad ipſum ſpectat, tangi neque in hoc ſenſu poſſunt ſacri homines, quià exempti, & in ſortem Domini aſſumpti à priuato homine priuatim, à publico publicè; Neque enim admittimus explicationem, vt tangendi non ſint ſacri viri tactu, quia iniuriam inferat, non item tactu legitimo, & citra iniuriam per Tribunalia, & ſæculares magiſtratus, quia generale, ac indefinitum eſt tangendi verbum, & ideò non ſolùm de irreuerenti, & contumelioſo, de quo nullum dubium, ſed, & de reuerenti tactu, qui à quocumque profano homine fiat; Vndè Innocent. III. in *C. Eccleſia S. Mariæ de conſtit. Nos attendentes, quod laicis ſuper Eccleſijs, & perſonis Eccleſiaſticis nulla ſit attributa facultas, quos obſequendi manet neceſſitas, non auctoritas imperandi, à quibus, ſi quid motu proprio ſtatutum fuerit, quod Eccleſiarum etiam reſpiciat commodum, & fauorem, nullius firmitatis exiſtat, niſi ab Eccleſia fuerit approbatum*. Quæ ſanè verba totiùs rei continent ſummam; æquè enim per legem, ac per iudicium ſeù ſententiam ſtatuitur, nec ſolùm de rebus, ſed, & de perſonis expreſsè loquitur *Innocent.*

Adſtipulatur, & elegans ratio a ſacræ rei proprietate deſumpta; ſacræ enim res dicuntur, quæ publice conſegratæ ſunt, vt loquitur; *Martianus Iur.Conſ.in l.6. §. ſacræ ff.de rer.diuiſ.* publice; hoc eſt per Principem, vel per eum, cui Princeps dedicandi dedit facultatem Ethnicorum more, quales fuere veteres Iuris Conſulti; Hic autem obiter, at non extra rem, aduertimus, quod vtcumque cæcutiens circa religionem, quò Princeps conſecrandi, & dedicandi facultatem ſibi adrogaret, nouit tamen ex vi dignitatis ſuæ, rectè, & iuſtè id non poſſe competere, ac plane monſtruoſum eſſe, vt profanus homo ſacra tractaret, qui reuera nunquam ſacra facere poſſet; Vnde *Martianus* in dicta, *l. 6. §. ſacræ Quod verò ſibi ſacrum quis conſtituerit, id ſacrum non eſt, ſed profanum. L. fin. ff. vt in poſſeſſ. legat.* Ideò dictante recta ratione plerique veterum, duo hanc munera coniuncta habuere Principatum ſcilicet, & Pontificatum, ſeù Sacerdotium pro ſacrorum tractatione; vndè *Pitagoricus* ille, tria in legitimo Rege optauit, vt belli Dux ſit, vt Iudex, vt Sacerdos; at quia ſingula hæc vnus obiter niſi difficulter admodum poſſet, meritò cæptum ea ſeparari; eleganter *Liuius de Numa tum Sacerdotibus creandis animum adiecit, quamquam ipſe plurima ſacra obibat; & maximè, quæ nunc ad flaminem Dialem pertinent; ſed quia in Ciuitate bellicoſa plures Romuli, quam Numæ ſimiles Reges putabat fore, iturosque ipſos ad bella, ne ſacra desererentur flaminem Ioui aſſiduum Sacerdotem creauit*, ſicque ex neceſſitate ſegregauit Numa, quæ coniuncta hactenus fuere, & quæ Auguſtus politico arcano iterum in ſe ipſo coniunxit, eumque ſecuti mox Principes, *Maieſtati ſuæ, & tutelæ inquit Lipſius, & vt ſacris ſe ingerere poſſent, & vtraque tam ſacra quàm profana tractare?* Huc ergo reſpiciens *Martian. Iuris Conſultus* in dicta *l. 6. §. ſacræ* dixit, *ſacræ res ſunt, quæ publicè conſecratæ ſunt, hoc eſt per Principem*, qui tunc & Pontifex.

*Lib. Dec.*

*Lib. 6. contra Dialogiſt. c. 2.*

Rectiùs Iuſtinianus ſupernaturali lumine inſtructus *in §. ſac. Inſtit. tit. de ret. diuiſ. ſacræ res ſunt, quæ ritè, & per Pontifices Deo conſecratæ ſunt*. Per conſegrationem autem res conſecrata

omninò extra humanum commercium conſtituitur *l. inter ſtipulantem* §. *ſacram ff. de verb. obligat.* itaut in humanum contractum non poſſit deduci, & arguendo à contractibus ad Iudicia vigente potiſſimum rationis identitate *Gloſſ. ad Auth. Sacramenta puberum. C. ſi aduerſ. vend.* & poſt eam *Euard.* neque poterant ſacri Viri ad Iudicium ſæculare, & profanum ſiſti, vtrobique enim reuerentia, & cultus debitus rebus Deo dicatis reſiſtit, eamque lædi eo ipſo, quo ſacratus homo trahitur ad Laicum Tribunal teſtatur *Matiſconenſe Concil. nefas eſt enim, vt illius manibus Epiſcopus, aut iuſſione de Eccleſia trahatur, pro quo ſemper Deum exorat, & cui inuocato nomine Domini ad ſaluationem corporis, animæque Euchariſtiam ſæpe porrexit*; mittimus exageratam ſatis rationem à *Gregorio VII.* Summo Pontifice quam regeſſit, *Gratian. in Can. quis dubitet q. 96. diſt.* ab analogia Patris, & Magiſtri, cui neutri præeſſe poſſit, aut debeat filius, aut diſcipulus, à cuius verbis deſcribendis temperamus; ſatis enim hæc comprobaſſe videntur immunitatem, ſeù exemptionem à ſæculari foro eſſe à Iure Diuino naturali.

*In loco à contract: ad iud:*

*Matiſcon: 2 cap: 9*

Nec minus eſſe à iure diuino poſitiuo breuiter inducemus, ſumendo poſitiuum ius aliquanto latiùs, non quidem, vt ſit illud, quod naturale non ſit, ſed quòd, licet ius naturale ſupponat, eſt tamen fundatum in expreſſa, ac directa Chriſti voluntate, hocque ius poſitiuum quod exhibere intendimus, non tam erit inductiuum exemptionis, & immunitatis, quàm declaratiuum.

Deſumitur ergo ex facto illo celebri Chriſti Domini cum de exigendo, & ſoluendo tributo à Chriſto ipſo ageretur, interrogauit enim Petrum, *Reges terræ à quibus accipiunt tributum, vel cenſum à filijs ſuis an ab alienis*, Petrus verò, *ab alienis*; tùm Chriſtus, *ergo liberi ſunt filij, vt autem non ſcandalizemus eos vade ad mare &c. & inuenies ſtaterem illum ſumens da eis pro me, & te*; cum itaque ait, *ergo liberi ſunt filij*, Clericos etiam compræhendit, non quidem tanquam filios, ſic enim omnes fideles, vel ſaltem omnes iuſti comprehendi deberent, ſed tanquam familiares filij; adeò enim ſunt liberi Regum filij, vt & eorum familiares eadem libertate gaudeant; verùm Clerici, & ſacri homines ſingulari modo ſunt familiares Dei, & Saluatoris, vt inquit *Teleſphor. Papa*, vt proindè libertas, & immunitas debeat competere, quæ competit filio Regis. Congrua ſane, licèt non neceſſaria, eſt illatio à filio Regis ad totam eius familiam, ideòque aſſumens Chriſtus paradigma filij Regis aſſumpſiſſe etiam cum extenſione illa congrua credendum eſt, licet non neceſſaria.

*Matth. c. 17*

*Epiſt. ad omnes Ordodox.*

Communicaſſe autem Chriſtum Dominum hoc exemptionis priuilegiũ, quod habebat tanquam filius Dei naturalis, indicant verba illa; Poſtquam enim dixit, *ergo liberi ſunt filij*, ſtatim ſubiecit, *vt autem non ſcandalizemus eos, da pro me, & te*, oſtendit enim non ſolùm ſe eſſe immunem à tributis, ſed etiam Petrum in hoc voluiſſe ſibi coniungere, & immunitatem ſibi ſublimiori modo competentam voluiſſe extendere ad Petrum, provt reuera extendit.

Neque veremur, quin hæc exemptio à tributis diſponat etiam de exemptione à foro, & iuriſdictione, quia in Chriſto filiatio Dei naturalis ſola ratio eſt, ob quam competat exemptio à tributis, eademque exemptionem, ac immunitatem à iuriſdictione dictat, eſt enim ratio dominationis, & excellentiæ ſupra omnes Reges, quæ pari iure

affi-

afficit reſpectu tributorum, & reſpectu iudicij, ſeu fori, & pari proportione intelligimus cõmunicationem vtriuſq; priuilegij factam Petro, & ab immunitate à tributis arguitur iuſtè ad immunitatem à foro, & iuriſdictione ſæculari, cum ratione dignitatis, & poteſtatis ſupra Reges terræ communicata ſit, quæ ratio vtrique immunitati eſt communis.

Adijci debet tanquam huic ſententiæ plaudens vetuſtiſſima, ipſique Eccleſiæ coæua traditio, quæ ſemper præſefert iuris diuini auctoritatem, quando nulla emicat ratio, quæ dictet tribuendum eſſe Apoſtolorum inſtitutioni; Huiuſmodi eſt hæc ſæcularis iuriſdictionis immunitas, quæ ſemper in Eccleſia ſeruata fuit, ex quo Ethnici Principes Chriſtianę fidei nomen dederunt, quandiù enim extra gremium extiterunt, non poterat hoc priuilegium ad praxim deduci; vetuſtatem hanc teſtantur iam ſupra allegati antiquiſſimi Canones; qui hanc obſeruationem non tanquam Apoſtolicam, ſed tanquam Diuinam diſtrictiſſimè vrgent.

3 Libratis opinionum, ſi non omnibus, at ſaltem potioribus momentis id ſtatuemus, quod earumdem varietatem conciliet, & in quod opinio vtraq; conueniat; dicemus ergo exemptionem Eccleſiaſticorum hominum à ſæculari foro in politicis ſæcularibus, & criminalibus eſſe à iure Diuino pariter, & humano, quando hac loquendi forma vtuntur Conciliorum decreta, Canones ſacri, quæ, & quos iam ſupra retulimus, & præcipuè Lateranenſe Concilium ſub Innocentio III. idem ſub Leone X. & nouiſſimè Tridentinum.

Obiter hìc notabimus, per ius Diuinum non intelligere nos ius Pontificium, non diffitemur enim rectè dici poſſe ius Diuinum, ſicut Iuriſprudentiã difiniuit *Vlp. in l. Iuſtin.* 10. §. *fin. ff. de iuſt. & iur. quod ſit rerum diuinarum, & humanarum notitia iuſti, & iniuſti ſcientia*; at verò per ius diuinum intelligimus, quod immediatè à Deo eſt, & ab humano contradiſtinctum, ſub quo, & ipſum Pontificium, ſeù Canonicum continetur, & ad hanc æquiuocationem tollendam partitè loquitur *Concilium Tridentinum*: *Eccleſiæ, & perſonarum Eccleſiaſticarum immunitatem Dei ordinatione, & Canonicis ſanctionibus conſtitutam*. a Seſſ. 25. c. 20

Reſolutio igitur duplici modo exponi, & accipi poteſt; Primo vt exemptionis priuilegium ita ſit à Diuino iure vt fuerit à Chriſto Domino datum immediatè Summo Pontifici, cui ſit etiam data Poteſtas, factumque præceptum Diuinum illud toti ordini clericali communicandi, à iure vero humano, ſiue Canonico ità ſit, vt complementum ab eo, & executionem receperit; à iure itaque Diuino eſt præceptum hoc tum poſitiuo, tum naturali, poſitiuo, prout contentum ſub verbis *Paſce oues meas*, per quæ data eſt Petro, & Succeſſoribus poteſtas non ſolùm circa oues in genere, ſed etiam circa modum eas regendi, & circa ſtatum, conditionem, & cætera, quæ recto regimini adiacent, vel prout dici poteſt datum, & inſtitutum ad inſtar, & ſimilitudinem eorum, quæ ex exemplis veteris teſtamenti ſumuntur, quod haud immeritò ius Diuinum poſitiuum dici poteſt; naturali verò diuino, quia ſuppoſita clericalis ordinis inſtitutione à Deo facta reſultat euidentèr & per quamdam illationem rationis rectæ, adeòque iuris ipſius Diuini naturalis, neceſſitas, qua teneatur Summus Pontifex priuilegium generalitèr conceſſum inferioribus Clericis communicare, ſeù applicare, & prout decere viſum, conſtituere.

Sit ergo exemptio Clericorum iure Diuino præcepta, & præcepto proprio tradi-

tradito immediatè à Chriſto Domino, ſiue deſumpto, aut deducto illatione media ex ratione, naturali ex quo Dignitas,& decentia ſtatus Clericalis ſuſtineri,& conſeruari non poſſet ſine huius immunitatis, aut exceptionis priuilegio; vnde ſi ſtatus Clericalis curam, & regimen Chriſtus alicui commiſit, eidem etiam iniunxit,vt Clerum ipſum exemptum à ſeculari poteſtate haberet,ac ſuſtineret, ſiue id iniunxerit explicitè, & quaſi oretenus,idque fuerit ſubinde per traditionem tranſmiſſum,& conſeruatū in Eccleſia,ſiue implicitè ex vi iniuncti muneris, ex quo per illationem moraliter euidentem,ac neceſſariò media ratione inductam colligatur;at quocumq; modo ſit largita, in ſenſu vtroque prædicto hæc exemptio, certè non ſingularibus Clericis, ſed Pontifici Summo data fuit,qui pròvt ſibi bene viſum diſtribuat,& applicet cæteris, ex quo inductus varius eiuſdem vſus, nec in omnibus Clericis par,nec in omnibus caſibus,omniue tempore, ſed pro exequentis Pontificis arbitrio, tanquam fidelis diſpenſatoris; in hunc ergo ſenſum immunitas fori,& à iure Diuino eſt, tanquam præcipiente, & à iure humano Pontificio tanquam exequente, ac diſtribuente,pròvt bene viſum,neque fuſius inmorandum cenſemus, aut exemplis, quod clarum eſt, illuſtrandum.

Secundò poteſt ità exponi præhabita reſolutio, vt ſcilicet Clericalis immunitas, reſpectu ſæcularis fori ſit à iure Diuino,& Canonico ſimul; à Diuino propriè,quia Clericale huiuſmodi priuilegium ſit à Chriſto Domino promiſſum,datum, & re ipſa conceſſum;ab humano verò, ſeu Canonico iure tanquam conſeruante, declarante, & pro rei exigentia diſpenſante. Quæ pia ſanè expoſitio eſt; vtcumque igitur huiuſmodi priuilegium immediatè à Chriſto proceſſerit, proceſſit tamen cum ſubordinatione ad Petrum, & ſucceſſores eius, quòad vſum, & applicationem perſonarum,locorum, & temporum pro vario Eccleſiæ vſu, conſtitutione,aut definitione.

Indeque rectiſſimè conciliantur,quę pugnare cum iuris Diuini inſtitutione dicebantur, quod debet eſſe ſemper idem, & omnibus æquale; quod enim Clericus actor ſequatur forum rei coram ſæculari Iudice, quod recouentus declinare non poſſit, quod Clericus coniugatus non abſolutè gaudeat priuilegio fori, ſed ſub certis circumſtantijs, quod Clericus primæ Tonſuræ pariter eatenus gaudeat, quatenus ſit adſcriptus Eccleſiæ, aut in Seminario degat iuxta nouiſſimum Concilij Tridentini decretum, id totum eſt ab auctoritate Eccleſiæ non tam interpretantis generale,& indifferens priuilegium à iure Diuino profectum, quàm ſtatuente, pròut ſibi bene viſum pro congruo vſu, & praxi eiuſdem priuilegij, quod Eccleſiæ, & Clericali ſtatui eſt largitum tanquam poteſtati ſupremi capitis, & ipſius Eccleſiæ ſubordinatum, pròvt Reipublicæ bonum exigere videatur, idque aprimè conciliat iuris Diuini immutabilitatem cum varietate circa vſum huiuſce immunitatis.

Nam debuit hoc priuilegium eſſe ſtabile, neque melius hoc conſequi potuit, quam procedendo à iure Diuino, debuit etiam poſſe mutari, & alterari pro varia caſuum exigentia, ac mutabilitate, idque meliùs obtineri non potuit,quàm indulgendo, vt humanum regentis arbitrium variaret,temperaret, mutaret pròvt res videretur expoſcere in Reipublicæ bonum. Quæ ſanè temperans explicatio diſceptationis iam habitæ diſſidium conciliando ſatis appoſitè tollit. Verùm quia & Cardinal. Bellarmin. piè non minùs, quàm prudenter circa hoc fori priuilegium eſt

verſa-

verſatus ſummatim, & eius opinionem, ac doctrinam promemus. Segregatur igitur ius Diuinum poſitiuum à iure Diuino naturali, & iuxta vtrumque diſceptationem reſoluit. Statuit itaque exemptionem Clericorum à ſæculari foro in ciuilibus, & criminalibus eſſe à iure Diuino poſitiuo. Aduertens tamen per ius Diuinum non intelligere ſe præceptum aliquod Diuinum, quod legatur ſpecificè expreſſum in ſacris literis, ſed quod ab exemplis, aut teſtimonijs tam veteris, quam noui teſtamenti per aliquam ſimilitudinem, & iuſtam, ac rationabilem illationem poſſit deduci; quo moderamine poſſunt facilè conciliari diſſidentes, tum Theologorum, tum ſacri iuris inter ſententiæ aſſerentium, & negantium eſſe hoc priuilegium iuris Diuini; auctoritates proſtant iam allatæ ex *Numer. Eſdr. Deuteronom.* & aliæ; ex nouo verò teſtamento celebre illud. *Itaque liberi ſunt filij* iuxta germanam expoſitionem adſtipulantibus Conciliorum Decretis, & Sacrorum Canonum auctoritatibus idem ſupponentium, quas non repetimus, ſed ad ius Diuinum naturale tranſimus.

Eſſe hoc Ius Diuinum, ambigendum non eſt, cum humanæ menti Dei digito ſit impreſſum, ne dicamus inſpiratum cum ipſo Dei flatu, *ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine*. *Pſal. 4.* Ab hoc iure manaſſe Clericorum, & ſacrorum hominum exemptionem abſolutè, & citra diſcurſum cum veritate enunciari non poteſt, ſed gradus veluti quidam huius eiuſdem Iuris ſunt diſtinguendi, & ponderandi. Primus ille eſt, quo præcepta quædam clarè adeò, & apertè ſunt animo hominis inſcripta, vt ſine diſciplina, ſine arte, ſine diſcurſu eorum veritas appareat, & in ea tanquam principia prima, & per ſe nota omnes conſentiant, vt bonum appetendum, malum vitandum, Deum colendum, de quibus, & quo iure *Chryſoſtomus*; *nam ſimul cum formatione hominis implantata eſt ſcientia faciendorum, & non faciendorum, & Ambroſ. eſſe autem legem naturalem in cordibus noſtris Apoſtolus docet*. *Hom. 54. in Geneſ. pr. Epiſt. 41: ad incuaum:* Moxque reddıtıs Apoſtoli verbis. *Ea igitur lex non ſcribitur, ſed innaſcitur, nec aliqua percipitur lectione, ſed profluo quodam naturæ fonte in ſingulis exprimitur, & humanis ingenijs hauritur. C. ius naturale 1. diſt. l. 1. ff. de iuſt. & iur.* diluciдè *D. Thom.* *[illegible]* Habentur hæ notitiæ in prima appræhenſione intellectus, à qua certè non proceſſit Clericorum exemptio, cum ſint hæc prima principia.

Ab hiſce principijs profluunt alia præcepta per modum proximæ concluſionis naturaliter manantis, ac veluti per quandam neceſſariam conſequentiam, adeòut non ſit opus arte, aut diſciplina, ſed ſat ſit ſimplex diſcurſus, cuius homo quilibet eſt capax; huiuſmodi ſunt omnia præcepta Decalogi; da enim primum principium illud planè naturale, *Deum eſſe colendum*, iam ſtatim facili, & exiguo diſcurſu, ac illatione quadam naturali conſequitur Idola non eſſe colenda, non eſſe perorandum; da principium illud naturale, & per ſe notum; *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, ſtatim conſequitur non eſſe occidendum, non mechandum non furandum; quæ quidem præcepta, vtcumque promanent à principijs illis primis omninò euidentibus, attamen obcæcata eſt aliquando adeò hominum mens, vt deleto quaſi diſcurſu deleatur de eorum cordibus, & vitia ex praua eorum opinione migrent in virtutes; ſic enim apud nationes aliquas furtum fuit adeò licitum, vt virtutis loco haberetur, vt ex *Iul. Cæſare de bello Gallico* exemplificat *D. Thom.* *ubi ſup. art. 4. in corp.*

*D. Thom.* qui & alibi docuit præcepta Decalogi eſſe indeſpenſabilia, qui profluunt à primò primis principijs iuris naturalis immediatè, vndè diſpenſare in ipſis eſſet diſpenſare in iure naturali, ac deſtruere naturam, & ideò ius naturale eſt indeſpenſabile.

Alia demùm ſunt præcepta, quæ deducuntur quidem ex principijs iuris naturalis, at non immediatè, & per neceſſariam quandam conſequentiam, & omninò claram, ſed habent opus manuductione diſcurſus, & humana Conſtitutione, & hæc præcepta volunt Theologi eſſe propriè iuriſgentium, neque tamen ex eo, quod deducantur medio diſcurſu à iure naturali credendum eſt, quod ſint Iuris Ciuilis, quia tam iusgentium, quàm ciuile proueniunt quidem à iure naturali tanquam à primo fonte, ſed modo planè diuerſo; nam quæ ſunt Iurisgentium proueniunt à iure naturali, tanquam concluſiones à ſuis principijs, at verò quæ iuris ciuilis per modum determinationis, ſicque Iuſgentium eſt quodammodò medium inter ius naturale, & ciuile; naturale eſt à ſola natura, ciuile à ſolo homine; Gentium à natura, & ab homine media ratione, & communi hominum conſenſu, non alicuius ſingularis conſtituentis, aut determinantis; non immoramur circa prima hæc iuris elementa.

Iam quia ait rectiſſimè Bellarmin. exemptione Clericorum à ſæculari foro non ad cenſendam primæ, aut ſecundæ ſpeciei præceptorum naturalium; neque tamen per hoc exiſtimandam meri iuris poſitiui, ſiue Canonice, ſiue ciuilis, ſed adſcribendam præcetis tertij generis, adeòque iuriſgentium eſſe, ſicque à iure Diuino, & naturali mediante ratione, & diſcurſu, in quem vnanimiter conſenſerint. Qua ſanè reſolutione concilientur diſſidentium opiniones; qui enim dicunt eſſe eam iuris Diuini naturalis, non intendunt eſſe primum principium iùris naturalis, aut concluſionem immediatè, & neceſſariò ex ipſis deductam, ſed quia ſit valdè, imò omninò conformis iuri ipſi Diuino, & naturali. Qui verò negant, ſumunt ius naturale pro primis principijs iuris naturalis, non autem negant procedere media ratione ab ijſdem principijs naturalibus tanquam iuſtam, ac rationabilem concluſionem; & ideò inquit *Victoria exemptio Clericorum maximè quoad perſonas, ità vt nec iudicari, nec puniri à ſæculari poteſtate poſſint, eſt multum conformis iuri Diuino, & naturali*, quod quidem illud ipſum eſt, quod ait *D. Thom.* eſſe ipſam ſecundùm naturalem æquitatem. Aſſertio confirmatur à communi omnium gentium approbatione, & conſenſu, quæ eſt certiſſima nota, & argumentum iuriſgentium §. *Ius autem Inſtit. tit. de Iur. nat. gent. & Ciu.* Conſenſiſſe autem gentes in hanc exemptionem ſacra, & profana loquuntur ſcripta. Apud Hebræos Leuitæ immunes fuerant à tributis; apud Aegyptios ſub Pharaone Sacerdotes; Iudæorum, Sacerdotes ſub Rege Artaxerſe; Gentilium Sacerdotes, ex Ariſtotele, Iulio Cæſare, Plutarcho. Ex Chriſtianis Conſtantinus Magnus, qui primus apertè Chriſtianam Religionem ſuſcepit, ſcripſit Anilino auſpice naturali lumine, & Clericos à communibus Reipublicæ oneribus declarauit immunes. *Iuſtinianus* in *l. Sancimus* 18. *C. de Sacr. Sanct. Eccleſ.* declarata, & conſtituta Sacrorum immunitate veluti generalem omnium antedictarum rationem reddens, *Cur enim non facimus diſcrimen intèr res Diuinas, & humanas? & quare non competens prærogatiua cæleſti fauori conſecratur.* Quæ ſanè verba

*Io: Driedo de libert. Chriſt. lib: 1. c. 9.*

*Victor. Relec. 1: de poteſt: Eccleſ: q: vlt:*

*ubi ſup: Prop. 6:*

*In com: ad Ep: ad Rom: c: 13*

*Exod: c: 30: Numer: c: 1: Geneſ: c: 49: Eſdr: lib: 1: c: 7: lib: 2: Economic: Cæſ: de bello Gallico lib: 2: in Camillo: Euſeb: li: 10: Hiſt: Eccleſ: c: 7:*

verba non merè gratuitam, & liberalem huiuſmodi exemptionem, ſed planè neceſſariam ſupponunt, & indicant.

Hic autem conſenſus ex rationis naturalis dictamine, quidquid conſtitutionem, iuriſgentium eſſe probat, cum ius ipſum gentium non à communi hominum, ſiue gentium acceptatione, ſed à ratione naturali metiamur, vt aduertunt *Anton. Faber. & Franciſcus Connan.* itaut ſolus conſenſus, & ſola acceptatio non ſufficiat niſi rationis naturalis fundamentum præceſſerit. Eaque naturalis ratio conuinci ſe ſenſit à ſubordinatione, quæ inter ſæcularem, & ſpiritualem poteſtatem vigere ſemper debet, quæ quidem eadem eſt, quæ ſpiritus, & carnis in homine, quæ duo ſunt ait diſpoſita, vt ſpiritus dominetur, dirigat & coerceat carnem, & non è conuerſo, quod ſi accidat, ſub verſum eſt rectum regimen in homine, & iuſta diſpoſitio conuulſa, ſicuti *Gregor. Nazianzen. Hugo de S. Victore* & alij Sanctiſſimi, ac grauiſſimi Patres conſiderant. Augent rationem tituli, quibus Sacerdotes, & totus Eccleſiaſticus ordo denominatur; At retrò ſublapſa omnia fatebimur, ſi filij parentes, oues Paſtores dirigere, & iudicare velint, & eo magis, quò non ſolùm ſunt Patres, & Paſtores, ſed & miniſtri Deo oblati, & conſecrati, adeòque extra commercium, & ſæculi Principes nihil in eos adrogare ſibi valeant §.*Sacræ Inſtit.tit. de rer.Diuiſ.l. inter ſtipulantem* §. *Sacram ff. de verb. obligat.*

*Iuriſp. Papinià. tit.2.p.4. illat.2. commu. Iur.Ciu. lib.1.c.5. num.8.*

Lubet huc aduocare egregium teſtimonium, quod regeret *Theod.Balſam.* Cum enim Nicephorus Phocas legem tuliſſet Eccleſiaſticæ libertati nimis grauem, & Clericali, ac Monaſtico ſtatui valdè aduerſantem Baſilius Porphirogenitus eamdem expunxit reddens rationem; *ex quo enim hæc lex eſt obſeruata, nihil boni penitus in hodiernum vſque diem nobis occurrit.* De qua eadem lege etiam paulò ante dixerat. *Eam præſentium malorum cauſam, & radicem, & vniuerſalis huius ſubuerſionis, & confuſionis, vt quæ ad iniuriam, & contumeliam non ſolùm Eccleſiarum, & Sanctarum Domorum ſed etiam Dei ipſius facta ſit.* Hactenus ex *Baſilio Balſam.* & *Bellarmin.* circa hominum Eccleſiaſticorum exemptionem à ſæculari foro, & iuriſdictione, quam meritò à Diuino iure concludimus, iuxta ſenſum ſupra expoſitum, per quem, & *Bellarmin.* ſententiam opinionum tollitur, & conciliatur diſſidium, & fundamenta pro ſolo humano, & poſitiuo iure allata per ſe corruunt.

*Ad Can: 1. Syn. Conſtantinop. 1. & 2.*

Quod enim nulla iuris Diuini appareat auctoritas, deficit, cum & veteris teſtamenti, & Euangelici ſint allatæ, quæ etenim ex veteri ſuffragantur non poſſunt eludi tanquam præcepta illa euanuerint, Cęremonialia ſiquidem & iudicialia vtique ceſſarunt at non moralia, quale hoc; & ſaltem tanquam futurorum figura vtique poſſunt adhuc ponderari. Quod verò ad ius naturale aſſerebatur ex ſe non ſufficere ad hanc exemptionem, niſi addatur ſupernaturalis qualitas quæ ipſum ad hoc intentum iuuet; addebatur, aliam non eſſe niſi ſacrum ordinis caracterem, qui tamen arguebatur non ſufficiens ab ordinatione ſerui, qui non eximitur à Domini inuiti poteſtate adeòque nec ſubditus à Principis ſui iuriſdictione, non videtur ſine peculiari, ſuaque conſideratione dimittendum. Admittimus ergo cum *Nauar.* quod ex vi caracteris Sacramenti Ordinis inducitur ex natura rei, & quaſi conſequitur exemptio perſonæ ſic conſecratæ à poteſtate Laicali; Et quamuis ſeruus ordinatus, & ſic impreſſo caractere, non eximatur à Domini ſui poteſtate, hoc tamen ideò fit,

*Ad c.nouit. de Iudic.notab. 6. n. 30.*

non quia caracter impreſſus non ſit potens ad eum eximendum ex natura rei, ſed quia Eccleſia iuſtitiæ cultrix Dominum inuitum, & inſcium ſeruo ſuo priuare non intendit, vnde & inter prima eiuſdem Eccleſiæ rudimenta Dominorum conſenſum in ſeruorum ordinatione expetijt *Can.* 82. *Apoſt.* ideòque ſi ſeruus per fraudem ordinetur, deponitur, & Domino ſuo reſtituitur *c.* 2. *de ſeru. non ordin.* Nunquam autem conſenſum ſæcularium Principum ad ordinandos laicos homines credidit neceſſarium, ſicut nec eorumdem Principum pietas hanc libertatem ijdem Eccleſiæ vnquam inuidit. Retecto igitur dolo, & fraude, ſerui ordinati, Domino ſuo reſtituitur, & licèt res ſemel Deo conſecrata ad humanos vſus amplius redigi non poſſit, *c. quod ſemel de regul. iur. in* 6. & conſecrans ad æſtimationem rei conſecratæ teneatur, *c. comperimus* 16. *q.* 4. attamen à re ad perſonam propter rationem diuerſatis, inconcludens eſt argumentum; in re ſiquidem inanima non cadit dolus, at in ſeruo ordinato vtique, & ideò deponitur, ac Domino ſuo reſtituitur; neque ex eo, quod Sacramentum baptiſmi imprimens caracterem non eximat fideles ſubditos à ſæcularis Principis poteſtate, & iuriſdictione inferre licet, quod neque caracter ſacri ordinis valeat eximere, quia inter vtrumque caracterem quoad hunc effectum haud difficile eſt reddere diſcriminis, & differentiæ rationem, vtcumque *Nauar.* in ea aſſignanda laboret, & vix ſibimet ſatisfaciat: duo aliorum aſſerta proponit, eaq; coufutat, & meritò; alterum eſt, quod in laico vnica ſpiritualitatis ratio vigeat, ex baptiſmi ſcilicet caractere, in Clerico verò duplex ex baptiſmi, & ordinis, quæ ſanè ratio parùm ſufficiens eſt, cum vel vna ſufficiat ſpiritualitatis ratio, & ſpirituali annexio ad hoc, vt

*Vbi ſup. n.* 28

ſubſit Eccleſiaſticæ poteſtati, *c. Eccleſia S. Mariæ de conſtit. c. quanto de Iudic.*

Alterum verò, quod mero iure Diuino attento, idem eſſet dicendum de Clericis, & Chriſtianis cæteris, cum Clerici conueniuntur, vt homines, aut ciues, ſuper ijs ſcilicet, quæ ſunt ipſis, & alijs ciuibus communia, adeò vt poſſent conueniri coram Iudice laico. At verò tota hæc diuerſitas eſt à iure humano, per quod non Chriſtiani omnes, ſed ſoli Clerici, & Monachi ſunt exempti à laica iuriſdictione etiam quoad ea, quæ ſunt communia alijs hominibus, & ciuibus puta temporalia, & criminalia; improbat *Nauar.* ex communi opinione, quod Clericorum exemptio non ſit à ſolo iure humano, ſed & Diuino. Differentiæ ergo rationem deſumit *Nauar.* à diſcrimine, quod viget inter vtrumque caracterem, quia caracter baptiſmi non diſcernit inter fideles, ſed potius eos congregat in vnum corpus, at verò Clericalis diſtinguit Clericos ipſos à reliquo fidelium cœtu; hìc ſiſtit *Nauar.* nec declarando, aut confirmando progreditur. Plura poſſent ponderari, quæ deficientem hanc rationis aſſignationem oſtenderent, verùm non patitur inſtitutum operis noſtri, vt ſingula proſequamur. Dicamus ergò, quod caracter baptiſmi non conſecrat propria, & vera conſecratione perſonam, ita, vt addicat ſacro miniſterio, ſed Chriſto conſignat, & obſtringit ad fidem eius retinendam, & ex ſe eſt communis omnibus hominibus, eſtque quid per accidens, quod in aliquibus non reperiatur, ſicque per ſe non diſtinguit fidelem ab infideli in ijs, quæ reſpiciunt politicum ſtatum, & vitam ciuilem, ac proinde non inducit exemptionem à poteſtate, & iuriſdictione Principum infidelium.

At caracter ordinis dicat perſonam ſacro

ſacro miniſterio, & per ſe diſtinguit vtrumque ſtatum Clericalem, & laicalem, idemque cenſendum de alijs perſonis, quæ quocumque alio modo in ſtatu Eccleſiaſtico conſtituuntur, vt de Monachatu, & prima Tonſura, quæ licèt non imprimant caracterem ſtatum nihilominus certum, & Eccleſiaſticum inducunt ex inſtitutione, & determinatione Eccleſiæ, vt in *cap. duo ſunt* 12. *q.* 1. appoſitè definitur; ibi enim duo genera diſtinguuntur Chriſtianorum, & eorum alterum eſſe dicitur, *quod mancipatum Diuino officio, & deditum contemplationi, & ordinationi ab omni ſtrepitu temporalium ceſſare conuenit, vt ſunt Clerici, & Deo deuoti*. Quæ ſanè verba veram formalem ſuggerunt, ne ſcilicet à rerum Diuinarum contemplatione, & oratione diſtrahantur, quantumuis modus quo conſecrantur ſit diuerſus, vnde & vniuerſo huic perſonarum generi ius poſitiuum Diuinum adaptari poteſt tanquam in ipſo tota Chriſti familia conſiſtat, ſic enim Theleſphorus Papa omnes Eccleſiaſticas perſonas ſub Clericorum nomine Chriſti familiares appella; immò, & ius ipſum Diuinum naturale, quod in generali ratione conſecrationis, ſeù dedicationis conſiſtit, & quamuis modus conſecrationis in aliquibus ſit ex Inſtitutione Eccleſiæ, hoc tamen non impedit, quò minus ius naturale conſurgere, & reſultare poſſit, ſic enim conſecratio Calicis eſt ex Eccleſiæ inſtitutione, & tamen eſt ex naturali iure, vt in commercium humanum non veniat, & in vſum communem.

Auctoritates autem illas Apoſtolorum non moramur. *Obedite Præpoſitis veſtris, & omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*, quibus exemptio videtur potenter impugnari; eas enim iam ſupra ad rem ſatis expoſuimus, ſicut, & factum Pauli in Religionis materia, ob quam vexabatur Cæſarem tanquam legitimum ſuperiorem ſuum appellantis; id enim fecit ipſe tanquam oppreſſus, & ab accuſantibus Iudæis in anguſtias redactus; Intuens enim eorum proteruiam, & Præſidis Romani iniuſtitiam ad neceſſariam ſui defenſionem Cæſarem appellauit tanquam ſupremum, & à quo vno inter tot anguſtias ſubſidium ſperare poterat eum eum, & accuſatores, & Præſes vereri ſimul deberent, riſu enim exceptus fuiſſet, ſi nedum appellare, ſed vel nominare Petrum ſuum, & Apoſtolorum Principem auſus eſſet, ideò de facto agentibus de facto reſtitit, nec alia fuit eius ſubiectio Præſidi, & Cæſari, quàm illa ipſa, qua Chriſtus Dominus fuit ſubiectus Pilato, & quam teſtatus eſt, dum inquit. *Non haberes in me poteſtatem, niſi tibi datum eſſet deſuper*. Abſit, vt credamus datam deſuper legitimam poteſtatem, nec aliam interpretabimur, quàm permiſſionem meram, de qua Chriſtus ipſe. *Hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum*, vt execremur blaſphemam *Marſilij de Padua* propoſitionem, Chriſtum ſcilicet filium Dei naturalem Principibus ſæculi fuiſſe iure ſubiectum. Sunt igitur Clerici, & ſacri homines à ſæculari iuriſdictione, & foro exempti, & Diuino, & naturali iure, nec non & poſitiuo, idq; iam ſatis hocuſque illuſtratum. *Luce c. 22.*

## Vnde nam, & à cuius beneficio exemptio à ſæculari poteſtate, & foro tanquam à cauſa immediata proceſſerit.

## §. III.

1 *Diſſeritur primò de Summo Pontifice, qui à nemine iudicari poteſt, & confirmatur.*

2 De-

2 *Deſcenditur ad reliquum Clerum, & potuiſſe eximi a Summo Pontifice oſtenditur latè.*

3 *Quid à Principibus contributa ſucceſſiuè demonſtratur ordiendo à conſtit. Cæſſ. vſque ad finem.*

Segregant Authores in hac meri facti, & hiſtorica diſquiſitione Summum Pontificem à reliquo ſacrorum hominum corpore, & de illo enunciant tanquam omninò certum, non eſſe exemptum humano aliquo iure, aut auctoritate, ſed Diuino immediatè, nemine eximente, habere immunitatem ab omni iudicio ſæculari Imperatoris, Regum, & Principum; eſt enim Summus Princeps, ac ſupremum caput totius Eccleſiæ, ac proinde neminem ſuperiorem in Terris agnoſcit; ideòque veriſſima, & propriiſſima eſt eius maieſtas.

1 Indeque Sacroſancta Eccleſiæ Concilia ſemper Romanum Pontificem tanquam caput ſupremum ſuſpexerunt nemini ſubijciendum; vulgatiſſimum eſt Concilij Sueſſani celebre dictum in cauſa Marcellini Summi Pontificis. *Prima ſedes à nemine iudicatur*. Reſumpſit & Concilium Romanum ſub Sylueſtro, firmarunt, & Summi Pontifices ipſi, *Nicolaus I.* ſcribens Michaeli Imperatori *Gelaſius ad Anaſtaſium pariter Imperatorem in can. duo ſunt 96. diſt.* quæ ſanè authoritates vetuſtiſſimum hoc Summi Pontificis priuilegium teſtantur, & Eccleſiæ ipſi coæuum hoc effatum, adeòque non humanum, ſed Diuinum, neque enim credibile eſt Pontifices illos primos ſpectatiſſimæ ſanctitatis, & modeſtiæ viros id iuris ſine cauſa ſibi adrogaſſe intuentibus Imperatoribus, & ſæculi Principibus, iiſdemque conſentientibus, neque tunc is erat Eccleſiæ ſtatus, vt vi adhibita extorquere tantùm priuilegium Summi Pontifices potſent, neque petere auſi eſſent, niſi poteſtatem, & authoritatem habuiſſent, quam ratione ſuæ dignitatis à Chriſto Domino accepiſſent, quod ſi ab eo auctoritatem habent declinandi omnem humanam iuriſdictionem, iam iure Diuino ſunt ab eadem exempti ne dum naturali, ſed & poſitiuo; naturali, hoc eſt eo, quod eſt connaturale alicui ſtatui gratiæ, & ſupernaturali dignitati alicui homini collatæ, qua poſita dignitate ratio recta, & naturalis dictat huiuſmodi ipſi iuſtè competere priuilegium; poſitiuo verò, hoc eſt directa, & propria Chriſti voluntate expreſſo, & à Chriſto Domino Vicario ſuo collato.

Can. vlt.

Tom. 3. epiſt. Decr. Summ. Pontif. ep. 9

Hoc Summi Pontificis priuilegium agnouit *Nicol. I.* relatus à *Gratiano in can. patet 9. q. 3.* ſublimiſque adeò ſupereminentiæ non aliud aſſeruit fundamentum rectiſſimè Ennodius Diaconus, quàm verba illa Chriſti Domini *Tu es Petrus &c. Paſce oues meas: quodcumque ſolueris ſuper terra*, per quæ vnus vniuerſi gregis conſtitutus, ſupremuſque Paſtor, reliqui omnes, quicumque ſint, facti ſunt oues, quæ dirigi à Paſtore debent, non Paſtor ab ipſis, ac proinde Diuino naturali iure illuſtrante, ac quodámodo obſtetricante, emergit hæc ſupremi Paſtoris præſtantia, tanquam ex natura rei, vt nulla ſuper eum ſit poteſtas, à qua iudicari poſſit, quæ in ſe eſt à iure ſupernaturali Diuino, quod & ratione verborum *Paſce oues meas*, radicitùs poſitiuum cenſeri poteſt, in cuius poſitiui iuris fundamentum magis inſeruit locus iam ſupra allatus *Matth. c. 17.* cum ageretur enim de ſoluendo tributo, interrogauit Chriſtus Dominus Petrum, *Reges Terræ, à quibus recipiunt tributum, vel cenſum à filijs ſuis, an ab alienis*, & Petrus reſpondit; *ab alienis*, indeq; intulit Chriſtus. *Ergo liberi ſunt filij*, *vt autem*

Lib. pro defenſ. S. mai. b. in verſiſm.

non

*non ſcandalizemus eos vade ad mare &c. & inuenies ſtaterem illum ſumens da eis pro me, & te.* Ex quibus verbis Chriſtum non fuiſſe debitorem tributi ſiue cenſus arguunt *Ambroſ.* & *Chryſoſtomus*, cum ob ſolum declinandum ſcandalum ſoluat. *Ambroſ. Non debebat filius Dei, non debebat & Petrus in adoptione à Patre adſcitus per gratiam, ſed ne ſcandalizentur,* inquit *Chryſoſtom. Non enim, vt debitor reddidit, ſed vt illorum infirmitati conſuleret.*

*In Exod. c.19. verſ. fin.*

*Hom:59 in c.17 Matth.*

Coniunxit in hoc facto ſibi Petrum Chriſtus, quaſi vellet idem de ſe, ac de Petro cenſendum, quem ſibi fecit æqualem: *Da illis pro me, & te.* Eodem iure pro te, quo, & pro me, adeòque vtriuſque idem priuilegium, & propter ſcandalum tantum vtriuſque non ſubiecti facta ſolutio; indeque Apoſtoli Petrum ſibi metipſis Prælatum omnibus agnouerunt, excitataque inter ipſos curioſitas interrogandi, *quis putas maior eſt in Regno Cælorum*, vt aduertit *Hieronym.* & fusè confirmauit *Chryſoſtomus*.

*In c.18. Matth. vbi ſup.*

Et quamuis factum hoc Chriſti indicet Immunitatem à tributis, ex ea tamen colligere licet, exemptionem etiam à iuriſdictione cum ex eadem naturali filiatione Chriſti deſumatur immunitas à tributis, ex eadem deducitur exemptio à iuriſdictione tanquam ab vna, & eadem vtriuſque ratione, cum filiatio eadem vtrobique vrgeat; & cum idem Priuilegium ſit communicatum Petro, iam eadem, & in eum migrauit exemptio non ſolum à tributis ſed & a iuriſdictione.

2 A Summo Pontifice ad reliquum Clerum deſcendimus viſuri breuitèr, vnde nam poſt ius Diuinum, & naturale, de quo ſupra immediatè hæc Immunitas ipſis obuenerit. Non eſt ambigendum, quin circumſcripto etiam Diuino, & naturali iure, potuerit Summus Pontifex hoc exemptionis priuilegium in Eccleſiaſticos omnes conferre, & Chriſtianos Principes ad eius obſeruantiam adigere; profeſſus eſt idipſum *Innocentius* Conſultiſſimus Pontifex *ad cap. 2. de maior. & Obedien. n. 1.* cuius hic reddimus verba; *Sed quæres* (inquit) *quis exemit Clericos de iure Imperatoris, cum priùs ei ſubeſſent? Reſpond. quod Papa conſentiente Imperatore 11. q. 3. c. 3.* inferiùs. *Vel dic quod Papa etiam ſine conſenſu Imperatoris benè potuit eos eximere à iuriſdictione Imperatoris per ſuas Conſtitutiones*; moxque adnectit rationem. *Quia cum Clerici ſpirituales res ſint, & ex toto corpus & animam dederunt in ſeruitium, & ſortem Chriſti 12. q. 1. c. 3. per conſequens Papæ in iudicio, & Conſtitutionibus ſub 10. diſt. c. Imperium, & c. ſuſcipitis c. ſolitæ de maior. & obed. & Innocent.* auctoritati ſcripſit *Couar.* Et ex eo quod Summi Pontifices eximendo hanc poteſtatem exercuerit, eamdem poteſtatem meritò penes ipſos arguimus. Proſtant conſtitutiones, & iura in *c. Nouerit* in *c. Grauem. de ſentent. excomm. c. fin. de reb. Eccleſ. non alien. c. Quamquam de Cenſib. in 6.* & paſſim *tot. tit. de Immunit. Eccleſ. tam inter Commun. quàm in 6. Nec aliunde ipſi hæc poteſtas, quàm ab eminentia ſui ſupremi gradus à Deo Opt. Max. tradita.*

*Prac. q. c. 31. Concl. 3. & 4*

Et vt cumque plura ex recenſitis iuribus ſint poſteriora Principum, & Imperatorum Conſtitutionibus, non tamen in ijs ſe fundarunt Pontifices, ſed innixi ſemper ſunt poteſtate ſua, quà interdixerunt Clericos à Laicis Iudicibus iudicari, vel apud illos cauſam, ſeù litem excitare, aut agitare temporibus illis, quibus Imperatores nondum erant fideles, *c. Relatum 11. quæſt. 1.*

quem

quem *Can.* deſumpſit *Gratian. ex Epiſtola 1. cap. 1. Alex. Papæ I.* & ideò *Concil. Trident.* nulla habita iuris ciuilis mentione ait, *Eccleſiæ, & Eccleſiarum perſonarum immunitatem Diuina ordinatione, & Eccleſiaſticis Conſtitutionibus eſſe conſtitutam.*

*Seſſ. 25. de re. form. c. 20.*

Et meritò; cum hæc ipſa exemptio ab ea etiam ſit poteſtate, qua ligandi, & ſoluendi Petro dedit Chriſtus Dominus facultatem, & qua liberè vti ſemper, & potuit & poteſt, prout decens Eccleſiæ regimen expoſcere videretur, cui quidem cum ſit maximè conueniens, ne Clerici à muneribus ſuis diſtrahantur, & vt Sanctè Sancta tractentur quod ſanè non fieret, ſed viderentur Clerici irreuerenter habere, & contemni, ſi eorum crimina ad Tribunalia communia deferentur, ideò potuit Summus Hierarca pro recto vſu poteſtatis ſuæ, & apta Eccleſiæ ſibi creditæ adminiſtratione independentèr à ſæculari poteſtate Clericos quòad Iudicia, & forum eximere.

Neque prohibere, aut impedire potuit Ius, quod aſſererent Principes, ſiuè fideles, ſiue infideles in Clericorum perſonas ipſo ſi non naturæ, ſaltem gentium iure, quo quidem, vt in Deo non fuere priuati, nec potuere per Summum Pontificem priuari; Non infideles, quia neque Eccleſiaſticæ poteſtati ſubiecti, non fideles, quia multò minùs, cum non debeant eſſe deteriores conditionis, quàm infideles. Nam eſto quidem; quod Principes in ſubditos iuriſdictionem haberent à eo ipſo, quo facti ſunt Clerici, ceſſat eorum poteſtas, cum ſacra ſint extra Commercium, neque vlla in Clericos fuerit vnquam ipſis data; neque dici poteſt Principibus ſæculi illatam eſſe iniuriam, quia, præterquam quod nemini facit iniuriam, qui vtitur iure ſuo, *c. cum Eccleſia de electiоn.* certè Summus Pontifex vti potuit liberè poteſtate illa ſumma, qua etiam temporalia in ordine ad ſpiritualia attingere poteſt propter mutuam illam connexionem, quæ inter ipſa viget, quando præſertim expedire nouit, vt ſpiritualis ipſa poteſtas ſic ordinetur; cum (vt inquit *Nicol. Papa*) relatus in *C. 1. 22. diſt. Chriſtus Dominus B. Petro æternæ vitæ Clauigero terreni ſimul, & Cæleſtis Imperij iura commiſerit.* Idque exemplo confirmat *Innoc. III. in c. per venerabilem. qui fil. ſint legit.* Vim ſpiritualis poteſtatis etiam in ordine ad temporalia expendens; profert enim exemplum filij familias, qui ad Epiſcopatum promouetur, & ſoluitur à patria poteſtate, & ſerui, qui à ſciente Epiſcopo fuerit ſacris Ordinibus initiatus, ſubtrahitur enim vterque à Patris, & Domini poteſtate, ſeruus præcipuè ſoluto pretio ipſi Domino, vel etiam non ſoluto, ſi Dominus ipſe conſentiat, *c. ſi ſeruus 54. diſt.* & paſſim *tot. tit. ſeru. non ordin.*

Vnde ſi vi ſacræ ordinationis amittit Pater ius patriæ poteſtatis & Dominicæ Dominus, quæ vtraque haud minor eſt, quam iuriſdictio Principis in ſubditos, qui ſi ſit fidelis iam conſentit in Eccleſiaſticæ conueniens regimen, & in ſacram Clericorum ordinationem, & in Pontificis Summi poteſtatem à Chriſto Domino receptã, qua & immunitatem hanc firmare, & eam à Principibus ſæculi exigere vtique poteſt. Quod ſi Princeps ſit infidelis, in cuius ditione Eccleſiæ ſint fundatæ quamuis de facto huiuſmodi poteſtas facilè non poſſit ad actum reduci, cum infideles Principes ſupremam illam Summi Pontificis non agnoſcant; attamen per hoc re vera non deeſt, cum poſſit ob periculum ſubuerſionis fideles ſubtrahere ab Imperio, & poteſtate Principis infidelis, & multò magis poterit

terit Clericos, & Sacerdotes ab eiſdem eximere ob reuerentiam Diuini cultus, poteſtas enim Summi Pontificis in ijs, quæ reſpiciunt ſuum finem etiam ſupra infideles extenditur, & ipſis inuitis poteſt ſtatuere ea, quæ reſpiciunt Diuinum cultum.

Fatemur quidem primis illis Eccleſiæ temporibus eiuſdem Præſules poſtulaſſe iudicium ab Imperatore, vt tempore Conſtantini, & priuilegium exemptionis pro ſuo Clero, vt *Nouell. Iuſtin.*83.*Petiti ſumus* (ait ibi *Iuſtin.*) *à Menna Deo amabiliſſimo Epiſcopo, &c. Reuerendiſſimis Clericis hoc dare priuilegium, & Concil. Tolet.III.* impetrauit ab Hiſpaniarum Rege *c. Eccleſiarum ſeruos* 12. *q.* 2. *propter quod omne Concilium*(inquit *Can.*)*à pietate Domini noſtri popoſcit*,quia tunc(nempe tempore Conſtantini) Clericorum exemptio, aut non erat plenè nota, aut nondum ſatis vſu recepta, non nota, Conſtantino ipſo recens ad fidem conuerſo, tempore Nicęni Concilij, ideò Epiſcopi iudicium ab eo poſtularunt voluntariè,non coactè,vt enim aliàs aduertimus cum *Bellarmin.* Eccleſia non omnes ſimul,ſed ſucceſſiuè, & per gradus,vires ſuas exeruit, niſi dicere velimus cum *Baron.* poſt Ruffinum Focium, & alios Epiſcopos ad Conſtantinum recurriſſe tanquam ad protectorem, defenſorem, aut arbitrum, quod munus piè ipſe recuſauit ſe profeſſus indignum, & Sacerdotes ad Dei iudicium remittens, idemque cenſendum de Epiſcopis in Toletana Synodo, qui quidem non ignorarunt, exemptionem Clericis competentem, ſed quia eius exercitium impediebatur, vel ab ipſis magiſtratibus fidelibus, quibus fortaſſe hoc priuilegium nondum innotuerat, vel ſaltem eius praxis, vel vſus, qui vt fælicius induceretur conſenſum Antiſtites ex vrbanitate quadam impetrarunt.

*Tom: 3: Annal: ann: 325*

Inductam ex Summi Præſulis auctoritatem Clericorum exemptionem ſuſpexere Principes, ex quo Chriſtianam fidem ſuſceperunt, & in eius robur contribuerunt (non enim admittimus hoc priuilegium ab ipſis profectum) primuſque Conſtantinus in illud conſenſit,at quo præciſo tempore, non eſt adeò euidens, cum plures conſtitutiones hac de re ab eo manauerint.

3 Creditum,tunc immunes à foro decreuiſſe Clericos Conſtantinum, cum in magna Nicęna Synodo libellos ſibi ab Epiſcopis oblatos mutuas criminationes inuoluentes combuſſit, enuntians. *Deus vos conſtituit Sacerdotes, & poteſtatem dedit de omnibus quoq; iudicandi,& ideò nos à vobis rectè iudicamur,vos autem non poteſtis ab hominibus iudicari*, quæ verba cum alijs pluribus retulit ex *Sozomen. & Ruffino Baron.* ea verò indicant quidem agnouiſſe Conſtantinum immunitatem iam Diuino iure competentem, ac poſitiuum indulſiſſe priuilegium non probant. Plures immunitates Clericis, & Eccleſiaſticis perſonis indulſiſſe Conſtantinum compertiſſimum eſt, eaſque breuiter recenſebimus. Prima fuit,qua eos à muneribus perſonalibus liberauit, *l.* 1. 2. 7. *c. Theod.de Epiſc. & Cler.* moxque illa, qua Clericos, & eorum mancipia, colonos ſcilicet à nouis collationibus abſoluit extraordinaijs ſcilicet & ſuperinductis *l.* 8. *c. Theod. de Epiſc. & Cler.* quam & tranſtulit *Tribonianus in cod. Iuſtin.in l.*1.*c.de Epiſcop. & Cler.* miſſis tamen finalibus verbis; ſed hanc immunitatem longè vetuſtiorem indicant verba illa, *l.* 8. *iuxta ſanctionem, quam dudum meruiſſe perhibemini*, quæ tamen ſanctio, ſeu conſtitutio non occurrit.

*Annal: tom: 3 ann: 325*

Alia fuit immunitas à *Metato*,hoc eſt hoſpitibus recipiendis exercitu fortaſſe, aut Imperatoris comitatu tranſeunte,

*d.l.*

*d. l.* 8. ibi *Præterea neque hoſpites ſuſcipietis*. Alia etiam, qua Clerici à luſtralis auri collatione ſunt immunes, de qua *tit. in cod. Theod. de luſtral. collat.* & erat hoc vectigal, quod negotiatores debebant quolibet luſtro, vt notat *Briſſon.* eaque immunitas modò fuit arctata, modò ampliata, vt in *l.* 1. §. 11. *c. Theod. de luſtral. collation.* Exemit alia conſtitutio in *l.* 1. *c. Theod. de Epiſc. & Cler.* Clericos à nominationibus, & ſuſceptionibus, à nominationibus ad publica munera, vt exponit ibidem *Gothofred.* à ſuſceptionibus annonarum, & tributorum *l.* 2. *c. eod. tit.* haud abſimiliter, & in *l.* 6. *c. Theod. de Epiſc. & Cler.* verùm vtcumque ex huiuſmodi immunitatibus illatio poſſit fieri ad exemptionem à iuriſdictione, & foro ob identitatem rationis, nihil tamen adhuc explicitum circa hanc immunitatem attulimus.

*De verb. ſign. lib.* 10

Ideò prodeat *l.* 7. *c. Theod. de Epiſc. & Cler.* vbi hæc leguntur authore *Conſtantino Magno, cæterique Clerici, qui per iniuriam hæreticorum ad Curiam deuocati ſunt, abſoluantur, & de cætero ad ſimilitudinem Orientis minimè ad Curias deuocentur, ſed immunitate pleniſſima potiantur.* Retulit hanc conſtitutionem *Baron.* ratus, ex ea occaſione profectam, quod Clerici à Donatiſtis ad ſæcularia Tribunalia traherentur, ac proinde per ipſam fori immunitatem fuiſſe indultam; cum tamen potius loqui de curialibus muneribus cenſeat *Gothofred.* ad eandem legem.

*Annal. tom.* 3 *an.* 330 *in fin.*

Conſtantius Conſtantini filius varias leges, & conſtitutiones edidit eodem *c. Theod. tit. deſcriptas l.* 9. 10. 11. verùm & hæ de immunitate ab oneribus, & muneribus loquuntur, non de priuilegio fori præcisè, quamuis generalis locutio poſſit ipſis facilè adaptari. In *l.* 12. *c. Theod. de Epiſc. & Cler.* idem *Auguſt. manſuetudinis noſtræ lege prohibemus, in iudicijs Epiſcopos accuſari,* inferius, *ſi quid eſt igitur querelarum, quod quiſpiam defert apud alios, potiſſimum Epiſcopus conuenit explorari*, cenſet *Baron.* Conſtantium hanc edidiſſe conſtitutionem occaſione libelli à *S. Hilario* porrecti, quo petierat, ne Iudices vſurparent ſibi negotia Eccleſiaſtica, neue cauſas cognoſcerent Clericorum; vnde quamuis Conſtitutio loquatur de Epiſcopis, & de Clericis omnibus veniat accipienda, & ſic ius vniuerſale conſtituat; proùt indicant *l.* 13. & *l.* 14. immediate *ſeqq.* quæ tamen confirmationes potius videntur iam competentis immunitatis, quàm noua aliqua eiuſdem conceſſio.

*Ann.* 355

Subſecuti ſubinde alij *Ceſſ.* qui hoc fori priuilegium confirmarunt, & præſertim *Valentinian. Primus* teſte *Ambroſ.* cuius ſupra regeſſimus auctoritatem, nec denuò repetendam, & quia in huius priuilegij vſu ſubreperant fraudes, ideò Valens I. Imperator immunitatem fori ad eos ſolos Clericos reſtrinxit, qui per decem annos in Clericatu vixiſſent *l.* 19. *cod. Theod. de Epiſc. & Cler.* & demùm in *l. fin. c. de Epiſc. Iud. qui titul.* Extrauagans dicitur *in cod. Teod.* ſtatuere abſolutè *Ceſſ. ne Clerici ad ſæcularia iudicia pertrahantur.* Demùm fibulam huic rei addidit *Honor. Imperatore conſtitutione ſua*, in *l.* 40. *c. Theod. de Epiſc. & Cler.* eamq; ſic exorditur, *Clericos non niſi apud Epiſcopos accuſari conuenit*, mox ſubdens; *Ideòque huiuſmodi dumtaxat cauſas Epiſcopi ſub teſtificatione multorum actis audire debebunt.* Neque generalitas huius Conſtitutionis patitur, vt ad ſolas cauſas leuiores reſtringatur *l. de pretio ff. de public. in rem act.* quod contenderunt nonnulli, maximè cum non tam priuilegium de nouo indulgeat, quàm indultum renouet, ac confirmet, vt indicant relata iam ſupra verba

*Epiſt.* 32

verba ex principio L. per modũ regulę, & axiomatis, neque enim de cauſis pecuniarijs poteſt intelligi conſtitutio,quę accuſationis vebo vtitur, quod in pecuniarijs cauſis non adhibetur; tandem *Theodoſ.& Valentinian.in l.46.& 47* omnia priuilegia à prędeceſſoribus Clericis conceſſa confirmant, & præcipuè *Honor.in l.47.* quæ eſt *final. c. Theod. de Epiſc. & Cler.* reuocat quæcumque Ioannes Tyrannus in Eccleſiarum detrimentum edixerat, & præcisè quoad Clericos; *Clericos etiam, quos indiſcretim ad ſæculares Iudices debere deduci infauſtus præſumptor edixerat, Epiſcopali audientiæ reſeruamus.*

Locutus hactenùs recenſitas Conſtitutiones de priuilegio fori, eaque hactenùs vſos Epiſcopos comprobat indignum Chriſtiano Principe facinus à Valentiniano Cæſ. patratum, qui, vt ſcribit *Baron.* Sanctionem ædidit, qua abſtulit iudiciale Epiſcoporum tribunal, ijſdem ius dicere vetans niſi inter conſentientes, fori exceptionem adimens, & omne indicium Eccleſiaſticum extinguens, niſi in ijs, quæ ad Religionem pertinent argumentum euidens, vſque tunc extra cauſas Religionis Epiſcopos iudicaſſe, eamque Valentiniani conſtitutione reuocatam à Marioriano eius ſucceſſore ibidem teſtatur *Baron.* quæ ſanè ſunt omnia vera, quæ circa fori immunitatem vſque ad Iuſtinianum obtinuere. Neque admitti poteſt illorum aſſertio, qui voluere fuiſſe ignotam vſque ad Iuſtinianum duplicis fori differentiam, eamque ab ipſo primò introductam; præter enim allata mox ſupra iura falſam aſſertionem euincit celebris illa Ambroſij ſententia *in Concil. Aquileienſi. Non laicos de Sacerdotibus, ſed potius Sacerdotes de laicis iudicare debere*, quæ ſanè illa ipſa eſt, quam ex epiſtola eiuſdem *Ambroſij* iam ſupra reddidimus ad Valentinianum;

*Serm. 6 Annal. an. 452.*

*Nouell. Valentin tit.32.*

immò Matiſconenſe Concilium ſecundum, vetuſtatem æuo Iuſtiniani longè anteriorem teſtatur, dum inquit, *Reuerendiſſimo Canones, & Sacratiſſimas leges de Epiſcopali audientia in ipſo Chriſtianitatis principio ſententiam protuliſſe*; neque enim is fuit in hac parte Iuſtiniani zelus, vt Eccleſiaſticam iuriſdictionem exactè promouerit, ſed minuerit potius, ad ciuiles enim cauſas reſtringens, in criminalibus, quandò crimina non ſunt Eccleſiaſtica;ſed communia, vt furta, & homicidia, voluit Clericos à laicis iudicari, & puniri ex *Nou.83.Authent.vt Clerici apud proprios Epiſcopos Auth.cauſa Auth.Clericus c. de Epiſc. & Cler.* Quod autem hucuſque fluctuauerat (non diximus) priuilegium, ſed potius ius legitima auctoritate inductum, demùm à Carolo Magno Imperatore confirmatum, ac ſtabilitum innuit *Baron.* non tam in laudes Caroli effuſus, quam in Principes minabundus, qui Eccleſiaſtica iudicia turbare pręſumunt;in Capitularibus ergo ſuis *Carolus Magnus* poſt plura de Eccleſiaſtico iudicio demùm ſuſidit, *Omnes itaque cauſæ, quæ vel Prætorio iure, vel ciuili tractantur, Epiſcoporum ſententijs terminatæ perpetuò ſtabilitatis iure firmentur*, & tranſtulit, *Gratian. in can. omnes 11.q.1.*

*Epiſt. 32.*

*Cap. 19.*

*Tom.9.annal. ann. 801.*

*Lib.6.cap. 281.*

Verùm (quidquid ſenſerit *Baron.*) vix eſt, vt huiuſmodi priuilegium, aut iuris ſi non conceſſionem, at confirmationem, agnoſcamus à Carolo Magno, qui potiùs facultatem indulſiſſet videtur laicis, vt cauſas ſuas ciuiles ad Epiſcopos poſſent defferre, & apud eoſdem terminare, & qualecumque fuerit eius priuilegium, antiquatum illud fuit, & ceſſauit per non vſum, *vt not. Gloſſ.* & cum ea *Turrecr. ad c.omnes, & c. quicumq;11.q.1.eadem Gloſ ad c. relatum 11.q.1.*& de hoc fori priuilegio à Carolo Magno nil certum habemus, & poſt

illum vſque ad Federicum II. Imperatorem altum omninò de ipſo ſilentium.

Federicus ergò ampliſſimum priuilegium (pro iuris ipſis competentis libero vſu) Clericis tam in ciuilibus, quam in criminalibus conceſſit; poſterema eius Conſtitutio poſt libros fęudorum, *& in Auth. ſtatuimus c. de Epiſc. & Cler.* & *in Auth. Caſſa c. de Sacroſ. Eccleſ.* cui ſupema auctoritatis manum præbuit *Honor. III. Summ. Pontific.* Sunt Conſtitutionis Friderici verba. *Item ſtatuimus, vt nullus Eccleſiaſticam perſonam in criminali quęſtione, vel ciuili trahere ad Iudicium Sæculare præſumat contra Conſtitutiones Imperiales, & Canonicas ſanctiones*, quæ ſanè verba, & Canonicas leges, & Conſtitutiones Imperiales, iam antea extitiſſe ſupponunt.

Conſtitutionem Friderici coronat *Honorij III. Summi Pontificis Decretum* in ea verba. *Nos verò Honorius Epiſcopus Seruus Seruorum Dei has leges à Friderico Romanorum Imperatore filio noſtro Cariſſimo pro vtilitate omnium Chriſtianorum æditas laudamus, approbamus, & confirmamus, tanquam in æternum valituras*, & hæc verba ſubſequitur ſanctio; ex quibus omnibus conſtat, quid, & quantum ad hanc fori Immunitatem ius ciuile, contribuerint. Vnde rectiſſimè dixit *Io: de Roa Dauila* Immunitatem tam quoad loca initium à Iure Diuino habuiſſe, & humana, Principum conſtitutione firmatam.

*In Apologia de iurib. Principalibus defend. & moder. iuſtè.*

## Circa idem Priuilegium (ad c. ſi deligenti 12. de foro competenti,) & oportunè de Clerici reconuentione. Excurſus.

1 *Occaſio, & origo quæſtionis, cum fundamentis contra* Text. in d. c. ſi diligenti.

2 *Soluitur quæſtio, & dantur fundamenta.*

3 *Soluuntur quæ in contrarium allata.*

Celebris eſt *Innocentij Tertij* Summi Pontificis Conſtitutio *in cap. ſi deligenti 12. de foro compet.* deſumpta ex eius Epiſtola ad Lotharium Archiepiſcopum Piſanum, vt teſtatur eius Epigraphes, quæ integra legitur penès *Anton. Auguſtin. in 3. collect. antiq. Decretal. ſub hoc eodem tit. c. 4.*

1 Cenſebat Archiepiſcopus, qui & Iuris Conſultus, ac Iuris Ciuilis Gloſſator, licere Clericis priuilegio fori renunciare, ac voluntariè ſe iudici Magiſtratuique ſæculari ſubmittere, iuramento præſertim adiecto, ipſique viſum, huiuſmodi renunciationem ſubſiſtere, vt potè quæ iuris principijs, & regulis apertè nitiatur; vulgatiſſimum enim, poſſe quemlibet fauori pro ſe introducto renunciare, quod expreſſe conſtituit, *Iuſtinianus in l. ſi quis in conſcribendo c. de Epiſc. & Cler. & c. de pact.* vbi præcisè exemplificat in eo, qui ſe non vſurum ſacerdotij priuilegio pactus eſt; horret enim vtrobique Iuſtinianus promittentem fidem fallere, & ſecum contrahentes decipere, vix vllum extat in iure priuilegium, cui Priuilegiatus tanquam fauori ſuo renunciare non valeat, fori autem priuilegium in gratiam, & fauorem Clericorum inductum apertiſſimum eſt, vnde & rationabile omninò videtur, vt Clericus ipſis renunciare valeat. Et licet obſtare videatur Concilij Meleuitani, & Carthaginenſis auctoritas, attamen hunc caſum non videntur reſpicere hæc Conciliorum decreta, quæ vetant pertrahi Clericos ad ſæculare iudicium, & in eodem conueniri, tutoſque eos volunt omninò fori exceptione; at non

inde

inde videtur inferendum ad contrahentes, qui ſponte, & libero ſuæ voluntatis arbitrio priuilegio renuncient, & prorogando iuriſdictionem ſe ſubijciant; vulgatum enim eſt, in prohibitoria materia ſtrictam adhibendam interpretationem, nec de caſu ad caſum extenſionem faciendam, *reg. Odia, de reg.iur.in 6.* Neque verendum, quod lædatur per hanc renunciationem ius publicum, quod pactis priuatorum immutari, aut tolli non poteſt, *l. ius publicum ff.d pact.* vt per exempla quam plura regulam illuſtrat *Cuiac.* quia vtcumque vniuerſalis ſit regula, ſuas tamen, eaſque plures admittit exceptiones, vt accuratè non minùs quàm doctè obſeruat idem *Cuiac.* ſed præſertim conſiderandum eſt, quod hoc fori priuilegium in abſtracto, (vt ità loquamur) acceptum, eſt quidem omninò publicum, at vbi ſubditus, & priuatus homo eo vtitur, vel poteſt vti, iam fit eius priuatum, & venit quodammodò in eius commercium, itavt de ipſo tanquam de iure iam ſuo per applicationem paciſci poſſit, *l. 1. §. huius ſtudij ff. de iuſt. & iur.* ſatis enim eſt, vt vtilitas publica, quæ in hoc priuilegio conſideratur, in ſingulos deriuetur, vt priuatorum pactionibus ſubicij valeat, *l. iuriſgentium 7. §. ſi paciſcar ff. de pact.* tunc ſiquidem paciſcitur homo immediatè de re ſua, licèt mediatè, & ſecundariò pactum in ius publicum redundet, ipſumque reſpiciat, & tangat, & eò magis ſeruandum videtur à Clerico pactum huiuſmodi, quò ei iuramentum acceſſerit, cuius ea eſt vis, vt faciat de illicito licitum, & actum inualidum, validum reddat, *c. 1. c. debitores c. verum de iureiur. c. quamuis pactum de pact. in 6. Auth. ſacramenta puberum c. ſi aduerſ. vend.* ne plura circa vires iuramenti confirmatorij cumulemus.

*Lib. 2. quaſt. Papin. ad l. ius publ. ff. de pac.*

Hiſce Lotharij Archiepiſcopi fundamentis, & opinioni acceſſit nouiſſimè *Iacob. Cuiac.* qui in ſolemnibus recitationibus ſuis ad ius Pontificium hunc eumdem *Text.* exponens ius ab Innocentio conſtitutum omninò nouum aſſerit, nec vlli anteriorum Pontificum compertum; ſed præſertim admittere ſe non poſſe rationem profitetur, cui Innocentius innititur, quod ſcilicet hoc pactum Clerici ſit de publico iure, de quo paciſci priuato homini non liceat, ius enim publicum non tangit ſic paciſcens Clericus, ſed ius ſibi quæſitum in principio contractus aſſumit, illudq; in contractum deducit, promittens ſibi competente priuilegio fori ſe non vſurũ ſed imò paſſurum, vt ex eo contractu coram ſæculari iudice agi poſſit, ipſeq; coram eodem conueniri; quod pactum ſi ius publicum læderet, illudque tolleret nuſquam conſtitutionibus ciuilibus probatum eſſet, ſicut expreſsè probatum legimus in allegatis, *l. ſi quis in conſcribendo c. de Epiſc. & Cler. de præſcriptione fori loquentibus*, nec iure Canonico improbatum ante Innocentium, & meritò (inquit *Cuiac.*) cum Clericus ſe alienæ iuriſdictioni ſubijciens, & foro renuncians de iure, & commodo ſuo detrahat, & non de iure publico, idque facit ſine vlla aliorum Clericorum iniuria, quibus ſalua eſt ſua fori præſcriptio, & ſine incommodo Aduerſarij ſui, ſed potius cum commodo, quia ſine hac fori renunciatione non fuiſset aliàs contractus. *In l. 27. ff. de regul. iur.* docuit ſanè *Pompon. Nec ex prætorio, nec ex ſolemni iure priuatorum conuentione quidquam immutandum eſt*, ſed ſubdit ad rem; *quamuis obligationum cauſæ pactione poſſint immutari*; Et inſuper addit; *Quia actionem modus, vel lege, vel per Prætorem introductus priuatorum pactionibus non infirmatur*; Sed limitat, & claudit; *niſi tunc, cum incboa-*

*Ad c. ſi diligenti.*

*tur actio inter eos conuenit*; idque illud ipſum eſt, quod ſupra dicebat *Cuiac.* quaſi tunc ius publicum applicatione fiat priuatum, & de eo tanquam de iure ſuo poſſint contrahentes paciſci.

Hucque doctinam aduocamus elegantem, quam per tractat Vir doctiſſimus, & olim Collega cum viueret, profiteretur è prima ſede matutina Ius Ciuile in Patauino Gymnaſio, & amicus incomparabilis *Marcus Aurelius Galuanus*; inquirens enim an cautio fructuaria, vel quaſi quando poſſit remitti, aut à lege, aut à Domino proprietatis, deſcendit opportune ad inquirendum; an mulier poſſit renunciare Velleiano, & filius familias Macedoniano S. C. & breuiter ſic diſtinguit; *Non poteſt renunciare iuri ex Senatus Conſulto ſibi competenti*; *At poteſt renunciare vſui, & effectum impedire S.C.* Non pateſt primum; quia ſic paciſceretur de Iure publico, & impingeret *in l.ius publicum ff.de pact.* Poteſt ſecundum aut cauendo ſe non vſuram Velleiano, *l.fin.* §.*fin. in fin. ff.ad S. C. Velleian*; aut ſponte ſoluendo, *l.quamuis* 8.§.*ſi mulier.& d.l.fin ff.eod.* vnica illa ratione, quia factum ſiue vſus Velleiani poſitus eſt in poteſtate mulieris, in cuius gratiam S.C. fuit introductum, & ideo liberè poteſt ipſi renunciare; neque id in fraudem S. C. dici poteſt factum, quia mulier exceptioni Velleiani renuncians, non facit contra mentem legis, aut S.C. quod exceptionem huiuſmodi conceſſit mulieri non propter publicum bonum, ſed propter priuatam ipſarum vtilitatem, *l.1.& 2.ff. ad S.C.Velleian.* & ideò cum nulla imputari poſſit fraus legis, *l. contra ſunt l.ſeq.ff.de legib.* & ſit eius priuatum commodum, meritò validè, & rectè renunciat; vnde valdè intereſt, an quid fiat ad euertendum ius S.C. Velleiani, tunc enim obtinet, quo inquit *Paulus I.C. in l.quidam* 29. §.*final. ff. ad S.C. Velleian. ea quę in fraudem S.C. quod de interceſſionibus fęminarum factum eſt, excogitata probari poſſunt, rata haberi non oportere.* De his ſecus quæ ex cogitata ſunt ad euertendum vſum; idemque dicendum de filio familias reſpectu Macedoniani S. C. vt ſcilicet iuri eius renunciare non poſſit, vſui verò vtique, de minore, reſpectu beneficij reſtitutiones in integrum. Ne ſingula prolixè nimis ad noſtrum inſtitutum repetamur, prout alia exempla, & alias limitationes *ad d. l. ius publicum ff.de pact.* recenſuit *Cuiac.* Vnde intulit *ad d.c.ſi diligenti*; iuſiurandum adiectum huic fori renunciationi per Clericum ratum eſſe, & obligare, non enim eſt contra ius publicum, ſed contra ius priuatum, quod contrahenti eſt iam quæſitum, & ſi fortè extra contractum iuret Clericus ſe fori exceptione non vſurum, irritum eſt iuramentum, cum agatur de iure publico; at ſi contrahat, & iuret renunciant exceptioni fori, tenebitur ſeruare iuſiurandum, tanquam ſuper iure proprio, & priuato ſuo, non ſuper publico.

*De vſufr.cap. 2c:nu. 10. & ſeqq.*

Concluditque audacter nimis in ea verba; *Conſtituat Innocentius, quantum volet, ne vllus Clericus ſe ſubijciat Iuriſdictioni ſæculari, & ſit hoc ratum deinceps, at ne hoc prætextu vtatur, quod pactis priuatorum iuri publico detrahi non poſſit, quia hæc ratio iuri non congruit, Clericus enim, qui ſe ſubijcit iuriſdictioni alienæ, & ſuo foro renunciat de iure, & commodo ſuo proprio detrahit, non de iure publico.* Quæ eſt ſumma totius diſputationis quam etiam tranſcripſit *Matth. Stephan.* & plaudit *Petr. Fab. Cuiac.* Doctori ſuo, quaſi errorem Pontificij Iuris detexerit in eo præſertim quod renuncians Clericus in contractu paciſcatur de Iure publico. Qua mente *Do-*

*Lib.1. de iuriſd. c. 22.à nu. 16. ad c. 27. n.24. ff.de reg. iur.*

*Doctorum maximus* aſſertionem hanc ſuam propoſuerit non cenſemus dubitandum, cum ex vitæ eius ſcriptore Catholicæ Religionis cultorem ſciamus, & neceſſario Pontificem Summum debito obſequio proſequentem; verùm quod aliquantò acriùs in doctrinam inuectus fuerit, apprehenſæ iuridicæ veritati tribuendum eſt, dum doctrinam, non poteſtatem ſtatuentis oppugnat.

Vnde & ſuppreſſo Auctoris, ſeu legiſlatoris nomine, nec vlla facta mentione Pontificij iuris alibi acriter adhuc ſcripſit ſuper Conſtitutione Regni Neapolitani vetante renunciationem, *l. ſi poſt tres ff. ſi quis caution.* & *eadem eſt ſtultitia non permittentis Sacerdoti renuntiare præſcriptioni fori, nam ſi Sacerdoti non licet, qua ratione ille ait, quod renunciatio deroget iuri publico, quæ falſiſſima eſt, nec alij cuilibet eadem ratione licet renunciare præſcriptioni fori, at verò licet alij cuilibet, & Sacerdoti igitur*, Hactenùs ibi *Cuiac.* Quidquid ſcripſerit Vir maximus diſputationis æſtro, & nimium doctrinæ, & opinioni ſuæ fidens, ſapientiſſimè ſenſit, & conſtituit Innocentius Tertius, quem alibi iuriſperitiſſimum appellat ipſe *Cuiac.* & præfert Innocentio Quarto, deciſionem *Text.* & rationem ſimul confirmemus, & illuſtremus, & quàm iuſtè oblocutus vtriq; fuerit *Cuiac.* conſtabit.

*Tract. 7. ad Afric. ad l. Traiectitia ff. de obligat. & act. col. 5.*

*Ad c. referente de prebend.*

2 Inualuerat mos, vt facile nimis, nedum vocarentur Clerici, ſed & voluntariè renunciantes proprio Eccleſiaſtico foro, ſæculares Iudices adirent, ijſque ſe ſubijcerent, quod valdè abſurdum agnoſcens Innocentius Tertius, conſtitutione ſua probuit, *in c. ſi diligenti de for. compt.* quod interpretamur, & confirmauit *Honor. Tertius eius ſucceſſor in c. 4. de iudic.* quintæ compilationis Decretalium apud *Innocentium Cironium*; nec loquitur *Innocent. III.* de ſubmiſſione alteri Iudici Eccleſiaſtico à Clerico facta, quæ eſt prorogatio iuriſdictionis Pontificio iure permiſſa, dum conſenſus proprij Epiſcopi accedat, *c. ſignificaſti de for. compet.* Damnat igitur *Innocent.* ac improbat quidquid hactenùs licitum ab Archiepiſcopo Piſano fuerat creditum, vt ſcilicet Clericus in temporalibus præſertim ſe ſubmittere Iudici laico poſſit, maximè Aduerſario conſentiente.

Idque non tanquam ius nouum inducit, quod imputabat *Cuiac.* ſed veterum canonum auctoritate iam interdictum, aduocatque Mileuitanum, & Carthaginenſe Concilium; & de Mileuitano conſentit etiam *Gratian.* qui inde ſe mutuatum profitetur, *c. inolita 42. 11. quæſt. 1.* cum tamen in eo Concilio nil tale legatur, vt ad eundem Canonem notarunt Romani Correctores, ſed vtique *in Toletano III. c. 13.* vbi hæc leguntur ex Edict. Colon. *Inolita præſumptio vſque adeò illicitis auſibus aditum patefecit, vt Clerici conclericos ſuos, relicto Pontifice ſuo ad iudicia publica pertrahant; proinde ſtatuimus, vt hoc de cætero non præſumatur. Si quis hoc præſumpſerit facere, & cauſam perdat, & à communione efficiatur extraneus.*

De Carthaginenſi verò deduxit ipſemet *Gratian. can. placuit 43. 11. quæſt. 1.* Concilium eſt Carthaginenſe III. proſtatque *Can.* ſatis diffusùs in *Cod. can. Eccleſiæ Africanæ c. 15. Item placuit, vt quiſquis Epiſcoporum Preſbyterorum, & Diaconorum, ſeù Clericorum, cum in Eccleſia ei fuerint crimen inſtitutum, vel ciuilis cauſa fuerit commota, ſi relicto Eccleſiaſtico iudicio publicis iudicijs purgari voluerit, etiam ſi pro ipſo fuerit prolata ſententia, locum ſuum amittat, & hoc in criminali actione; in ciuili verò per-

*perdat*, *quod euicit*, *ſi locum ſuum obtinere maluerit*. Apud *Gratian.* proſequitur, *Can. ſi quidem ad eligendos Iudices &c.* quæ non leguntur *in Cod. ſup. Eccleſ. Africanæ*; ſed admonet *Chriſtophorus Iuſtellius*, hæc verba deeſſe in exemplaribus Latinis, & Græcis m.ss. ac proinde poſita à Collectore Canonum in margine à librarij tranſlata fuiſſe *in Text.* adeòque non attendenda; qui Canones leuitatem, & procaciam Clericorum damnat, qui poſt habito Eccleſiaſtico, ſuoque Iudice, laico ſe ſubdunt, quo nomine fuiſſe depoſitum præter alia crimina Sophronium Pompeiopolis Epiſcopũ; qui laicos, ſiuè exteros Iudices ſibi delegiſſet teſtatur *Sozomen.*

*In adnot. ad can. 15.*

*Hiſt. Eccleſ. lib. 4. c. 23.*

Hiſce ergo innixius exemplis, velut fundamentis ſtatuit *Innocent.* non poſſe Clericos renunciare priuilegio fori; Neque admittendum *Cuiacij* effugium quod Canones ſupradicti loquantur de eo, qui trahitur ad ſæculare iudicium, non de illo, qui renuncians conſenſit; nam ſi incompetens eſt iudex trahenti, erit & conſentienti, cum iuriſdictio pactis priuatorum dari non poſſit, *l. priuatorum c. de iuriſd. omn. iud.* Nec contentus fuit *Innocent.* pro ſuprema ſua poteſtate ſtatuiſſe, ſed vlteriùs rationem attexuit, ob quam omninò illicita huiuſmodi renunciatio habenda ſit, eaque eſt, quam reddimus ipſis *Innoc.* verbis, *cum non ſit beneficium hoc perſonale*, *cui renunciare valeant*, *ſed potius toti Collegio Eccleſiaſtico ſit publicè indultum*, *cui priuatorum pacto derogari non poteſt*; *toti collegio*, ait *Innoc.* hoc eſt, toti Clericali ſtatui, & conditioni, ac proindè ſingularis nemo tanquam de re ſua diſponere poteſt, eamue in contractum deducere, aut ipſi renunciare, *l. Imperatores 37. ff. de pac. l. conuenire 5. ff. de pact. dotal.* conuentione enim priuatorum, *Ius publicum mutari non poteſt*, inquit, *Vlp. in l. 1. §. Magiſtratibus ff. de magiſtr. conuen.* læditur enim decus ſtatus ipſius clericalis, ſi clerici ſæcularia tribunalia adeant, quod ſanè decus remittere non eſt, nec debet eſſe in ſingularis alicuius Clerici arbitrio, & poteſtate, & in ſimilibus pluribus damnantur, & reijciuntur Clericorum pacta, *c. 2. ne Cler. vel Monach. c. 2. & c. cum ſecundum de præb. c. cum ſuper c. tuis eodem, c. ſi Epiſc. eodem in 6. c. contingit. de ſent. excomm.* ne per ſingula exempla prolixè nimis incedamus, cum ſatis eſſe debeat ipſa à Pontifice Summo reddita ratio; neq; vires ſumere poſſet hæc renunciatio ab adhibito iureiurando, ſic enim fieret vinculum iniquitatis, *c. in malis 22. quæſt. 2.* nec ſuper re illicita adhibitum vires aſſumere poteſt, *c. Quintauallis de iur. iur. c. non eſt obligat. de regul. iur. in 6.*

Correxit itaque *Innocent. III.* non quidem tanquam denuò in Eccleſia conſtituens, cum iam extarent Canones, & decreta ſupra relata vetantia Clerico acceſſum pro cauſis ſuis ad ſæculare tribunal, quibus addendus; & *Can. 107. Concilij Carthaginenſis*, ſed abuſum iam inuectum tollens correxit (inquam) id quod, excedens more ſuo, ſtatuerat *Iuſtinianus*, vt ſcilicet ſi quis contrahens incontinenti, & in limine eiuſdem contractus paciſceretur, ſe non vſurum exceptione priuilegij militiæ, aut Sacerdotij, ſtare pacto teneretur, nec poſſet fidem fallere, quia, cum ſit eius fauor, non vti eo poteſt ipſique renunciare; non admiſit *Innoc.* nec approbauit, eſſe hanc fori exceptionem beneficium priuatum, ſed ius publicum, nec perſonæ conceſſum, ſed toti conditioni clericali, & ſtatui, & ideò extra ſingularis cuiuiſque clerici commerciũ; hancque correctionem aſſeruit, & *Ant. Fabr.* vnde fit, vt audiri nullo modo poſſit

*In rational. ad l. 1. ff. de iudic.*

poſſit *Cuiac.* qui aſſeruit hanc fori pręſcriptionem eſſe ius merè priuatum,cui Clericus quilibet tanquam beneficio, & fauori ſuo poſſit renunciare, non enim poteſt dici ius priuatum, quod tendit in detrimentum totius Eccleſiaſtici ordinis, & ſtatum Eccleſiaſticæ Reipublicæ ſpectat.

3 Neque mutat, quod publicum in contractum deductum fiat ius priuatum contrahentis,ac proinde ſub eius diſpoſitione,quia quantumuis applicetur adhuc rationem iuris publici inuoluit impeditiuam renunciationis,ſemper enim verum eſt, Clericum ſe ſubijcentem laico Iudici ſacra in humanum, & profanum commercium inducere, quod ſemper nefas, & nunquam licitum. Quæ ratio facit, vt excludantur exempla Velleiani, & Macedoniani S. C. aliaque, in quibus dicebat *Galuan.* non tolli ius, quod non licet, ſed impediri vſum, & effectum, quod vtique licet, impediendo enim vſum non ſubuertitur in ijs caſibus ius publicum, ſicut ſubuertitur cum Clericus ſe ſubijcit laico Iudici, cum rem ſacram humano commercio ſubijciat, quod ipſi nunquam licere potuit, nec poterit, in omnibus, quæ vel vtilitatem, vel honorem Eccleſiæ reſpiciunt; nemo enim poteſt vnquam paciſci, vt ſpiritualia pecunia redimantur, *c.4. & c.fin.de pac.* vt ſucceſſio fiat in beneficijs, *c.5.eod.* nec vllo prætextu poterit in his ius, veluti proprium, comminiſci.

Neque admittendum, quod aſſerebat *Cuiac.* veteri iure licitam fuiſſe Clericis hanc fori renunciationem; ſi enim per ius vetus intelligat Iuſtiniani conſtitutione, *in l.ſi quis in conſcribendo c.de pac.* quas vires habeat hæc conſtitutio in huiuſmodi materia iam tetigimus, nec repetendum, notiſſima ſunt iura, *in c. Eccleſia S. Mariæ de Conſtitut. in c. bene quidem 96. diſt.* Neque hoc cenſendum priuilegium, ſed ius commune, cum vſque à Sylueſtro Primo legamus conſtitutum, *ne Clerici ante iudicem cinctum cauſam dicant.* Teſte *Anaſtaſio Bibliotecario*, hoc eſt ſæcularem, & ideò falſus eſt Iuſtinianus, dum æuo ſuo credidit eſſe priuilegium; hæc *ad c.ſi diligenti*. Verùm ne ad tædium vſque protendatur Excurſus; adnectemus §. ſequentem, quem dabimus reconuentioni Clerici, & Eccleſiæ perſonæ.

## De Reconuentione.

## §. Vnic.

1 *Introducitur materia, eaque declaratur.*

2 *Traditur reconuentionis definitio cum* Anton. Fabri *opinione circa reconuentionem ex veteri Iuriſprudentia* ad l. cum Papinianus c. de ſent. & interlocut. omn. Iudic.

3 *Introducitur quæſtio de Clerici reconuentione, & negatiua ſententia fundatur.*

4 *Soluitur quæſtio, & oppoſitæ ſententiæ fundamenta diluuntur.*

INtentat actor actionem, libellumq; ſuum in iudicio proponit; & è contra Reus actionem excitat aduerſus actorem, & mutuam petitionem inſtituit; hæc (vt ita loquamur) rei in actorem repercuſſio forenſi nomine dicitur reconuentio, quæ inter Decretales Gregorij mutuæ petitionis nomine exprimitur *Rub.4.lib.2.Decretal.*

1 In immunitatis tractatu reſpectu fori, quem terimus, opportunè, inquirendum ſe exhibet, an, & quatenùs, ſaluo immunitatis iure, poſſit contra Clericum hæc ipſa reconuentio exerceri, ita, vt conueniens ipſe laicum debito-

bitorem ( prout decet ) niſi ad ſit legitima conſuetudo incontrarium, coram ſæculari Magiſtratu, poſſit à reo reconueniri, & an ſit audiendus exceptionem fori obijciens. Reconuentio ea eſt, quam, & compenſationem alij appellant, & introductionem viciſim factam, quam graphicè deſcripſit *Tertullian.* eamque ex ipſius verbis reddere non pigebit, nec inſpicere Lectori graue erit; *Repoſcunt Aegyptij de Hebræis* (ait *Tertullian.*) *vaſa aurea, & argentea; contra Hebræi mutuas petitiones inſtituunt, allegantes, ſibi quoque eorumdem patrum nomine ex eodem ſcripturæ inſtrumento, mercedes reſtitui oportere illius operariæ ſeruitutis pro laterinis deductis, pro ciuitatibus, & villis ædificatis*: Hactenùs *Tertull.*

*Lib.2.aduerſ. Marcion.c.20*

Neque tamen credenda eſt reconuentio eadem cum reciproca actione, quam mixtam, ſiue duplicem denominant *Iuris Conſulti*, in qua ex ſui natura vterque litigantium eſt actor, vterque reus, cuiuſmodi ſunt actiones, *familiæ herciſcundæ, communi diuidundo, & finium regundorum*, quæ ſimul, eodemque momento oriuntur, & pereunt, *l. actionis verbo ff. de obligat. & act.* ſicut neque confundenda cum exceptione, à qua etiam maximè differt, quia reconuentio eſt actio inſtituta, exceptio verò nihil proſequitur, ſed tantum excludit, minuitque intentionem agentis *l. 2. & 3. ff. de exception.* neque enim exceptio habetur pro actione, niſi quatenùs eam reus tenetur edere actori; vndè & de ea loquens, *Vlp. in l. 1. ff. de except.* impropriatiuo verbo vtitur, ait enim: *Agere etiam is videtur, qui exceptione vtitur, nam reus in exceptione actor eſt*, ac proinde poteſt aſſignari reconuentio, *vt ſit rei conuenti aduerſus actorem durante conuentionis Iudicio viciſſim ſub eodem Iudice inſtituta actio.*

Reconuentione priſco Romanæ Iuriſprudentiæ æuo quo feciſſe omninò ignotam contendit ſubtiliſſimus *Ant. Fab.* ex veteri illo iudiciorum ritu, quo per formulas à Prætore impetratas eoram iudice dato actiones explicabantur, ſed *Papinianus I. C.* qua polluit ingenij, & auctoritatis fiducia ipſam introduxiſſe, ſola æquitate, & æquitatis ratione ſuadente, vt exhibet *Iuſtinianus Cæſ. in l. cum Papinian. 14. c. de ſent. & interlocut. omn. Iud.* cuius tamen eximij viri opinionem egregiè confutat, *Oſuald. Hilig. Donelli Enucleator*, neq; in opinione ipſa reddenda, aut confutatione recenſenda nobis videtur immorandum; non omittemus tamen illam æquitatis rationem, cui innixius Papinianus reconuentionem permittendam exiſtimauit, & quam, *in d. l. cum Papinian.* exhibet Imperator, eaque eſt, quod ſi actor Iudicis in agendo obſeruat arbitrium, idem è conuerſo eumdem contra ſe iudicem in eodem iudicio pati debet; circa hanc *Iuſtiniani* conſtitutionem, totamque eius materiam verſatur latiſſimè, vbi ſupra *Ant. Fab.* ad quem remittimus, & iam de ipſa reconuentione ſatis inſtructi ad quæſitum, in cuius gratiam hæc præmiſſimus accedamus.

*Lib. 10. coniectur c. 5.*

*Comm. iur. ciu. Lib. 17. c. 18. in not. lit. L.*

3 Quæſtio igitur eſt controuerſa admodum, eſto, quod Clericus laicum coram Iudice ſæculari conueniat, quod facere non ſolum poteſt, ſed & debet, *c. cum ſit generale de for. compet.* niſi ad ſit legitima conſuetudo in contrarium, vt ſupra dixi; an laicus conuentus poſſit coram eodem ſæculari Iudice Clericum actorem reconuenire; vrgere maximè in negantem ſententiam potiora hæc videntur.

Iura ſiquidem vetant omninò Clericum coram laico Iudice conueniri, & ab eodem iudicari, *c. qualitèr de iudic. c. Clerici eodem c. ſi diligenti de foro compet.*

*compet.c.1. & 2. 17.quæſt.1.* ergo, & reconueniri quandoquidem hoc nihil aliud eſſet, quam ab eo iudicari.

Si enim licita ſit reconuentio, certè non ratione alia, niſi quia eſt prorogatio iuriſdictionis, quæ ſanè prorogatio principium ſupponit omninò voluntarium, vt indicat *Iuſtinianus in d.l.cum Papin. c.de ſent. & interlocut. omn.Iudic.cuius enim in agendo obſeruat arbitrium, cum habere, & contra ſe Iudicem in eodem negotio non dedignetur*, ait ibi *Imperator*, quæ ſanè æquitatis ratio libertati actoris maximè innixa in Clerico non poteſt conſiderari, cui in prorooganda iuriſdictione nulla adeſt libertas, *c.ſi diligenti de foro compet.* Maximè quia quandò vigent concurrentes regulæ duæ, affirmatiua vna, altera negatiua, hæc potior præualere debet, *l.1.& l. ſi Ruffinus c.de teſtam.* Lex adeſt negatiua, ſeù prohibitiua, ne Clericus coram ſæculari Iudice conueniatur, & hæc præferri affirmatiuæ debet, quæ aſſerit coram eodem poſſe Clerum reconueniri; Hæc vetuſtiores, *ad c. at ſi Clerici.de Iudic.* quos ſingilatim non congerimus; iiſq; addamus rationem *Anton. Fab.* qui ſupponit grauiſſimè erratum ab interpretibus aſſerentibus, reconuentionem tollere incompetentiam non ſolùm Iudicis, ſed etiam iuriſdictionis, quod ipſe tam falſum aſſerit, quam quod falſiſſimum, nec aliunde ortum errorem, quam ex eo, quod non aduerterint ſic aſſerentes differentiam, quæ Romanorum. Aeuo viguit inter ius dicentem, & Iudicem, inter iuriſdictionem, & notionem, inter Magiſtratum, & pedaneum Iudicem; Magiſtratus enim, & iuriſdictionem habebat, ius dicebat, & iudicem dabat; Iudex verò dabatur, nudam, & ſimplicem habebat facti notionem, Iuriſdictionem verò nullam; erat enim ſic alligatus formulæ ſibi à

*Coniect. iur. lib. 22. c. 7. in fin.*

Prætore, aut Magiſtratu præſcriptæ, vt ne latum quidem vnguem ab ea recedere poſſet, vt eruditè notat *Briſſon*; Reconuentio igitur non poterat fieri, nec fiebat coram Magiſtratu iuriſdictionem, ſed coram Iudice nudam, & ſolam notionem habente, ac proindè non potuit tollere incompetentiam iuriſdictionis quæ nulla penes Iudicem erat, ſed vtique incompetentiam Iudicis; igitur cum diſperatæ ſint iuriſdictiones Eccleſiaſticæ, & ſæcularis, conſequitur Eccleſiaſticum non poſſe reconueniri coram laico, quia non eſſet hoc tollere incompetentiam Iudicis, ſed Iuriſdictionis, quod facere nunquam potuit reconuentio.

*De formul. & ſolemn. Pop. Rom. verbis lib. 5.*

Oppoſita communis habetur, eamq; tuentur auctores grauiſſimi, conſuetudoque, & praxis non minùs commendat; Præcipuum eius fundamentum ſumitur, *ex c.1. de mutuis petit.* vbi *Alexand.III.Summ.Pontif.* reconuentionem inter litigantes approbat, vt vrget, ex ea ipſa æquitates ratione, qua eam admittit *Iuſtinianus* ex *Papiniani* ſententia *in l.cum Papinian. c. de ſent. & interlocut.omn.Iud.* Et licèt loquatur in ſpecie, qua Iudicium coram delegato peragebatur, hoc tamen nihil immutat circa reconuentionis admiſſionem; adrem tamen ſpectare illud videtur, quod nemo litigantium erat laicus, vnde cum vterque, tam actor, quam reus eſſet Eccleſiaſticus iam nulla incompetentia adeſſe videbatur, quæ reconuentionem impediret. Sat fuerit nihilominus reconuentionem admitti coram eodem Iudice, iam enim licebit argumentari, & Clericum agentem coram laico, poſſe etiam coram eodem reconueniri, cum Canones recouentionem agnoſcant, & admittant.

Certum ſiquidem, quod Canones ipſi admittunt, Clericum actorem coram Iudice ſæculari, *c.cum ſit generale*

*de for.compet. Text.in c.ſi Cler.laicum eod.tit.* At verò *in c. diſpendia* §. *reus quoque de reſcript. in 6. Innocent. IV.* conſtituit: *Reus verò ſi eodem durante Iudicio actorem ſibi obnoxium dixerit, reconuentionis beneficio, vel conuentionis de iure ſuo debet apud eoſdem Iudices experiri*; Idque obtinebit, & in Iudicio ſæculari, in quo Clericus actor eſſe poteſt.

4 At vtcumque ex allatis hinc inde momentis anceps in decidendo redderetur animus, ſi tamèn affirmanti ſententiæ accederet conſuetudo in praxi tutò eſſet ipſa ſeruanda, & pręferenda in conflictu pari, *c. cum dilectus de conſuet. l. ſi de interpretatione ff. de legibus*. Neque de huiuſce conſuetudinis vigore eſſet ambigendum, cum ſit ea optima legum interpres, vt pluribus firmaui *Dec.* eſt enim ea quædam Iuris prorogatio, per quam ex iuris diſpoſitione virtute mutuę petitionis prorogatur iuriſdictio de cauſa ad cauſam ob ſummam illam æquitatis rationem ad quam reſpexit *Iuſtinianus* in *d. l. cum Papinianus c. de ſent. & interlocut. omn. iudic.* quam retulit, *& Gratian. in c.1.3. quæſt.8. cuius in agendo quis obſeruat arbitrium eum habere etiam contra ſe iudicem in eodem negotio non dedignetur*; fallitur autem *Ant.Fab.* nullam in hoc caſu agnoſcens prorogationem, quia in prorogatione conſenſus partium deſideretur, *l.1. & 2. ff. de iudic.* optime enim concluderet ſi in prorogatione conuentionali verſaremur, & ab homine facta, vt indicat, *l.1. ff. de iudic.* dum ait *Vlp. ſi ſe ſubijciant aliqui iuriſdictioni, & conſentiant*, at quæ prorogatio in reconuentione inducitur tota à iure, & à lege eſt, *l. inter ſtipulantem* §. 1. *ff. de verb. oblig. leg.3. c. de legib.*

*Ad cap. at ſi Cler. nu. 167. & ſeqq.*

*Coniect. iur. lib.10. c.5. & 6.*

Nec morantur iam ſupra adducta diſceptandæ, elucidandæque ſimul difficultatis gratia. Admittimus enim, quod Clericus à laico iudicari non poſſit in directo conuentionis iudicio, de quo loquitur præcisè: *Tex. in c. Qualiter de iudic.* ſecùs in iudicio reconuentionis, cui ius aſſentitur, *c.1. & 2. de mut. petition.* æquitatis iam allata ratione ſuadente, & quamis hæc ipſa reconuentio ſit prorogatio, non tamen ea, quæ liberam voluntatem prorogantium exigat, & quam diximus conuentionalem, ſed hæc merò legalis eſt, quæ proinde dempto prorogantis arbitrio iudici poteſt; poſita enim legis diſpoſitione, iunctaque confirmante conſuetudine, ſatis conſenſit Clericus, qui laicum coram competenti iudice conuenit; ſcire enim debuit ſe poſſe coram eodem iudice reconueniri, ſicque agens, & conueniens virtualiter in reconuentionem conſentit, idque ſatis, vt non ſine conſenſu facta hæc qualiſcumque prorogatio intelligatur, licet principaliter à lege, ſecretario, & implicite à Clerico actore coram laico Magiſtratu. Concurrunt ſanè regulæ duæ, negatiua altera, ne Clericus coram laico Iudice conueniatur, affirmatiua altera, vt ſcilicet idem Clericus poſſit coram eodem reconueniri, neque tamèn approbamus negatiuam præferendam, tum quia non ſunt regulæ duæ circa idem, ſed vna negatiua loquitur de conuentione, affirmatiua verò de reconuentione, ſicq; vtraque in ſua materia poteſt ſine impedimento ſeruari, nec ad eas rediguntur anguſtias, vt ſe inuicem collidant, & vna alteri veniat præferenda, tum etiam quia, eſto, quod concurrant negatiua eſt generalis, affirmatiua verò ſpecialis, eaque præferenda, quia generi per ſpeciem derogatur, *c. generi, de regul. iur. in 6. l. vxorem* §. *fœliciſſimo ff. de leg.3.*

Nec aſſentimur *Ant.Fab.* imputanti, quod admittentes reconuentionem Clerici

rici coram laico, ſupponant reconuentionem tollere incompetentiam non ſolùm iudicij, ſed etiam iuriſdictionis, quod ipſe *Faber* erroneum aſſerit, ex non attenta veterum iudiciorum formula, ob quam reconuentio fiebat tantum coram Iudice dato, ſeù pedaneo, qui nullam habebat iuriſdictionem; ſed notionem nudam, non coram Magiſtratu, qui propriè iuriſdictionem habebat, ac proindè reconuentio incompetentiam iuriſdictionis tollere non potuit, quam tolleret ſi Clericus coram ſæculari poſſet reconueniri.

Non (inquam) aſſentimur reconuentionem coram ſolo Iudice pedaneo fieri potuiſſe, & iam eo æuo, quo ſuperſtitioſæ iudiciorum formulæ erant in vſu; nam *ex l. 2. §. ſed ſi agant verſ. ſed ſi dubitetur ff. de iudic.* apertè conſtat reconuentum cogi ſe defendere non tantùm in iudicio, & apud pedaneum Iudicem, ſed & in iure apud Magiſtratum; ſunt enim *Vlp.* verba in *Text. ſed ſi dubitetur, vtrum in ea quis cauſa ſit, vt domum reuocare poſſit nec ne*, quæ ſanè non alia, quam fori exceptio. *Ipſe Prætor debet cauſa cognita intueri*; & ex Magiſtratu, ipſumque Prætorem ſuper reconuentione cognoſcentem; quod & ſubſequentia verba confirmant, quæ non tegerimus, & haud abſimiliter, *Paul. I.C. in l. qui non cogitur 22. ff. eodem, qui non cogitur* (ait ibi *Paul.*) *in aliquo loco Iudicium pati, ſi ipſe agat ibi cogitur excipere actiones, & ad eumdem Iudicem mitti*; quæ ſanè verba indicant excipi actiones reconuenientis apud magiſtratum, & ad eumdem Iudicem datum mitti vtrumque litigantem, de vtraue actione dari vnum, & eumdem Iudicem, vnumque iudicium conſtitui, ſicque ritus veterum Iudiciorum aſſertioni *Antonij Fabri* non ſuffragatur, eo enim ritu attento ſicuti exceptiones, quæ non ineſſent ex natura rei, vt in iudicijs bonæ fidei erant conteſtandæ coram Prætore, & Magiſtratu, & ante iudicium proponendæ, vt formula actionis cum exceptione ipſa concipi poſſet, ita, & mutua actio coram Magiſtratu proponi debuit, vt ſubinde ſuper vtroque vnum iudicium conſtitueretur late *Hillig.* ſicque corruit ipſius *Fabri* fundamentum. Imò tantum abeſt, vt tempore Papiniani ſolùm coram pedaneo Iudice reconuentio intentaretur, vt nec vnquam coram eo iudice exerceri potuerit, niſi ea propoſita primò coram Magiſtratu, qui Iudicem dedit, & niſi nominatim Iudex ipſe ad reconuentionem datus fuiſſet; Neque enim probabile eſt Papinianum formulas, quæ æuo ſuo in Iudicijs obtinebant, ſubuertere voluiſſe æquitatis obtentu. *Ad Donel. lib. 17. c. 18. in not. litt. L.*

Non obſtat igitur *Antonij Fabri* ratio, & concludendum, quod quamuis Clericus non poſſit ſe ſubijcere laico Iudici; reconuentus tamèn ſe defendere teneatur, prorogata à lege iuriſdictione ex æquitatis dictamine. Quid adiecerit, vel immutauerit *Iuſtinianus Nouell. 96. c. 2.* circa *d. l. cum Papinianus 14. c. de ſentent. & interlocut. omn. iudic.* & quomodo, quaue Iudicij parte ſi proponenda reconuentio, non eſt cur hic examinemus acturi opportuniùs, cum de Iudicijs tractabimus, nunc enim ſatis ea tradidiſſe circa reconuentionem quæ Clericorum immunitatem à foro ſæculari reſpiciunt. Et quatenùs fuerit approbata ſententia affirmatiua tanquam communis, quod ſcilicet actor Clericus coram laico Magiſtratu poſſit coram eodem reconueniri immunitate à foro non obſtante, attamen non ſunt omittendi caſus, in quibus Clericus coram laico reconueniri non poſſit.

Et primò in cauſa criminali non poterit contra Clericum reconuentio fieri,

non ſolùm ſi agatur de crimine criminaliter, ſed etiam ſi ageretur ciuilitèr apertiſſimus, *Text. in c. vn. de Cleric. coniug. in 6.* vbi *Bonifacius*, *Clericos coniugatos pro commiſſis ab eis exceſſibus, vel delictis trahi non poſſe, criminaliter, vel ciuiliter ad iudicium ſæculare* ſcribentes communiter, *ad c. 1. de mut. per. Farinac. Marta*. Minùſq; ſi reconuentio tangeret cauſam ſpiritualem, vel ſpirituali annexam, tunc enim non admitteretur contra Clericũ reconuentio coram Iudice laico, *c. tuam de ord. cognit. c. lator. qui fil. ſint. legitim.* Sed neque tunc, cum manus in perſonam Clerici eſſet apponenda, vt *not. Arcbid.*

prax. de iuriſ. quaeſt. 8 100. & 101. iuriſ. cent. quaeſt. 107. n. 11.

l c. vn. de cr. coniug. 6.

Demùm ſi fraudolentèr quis iniuriam inferret Clerico, ad hoc, vt Clericus ipſe agens in iudicio poſſet ſubindè reconueniri, tunc enim ne fraus patrocinetur, non erit admittenda reconuentio, *c. relatum §. vn. de iurepatr. l. 2. §. ſed ſi agant ff. de iudic.* vbi *Vlp.* fraudem appoſitè detegit, & aſſignat; *Alioquin* (vt *Iulianus* eleganter ait) *aut impunè contumelijs, & damnis afficientur, aut erit in poteſtate cuiuſque pulſando eos ſubijcere ipſos iuriſdictioni, dum ſe vindicant Farinac.* Hæc per excurſum de reconuentione Clerici, ſalua immunitate, iam nunc de immunitate à legibus ſæcularium, & ab oneribus, aut muneribus ab ijſdem impoſitis.

Vbi ſupra.

# CAP. III.

## De Immunitate à legibus ſæcularium, oneribus, & muneribus.

1 *Proponitur principium, & fundamentum huiuſce Immunitatis.*

2 *Confirmatur contra Politicorum commenta ex duplici vi legis, quæ vtraque explicatur, & ratio obligandi Clericos diſcutitur.*

3 *Quænam ſint leges in commune reipublicæ bonum, quarum vi directiua Clerici obligentur.*

QVæ poteſtas, quę ratio, Eccleſiaſticas perſonas à ſęculari iuriſdictione in Iudicijs eximit, qua de re iam ſupra à nobis abundè, & diligentèr tractatum, eadem ipſas à ſæcularium legum auctoritate ſubtraxit; tota ſiquidem nomothetica, ſeù legiſlatiua poteſtas à Iuriſdictione eſt, & non qualibet, ſed ſumma, ſiue ſuprema, quam maieſtatem appellant; vnde factum, vt tota vis obligandi in lege inde proueniat, & conſequenter eos obliget, qui ſubiecti legiſlatori ſunt, nec vltra eos ſe extendat ita, vt non ſubiectus non parere legi impunè poſſit ſicut nec ius dicenti, *l. fin. ff. de iuriſd. omn. Iud.*

1 Quo iacto fundamento plane conſequens eſt, Eccleſiaſticas perſonas legibus ſæcularibus, nec obligari, nec poſſe obſtringi, *c. 1. 10. diſt. c. benè c. cum ad verum 96. diſt. c. placuit c. nullus 11. q. 1. c. non minùs c. aduerſus de immunit. Eccleſ. auth. caſſa c. de ſacroſ. Eccleſ.* vt plura alia omittamus iura, *c. Eccleſia S. Mariæ de Conſtit. D. Thom.* 1. 2. q. 69. art. 4. & ſcribentes communiter.

Neque moramur, quod legiſlatiua poteſtas ſit primum, & potiſſimum caput iuris maieſtatis, quam maieſtatem nemo iam ſubditus excutere vnquã poſſit, & ab eadem ſe ſubtrahere; nam ſi politicorum commentis ſtrictè inhæreamus, actum eſſet de Eccleſiaſticarum perſonarum immunitate, quæ maieſtatem reuerentur, quacumque alia maieſtate ſuperiorem, & cui humana

mana ipſa maieſtas religioſè ſe ſubijcit, quamque non excludit ipſa humanæ maieſtatis aſſignatio; ſi quæras enim quiſnam Princeps maieſtatem verè dici poſſit habere; reſpondent, eum qui in terris ſolum Deum agnoſcit ſuperiorem præterea neminem, iacta iam ſupra Eccleſiaſticæ immunitatis principia ſatis, ſuperque conſiderationem hanc eneruant, nec vlla remanet immunitatis, & maieſtatis pugna.

*Bodin. de repub. lib. 7. c. 8*

2 Verùm, cum ſit quod (vt alias aduertimus cum *Bellarmino*) Clerici ità ſint Eccleſiaſtici, & à ſæculari iuriſdictione immunes, vt tamen non deſinant eſſe Ciues; ideò, ne inuidiam trahatur hæc clericalis immunitas, neuè in peccandi licentiam malè audiat, Clericos ita exemptos aſſeremus à legis ſæcularis vi, vt tamen eamdem, ſe non ſentire aſſerere non valeant, nec teneri eius vocem audire. Reuocabimus huc opportunè, quæ de Principe legibus ſoluto diximus, *ad l. Princeps ff. de legib.* Rationem duplicem in lege cum Theologis apoſitè diſtinguentes, rationem ſcilicet regulæ, & rationem præcepti, vnde, & duplex vis emanat ipſius legis, directiua ſcilicet, & coactiua, itavt vis directiua ſit à lege tanquam à regula, coactiua verò ab eadem tanquam à præcepto; nec loquimur de qualibet lege à Principe ſæculari lata, ſed de ea, quæ ſit lata communiter, & generalitèr pro recta Reipublicæ adminiſtratione, & communi Ciuium bono. Nam ſi quæ lex ferretur pro Clericis, nullam ipſam eſſe ex iactis ſupra principijs iam conſtat defectu poteſtatis, & iuriſdictionis quantumuis Clericis eſſet ipſa fauorabilis; non enim fauor iuriſdictionem præbet, ſicut nec onus eſt illud, quod admit, ſed ampliſſima exemptio.

Iam igitur lege ſæculari communi, & generaliter lata non obligantur Clerici quoad vim eius coactiuam, ita vt à legiſlatore cogi poſſint ad obſeruantiam, & tranſgredientibus pęna infligi, conſequitur id ex mox dictis; vis enim coactiua ſupponit præceptum, hoc verò iuriſdictionem, & poteſtatē, qua vtraq; caret ſæcularis legiſlator reſpectu Eccleſiaſticarum perſonarum, quas ab eorum iuriſdictione oſtendimus iam ſupra ſubtractas, imo & nunquam ſubiectas.

Controuerſia eſt inter Doctores an ſaltem vi directiua huiuſmodi legis Eccleſiaſtici obligentur, dicunt enim affirmantes, quod ea obligari, non eſt obligari ratione legis, ſed ratione iuſtitiæ, vt cum vetuſtioribus explicat *P. Vaſquez*, ſeu potius vi naturalis rationis, quia cum Clerici ſint ciues, & membra Reipublicæ, naturali etiam ratione tenentur ad ea ſeruanda, quæ ad quietem eiuſdem, & rectum regimen conferunt, ſicque non ex vi præcepti legis ſæcularis, ſed ex ratione naturali, quæ eſt lex longè altior humana, eademque à Deo. Proinde tota difficultas eò demùm redigi videtur, vt aſſignanda ſit ratio, & cauſa, ptopter quam lex, quæ non poteſt obſtringere in vim præcepti, & vi ſua coactiua, poſſit nihilominus obligare vi ſua directiua, & ſi non tanquam lex, tanquam regula, qua in re non eadem eſt omnium opinio, ſicut obſeruamus in aſſignatione rationis, propter quam legiſlator, aut Princeps ſua lege à ſe lata obligetur; lubet rationes varias breuiter excurrere, vt inde faciliùs eluceſcat veritas.

*Ad 1.2. D.Th. diſp.167. c.4.*

Prima igitur ſeſe exhibet mox ſupra tacta ratio, obligari ſcilicet Clericos ſeruare legem ſæcularem omnibus communem tanquam ciues naturali ratione, quæ dictat procurandum à Ciuibus Reipublicæ bonum, quod maximè in legum obſeruantia conſiſtit, & ad ſeruandam Reipublicæ pacem, quæ non ſtaret, ſi Ciues omnes in legum cuſtodiam vniformem non conſenti-

quod

rent, ſic enim pars diſſideret à toto, quod omninò inconuenit: *c.cum non liceat de præſcript. c. in cauſis de ſent. & re iudic.* ita *Azor.* & plures alij penes *Salas*.

*Inſtit. moral. tom. 1. lib. 1. c. 12. q. 3. & tom. 2. lib. 9. c. 7. q. 8. de legib q. 96. tract. 18 diſp. 14. ſec. 8. num. 101.*

Verùm ratio hæc non plenè ſatisfacit; vtcumque enim membra à toto diſſidere non deceat, & conſpirare teneantur ciues in Reipublicæ bonum, attamen ſi omnium ciuium non ſit eadem ratio, parque conditio, ratio naturalis idem ius in omnibus, & ab omnibus non exigit, *l. illud ff. ad l. Aquil.* Clericorum autem, licet ciuium, non eſt eadem ratio, ac aliorum ciuium, ſed planè diuerſa, & cum ea diuerſitate non ſtat vniformitatis neceſſitas; da enim ciues aliquos excuſatos, aut diſpenſatos ab obſeruatione legis, iſti certè lege non tenentur, nec ipſis imputari vllo modo poteſt, quod non ſint toti corpori Reipublicæ vniformes. At verò Clerici ſunt exempti, ideòque nec ratio naturalis ipſos vrget ſe conformare cæteris ciuibus in legibus obſeruandis, quæ exemptis, ſeù non ſubditis non ſunt latæ; aliàs enim inanis eſſet exemptio, potiſſimùm cum ipſa aliunde, quàm à legiſlatoris poteſtate obueniat, vnde nec poterunt Clerici ob eam inobſeruantiam argui inobedientiæ, cum obedientia ſupponat præceptum, cuius vim in hoc caſus clerici non ſentiunt. Eſto enim, quod loquamur de ſola vi directiua, attamen hæc ipſa eſt vis altera legis, ſicque tota obligatio eſſet à lege, quæ in clericos nulla eſt, neque quoàd vim directiuam, ex defectu poteſtatis.

*Ad c. Eccl. S. Mariæ de Conſtitut. Ad l. cunctos Populus c. de Sacroſ. Eccl.*

Indeque alij, *vt Panormit. Bartol. &c.* dixere Clericos obligari in hac parte, & in vim legis, quia non ſunt exempti in hoc à iuriſdictione Principum ſæcularium, & ideò eorumdem leges obligare Clericos non ſecus, ac alios ciues, ratione obedientiæ poteſtatibus ſublimioribus debitæ, *c. omnis anima de maior. & obedient.* & confirmare videtur hoc argumentum. Nam exemptio Clericorum à Iuriſdictione ſæculari, ſiue ſit Iuris Diuini poſitiui, ſiuè naturalis (quid quid ſit modò de hoc) certè non habet omnem determinationem à Iure Diuino, & ſanè hęc, de qua agimus, non eſt aſſignabilis, quia nec ratio naturalis dictat eſſe abſurdum, aut inconueniens, vt Clerici obligentur huiuſmodi legibus ciuilibus, ſiue ſæcularibus, bonum commune Reipublicæ reſpicientibus, immò potiùs indicat, eſſe honeſtum, eas à Clerici obſeruari; nec ius diuinum poſitiuum alicubi hanc ſingularem, ſiue peculiarem determinationem exhibet, nec de ea vlla extat in Eccleſia traditio; ſi dixeris enim Iuris Diuini poſitiui determinantis extare teſtimonium ex illo Matth. *Ergo liberi ſunt filij*; nihil minùs; quia leges Regum communes, & pro omnibus ciuibus latæ obligant etiam eorum filios, niſi expreſsè, & præcisè eorum ſtatui repugnent. *Cap. 17.* Neq; magis legitur inducta hæc exemptio Sacrorum Canonum Conſtitutionibus, quin potiùs Summi Pontifices annuunt leges huiuſmodi ciuiles ſeruari à Clericis, *in c. 1. de nou. oper. nunciat. c. innotuit. de arbitr. c. 1. c. ſi in adiutorium 10. diſt. c. de Capitulis eadem diſt. & c. cum ad verum 96. diſt.* Canones enim, & Pontifices Summi leges illas ciuiles, ſeù ſæculares ſeruari vetant, quæ repugnant Eccleſiaſticæ libertati, & eam quouis modo violant, *c. nouerit. de ſent. ex commun. Auth. Caſſa c. de Sacroſanct. Eccleſ.* aliàs enim Clerici, quos negari non poteſt eſſe ciues, remanebunt ſine lege, neque enim aliæ ſunt, quibus ipſi taquam ciues obligentur, ſi non tenentur legibus hiſce communibus, & quæ commune Reipublicæ bonum intendunt; circa enim res huiuſ-

huiuſmodi profanas nihil directè conſtituunt leges Eccleſiaſticæ, ſicque remanebunt Clerici, qui ſunt pars Reipublicæ in Republica ipſa ſine lege, quam obſeruare teneantur, quod aſſerere omninò eſt iniuſtum, & indecens.

Verùm neque hæc ratio concludit, quia *in Sac.Conc.Trid.ſeſſ.25. de reformat. c.20.* in principio ſtatuitur, quod dicta exemptio Dei ordinatione, & canonicis ſanctionibus conſtituta eſt, & ſane plerique ſunt Canones, ſeu Decretales negantes abſolutè vllam penès laicos eſſe poteſtatem ſuper Eccleſiaſticas Perſonas, apertiſſimè *in cap.Eccleſiæ S.Mariæ de Conſtit. c.cum laicis de reb. Eccleſ.non alien.c.benè quidem 96.diſt.* Dicendo autem, quod Clerici obligentur vi directiua legis ciuilis, quia quoad leges huiuſmodi non fuerint exempti, nil aliud erit, niſi reliquiſſe Principibus ſæculi maximam poteſtatem in Clericos, aut Eccleſiaſticos, qualis eſt illa obligandi eos vi directiua legis, adeòq; in conſcientia, quod dixerit nemo; & certè facilè nimis ad maiora, & plura aditus fieret Principibus ſæculi, & legiſlatoribus, vt poſſent pro libito Clericalem ordinem onerare, ſi poſſent eumdem vi propria ſuarum legum obſtringere, etiam quoàd vim directiuam, & ad inſultandum excitarentur Hæretici æui noſtri, ſi fatentes detegerent adeſſe vim aliquam legibus ſæcularibus obligandi Clericos, & Eccleſiaſticas perſonas.

*De legit. li.3.c.34. n.13. Ad c.Eccleſ San. Mariæ nu.107.*

Ideò *Suarez* præeunte *Decio* aliam ingreſſus eſt viam, dixitque leges huiuſmodi ſæculares obligare Clericos vi directiua, eoſque teneri eaſdem obſeruare, quia à Sacris Canonibus ſunt approbatæ, ſic enim tota vis obligandi in poteſtatem ipſam Eccleſiaſticam reſoluitur; reddamus pauca *Decij* verba: *Sed tamen, ne vniuerſalis machina huius materiæ alteretur concludendum eſt quod lex ciuilis approbata videatur ſi fauorabilis ſit, & Canonibus non contradicat*: Confirmat *Dec.ex c.1.de nou. oper.nunciat.* vbi *Lucius III.* caſum definiendum mandat iuxta Iuris Ciuilis Conſtitutiones, non quidem tanquam eas approbans tunc, & de nouo, quia per eas tunc non potuiſſet caſus præteritùs decidi ſed ſupponens Conſtitutiones huiuſmodi ciuiles approbri à Pontificio iure eo ipſo, quo non reprobantur, & de ſe vtiles ſunt, nec Eccleſiæ incongruæ, aut Eccleſiaſticæ libertati aduerſantes, & colligit *Dec. ex d.c.1. & ex c.1.& 2. 10.diſt.*

Qui, & cautè ſatis obſeruat, hanc approbationem Canonum reſpectu ciuilium, & ſæcularium legum eſſe accipiendam de legibus generaliter loquentibus, non de ijs, quæ fortè de Eccleſia, & Eccleſiaſticis præcisè, & ſpecificè ſtatuerent, has enim improbatas immò indicat, *Text. in d.c.Eccleſia S.Mariæ* tanquam aduerſantes Eccleſiaſticę libertati, & tanquam præſeferentes in Eccleſiaſticas perſonas poteſtatem. Et ſi quęras curioſiùs, cur admittant, & approbent Sacri Canones leges ciuiles generales, & non item ſpeciales? Facilis eſt, quæ aſſignetur diſcriminis, & differentię ratio; quia quandò leges generaliter diſponunt, procedunt etiam à generali poteſtate adminiſtrandi Rempublicam in temporalibus, tuncque libertas Eccleſiaſtica non tangitur; ſed ſi leges huiuſmodi aliundè fauorabiles ſint, Eccleſiaſtica poteſtas pro ſuis rebus, & Clericis illas admittit, ac recipit eo ipſo, quo expreſsè eas non improbat; at vbi pręcisè expreſsè de Eccleſiaſticis rebus, aut perſonis ſtatuent, videtur ſibi adrogare in eaſdem poteſtatem, quod non admittit, nec approbat Eccleſia, *d. c.Eccleſia S.Mariæ de Conſtitut.* nec omiſit *Dec.* declarare, quænam intelligantur leges fauorabiles

les ad hunc effectum; ait enim, eas cenſeri, quæ in gratiam, & fauorem hominum diſponunt, *Arg. Tex. in l. ſi quis nec cauſam ff. ſi cert. petat. & l. qui except. ff. de condict. indeb.* vel quæ ſunt vtiles toti communitati, nec nocent Clericis per ſe loquendo, ſed immò decet ab ijſdem obſeruari.

ſ.iur. c.Ec- ſaria. u. n. Hancque *Decij* doctrinam probauit *Tholoſan.* de approbatione ſcilicet legum ciuiliũ à Sacris Canonibus, eamq; intelligndam voluit *Rebuffus* de ſolis m. ad ll. in loſ.1. legibus ciuilibus communibus, non de legibus particularium Regnorum, quas non conſueuit Papa approbare, cum earum notitiam non cenſeatur habere.

d nu. n. Id tamen temperandum cenſuit *Suarez.* ſi lex particularis eſſet contra ius commune, quod ſi eſſet vltra ius commune, tunc cenſeatur, & à Pontificio approbata generalitèr, & ſub ea conditione, ſi lex iuſta ſit, & toti communitati ciuium conueniens, nec Clericis, aut libertati Eccleſiaſticæ contraria, aut derogans, ad quam approbationem earumdem legum notitia non eſt neepiſt. gma- 9.ad ceſſaria, quod firmauit, & *Zerol.* Vnde fit demùm, vt tota hæc legum ſæcularium obſeruatio in poteſtatem Eccleſiaſticam approbantem reſoluatur, & omnis Clericorum adeas obligatio à Summo Pontifice approbante proueniat; quæ ſanè ratio, ſi à ſolis Theologis eſſet excogitata, verendum foret, ne ab æſtuante eorum zelo procederet, at quia eius Auctor eſt *Dec.* qui æquè Ius Ciuile, ac Pontificium coluit, & ſæcularis fuit homo ideò admitti poſſe videtur, & liberum lectori ſit, eam recipere, atque ex illa iuſtam Clericorum obligationẽ ad vim directiuam legis agnoſcere, non item quoad vim coactiuam, & præter differentiam à iuriſdictionis defectu deſumptam, illa etiam addi poteſt ſatis appoſita à modo dictis dependens. Lex enim quòad vim directiuam fertur in ciues, vt ciues ſunt & per ſe eſt neceſſaria ad commune bonum, & ideò quòad hunc effectum ſtatim approbatur, & acceptatur per ius Canonicum, at verò coactio fit ciuibus, prout delinquentes ſunt, ideò non per ſe adeò neceſſaria, neque acceptatur per ſacros Canones, quòad Clericos, neque id fieri decet, cum potius ſuorum Prælatorum coactioni debeant eſſe ſubiecti; non omiſſo, quod vt coactio non fit in communi, ſicut fit diſpoſitio legis, ſic fit circa parſonas ſingulares, & ideò nec fit, nec fieri poteſt à ſæculari circa perſonam Clerici, & ſicut per legem de perſona Clerici particularitèr, ſiue ſingularitèr non poſſet conſtitui, multò minùs per ſententiam. Indeque fit, quod ſi lex ſæcularis, ſiue ciuilis obligans Clericos quòad vim directiuam pęnã tranſgredientibus conſtituat ipſo Iure incurrendam; Clericus tamèn tranſgreſſor, non tenetur in conſcientia pęnam ſoluere niſi per Iudicem ſuũ ad id cogatur, quia quamuis ab ipſa lege pęna imponatur, attamen ipſam exigere pertinet ad vim coactiuam, quæ nulla ſæculari poteſtati in Eccleſiaſticas perſonas exerceri valet.

A quo autem punietur tranſgredientes Clerici huiuſmodi legem; qua tanquam regula tantùm, & eius vi directiua, ex ſupradicta tertia vere obligati eſſe videntur à ſuperiore, & Prælato ſuo; quia cum huiuſmodi tranſgreſſio legis reſpicientis commune Reipublicę bonum, ſit delictum contra publicam vtilitatem certè ab aliqua poteſtate puniri poteſt, & debet, at non à ciuili, ſeù ſæculari tanquam incompetente, ergo ab Eccleſiaſtica, quæ licet pęna ſit taxata à lege, non tamen tenetur eam præcisè ſequi, ac imponere Clerico legis tranſgreſſori, vt notauit *Couaru.* Pract. q. c. 33. in fin. n. 7.
cum id pertineat (vt dicebamus) ad vim coactiuam quam non afficere Clericos

iam

iam firmauimus. Itaque iuxta ſupradi-ctam rationem obligari videntur Clerici legibus ſæculi commune Reipublicæ bonum ſpectantibus, dum non ſunt latæ directè in Clericos, ipſorum ſtatui non repugnent, neque Eccleſiaſticæ libertati, at ſolum vi directiua huiuſmodi legis, coactiua non item, diriguntur tanquam à regula, non obſtringuntur tanquam à præcepto, eo planè modo, quo differitur de obligatione Principis reſpectu ſuæ legis, de qua & nos loco ſuo, ſed cum eo diſcrimine, vt notauit *Vaſquez*, quod Clericus tranſgreſſor puniri poteſt à ſuo ſuperiore, Princeps verò non ità, cum non habeat ſuperiorem, qui pœnam valeat exigere.

3 Et ne in obſcuro remaneat, quænam ſint leges communes, quibus, & earum vi directiua, vt ſupra, Clerici obligari videntur exempla attingemus potiora, à quibus ad conſimilia facilis erit illatio, vtcumqne plures caſus regerant, ac enumerent vulgati Interpretes. Primum erit de lege taxante pretium tritici, & aliarum huiuſmodi rerum aduictum, & alimoniam Populi ſpectantium. Alterum erit de lege vetante extractionem frugum, aut aliarum rerum, quæ ſint neceſſariæ Reipublicæ; Tertium de lege prohibente deferri arma noctu, & ſi quæ ſint ſimiles; quæ commune bonum Ciuitatis reſpiciant, quod maximè cadit ſub obligatione, & omnibus alijs eſt præferendum.

*ad c. Ecc. S. Mariæ de Conſt. Ad l. cũctos Populos.*

Quia vero Sacra Congregatio Immunitatis in vna Fanen. vt poſt ſcripta audiui, poſt quam die 28. Februarij anni 1673. proponente bo: mem: Muto, decreuerat Eccleſiaſticos, vi directiua teneri ad obſeruantiam edicti, à poteſtate laica pro bono publico emanati, receſſit die 21. Martij ſequentis, videri poſſut rationes, & fundamenta, quæ Sacram Congregarionem mouerunt, & cum eiuſdem Sac. Congregationis ſententia in hac materia procedendum erit,

. Hæc de immunitate Clericorum à legibus ſęcularibus. Auctores de materia tractantes habeas latiſſimè, & nouiſſimè congeſtos apud *Gonzales* apud quem, & commulara proſtant exempla legum, de quibus hucuſque à nobis actum vltra ea, quę & nos ſupra propoſuimus, & quas à Sacris Canonibus approbatas concluſimus.

*Ad cap. Quæ in Eccleſ. S. Mariæ de Conſtit.*

## De Immunitate ab oneribus, ſeù Tributis, & muneribus Laicorum.

## §. I.

*Oneris, ſeu Tributi generalis nomine vtimur, per quod ad duas ſpecies indicandas, & examinandas breuitèr promouebimur.*

*Tributum enim, aut imponitur perſonæ ſine vllo reſpectu ad bona ſeù res, aut imponitur intuitu bonorum, quod reale, ſeù mixtum etiam appellatur.*

*De vtraque ſpecie partitè, & primò de merè perſonali, ac ſubinde de rali, ſeù mixto.*

TRibutum perſonale idem eſſe, ac cenſum, ſeù capitationem compertiſſimum eſt, quandoquidem pro capitũ numero, & cuiuſque capitum certum quid impoſitum penditur ab occaſione cenſus, qui fuit habitus in Chriſti Domini Natiuitate, & numiſmatis cenſus notauit *Baron.* & congeſtis ex iure auctoritatibus, *Barnabas*, *Briſſon*. ſed maximè probat *Rub.* & *l. vnic. c. de capitatione Ciuium cenſib. exim. lib. 11.* & *in comm. ad titul. c. Thodor.* & *l. 2. de cenſibus* ſuſiſſimè *Gotbofred.* Immunitas ab hoc capitationis onere in-

*In appar. ad Annal. num: 8 Ann. 34. nu. 4.*

*De verb: ſignif. lib. 3.*

dubia plane eſt apud Catholicos cum ab eodem proficiſcatur fonte, & eodem nitatur fundamento, quo, & immunitas à Iuriſdictione, ſeù ſęculari foro, de qua tanquam ad omnes alias fundamentali latè ſcripſimus ſupra.

Confirmatur itaque aſſertio apertiſſimis Sacri Iuris auctoritatibus, *c. aduerſus c. non min. de Immunit. Eccleſ. c. quamquam de cenſib. in 6.* in quibus ſanè iuribus ſingularis fit mentio perſonarum. Vetuſtatem huius priuilegij indicat apertiſſimè, *l. 8. c. Theodoſ. de Epiſc. & Cleric.* ibi *Conſtantius Cæſ. iuxta ſanctionem, quam dudum meruiſſe perhibemini*. Alludens ad Conſtitutionem æditam à Conſtantino Imperatore Conſtantij Patre, *& eſt in l. 2. c. Theod. eod. qui diuino cultui miniſteria Religionis impendit (ideſt hi, qui Clerici appellantur) ab omnibus omninò muneribus excuſentur*: mox proſequitur *l. 8. & vos, & mancipia veſtra nullus nouis collationibus obligabit, ſed vacatione gaudebitis*. Quę & tranſlata eſt, *in c. Iuſtinianeum*, & eſt *in l. 1. c. de Epiſc. & Cleric.* ampliauit *Frideric. in l. nulla c. de Epiſc. & Cler.* prohibendo generaliter, ne collectę, vel exactiones Eccleſiaſticis perſonis imponantur, licet tribuatur ibi Conſtantino Magno, ac per eam ſolutos nominatim Clericos, factoſque immunes ab extraordinarijs collationibus, notat *Gothofred.* non item ab ordinarijs, & Canonicis, de quibus oportuniùs, & nos infra.

Et ſane ſi qua exemptio ex dictamine Iuris Diuini naturalis proceſſit, & euangelicæ legis lumine, hæc ipſa eſt, quæ ſoluit à tributis merè perſonalibus; quia tributum à perſona exigitur, vel ratione bonorum, quæ poſſidet, vel ratione actionum, per quas emolumenti aliquid ſibi lucratur; De primo non loquimur modò, quod dicitur etiam mixtum, de quo aliàs ſupra; Secundum verò nulla ratione rectà à Clericis peti poteſt, qui pro ſtatu ſuo toti diuino cultui addicti, actiones etiã ſuas non ad temporalia lucra, ſed ad ſpirituales, cęleſtes prouentus dirigere tenentur, ſicque ex vi ſtatus ab omni tributi onere ratione recta dictante immunes eſſe debent, cum temporale tributum pro temporalibus veniat præſtandum, non pro ſpiritualibus, quæ extra commercium, *l. inter ſtipulantem §. ſacram ff. de verb. obligat.* atque oſtendere inde fas eſt, quod pro eorum ſacro, & ſpirituali miniſterio temporalia Clerici recipiant; hæc enim non lucro imputanda, quæ remunerationem, alimoniam, & ſuſtentationem ipſis traduntur, *dignus eſt enim operarius mercede ſua*, nec decet tributorum onere hæc ipſa minui, à quibus Sacri Operarij vitia, & ſubſtentatio dependet; maximè, cum ſic data in ſtipendium ſpiritualium, ſpiritualibus ipſis adhæreant, ac proinde ſpiritualium iure veniant cenſenda, *l. quæ religioſis ff. de rei vindic.* & demùm cum tributa perſonis imponere ſit iuriſdictionis, & poteſtatis, vbi non adeſt iuriſdictio, & poteſtas, ibi nec tributum, & conſequitur neceſſario ex dictis aliàs vberiùs.

*In cap. 17 Matth.*

*Luc. c. 10 7.*

*Lib. 1. var. c. 17 De Sacr. Immun. lib. 1. c. 15 num. 18. De Iuriſdict. p. 4. c. 14 n. 6. De immun. p. 8. n. 3. c. 1. Numer. c. 3. Ibid c. 17.*

Ac proinde ex hiſce fundamentis firmant hanc Clericorum exemptionem, verba illa Chriſti Domini latè à nobis alias expenſa, *Ergò liberi ſunt filij*, cum de exemptione à perſonalibus tributis ſermo eſſet, agebatur enim de cenſu à Cæſare indicto per capita ſoluendo, in cuius ſolutionis gratiam, vt omnis fraùs abeſſet, iuſſerat eodem Euangeliſta teſte, *vt deſcriberetur vniuerſus Orbis*; Ab hoc autem tributo liberi ſunt filij, & conſequenter eorum etiam familiares, qui circa ipſos cum obſequio verſantur, & eorum bonis aluntur; vnde & Clerici ſub illis verbis ab ore Chriſti

*Luc. c. 17*

*Luc. c. 2.*

Domini, & Dei prolatis comprehenduntur, quod & expreſſit *D.Hieronym.* in ea verba, *ille pro nobis Crucem ſuſtinuit, & tributa reddidit, nos pro illius bonore tributa non reddimus, & quaſi filij Regis à vectigalibus immunes ſumus*. Ad rem appoſitè.

*In cap.17 Matth.*

Hanc autem Clericorum, ſeù Eccleſiaſticorum exemptionem à capitatione ſeu tributo ita profectam agnoſcimus à Pontificio iure, & Principum conſtitutionibus, vt tamen non excludemus, quin & ſit à Diuino iure, quatenus dictante ratione recta, Deoque ipſo inſinuante proceſſerit, idque ita exprimunt Interpretes, & ſcribentes, vt eſſe eam iuris Diuini dicant non ſimpliciter, ſed quatenus eſt ipſi conformis, ſeu mallis, in radice, & origine, ſeu initiatiuè, cum & ius Diuinum appellent, idque iuris Diuini dicant, quod habet originem à Diuino iure veteris teſtamenti, vt tradunt *Couaru.Germon.Martz, Farinac.* & alij. In veteri autem Teſtamento Sacerdotum, & Leuitici ordinis apta nimis eſt huiuſmodi immunitas à tributis, nam *Numer.Tribum Leui noli numerare, nec pones ſummam eorum cum filijs Iſrael*, & alibi; *Eruntque Leuitæ mei*, & in *Geneſi*. Cum vrgente fame ſubditorum bona ſibi Pharao acquireret, ſicque cuncta hoc prętextu ſibi ſubijceret, Sacerdotes tamen ſuis prędijs priuare noluit, nec ea ſibi vſurpare, præſtante id Ioſepho, qui Diuino afflatus Spiritu ad Sacerdotum Euangelicorum exemptionem, ſiue immunitatem proluſit, velut in figura, argumentumque ſatis concludens ſumpſit inde *Chryſoſtom.* & ideò Summus Pontifex in *c. quamquam de cenſib. in 6.* hanc ipſam immunitatem à iure Diuino teſtatur, ibi *cum Eccleſiæ, Eccleſiaſticorum perſonæ, & res ipſarum non ſolùm iure humano, quinimò & Diuino à ſæcularium perſonarum exactionibus ſint immunes*.

*Lib. 1. var. c. 17 De Sacr. Immun. lib.1.c.15 num. 18. De Iuriſdict.p.4. c.54 n.6. De imm. q.8. n. 3. C.1. Numer. C.3. Ibid C. 27.*

*Homi.65*

Nec abnuit id ipſum ius naturale Diuinum, quatenus ratio recta gentes etiam ipſas hanc eamdem veritatem edocuit, neque enim tributa à proprijs Sacerdotibus exigere ſunt auſæ. Notabile eſt Attaxerſis Regis Perſarum exemplum, cuius regium decretum legitur apud *Eſdram. Vobis quoque notum facimus de vniuerſis Sacerdotibus, & Leuitis &c. & miniſtris domus Dei huius, vt vectigal, & tributum, & Annodas non habeatis poteſtatem imponendi ſuper eos*. Vt mittamus Druidas Gallorum fuiſſe immunes *Iulio Cæſare* teſte; cum autem quod à ratione recta eſt, & iuris naturalis, ac Diuini dici valeat, meritò hanc perſonalem immunitatem iuris Diuini ſaltem initiatiuè dicere poſſumus, pròvt & latè probauit *Thom. del Bene*. Quæ ſatis de perſonali Eccleſiaſticorum exemptione, ac immunitate à tributis. Quod dictum generaliter de tributis accipiendum, etiam de gabellis vectigalibus, alijſue huiuſmodi oneribus, quæ nedum ratione perſonæ, ſed & ratione rerum ipſorum Clericorum imponuntur, quaſq; ipſi non negotiationis gratia transferunt, & ſecum ducunt, *d. c. quamquam de cenſibus in 6.* retulit poſt *Suarez*, & alios *Barboſa*. Pendet aſſertio à ſupra iacto fundamento exemptionis ipſorum Clericorum, qua ſtante deficit tota radix poteſtatis, cuius virtute huiuſmodi onera imponuntur, eaque non alia, quàm iuriſdictio, quæ non ſe compatitur cum exemptione, ſed imo expreſsè excluditur. Ab immunitate, quòad Clericorum, & Eccleſiaſticorum perſonas tranſibimus ad immunitatem, quòad bona, de quibus obſtruſior fortaſſe erit inquiſitio, quam pro noſtro inſtituto ſine vllo diſpendio breuiter contrahemus.

*C.7. verſ. 21.*

*Lib.6. comm. de bell. Gall.*

*De Eccl.imm. c.5.dub.8.p.r totum.*

*Iur. Eccleſ. vniu. lib.1.c. 39. num. 91*

Differemus generaliter de Eccleſiaſticis bonis, nec conſiderabimus hìc Ec-

cleſiam materialem, pròvt dicit locum ſacrum,quæ ſic ſumpta ſpeciali, & propria immunitate gaudet, de qua pertractauimus ſupra loco ſuo; verùm bona quòad immunitatem examinabimus, quæ pertinent ad Eccleſiam, ſiue tanquam locum materialem,ſiue tanquam corpus aliquod myſticum, vt Capitulum,vel Monaſterium,ad cuius conſeruationem certa bona ſunt aſſignata. Hæc igitur bona in duplici ſunt differentia;alia ſiquidem ſunt, quæ propriè dicuntur res ſacræ, quæ per ſpecialem, & propriam benedictionem conſecratæ ſunt, vel ſunt inſtrumenta Diuini cultus. Alia verò retinent generale nomen, & propriè dicuntur bona Eccleſiaſtica, ſiue mobilia, ſiue immobilia, quæ quidem pròut ad Dei cultum ſunt deſtinata ad ſuſtentationem miniſtrorum, pauperum ſubſidium, aut alias Templorum expenſas inter res ſacras connumerantur, vt teſtatur *D. Thom.* Quæ res ſunt primi generis, nemo dubitat, quin immunitatibus, quam pluribus gaudeant à communibus ſcilicet vſibus,vel miniſterijs, ab omni iniuria, & iniqua diſtractione; naturali lumine, atque ratione ſic dictante, quæ ſancta ſanctè tractanda docet, eamque ſanctitatem participant res Deo dicatæ, quæ proinde ad profanum vſum non ſunt transferendæ,vt in *c. veſtimenta de conſecr. diſt.* 1. Ideòque gentiles ipſi res ſacras extra commercium cenſentes hoc ius immunitatis ijſdem tribuerunt *l. inter ſtipulantem* §. *ſacram ff. de verb. obligat.* & ſacro Pontificio iure ijſdem demum aſſertum in *cap. ligna* cum pluribus *ſeq. de conſec. diſt.* 1. *c. quæ ſemel cum ſeqq.* 19. *quæſt.* 3. *Iunc. regul. ſemel de regul. iur. in* 6. adſtipulante etiam ciuili iure in *l. ſancimus c. de Sacroſ. Eccleſ.*

2.2.q.99 art. 4. & q.185. art. 7.

Bona verò ſecundi generis non ea gaudent Sanctitate, & veneratione, vt ſint extra commercium, vt bona primi generis dicantur, poſſunt enim humano commercio ſubijci, dum tamen debito modo,& cum pietate id fiat, vt ex *c. ſine exceptione, c. aurum, & paſſim tota* 12. *q.* 2. quodammodo enim ſacra ſunt, & hoc ſaltem à ſui inſtitutione requirunt, vt in pios,& religioſos vſus impendantur,cum ad hunc finem ſint datæ Eccleſiæ, & ſi ſint pretioſa, aut immobilia alienari non poſſunt, niſi ex cauſa, & forma à Pontificio iure præſcripta, *c. nulli de reb. Eccleſ. non alien.* Gaudere hæc bona dici poſſunt priuilegio fori,vt indicetur eſſe ipſa exempta ab omni iuriſdictione, & poteſtate ſæcularium Principum, & magiſtratuum. Tum quoad adminiſtrationem, quia tantum per Eccleſiaſticos miniſtros poſſunt adminiſtrari,transferri, permutari, aut diſtribui, aut in caſibus à iure permiſſis alienari,non item per laicos, quibus ſuper ijſdem,ſuppoſita inſtitutione Eccleſiæ,& poteſtate Petro data, & eius Succeſſoribus in res Eccleſiaſticas per ſe,vel per miniſtros ſuos adminiſtrandas, vi ſua conſurgit. Aut enim conſiderantur hæc bona,vt ſacra ſunt, & Deo dicata, ac vt per ſe ordinantur ad ſupernaturalem finem, & tunc vi iuris Diuini eorumdem adminiſtratio ad Eccleſiaſticam poteſtatem ſpectat, ſi verò conſiderentur attenta eorumdem materia ſtatim ac ipſa ſunt tradita Eccleſiæ, & Deo dicata, exierunt à poteſtate, & dominio laicorum, & ſub dominio Dei ſunt conſtituta, ac proinde non alia, quàm Eccleſiaſtica manu tractanda. Vnde dicuntur patrimonium Ieſu Chriſti in *c. cum ſecundum de præbend. c. cum ex eo de elect. in* 6. & Decimæ bona Dei expreſsè nuncupantur *in c. tua nobis de Decim.* nec eorum credenda alijs adminiſtratio,quàm ijs,quos Deus ipſe patrimonij ſui adminiſtratores conſtituerit, ijque non alij, quàm Ponti-

Pontifex Summus, & ſub eo Epiſcopi in Diœceſibus ſuis, *c.* 1.*&* *c.fin.*96.*diſt.* & paſſim tota 12.*q.* 1. *&* 2. *&* 17. *q.* 1.*&* 7. elegantiſſimè *Ambroſ. in c. conuenior* 23.*q.* 8. *ex eius epiſtolâ* 33. *ad ſororem*. Gaudent tori priuilegio hæc ipſa bona, quia exempta à legibus ciuilibus, & Principum conſtitutionibus qui de iiſdem nihil poſſunt validè ſtatuere, *c. Eccleſia S.Mariæ de Conſtitut. Can. bene quidem* 96. *diſt.* qui ſufficimus eſt, & ex Concilio Romano ſub Symmacho damnatur conſtitutio Baſilij Præfecti, pretio ſuper rebus Eccleſiaſticis, & declaratur nulla, nullitaſque huiuſmodi reſoluitur ſemper in defectum iuriſdictionis, & poteſtatis, ex quo enim per ſpecialem habitudinem facta ſunt ſpiritualia, & Diuina, vtpote Deo dicata, reddita etiam ſunt extra materiam iuriſdictionis temporis.

Immò leges huiuſmodi, & diſpoſitiones circa aliqua bona continent adminiſtrationem eorumdem, ſunt enim veluti regula, per quam dirigi debet quicumque huiuſmodi bona adminiſtrat, indeque fit, vt qui bona huiuſmodi adminiſtrare non poteſt, quod certè fieri non poteſt à ſæculari Principe, neque poſſit de ijſdem legem condere, ideòq; non minus eſt de iure Diuino hæc exemptio à iure ciuili, quàm ab adminiſtratione laicorum. Eſt nihilominus determinata hæc exemptio per Eccleſiaſticos Canones ſtatuentes modum circa alienationes, tranſlationes, & alias rationes eadem bona adminiſtrandi, vt tota 12.*q.* 1 *tot.tit. de reb. Eccleſ. non alien. Iunc. c. Paſtoralis de his, quæ fiunt à Prælat. ſine conſenſ. capit.* & per varios Canones aucta eſt hæc exemptio iuxta varia priuilegia, quæ Eccleſijs conceſſa ſunt circa bona ſua, & circa alienationes, præſcriptiones, & alia huiuſmodi media, de quibus videndi *Canoniſtæ ad c. nulli de reb. Eccleſ. non alien.* Demùm eadem de cauſa, & ratione gaudent hæc bona exemptione ab onere iudicij ſæcularis, nam ſi conſiderentur, quatenus res ſacræ ſunt indubium eſt, quod ſæculare iudicium circa ipſa non poſſit verſari, ſed ex ipſa rei natura, & Diuino iure pertinet cognitio de ipſis ad Iudicem Eccleſiaſticum. Si verò ſpectentur pro materiali, & quatenus ſunt temporalia bona, vt ſi agatur de eorum dominio, vel iure vtendi, & fruendi, eſto, quod Clericus poſſidens ſit reus, coram Iudice Eccleſiaſtico huiuſmodi controuerſia diſceptanda eſt, nec laicus ſe poteſt ingerere, vt notat *Gloſ* & communiter ſcribentes, & probat *text. in c. Eccleſia S.Mariæ de Conſtit. iunct. c. ſi Clericus de for. compet. &* *c. decernimus de iudic.* quod ſi ex oppoſito Eccleſia, aut eius Rector bona huiuſmodi vindicaret tanquam Eccleſiaſtica; ac peteret à poſſidente laico, nulla poſſet allegari exemptio, ſtante vulgata regula, quod actor ſequitur forum rei, niſi ageretur de bonis Eccleſiaſticis, & per laicos vſurpatis, ſeu de illis, quę ſint de directo dominio Eccleſiæ, vel etiam ſi adeſſet legitima conſuetudo. *Ad c. Eccleſ. S. Mariæ de Conſtit.*

Sunt igitur huiuſmodi bona, immobilia prçſertim, immunia à tributis, nec ijs poſſunt à ſæculari Principe grauari; quamuis enim non ſit modica controuerſia, penes quem ſcilicet ſit dominium bonorum Eccleſiaſticorum immobilium, præſertim quorum ratione penduntur tributa, aſſerentibus nonnullis eſſe illud penes Chriſtum Dominum, alijs verò penes Summum Pontificem, alijs penes Eccleſiam vniuerſalem, ſiue particularem illam, cui bona ſunt addicta. At quidquid ſit de opinionibus iſtis, quas diſcutere modò non eſt neceſſe, certè (qualecumque ſit dominium, quod Chriſtus in huiſmodi bonis habet, vt obſeruant Couar. & alij apud *Barboſ.*) *Ad reg. peccatum p.* 2. §. 3.*verſ.iure Eccleſ. vniu. lib.* 3. *cap.*17. *num.* 14.

Digitized by Google

.*Barboſ.*) negari non poteſt, quin ea habitudinẽ aliquam habeant ad Deum tanquam ad Dominum, eaq; ſufficit, vt immunitas ijſdem bonis obueniat nedum humano, ſed & Diuino, ac naturali iure, hancque habitudinem aliam, & longè arctiorem cenſemus, illa quæ conſurgit ex vniuerſali dominio Dei, de quo illud *Pſal. Domini eſt terra, & plenitudo eius*, eaque ſtante ſi Dominus bonorum à tributis eſt immunis, nec minus bona ipſa debent eſſe immunia. Huc aduocanda verba Chriſti Domini, *Ergo liberi ſunt filij*; neque turbat, quod hæc ipſa bona, quæ dicuntur eſſe in dominio Chriſti, magis proximè ſint in dominio particularis Eccleſiæ, cui ſunt addicta vel Cleri, aut eius vniuerſitatis Clericorum, cui immediatè ſunt quæſita, & à qua proximè poſſidentur.

redd.Eccl. munit. 16. Tum quia ſentit *Nauar.* bona huiuſmodi eſſe in dominio immediato Dei & Chriſti, & ſi qui ſint, qui immediatè poſſideant, non tamen inde argui poteſt, quod dominium habeant *l.naturaliter* §. *nihil commune ff. de acquir. vel amitt. poſſ.* ſed ſolam diſpenſationem cum maiori vel minori plenitudine poteſtatis. Tum etiam quia, eſto, quod harum rerum dominium ad ſingulares homines, aut Eccleſiaſticam vniuerſitatem ſpectarent, hoc tamen non excludit, quò minus ſpeciali adhuc iure ad Deum ipſum pertineant, cum ſint donata ad eius honorem, & cultum. Tum etiam quia, quæcumque eæ perſonæ ſint, ſiuè vniuerſitates Eccleſiaſticorũ non ſunt ſubiectæ ſæculari Principi, cum ſint Eccleſiaſticæ, ac proinde prætextu bonorum non poſſunt tributorum onere grauari immunitate ſalua.

Multòque magis hoc ipſum accipiendum de rebus illis, in quibus adeſſet peculiaris conſecratio, aut benedictio, per quam eò rediguntur, vt ſint inſtrumenta Diuini cultus; cuiuſmodi ſunt Eccleſiæ ipſæ, templa, & conſimilia loca ad Diuinum cultum immediatè directa, quæ ſingularem quandam habent ſanctitatem, *cap. ſecundum canonica cap. ſancitum* 23. *q.*8. *c.*1. *de cenſib.* Admiſſo igitur, & pie, & iuſte, bona immobilia Eccleſiæ, immunitate ſalua, non poſſe tributis, aut oneribus grauari, iam ad praxim dubitare licet. Sint bona immobilia oneribus iam grauata penes ſæculares homines, tranſeant hæc eadem ad Eccleſiam, itaut Eccleſiaſtica fiant, nunquid remaneant oneri, ſiue tributo obnoxia, an verò, tanquam facta immunia, ſubtrahantur, itaut ſicuti non poſſet nouo tributo onerari ex quo ſunt Eccleſiaſtica, ita deſinant eſſe tributaria, & oneri reali ſubiecta, & quo de ſæcularibus facta ſunt Eccleſiaſtica.

Negarunt plerique, ijdemque grauiſſimi Auctores, nec eximi dixerunt bona tributis realibus quantumuis facta ſint Eccleſiaſtica. Si enim onus eſt annexum rei res tranſire nequit, niſi cum ſuo onere, *c. ex literis de pignor. c. ſi quis laicus* 16. *q.* 1. neque enim ex eo, quod migret in Eccleſiam ſeparari debet onus, quod rei ipſi eſt infixum, præſertim eum nemo plus iuris in alium transferre poſſit, quam ipſe habeat, *c. nemo pluſ. de reg. iur. in* 6. Vnde ſi laicus Dominus rem ſuam habebat cum onere rei annexo tranſferens in Eccleſiam, non niſi cum eodem onere transferre poteſt, neque enim id fieri poſſet ſine notabili iniuria eius, ſiue Principis, ſiue priuati, in cuius gratiam onus rei inhæreret.

Hucque reſpexerunt iura, *in cap. conuenior.* 23. *q.* 8. *in c. ſi tributum in cap. magnum* 11. *q.*1. *Si tributum* (ait ibi *D.Ambroſ.*) *petit Imperator, non negamus, agri Eccleſiæ ſoluunt tributum.*

Nec

Nec abſimiliter, *in cap. magno ſequenti*, ſed, & pleræque ciuiles Conſtitutiones alludunt, *Text. in l. fin. c. de exact. tribut. lib. 10. Auth. item prædium c. de Sacr. Eccleſ.* quam totam Conſtitutionem regeſſit *Gratian. in cap. ea nu. 10. quæſt. 2.* & eſt penes eum *in §. item prædium*, neque enim abſurdum cenſent hæ conſtitutiones, quod prædium Eccleſiæ onus fiſcale habeat, onus ſcilicet tributum ſoluendi Principi, quod & dictum, *in l. placet. c. de Sacroſ. Eccleſ. in l. de ijs c. de Epiſc. & Cler.* Aſſeruere piè ſatis alij, bona Eccleſiaſtica non ſolùm non poſſe nouis tributis onerari, ſed ſi quæ iam ſint grauata, & obnoxia, eo ipſo, quo in Eccleſiam tranſeunt, leuari tributi onere, nec exigi ampliùs poſſe.

Quam ſententiam zelo planè Eccleſiaſtico tuitus eſt poſt vetuſtiores *Card. Alban.* tum auctoritatibus, tum rationibus ex ingenio eruditè inſtructo, quæ ſaltē potiora fundamenta breuiter promemus, vt in re adeo graui, & controuerſia lectori vtraque pagina conſtet. Iuris itàque Diuini, Pontificij, atq; Cæſarei, ſeù ciuilis præmittit auctoritates, vt ſuper iiſdem rationum adſtruat momenta. Primam deſumit ex verbis Artaxerſis Regis apud *Eſdr.* aſſerentis bona Sacerdotum, & ſacrorum miniſtrorum oneri alicui, aut tributo ſubijci non poſſe, quem imitatus, & Pharao *Geneſ.* 1. comparans enim inſtante annonæ charitate, ſubditorum bona, eaque ſuo ſubijcens imperio, excepit terram Sacerdotum, quam voluit religioſiſſimè eſſe immunem, ſed vereor, ne parum fęliciter auctoritates iſtæ ad intentum concludant; non enim locutus Artaxerſes de tributo iam impoſito prędijs, eoque perdurante, aut ceſſante poſt tranſitum in Eccleſiam, ſed de noui tributi impoſitione, quæ tam perſonis ſacris, quam eorum bonis

*De immun. Eccleſ. per tot. à n. 9. tom. 13. tract. p. 2.*

*Eſdr. lib. 1. cap. 7.*

*Cap. 17. Geneſ.*

imponi prohibetur, ſunt enim eius verba, ne omnia regeramus, pauca hæc, *vt vectigal, & tributum, & annonas non habeatis poteſtatem imponendi eis &c.* Et Pharao, vt obſeruauit *Toſtat.* nullam ſpecialem immunitatem, aut exemptionem terris ſacerdotum indulſit, ſed quia inopia, aut annonæ neceſſitas non eò adegit ſacerdotes, vt terras ſuas venderent, ideò nec redditæ ſunt tributariæ, quod quidem à rè, de qua agimus eſt longè diuerſum.

*1. Eſdr. c. 17*

Aptior ideò ad intentum auctoritas iam ſupra à nobis tractata, *Ergo liberi ſunt filij*, filius enim Regis ità plenè immunis eſt à tributis, vt & in bona eius eadem immunitas redundet, non ſolùm ità, vt in bonis, quæ iam ſunt ſua noua non imponantur tributa, ſed & ſi quæ de nouo acquirat, quæ in alterius dominio eſſent tributaria, migrantia in eius dominium reddantur immunia, quod de Chriſto, & eius Eccleſiæ bonis negare omninò nefas, maximè cum tota Clericorum exemptio iuris Diuini ſit, quam minui, diuidi, aut diuerſimodè accipi non decet, ſed ita conſtantèr, vt quæcumque, aut apud eos ſunt, aut ad eos perueniunt bona vtcumque onerata, liberentur, iuris Diuini auctoritatibus adſtipulatur, & ius Pontificium potiſſimum *in cap. non minus in cap. aduerſus de immunit. Eccleſ.* ibi enim, quantumuis neceſſitas vrgeat, publica vtilitas ſuadeat, ac ferendis oneribus laicorum facultates ſint impares, non tamen fas eſt onera Eccleſiarum bonis imponere abſque præuio Summi Pontificis conſenſu; magis vrget *text. in cap. ſancitum in fin. 23. q. 8.* quatenus ait ibi *Text.* tributa exigi ſolita non tamen exigi poſſe, ex quo prædia ijs obnoxia tranſlata fuerint in Eccleſiam niſi Pontifex Summ. indulgeat. Addi poſſunt, *& tex. in c. 1 de immunit. Eccleſ. in 6. in c. quamquam de cenſibus*

*Matth. c. 7.*

*ſibus in 6. in cap. ſecundum Can. 23. quæſt. 8. in cap. prædia 12. q. 2. in clem. 1 de iur. immun.* quos ſingulos inducere temperamus, & ad rationem vnam, & alteram accedimus, quæ fusè ſatis exaggerantur breuitèr contrahentes.

Quoties enim res aliqua, quæ nullo iuuatur priuilegio, tranſit in inſigniter priuilegiatum, iam incipit eius gaudere priuilegio, ac ſub eodem comprehendi, & eius diſpoſitione regi, *l. cum quidam §. ſi debitores ff. de vſur.* ibi enim bona debitorum, quæ ad ſoluendas vſuras minores ſemiſſibus erant obſtricta, nec vltra cogi poterant, ſi ex ſucceſſione tranſeant in fiſcum ad ſoluendas ſemiſſes compelluntur, quia ſingulare hoc priuilegium fiſci, vt ſemiſſes vſuras à Debitoribus exigat, indeque priuilegium ſucceſſoris, & non auctoris attenditur, indeque à fiſco ad Eccleſiam inferre licet, vt ſi ad eam perueniant bona oneri aliqui obnoxia, ceſſet onus iuuante priuilegio Eccleſiæ, quæ à quolibet onere debet eſſe immunis, *c. vn. de iurepatr. in 6.* Accedit & ratio, quam ſubtiliter à ſe excogitatum profiretur *Alban.* in oneribus ſiquidem huiuſmodi realibus imponendis, & inter ciues æqua lance diſtribuendis fructuum, atque redditwum ratio maximè ſpectatur, & res ipſa à fructibus æſtimatur, *l. ſi fundus, & ibi gloſ. ff. de impenſ. in reb. dot. fac. l. ſi pendentes §. ſi quid ff. de vſufr. leg.* ad differentiam collectarum, quæ principaliter perſonis pro rebus imponi ſolent, *Bart. & Alex. ad l. his verbis §. idẽ teſtator ff. de legat. 3.* ideòq; vſufructuarius, non item proprietarius tenetur, *l. hactenus l. vſufructu relicto ff. de vſufruct.* ac proinde cum tributa non rebus ipſis abſolutè & directè, ſed ob fructus, qui ex ijs percipiuntur, imponantur iam Clerici ad ipſa non debent teneri.

Fructus enim quolibet anno naſcuntur noui, vſusfructus vnius anni ab alio alterius anni ſeiungitur, *l. ſi vſusfructus mihi ff. de vſufruct. leg. l. 1. ff. de vſufr. accreſc.* iam fructus naſcentes poſtquam prædium ad Eccleſiam peruenit ſunt noui, adeòque nec poſſunt grauari, cum prodeant eo tempore, quo ſunt in dominio Eccleſiæ, etiam à iuriſdictione laici Principis ſunt ſubtracti mutato rerum ſtatu *arg. text. in l. ſtichus ſeruus meus ff. de manum. teſt. & l. pen. c. de imponen. lucr. deſcrip. lib. 10.* In hoc diſceptationis conflictu, ne fallaciæ remaneat aditus, duplicem modum diſtinguemus oneris rebus imponendi, ſeù mallis duplicem fontem, ſeù cauſam, à qua hæc ipſa impoſitio procedat. Prima erit dominium, quod habeat priuatus homo rei immobilis, cuius virtute ex conuentione, & pacto onus reale rei ſuæ imponat, puta penſionem annuam, cenſum, canonem, aut huiuſmodi quidpiam; quod quidem non tantùm priuatus homo, ſed & Princeps ipſe per ſingulare pactum, & ratione peculiaris dominij, quod habeat in eadem re ſua imponere poteſt.

Altera verò poteſtas publica, aut iuriſdictio, cuius virtute Princeps, vt poteſt bonis ſubditorum, onus aliquod reale iniungat. Onus à primo fonte, & à prima cauſa proueniens ità rem ipſam afficit, vt in quemcumque tranſeat, etiam Eccleſiam ipſam, migret, illudq; præſtare omninò teneatur, nec immunitatis colore poſſit ſe ſubtrahere, apertè enim *Innoc. III. in c. cum dilecti de donat.* conditionem, & onus adiectum in donatione Eccleſiæ facta ferendum, ſeruandumque innuit; idque ipſum *in c. verùm de condit. appoſ.* confirmat, cum res tranſeat cum onere ſuo, & ſibi inhærente, à quo nulla eſt ratio, ob quam Eccleſia ſe expedire valeat; ſi voluntatem transferentis adducat, nihil minus, niſi eam euidenter, & concludenter,

denter probet, & de hac non eſt modò difficultas,cum in eo maximè conſiſtat, an ex quo res fiat Eccleſiaſtica ab huiuſmodi onere eximatur, potiſſimum cum nemo plus iuris in alium transferre poſſit quam ipſe habeat *l. nemo plus ff. de reg. iur.* & quiſque liberè de re ſua non de aliena diſponat *l. in re mandata c. mand.* onus autem rei impoſitum in alterius fauorem non eſt imponentis, ſed eius, in cuius fauorem imponitur. Si legem prætexat, nulla ſanè legitur, quæ huiuſmodi exemptionem indulgeat, ſiue Diuina,ſiue humana;nec ſuffragari poſſet auctoritas illa; *Reges gentium, à quibus accipiunt tributum*,de qua ſæpius ſupra,quia hæc de veris tributis loquitur,nec ad onera, de quibus modò ſermo,eſt extendenda, ſicut nec Canones, aut leges de iiſdem loquentes. Si demùm naturam ipſam rei,adeòque legem naturalem obtendat non magis poterit ea iuuari, quia non pugnat cum ratione, aut decentia religionis,vt Eccleſia huiuſmodi onera ſuſtineat, eaque tanquam realia perſoluat, nullumque inde conſequitur abſurdum, præſertim ſi bona ſic grauata ex donatione, alioue vltimæ voluntatis relicto, aut ex conſenſu præſtito per Eccleſiam pretio peruenerint, maximè enim eam decet ſeruare contractus, & fidem obligatam, aut contrahendo, aut acceptando donata, & relicta ſeruare, eſt ſiquidem capax huius oneris, poſſetque bonis ſuis illud imponere, niſi vetita rerum ſuarum alienatio impediret *tot. tit. de reb. Eccleſ. non alien.* ac proinde nec bonorum conditioni, & naturæ, nec rationi hoc repugnat, idemque cenſendum ſi à Principe ex contractu onus huiuſmodi impoſitum fuiſſet,id enim tunc feciſſe cenſetur non iure poteſtatis,& iuriſdictionis, ſed iure conuentionis, quæ æquè Principi, ac priuato competit, & ſub qua ratione immunitas Eccleſiaſtica nil detrimenti patitur,contrahendo enim Princeps obligatur non ſecus ac priuatus *c. 1. de probat.* & par vtriuſque obligatio, & ideò in hac re dignoſcenda attentè erit ſpectandum ius, quod in bonis huiuſmodi Princeps habuerit, inde enim apparebit,an iure dominij, an iure poteſtatis,& iuriſdictionis onus hoc impoſuerit.

Quod ſi onus bonis inhærens ex vi Principalis,& Regiæ iuriſdictionis proceſſerit, vtcumque bona pridem oneri, & tributo fuerint obnoxia,migrando in Eccleſiam iam fiunt à tributo, & contributione ſimili immunia,probant iam ſupra allata fundamenta ex *Card. Albano* relata; non autem ſoluuntur tunc bona ex voluntate donantis Eccleſiæ, aut alio modo in eamdem transferentis,non enim tanti ea, vt ius publicum immutare poſſit *l. ius publicum ff. de pactis*. Non inquiremus hic exactius, vndenam hæc ſingularis exemptio proueniat,neque ſingulas proferemus operationes diuerſas circa eamdem ſententiam,cum voluerint aliqui à Principe ità pendere,vt peculiaris conſenſus eiuſdem requiratur, alij verò (vt *Card. Alban.*) eximi in hoc caſu bona iuris Diuini,Canonici,& ciuilis, quæ ſingula probat exactè, rationes inſuper cumulat,quæ fortè nimia generalitate laborare videtur.

Itaque tota aſſertionis ratio à generali tributi ratione petenda eſt, & à paritate,quæ inter tributa vetera, & noua viget,& à generali exemptionis, & immunitatis fundamento. Tota ſiquidem tributi ſoluendi ratio non alia, quàm ſubiectio innuente *D. Paulo*. *Neceſſitate ſubditi eſtote non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam, ideò enim, & tributa præſtatis*. Et ideò ſubiectione ceſſante ceſſare debet tributum *c. cum ceſſante de appellat.* ceſſat Ad Rom. c. 13



Digitized by Google

autem ſubiectio eo ipſo, quo bona in Eccleſiam tranſeunt, & fiunt Chriſti Summi Regis,qui cum nemini ſit ſubiectus, nec tributo cenſeri poteſt obnoxius,vel reſpectu bonorum, quod ſit impoſitum,cum res ad eum ſtatum peruenerit,à quo incipere non poſſet;vnde ſicut re exiſtente ſemper penes Eccleſiam nullum à ſæculari poteſtate potuiſſet vnquam imponi tributum, ita facta re ſæculari Eccleſiaſtica, quod iam exigebatur non poterit exigi. Non eſt cur inſiſtamus in ſoluendis iurium ciuilium auctoritatibus, quibus tributorum exactio in bonis Eccleſiaſticis videtur iniungi, & quæ iam ſupra tactæ fuere, additis etiam Canonibus ex *Ambroſio* præſertim, & alijs Pontificibus Summis,ſat enim fuerit dixiſſe, conſtitutiones illas ciuiles iam eſſe reuocatas ex conſtitutione Federici Imperatoris, de qua ſupra actum, neque tamen credendum, quod hæc bonorum Eccleſiaſticorum exemptio à tributis à conſtitutione Federici primò proceſſerit,cum fuerit immò Eccleſiæ ipſi coæua, vt fuſiùs ſupra aduertimus, cui & inhærere potuerunt Pontifices Summi vtendo ſumma ſibi competente poteſtate, eamque exerendo prudenter,prout temporum præſertim conditio exigere, aut permittere videbatur; nec improbabile, Conſtantinum Imperatorem poſt conuerſionem ſuam hanc ipſam exemptionem lumine fidei agnouiſſe,& eamdem confirmaſſe, cum compertiſſimum ſit, eumdem prædia quamplura donaſſe Eccleſijs, & pluribus priuilegijs eadem ditaſſe,prout ipſius Conſtantini edictum legitur apud *Euſeb.* quem qui ſucceſſere pij Imperatores, ſunt imitati, primuſque Iulianus Apoſtata poſt gentiles tributum Chriſtianis indixit, vt obſeruat *Baron.* & vtcumque priuilegium hoc pro Imperantium;& temporum varietate fluctuauerit, ac fuerit interpola-

*Hiſt. lib. 10. c. 5.*

*Tom. 4. Annal. ann. 362.*

tum, nunquam tamen extinctum, vim patiente Eccleſia ipſa, & ferente, non tamen conſentiente,quæ autem ex *Ambroſio* allata in *c. ſi tributum* 11. *q.* 1. parùm officit;ſi dimiſſa *Gloſſæ* ibidem facilitate, & alia eiuſdem interpretatione,ſectemur,quod prudentiſſimè obſeruauit vbi ſupra *Baron.* Ambroſium ſcilicet ea verba protuliſſe,& ſcripſiſſe, permittendo potiùs, quàm probando, & aſſerendo,non ius aliquod confitendo aut agnoſcendo; norat enim adminiſtrante imperium Iuſtina matre Valentiniani Imperatoris iunioris, ac pueri, eaque Arianæ, non eſſe pro temporis conditione reſiſtendum propter maiora mala,quæ imminebant Eccleſiç.

*Ad capit. Secundũ Canonic. 33. q. 1.*

Mentem Ambroſij confirmant eius verba,quç tranſtulit *Gratian. in Canon. præd.* ex oratione *Ambroſij in Auxentium de trad. Baſilic.* & repetimus hìc oportunè *ſi tributum petit Imperator* (inquit *Ambroſ.*)*non negamus agri Eccleſiæ ſoluunt* (alias ſoluant,& appoſito ſenſu)*tributum,ſi agros deſiderat Imperator poteſtatem habet vindicandorum. Nemò noſtrum interuenit; non faciant de agris inuidiam, tollant eos, ſi libitum eſt Imperatori,non dono, ſed non nego.* An autem ea verba confitentis, & approbantis ſint, ipſa ſatis indicant. Quod autem addebatur, quod res tranſeat cum onere ſuo, vt euincatur inde,quod ſi onus impoſitum rei per contractum, migrat cum re in Eccleſiam,& ab ea ſit ſoluendum,& idem veniat dicendum de tributo.

*Tom. 5. concion. 1 verſ. fin.*

Non obſtabit,ſi expendamus ſtatum diuerſum, quem res acquirunt, cum in Eccleſiam tranſeunt,is enim tunc earum ſtatus,vt non ſint amplius capaces res ipſç tributi,quamuis vtique realium onerum, quæ ex priuatorum hominum contractibus inducuntur; ideòque per huiuſmodi tranſitum, & mutationem tributa ceſſant, ac priuatorum homi-

num

num onera non item, niſi in caſibus quibuſdam in iure expreſſis,& tunc alterutrum ex duobus eſt neceſſe, vt aut qui priuati hoc ius habent, in hanc mutationem, & tranſitum bonorum conſentiant, aut compenſatio iiſdem fiat. Sed cur non idem in Principe ratione ſui tributi, vt conſenſus eius etiam exquiratur, aut ſaltem exhibeatur compenſatio? par enim detrimentum,ac diminutionem patitur Princeps, qui nec deterioris debet eſſe conditionis, quàm priuatus. Sed tamen immò diſpar vtriuſque ratio, nam Princeps nullum proprium habebat dominium, vel ius aliud dominio æquipollens, cuius reſpectu tributum exigeret, ſed illud exigebat ratione imperij, & iuriſdictionis, quæ ceſſat omninò, cum res tranſit in Eccleſiam, & quia dominus rei ſub ea iuriſdictione, & imperio viuebat, vnde ſicut ratio iuſtitiæ exigit,rem conſeruari in dominio priuati hominis; non ſic dictat eamdem conſeruari ſub iuriſdictione Principis,cum dominus iure dominij ſui de eadem diſponere, & potiſſimum Deo dicare, & donare valeat, per quam donationem ſæcularia bona Eccleſiaſtica fiunt,& vt fiant non eſt neceſſarius Principis conſenſus omni iure in id ſuffragante.

Neque vrget diminutio prouentuum, quæ inde obuenit Principi, non enim ea fit in proprijs bonis, ſed in ſtipendijs communibus, ſicut nec directè, aut principaliter id accidit, ſed conſequenter, & indirectè ex ſubtractione materiæ,quæ iuſtè, & piè facta non obligat,vt compenſatio fiat,cum & è conuerſo contingere poſſit, vt eadem bona legitimo modo vendantur,ſicque ſæcularia fiant,adeòque & reddantur iterum tributaria, ac prouentus Principis reintegrentur, quod in priuatis oneribus,& particulari dominio prouenientibus impleri non poteſt; præterquam quod ceſſatio tributi in eo caſu non fit ex priuati voluntate donantis, aut eius auctoritatem,ſed iuris poteſtate, aut Diuini, aut humani Diuino nitentis, quod etiam implicitum,& virtualem conſenſum ipſius Principis inuoluit, vt ex generalibus ſupra in materia traditis deduci poteſt; quod ſi exuberarent immobilium tranſlationes in Eccleſiam adeò, vt nimis minuerentur Principis, & Reipublicæ tributa, adeundus eſſet Summus Pontifex, qui pro ſuo paterno zelo, & prudentia conſulat,ac Principis indemnitatem prouidendo procuret. Tranſibunt igitur bona in Eccleſiam cum onere à priuatis, aut iure priuato iniuncto, quia eius ſolutio immunitatem non tollit, aut minuit. At non item cum onere iure Imperij,aut iuriſdictionis impoſito, quæ iurſdictio migrantibus bonis in Eccleſiam omninò ceſſat, ac perempta cauſa, & ratione tributi, tributum ipſum ceſſare debet,quæ omnia ſatis pro inſtituto ad omnia Eccleſiaſticæ immunitatis capita. Supereſt alia ſingularis perſonarum Eccleſiaſticarum immunitas, qua impunè lædi, aut tangi per iniuriam non poſſunt, cuius fons eſt celebris *Canon. ſi quis ſuadente* 17.*q*.4. & de hac agemus ad totius materiæ coronidem.

## De Sacrarum Perſonarum Immunitate (ex Can. ſi quis ſuadente 17.q.4.)

## §. II.

1 *Introductio, & fundamentum materiæ, eiuſque partitio.*

2 *Clerici appellatione qui veniant in hac materia.*

3 *In quibus ceſſet hoc priuilegium Canonis.*

4 *An Monachi eo gaudeant, Conuerſi, Nouitij, Tertiarij, Eremitæ, Equites.*
5 *Quid per manus violentas in materia.*
6 *De cenſura, quam Canon infligit, & abſoluendi facultate.*
7 *Quinam ab incurſu in cenſuram excuſentur.*

1 QVæ in Deum Summum omnum Dominum exegit pietas, & quæ Religionis dictauit maieſtas, vt loca Diuino cultui dedicata ab omni vi, & iniuria eſſent immunia, & Eccleſiaſticæ perſonæ à ſæcularium Principum, & legum poteſtate eſſent exemptæ, in quæ omnia, & pij Principes veræ fidei ductu piiſſimè conſenſere, hæc eadem ſacras, & Eccleſiaſticas perſonas ab omni etiam iniuria, & à quocumque illata docuit debere eſſe tutas, ac penitùs inuiolabiles, ideò *Innoc. II. Summus Pontifex in Concilio Lateran. II. & generali X.* conſtituit, & habetur in *cap. ſi quis ſuadente* 17. *q.* 4. in ea verba. *Si quis ſuadente Diabolo huius ſacrilegij reatum incurrerit, quod in Clericum, vel Monachum violentas manus iniecerit anathematis vinculo ſubiaceat, & nullus Epiſcoporum illum præſumat abſoluere* ( niſi mortis vrgente periculo ) *donec Apoſtolico conſpectu præſentetur, & eius mandatum ſuſcipiat*: Hactenus *Innoc. & generale Concilium*. Qua quidem conſtitutione, ſeu maius, decreto ſacri alioqui, & Deo dicati homines redditi ſunt verè ſacroſancti, adeòque inuiolabiles, quo ſenſu, & apud veteres Romanos non ſolùm Flamen Dialis, ſed & Tribunus plebis ſacroſanctus habitus fuit, quod ſine capitali piaculo attingi violenter non poterat, vnde *Luc. Flor.* in ſeditione C. Gracchi & *illud* ( inquit ) *ſacroſanctum caput tribuni, plebis percuſſoribus auro penſatum fuit*. Ideòq; Romani Principes tribunitiam poteſtatem aſſumere ſibi conſueuerunt, vt ſe etiam auguſtiores, ac inuiolabiles redderent, vt in veterum numiſmatibus, & inſcriptionibus intueri adhuc licet. Afficit hæc *Innocentij* conſtitutio non intuitu poteſtatis publicæ, aut iuriſdictionis, ſed factum magis, quam ius reſpiciens, perſonam quamlibet cuiuſcumq; generis nedum publicam, ſed & priuatam, & cuiuſcumque ſexus, quæ temerare audeat quoquomodo in perſona Clerici ſacrum religionis caracterem, ideò cum frequens ſit eius vſus, vt notant ſcribentes, ad coronidem Tractatus immunitatis Eccleſiaſticæ agendum de ea partitè, & ſingulariter aſſumimus, materiam ipſam ad ſumma capita reuocantes, neque enim omnia, quæ à tractantibus traduntur congeremus, ſed quæ ad exactam rei Theoricam ſufficiant caſus ſingulares auctoribus relinquentes, qui fusè hac de re egerunt, quos pro intento ſuo cumulat *Auguſtin. Barboſa*, & ad quem in hac parte remittimus, addendo recentiores apud *Gonzales*; inquiremus ergo 1. qui Clerici gaudeant hoc priuilegio, ſeu immunitate huiuſce Canonis 2. quæ ſint manus violentæ, & quando, & quomodo ad hunc effectum cenſeantur iniectæ, 3. quando percuſſio grauis, vel leuis dicatur, 4. de excommunicatione agemus, quam infligit Canon, & 5. demum an & qui excuſentur ab eius incurſu, & à præciſa iniuncta eius abſolutione, quæ ſanè videtur ad rem magis neceſſaria Canonis ſectabimur verba, qui ait; *in Clericum, vel Monachum violentas manus iniecerit.*

*Fl. flor. Rom. lib. 3. c. 15.*

*In collect. ad decret. ad can. ſi quis ſuadens.*

*Ad c. 1. in comment. de ſent. excom. & eund. Barboſ. iur. Eccl. vniu. lib. 1. c. 39. §. 1. per tot.*

2 Clericum generaliter accipimus, non ſolum qui ordinibus, ſiue maioribus, ſiue minoribus, de quibus nulla poteſt eſſe dubitatio, ſit initiatus, ſed & qui

ſola

ſola Clericali Tonſura, dum tamen cum eadem Tonſura, & Clericali habitu incedat, aliàs enim vix, at ne vix quidem poteſt dignoſci, & iuſtam ignorantiæ cauſam percutiens prætexeret. Hoc ſiquidem immunitatis ſingulare priuilegium eſt in fauorem totius ordinis Clericalis inductum, quo ordine continentur, & veniunt eius appellatione omnes omninò Clerici, vel ſola Tonſura inſigniti, *c. cum contingat de ætat. qual. & ord. præfic.* ac proinde tanquam in fauorabili materia veniet Clericus licèt coniugatus, dum tamen cum vna, eaq; virgine contraxerit, adeòque non bigamus, *c. vn. de Cler. coniug. in 6.* & ſi non ſeruaret conditiones à Concilio Tridentino præfixus, aut gaudeat priuilegio fori, quia Concilium ſtatuit, quidem circa priuilegium fori, in quo immediatè de iure ſæcularium Principum agitur, vnde & prudens moderamen adhibuit, at circa priuilegium Canonis nihil innouauit, ideòque à caſu correcto ad non correctum non eſt facienda extenſio, ſed is relinquendus ſub veteri diſpoſitione iuris communis, vt aduertunt *Garz. Barboſ. & alij per eum alleg.* Veniet idem Clericus primæ Tonſuræ, licèt irregularis, ſuſpenſus, interdictus, aut excommunicatus, non enim amiſit per hoc ſtatum, & nomen Clerici, vt ex *Concil. Moguntino in Can. dictum*, & ibi *Gloſ. in verbo ſæculariter* 81. *diſt.* neq; inferas ex eo, quod bigamus Clericus priuetur, & non gaudeat hoc priuilegio tanquam irregularis, ex *d. cap. vn. de Cler. coniug. in 6.* quod omnis irregularitas hunc eundem parere debeat effectum, non (inquam) hoc inferas, quia non eſt hic effectus irregularitatis ſimpliciter, & in genere, ſed irregularitatis ex bigamia, circa quam fuit ſingulariter conſtitutum, à qua ſingulari conſtitutione fieri non poteſt ad omnes caſus illatio *regul. odia de regul. iur. in 6.*

*De benef. p. 2. c. 2. n. 10. inr. P. c leſ. venit. lib. 1. c. 39. §. 1. num. 3.*

Immò & veniet Clericus in huius priuilegij vſu, & ſi degradatus, ſola tamen degradatione verbali iuxta *Text. in cap. degradatio de pœn. in 6.* ſecus ſi reali *Gloſſ. ad c. accedens in verb. Presbytero* 50. *diſt.* & demùm etiam mortuus, cui violentia, & iniuria fieri poteſt, vt notat *Felin. & Abb.* De Clerico incorrigibili eſt non modica dubitatio, num gaudeat hoc priuilegio; *Nauar.* enim priuari, nec gaudere aſſerit ex *c. cum non ab homine de Iudic.* Incorrigibilis enim Clericus ibi ſic habetur, vt amiſſa ſpe correctionis, & remedij tanquam non Clericus ſæculari poteſtati relinquatur. Verùm & ſectando ſeriem eiuſdem *Text.* quam *Clemens Tertius* in ipſo præſcribit, rationabilius videtur ſententiam Eccleſiaſtici Iudicis expectandam, qui Clericum ipſum incorrigibilem declaret, nec habere ſe, quid vltra ad eius correctionem facere valeat, & dicat cum *Hieremia, Curauimus Babylonem, & non eſt ſanata derelinquamus eam.* Nam in *d. cap. cum non ab homine*, nec verbum legas, quod priuationem priuilegij ipſo iure inſinuet; ait enim, *quod ſi in profundum malorum veniens contempſerit, cum Eccleſia non habeat vltra quid faciat per ſæcularem comprimendus poteſtatem.* Dicat ergo primùm Eccleſia, ſe omnia feciſſe, nec habere quid vltra facere poſſit, & ſubinde Iudicis ſæcularis ingrediatur poteſtas, quæ vice Eccleſiaſtici Iudicis, quaſi ea declaratione tradentis, & brachium implorantis exequatur, neque enim aptius foueri poteſt tutela Eccleſiaſticæ immunitatis, & mutua inter vtramque poteſtatem concordia, arridet & *Innoc. III. reſcriptum in cap. de fama, de ſent. excomm.* quo non aliter incorrigibilis Clerici captura citra excommunicationis diſcrimen conceditur laico magiſtratui, quàm ſi mandato faciat Prelatorum, quibus incorri-

*Ad c. ſi nobis il 2. de ſent. excomm.*

*Ad manual. cap. 27. n. 79.*

corrigibiles ſunt ſubiecti; quod ſi limitatè adeò inceditur in priuilegio fori, in quo & minor eſt priuatio immunitatis, & neceſſaria ad commune bonum, ne derelicta remaneant impunita, multò magis in priuilegio Canonis, à quo non debet Clericus ipſo iure cenſeri excluſus, ità vt priuatus quilibet poſſit violentas manus in ipſum inferre ſine metu excommunicationis, neque ab vno caſu ad alium in ſtricti iuris materia debet fieri tranſitus, potiſſimùm cum in *d. cap. cum non ab homine* amiſſio priuilegij ipſo iure facta non declaretur.

3 Vtcumque autem huius immunitatis ingens ſit fauor, attamen plures ſunt caſus, in quibus & ceſſat fauor, & deſeritur Clericus priuilegio. Da enim Clericum hæreticum, is factus apertus Eccleſiæ hoſtis indignus eſt Eccleſiæ fauore, vt poſt *Decian.* notauit *Farinac.* Da ſchiſmaticum, idemque cenſendum erit. Quod ſi dimiſſo Clericali habitu, ſtatus ſui oblitus, enormitatibus, atque exceſſibus ſe immiſceat, cadet ab huius immunitatis iure, ſed tamen non idem cenſebimus in hoc caſu de Clerico in ſolis minoribus conſtituto, ac in maioribus; Ille enim ſe omninò habitum dimittat, & Tonſuram, nec vtatur per diutinam conſuetudinem, ſtatim amittit, quamdiu in eo habitu perſeuerat, niſi tamen beneficium Eccleſiaſticum habeat, aut ex licentia Epiſcopi alicui Eccleſiæ inſeruiat ad præſcriptum *Concil. Trid.* Hic verò non ſtatim amittit, niſi ter monitus à Prælato ſuo, adhuc non reſipuerit; quod ſi turpibus, & enormibus actibus ſe immiſceat cenſuit *Nauar.* nulla eſſe opus trina monitione, idque firmari videtur gemina iuris auctoritate, altera in *d. c. cum non ab homine*. Altera in *cap. perpendimus de ſent. excomm.* vtrobique enim peccaſſe quidem ſupponitur Clerici, ſeu Sacerdotis percuſſorem, & interfectorem, at nullam incurriſſe cenſuram, & ideò exigendam ab eo pœnitentiam, eamq; maiorem, quam ſi in laicum id ipſum patraſſet, at de abſolutione ipſi impertienda, nec verbum, & præſertim in *c. cum non ab homine*, poſthabetur publicus etiam Clericalis ordinis fauor ratione, quam exprimit Summus Pontifex in ea verba. *In articulo verò ſecundæ quæſtionis reſpondemus, quod occiſores Clericorum, vel Presbyterorum, qui contempto Clericali habitu Tyrannidi, & enormitati ſe prorſus immiſcent in odium Clericalis exceſſus, & terrorem, atque correctionem ſimilium Canone latæ ſententiæ minimè coercentur, &c. Haud abſimiliter, & in c. Perpendimus*, licet non reddita mox ſcripta ratione, & ex vtroq; *Text.* duo requiri ad amiſſionem priuilegij ſeu immunitatis ex *Can.* colligimus, deſertionem ſcilicet Clericalis habitus, cum aliàs hæc vna non ſufficeret, niſi trina monitio præceſſiſſet, *c. contingit, c. inaudientia de ſent. excomm.* & exceſſus, ſeu enormitas delicti, qualem in vtraque ſpecie illorum *Tex.* exhibet, ac ponderat Summus Pontifex. Indignus pariter redditur huius priuilegij fauore Clericus, qui per annum goliardum, ioculatorem, buffonem (vt loquitur *Tex.*) ſe gerit, & anno elapſo eſt ipſo iure priuatus, quod ſi non per annum, ſed ter monitus ab arte ignominioſa non deſtiterit, pariter priuilegio cadit ita *Boniſac. VIII. in c. vn. de vit. & honeſt. Cler. in 6.* Idem dixeris de Clerico, qui dimiſſo habitu Clericali negotijs ſæcularibus ſe immiſceat, & ter monitus non abſtineat, *c. contingit il 2. de ſent. excomm.* & de eo, qui macellarij, ſeu laniones, tabernarij publicè, & perſonaliter opus exerceat, ſi non dimiſerit monitus, vel reaſſumpſerit dimiſſum ſi ſit coniugatus, ſi verò non coniugatus reaſ-

*Tract. crimin. lib. 5. c. 41. nu. 12. de hæreſ. q. 189. nu. 33.*

*Seſſ. 23. de reform. c. 6.*

*Vbi ſup. n. 81*

*De a... verb... 154.*

reaſſumpſerit, & incedat, vt laicus, quando exercet priuilegium perſonale amittit. *Clem. V. in Clem. 1. de vita, & boneſt. Cleric.* non item ſi habitum geſtaret,tunc enim ſolo priuilegio reali, non item Canonis ſpoliaretur.

4 Dubitari poſſet fortaſſe de Monachis iuxta ea, quæ de ipſis per excurſum ſupra tradidimus loco ſuo. Verùm omnem dubitandi rationem adimit *Can. ſi quis ſuadente*, dum Monachi expreſsè meminit,indeque fas eſt doctrinam conficere generalem, quod Monachi, & Religioſi omnes Religionem, ſeu vitæ inſtitutum à Sede Apoſtolica approbatum colunt, ac profitentur,& vtriuſque ſexus,priuilegio huius Canonis gaudent, omnes enim iſti Monachi appellatione veniunt, & comprehenduntur *c. quod Dei timorem,de ſtat. Monach.* notat pluribus auctorum votis exornans *Auguſtin. Barboſ.* Nec ab ijs excluduntur, ſed eodem fauore gaudent Conuerſi, ij enim verè Religioſi ſunt,Nouitij,qui in via iam ad Religionem, & proximè ſunt *c. Religioſo de ſent. excomm. in 6.* Tertiarij collegialiter viuentes ſub habitu,& voto aliquo expreſſo, ſecus ſi ſeparatim, & domi propriæ degant, participant enim ſtatum, & ſecundum illam participationem ſunt Deo dicati, & deuoti, vt loquitur *Ioannes Papa in c. quiſquis 17. q. 4.* & *Hieronym. relatus in c. duo ſunt 12. q. 1.* & ſecundùm hanc participationem eodem Canonis iure perfrui debent, licèt enim ſit pœnalis reſpectu rei,eſt tamen fauorabilis reſpectu Religionis, & ſtatus, ac proinde facilè ampliandus ad *reg. odia de reg. iur. in 6.*

*De appel. verb. ſign. 154. n. 2.*

De Eremitis dubitatio eſt non modica,cum ſtent hinc inde aſſertores; verùm diſcretio adhibenda, vt concilientur opiniones, & foueatur Religionis fauor, ſed & declinetur abuſus. Sunt enim Eremitæ nonnulli vagi,& errones, nulli addicti loco,& quaſi perſonati incedentes, nullam Eccleſiaſticam obligationem ſentientes, vel ſi addicti pro libito deſerentes, & ſæpius patrato aliquo ſcelere, aliò migrantes, & vtinam huiuſmodi non adeſſent,& hi nullo priuilegio gaudent nec fori, nec Canonis. At verò ſi qui ex ſpeciali obligatione, aut ſingulari traditione ſacro alicui loco ſint addicti,cum præcipua etiam ſubiectione ad Epiſcopum, ſiue ex voto, ſiue ex pacto, ſiue ex munere ipſo, cui Eremita adhæret,tunc iuuari Canone rationabile admodum eſſet, tanquam perſonam ſpecialiter Deo deuotam, & dicatam,& forte tanquam Conuerſos Eccleſiarum, vt dicuntur à *Panormit.* quos etiam gaudere hoc priuilegio notauit *Gloſ. ad c. non dubium*. De equitibus S. Io: Hieroſolymitani, & alijs huiuſmodi præclaris militum ordinibus,cum ſint verè Religioſi conſentiunt Auctores *Canone ſi quis ſuadente* comprehendi, quos cumulat *Barboſ.* Perſonis ſic recenſitis, quæ Canone continentur, contenti reddidiſſe doctrinam iuris auctoritatem ſuffultam Auctores de retractantes omittendo, de quibus in principio capitis remiſſiuè, iam accedimus ad manus violentas,quæ dant cauſam Canoni,qui ait, *violentas manus iniecerit*.

*Ad c. non dubium de ſent. excom. n. 10.*

*Iur. Eccleſ. vniu. lib. 1. c. 39. §. 1. n. 24.*

5 Declarabimus generaliter, quid propriè ad effectum Canonis intelligatur per manus violentas,inde ſingularia percurremus quatenus iuris auctoritate fulciantur, non autem ſcribentium votis ne omnia tranſcribere teneamur, ij enim ſunt auctores, qui facilè haberi,& faciliùs conſuli poſſunt. Per ſupradicta autem verba intelligemus generaliter actionem quamlibet iniurioſam, aut contumelioſam in Eccleſiaſticam perſonã in facto ipſo conſiſtentem,ſiue ea fiat manibus immediatè, ſiue mediatè, baculo ſcilicet enſe,ſaxo,ſiue pedibus,manus

nus enim exprimuntur facta à frequentiori denominatione, ſiue quacumque alia parte, eaque actio tangere debet perſonam Clerici, vel res ei quoquomodo inhærentes, vt iniuria ipſi facta dicatur, ait enim *Tex. Clericum, vel Monachum*, quæ verba perſonam denotant, ac præciſè deſignant, & ideò qui manus violentas inijceret in coniunctas perſonas, aut familiares Clerici, & ſi eius intuitu, non tamen reus fieret Canonis; nec ſi quis violenter bona Clerici eripiat, eius perſonæ vim non inferens, licèt inferat cuſtodibus, vel domui eius; ſicut & ſi quis verba contumelioſa in Clericum proferat, eique verbis iniuriam inferat, non incurrit in Canonem, nec magis, qui proijcit lapidem in Clericum, aut actionem quamcumque in eum dirigit, etiam animo lædendi, ſi tamen re ipſa perſonam non tangat, voluit enim, ſed non iniecit, ac proinde Canon de inijciente loquens eum non comprehendit, & ſi forte attingat, ſed leuiter, neque etiam; is enim debet eſſe attractus, qui grauis dici poſſit, & ſufficiat ad peccatum mortale, cum maior excommunicatio, quam infligit Canon, non inferatur niſi ob peccatum mortale, illudque externum, vnde quantumuis ad grauiora fuerit directa intenſio, grauiſſima tamen hæc pœna non infligitur pròvt proſequitur *Nauar.* & poſt eum *Suarez*. Grauis percuſſio exhibetur in *c. cum illorum §. qui Clauſtrales de ſent. excomm.* Niſi tamen ea eſſet actio, quæ quidem leuiter tangeret, ſed tamen ratione circumſtantiæ grauis redderetur, vtpote quia licèt graue damnum non inferret, iniuriam tamen grauem induceret, vt innuit *Innoc. III. in c. nuper de ſent. excomm.* ait enim. *Quamuis per eorum factum corporalis læſio non ſit ſubſecuta, citra quam violentia ſæpe circa Clericos nequiter perpetratur*. Leuis percuſſio deſcribitur *in Extrauag.* quæ non habetur inter communes, ſed regeritur à *Nauar. vbi ſupra n. 91.* quæ cuius Pontificis ſit ignoratur, ſed & in eadem tota definitio ad examinantis prudentiam remitto, quæ attentè diſcutiat, an huiuſmodi actio perſonam leuiter tangens ſecundùm prudentum hominum ſenſum ſit Clerico iniurioſa, & eius honorem lædat, quæ res, quia à circumſtantijs maximè pendet, ideò nil certi definiri poteſt, ſed hoc totum prudentis viri Iudicis, ſeu Confeſſarij diſcretioni eſt relinquendum. Ex qua generali doctrina facile eſt ad caſus ſingulares diffiniendos deſcendere, de quibus poteſt exoriri dubitatio, à quibus regerendis ſingillatim temperamus iuxta operis intentum; eos enim recenſent ſcribentes, ad quos remittimus, & præciſè ad *Barboſ. Nauar. Layman.* & alios penes eoſdem.

*In man. c. 27. n. 85. & 87. de cenſur. diſp. 22. ſect. 1.*

*Iur. Eccl. lib. 1. c. 39 §. 1. an. 18 aa 55.*

6 Potiſsimus autem, & principalis huius Canonis effectus eſt cenſura, quam in percutientem Clericum infligit per verba illa *anathematis vinculo ſubiaceat*, quæ ſanè maiorem excommunicationem ſignant, eamque ex vi eorumdem verborum ipſo iure inductam, cum non præcipiant, vt percutiens ſubijciatur, ſed ius ipſum vi ſua eum ſubijcit, vt *Suar.* appoſite ponderat, eamque vrget adeò *Innoc.* vt abſolutionem Sedi Apoſtolicæ reſeruet priuatiuè quoad omnes alios, ſunt enim eius verba, *Et nullus Epiſcoporum illum præſumat abſoluere, niſi mortis vrgente periculo, donec Apoſtolico conſpectui præſentetur, & eius mandatum ſuſcipiat*, quod idem eſt, ac inferioribus omnibus poteſtatem, ac iuriſdictionem auferre.

*Vbi ſup. mor. theolog. lib. 1. tract. 5. c. 5.*

*d. ſect. 1. num. 4.*

Sunt tamen caſus plerique, in quibus Epiſcopus non refragante hac auocatione poteſtatis, nihilominus abſoluere poteſt; Clerici enim, qui in Collegio degunt, mutuoque conuictu, ſi ſe leui-

ter

tèr percutiant, poſſunt ab Epiſcopo, aut eius delegato abſolui, *c. quoniam de vit. & honeſt. Cleric.* ſicut & idem Epiſcopus in caſu leuis cuiuſlibet percuſſionis abſoluere poteſt, *c. peruenit de ſent. excomm.* Regulares in Clauſtro ſe inuicem percutientes, ſiue leuis, ſiue mediocris ſit percuſſio à ſuo regulari ſuperiore abſoluuntur, ſed ſi ijdem Regulares ſint ex diuerſis Clauſtris, percutiens ab vtriuſque Clauſtri ſuperiore eſt abſoluendus, *c. cum illorum de ſent. excom.* vbi quod ſi regularis ſæcularem Clericum percuſſerit, ſolus Papa eum abſoluet, ſi grauis, aut mediocris ſit percuſſio, pro leui enim id licebit & Epiſcopo, *c. religioſo de ſent. excomm. in 6.* nec minus poterit impubes ab eodem abſolui, quocumque modo Clericum percuſſerit, etiam ſi factus maior abſolutionem petat; *c. 1. & c. fin. de ſent. excomm.* Mulieres, & Moniales à quacumque etiam atroci, Clerici percuſſione poſſunt ab Epiſcopo abſolutionem conſequi, *c. mulieres* vbi quod dicitur *vel aliæ perſonæ, quæ ſui iuris non ſunt*, accipias iuxta explicationem *Gloſ. ad c. monialibus de ſent. excommun.* idemque dicendum de pauperibus, ſenibus, qui omnes non poſſunt, aut decet peregrinari, & Apoſtolico conſpectui ſe præſentare, ſupplet enim Epiſcopus, *c. quod de his, c. quamuis eod.* Qui autem impediti adire Summum Pontificem, aut eius Legatum fuerunt abſoluti ab Epiſcopo, vt & abſoluti in articulo mortis à Sacerdote, ceſſante impedimento, aut ſi reconualuerit, tenentur adire Apoſtolicam Sedem, quod ſi omiſerint, reincidunt in eamdem excommunicationem, à qua ob impedimentum, & imminens mortis periculum fuerant abſoluti, *c. quamuis de ſent. excomm. c. eos, qui eod. in 6.* & ideò in actu abſolutionis de hoc ipſo conſueuerunt admoneri. Si autem percuſſio Clerici, quantumuis grauis, fuerit occulta, & præſertim non deducta ad forum contentioſum, quo caſu iam ſit publica, illud obſeruatur, vt percutiens non teneatur ſe Apoſtolico præſentare conſpectui, ſed poteſt ab Epiſcopo, aut eius ſpecialiter delegato abſolui, vnde ſi Clericus percuſſus conualuerit, & ignoretur, quis eum grauiter percuſſerit, occultus percuſſor poterit per Epiſcopum abſolui; id enim auctoritatis indulget Ordinarijs *Concilium Tridentinum* in quibuſcumque caſibus etiam Apoſtolicæ Sedi reſeruatis, dum tamen occultis, vt ſupra. *Seſſ. 24. de reformat. cap. 6.*

7 Excuſatur aliquando percutiens Clericum ab incurſu huiuſmodi cenſuræ, idque ad coronidem breuiter indicabimus; fac enim, quod quis ad neceſſariam, & iuſtam ſui defenſionem violentas manus in Clericum inferat; ſine cenſuræ periculo id faciet; reſcripſit Summus Pontifex in *c. ſi verò il 1. & in cap. ex tenore de ſent. excomm.* dum tamen incontinenti, & in ipſo actu vis repellenda percutiat, vim enim vi repellere, & ius, & natura dictat, *l. vt vim ff. de iuſt. & iur.* & non excedat modum legitimæ defenſionis, tunc enim manus huiuſmodi iniectio non poteſt dici facta ſuadente Diabolo, qualem ſupponit *Innoc. in Canone* idq; accipiemus non ſolùm de defenſione perſonæ, ſed & honoris, & rerum ſemper enim obtinet generale defenſionis nomen, ideò mulier, quam fortaſſe inuadat Clericus excuſabitur, ſi pro defenſione pudicitiæ percutiat, quod ſi merè verbalis ſit inuaſio, quamuis *Nauar.* non excuſet, attamen ſi zelo caſtitatis accenſa contra ſola verba modum excederet quaſi iuſto impetu ducta, adhuc excuſaretur, *Num. 85.* non eſſet enim tunc ſola defenſio caſtitatis, ſed etiam honoris, pro cuius tutela ſola verba aliquando non ſufficiunt, vt notauit *Suarez*. Pari ratione excuſatur, *d. c. 22. ſec. 1. num. 33.* qui

qui Clericum repererit turpiter verſantem cum vxore, matre, filia, aut ſorore, eumque percuſſerit, neque enim cenſuram incurret *d. c. ſi verò* 3. non enim intendit Eccleſia obligare in caſu, quo homo vix ſibimet ipſi poteſt reſiſtere; neque percuſſionem huiuſmodi cenſet factam ſuadente diabolo, ſed ex iuſto impetu, in quo & leges ipſæ compatiuntur, & in caſu adulterij necem illatam non vlciſcuntur, *l. Gracchus c. ad l. Iul. de adult.* Circa verba *Text. in c. ſi verò* & circa ſingula mouentur quæſtiones, à quibus conſultò temperamus, ſat fuerit ſedem materiæ innouiſſe.

Adnectimus rationem aliam, quæ excuſet percutientem Clericum, puta cum quis manus quidem iniecit, ſed iuſtum habet, ac licitum titulum, is enim à cenſura eſt immunis; non diſtinguemus manus temerarias, & violentas, vt plerique ſcribentium, *ad c. cum voluntate in fin. de ſent. excomm.* ſed inhærentes *Can. ſi quis ſuadente* omnem ſacrilegam, & iniuſtam percuſſionem violentam appellamus adeò, vt & temerariam comprehendamus; cum igitur ea non erit percuſſio, nec reus Canonis erit percutiens. Non vagabimur per ſingulos caſus, & per ſingula exempla, ſed generaliter firmabimus, quod ſi quis Clericum percuſſerit correctionis gratia, ſed hoc non ſatis, niſi & poteſtatem ius, aut iuriſdictionem in eum habeat, cuius virtute competat ius corrigendi, non incidet in *Can.* vt ſi ſit ſuperior, pater, magiſter, modica, & leuis ſit percuſſio non ex odio, aut iniquitate. De ſuperiori *tex. in c. vniuerſitatis* 14. *de ſent. excomm.* Vbi de Abbate reſpectu Monachi, de patre res eſt dubia, an filium in ſacris conſtitutum poſſit caſtigare, affirmes, ſi à magiſtro ad patrem arguas, cuius eſt maior poteſtas, & præſertim cum id non faciat iniuriæ, aut offenſionis gratia *Tholoſ. in part. iur. Can. lib. 4. l. tit. 9. cap. 10. in fine*, neges ſi conſideres per ſacram ordinationem ſolui filium à patris poteſtate quoad ſpiritualia, cum poſtrema ſententia ſtat *Layman. vbi ſupra verſ. de patre*, & ſoluit contraria. De magiſtro *Tex.* eſt apertus in *c. 1. de ſent. excommunic.* cum enim id faciat diſciplinæ gratia huiuſmodi manus iniectio non poteſt dici violenta, *c. cum voluntate* §. *ſi quis verò eod.* idemque dicendum, quo caſu quis ratione miniſterij, aut mandato ſuperiorum percutiat, aut ſi ſocius ſocium, *c. ex tenore eodem tit.* & *c. 1. eod. in 6.* vbi & de eo, qui iocando manus intulerit, ſicut idem cenſendum de illo, qui fortuitò, & ſine præmeditatione Clericum læſit, *c. 2. h. t.* caſus enim fortuiti non imputantur, ſi abſit culpa, *c. Ioannes, c. fin. de homicid.* Huc & reuocari poteſt ille, qui per ignorantiam Clericum læſerit per violentam manuum iniectionem, ignorantia enim excuſat à mortali peccato, quod aliòqui committeretur tranſgrediendo, *c. ſi quis ſuadente.* Vnde & meritò excuſabit à cenſura per ipſum inflicta, *c. ſi verò il 2. h. t.* vbi de illo, qui læſerit Clericum nutrientem comam quaſi hoc nutrire comam contra inſtitutum Clericale, & Canones iuſtam præbeat ignorantiæ cauſam, quæ percutientem excuſet, quæ ſanè ignorantia debet eſſe probabilis, non affectata, ſed planè ingenua, ideò ſi quis volens percutere Ioannem laicum percutiat per errorem Petrum Clericum excuſabitur à cenſura, etiamſi rei illicitæ operam daret, cum æque non liceat laicum percutere, licet diſpar ſit pœna. Supponimus ſemper adhibitam moralem diligentiam ita, vt nihil culpæ quòad errorem Clericatus poſſit imputari, excuſabit enim hæc ab indiuiduali malitia, & à contumacia contra Eccleſiaſticum præceptum, ac proinde & à cenſura, vt de comm. teſtatur *Couar.* eam-

*Ad c. Alma mater p. 1. § 10. n. 15.*

dem

dem opinionem ſecutus & ipſe. Quod ſi fortè è conuerſo volens percutere Petrum Clericum percutiat Ioannem laicum, peccauit quidem animo, & intentione, at re ipſa ſacrilegium non commiſit, & ideò nec cenſuram incurret illatam ob ſacrilegium præcisè. Ità *Couar.* qui & idem cenſet, ſi quis intendens percutere Petrum Clericum percutiat Paulum pariter Clericum, quia licet ſit error in perſona intentio tamen fuit lædendi Clericum, vnde cum & re ipſa Clericum læſerit, iam non poteſt ab incurſu in cenſuram excuſari, vtcumque rigorem huius opinionis temperet *Suarez* per diſtinctionem ſatis ſubtilem.

*Vbi ſupra n.54*

An autem Clericus conſentiens, & ſponte ſe ſubijciens percuſſioni delinquat in *Can. ſi quis ſuadente* definit *Summ. Pontiſ. in c. contingit h. t.* iubet enim conſuetudinem, quæ inoleuerat abrogari; quidquid ſiquidem eſſet inter laicos iuxta morem regionis, attamen licèt manus huiuſmodi iniectio non poſſit dici violenta ſtante conſenſu, attamen eſt iniurioſa ſtatui Clericali, in cuius fauorem inductus eſt *Can. ſi quis ſuadente*, ideò prohibendam eius obſeruationem Clericis mandat, quod ſi adhuc Clerici percuſſioni in ſatisfactionem ſe ſubijciant, excommunicandos decernit; *ſi quis autem Clericus poſt prohibitionem huiuſmodi ſponte ſe ſubiecerit* (ait ibi *Tex.*) *excommunicetur*, quamuis aliter ſentiat ibidem *Gloſ. fin.* de qua *Suar.* qui & numero ſequenti concludit, Clericum irato animo ſe ipſum percutientem incidere in cenſuram Canonis, ita & *Nauar. per Tex. in c. ſi non licet* 23. *q.* 5. ſi percuſſio ea ſit, quæ attingat grauitatem peccati mortalis; non deſunt diſſentientes; verùm circa hoc non immoramur impenſiùs, ſicuti nec circa caſus alios ſingulares, ad quos ex hactenus dictis facilis vnicuique erit illatio, præſertim, cum proſtent Auctores tum vetuſtiores, tum recentiores materiam fusè tractantes, ad quos remittimus. Tanti autem ſemper viſa eſt Eccleſiæ hæc ob manus iniectionem in Clericum cenſura, vt cum ad tollendas anxietates, quas ob communicationem cum excommunicatis fideles patiebantur, Martinus V. conſtitutionem edidiſſet, neminem excommunicatum decreuerit vitandum, niſi publicè denunciatum, & publicum Clerici percuſſorem; poſt alios innumeros *Couar. ad c. Alma mater p.* 1. §.2.*num.*9. *Suarez de cenſur. diſp.* 9. *ſect.* 9. *n.* 5. & cum his totum immunitatis Tractatum claudimus.

*Vbi ſupra n.58*

*dc.27.n.79.*

## CAP. IV.

### De Sepulturis.

1 *Continuatio materiæ, & de ſepeliendi origine, ac naturali inſtituto; ac de primæuo ritu, & loco eiuſque cultu apud veteres.*

2 *A veterum ritu fit tranſitus ad Eccleſiæ mores, & ſepulturæ locum.*

3 *Sepulchrorum diuiſio in familiaria, & hæreditaria, quæ latè declarantur.*

ASſumpta huius operis methodus iuſte eximit ab ea ſeruanda ſerie, quam Raymundus in ſua decretalium compilatione inſtituit; is enim, *vt aduertit Gloſſ. ad hanc Rub.* poſt ſucceſſionem cum ex teſtamento; tum ab inteſtato de ſepulturis ad nectit, quaſi mortis conſideratio, ſine qua nulla datur ſucceſsio, ad ſepulturæ tractationem promoueat opportunè. Nos verò

verò materiã hanc aſſuminus hic haud temere, quando Eccleſia Matricis, cuius occaſione immunitatem localem, & cum ea (ne ſcinderetur) totam immunitatis materiam exhibuimus, locus eſt fidelium ſepulturæ addictus, ideò tractationi materialis Eccleſiæ haud improprie, ſed vtiliter adnectimus, cum ſuper ſepulturis, & ſepelliendi iure non paucæ, neque leues inſurgant, ac excitentur controuerſiæ, in quarum gratiam non iniucunda erit materię, ac eius theoriæ explanatio.

1 Eiectum hominis cadauer ſepeliendi affectum naturalem eſſe ex *Seneca*, ac proinde ſepulturam homini naturali iure debitam notauit eleganter *Pet. Fab.* & quodam humanitatis communi iure vrgere inſtinctum defuncto homini intuitu ſepeliendi terram iniijcere; diſertiſſimè *Quintilian.* in ægro redempto. *Hinc & ille venit affectus, quod ignotis cadaueribus humum congerimus, & inſepultum quodlibet corpus nulla feſtinatio, tam rapida tranſcurrit quanto locumque veneretur aggeſtu*, vbi in progreſſu ad rem elegantiſſima legas hùc non omnia transferenda, ſed præcipuè naturale hoc officium humanitatis verbo explicari, quo & vſus eſt *Vlp. I. C.* ipſumque condiſtinxit à pietate, & miſericordia, *humanitatis negocium* appellans, in *l. at ſi quis §. ſed interdum ff. de relig. & ſumpt. fun.* vt mittamus *Lactantium, Firmian.* & alios. Hinc talem ſentientes inſtinctum ipſique parentes curam ſemper ſepulturæ quantumuis barbari habuere, ſed ſequentes ſolum naturæ ductum, tanquam cæcutientes in portenta aberrarunt, modum ſepulturæ eligentes omnes varium pro regionum, & nationum varietate. Aliqui enim populi defunctorum cadauera animalibus deuoranda præbebant, vt Barcei gens Heſperia vulturibus, eo quod aues illas ſacras crederent. Alij vni ex quatuor elementis dabant, vt vel aeri exponerent, vel aquis mergerent, igni conſumerent, vel terra conderent, alij comederent, vt inter viſcera ſua ſepelirent, id enim decentius quocumque alio cenſebant ſepulturæ genus, vt ſcribit *Nerodot.* & demùm ne omnes, & varios ſepulturæ ritus congeramus, quos velut per epilogum reddit *Lucian.* ait enim *nam Græcus exurit Perſa defodit, Indus adipe ſuillo oblinit, Scytha deuorat, muria condit, Aegyptius*, remittemus lectorem ad *Alex. ab Alexand.* qui mores omnes fermè curioſè, ac diligenter regerit. Romani (vt ad rem noſtram ſenſim deſcendamus) ab ipſa Vrbe condita, vt obſeruat idem *Alex.* corpora humi condere, nec igni cremare conſueuerunt, cuius ritus illud eſt certiſſimum argumentum, inuentum ſcilicet Numæ corpus in arca lapidea ſub Ianiculum montem, qui ſecundus ab Vrbe condita Rex, igni cremare ſubinde inſtituerunt Græcorum exemplo, quos imitatæ & aliæ nationes pleræque morem, & rationem moris conteſtatur; *Plin. ipſum cremare* (ait) *apud Romanos non fuit veteris inſtituti, terra condebantur. At poſtquam longinquis bellis obrutos erui cognouere, tunc inſtitutum, & tamen multæ familiæ priſcos ſeruauere ritus, ſicut in Cornelia nemo ante Syllam Dictatorem traditur Crematus. Idque voluiſſe veritum talionem eiecto, c. Marij cadauere &c.* Vnde humationis ritus, vt cæteris antiquior, ità & quamplurimis gentibus acceptior, & ſanctioribus celebratus cæremonijs, cum & naturæ conformis, ſiquidem per eam, quod de terra eſt, terræ redditur, & homo humo; ſic enim *Eccleſiaſtic. Reuertatur puluis in terram ſuam, vnde erat, & ſpiritus redeat ad Deum, qui dedit illum*, idque & metro exhibuit *Lucret.*

*Cedit itẽ retrò de terra, quod fuit ante In*

Contr. lib. 2.
Lib. 2. ſemeſt. c. 1.
Declam. 5.
Lib. 6. diuin. inſt. cap. 12.
Ælian. lib. 2. hiſt. anim. c. 32.
Lib. 4.
Genial. dier. lib. 3. cap. 2.
Nat. hiſt. lib. 7. cap. 54.
C. 12. 7.
Lib. 2.

*In terras, & quod miſſum eſt ex æthe-*
*ris oris*
*Id rurſum Cœli relatum templa re-*
*ceptant.*

Humo quidem condebantur corpora apud Romanos, ſed ita, vt in ædibus ſuis quilibet ſepeliret, vt tradit *Iſidor.* donec *lege* 12. *Tab.* id vetitum; ait enim lex. *Hominem mortuum in Vrbe ne ſepelito, neue vrito*, vt reddit eam *Iacob. Gothofred.* quam & expoſuere *Franc. Balduin. & Iacob. Reuard.* cuius prohibitionis gemina redditur ratio, prima, quam innuit *l. 6. c. Theod. de ſepulch. violat. vt ſcilicet extra vrbem; & in agris ad vias publicas ſepulchra conſtituta humanitatis inſtar exhiberent*, ait ibi *Tex.* hoc eſt humanę conditionis, & fragilitatis viatores tranſeuntes admonerent, humanitatis enim inſtar eſt exemplar humanæ fragilitatis; in agris condebant ideò ſepulchra, & in Hortis etiam *Sueton. in Caio*, quod ſi agri fœcundi eſſent extremam agri partem ſecundùm viam ſepulturæ deſtinabant, ſi verò ſteriles, etiam in ipſo meditullio extruebant ſepulchra. *Sicul. Flac. de condit. agror. inſpiciendum erit, & illud, ne quoniam ſepulchra in extremis finibus facere ſoliti ſunt, & cippos ponere, aliquando cippus pro termino errorem faciat, nam in locis ſaxuoſis, & in ſterilibus etiam in medijs poſſeſſionibus ſepulchra faciunt.* Iuxta *Platonis* doctrinam, quam reſumpſit *Cicero; vetat ex agro culto, eoue qui coli poſſit vllam partem ſumi ſepulchro, ſed quæ natura agri tantummodo efficere poſſit, vt mortuorum corpora ſine detrimento viuorum recipiat ea potiſſimum compleatur; quæ autem terra fruges ferre, & vt mater cibos ſuppeditare poſſit, eamque ne quis nobis minuat, neque viuus, neque mortuus.* Indeque viæ celebres à ſepulchrorum vicinitate Appia, penes quam pluriùm ſepulchrorum veſtigia, ſed præcipuè fermè integrum Metelli, Flaminia, Latina, ad quas reſpexrt *Iuuenal. in fine Sat.* 1.

*Experiar quid concedatur in illos.*
*Quorum Flaminia tegitur cinis, atq;*
*Latina.*

Ratio altera ſepeliendi extra Vrbem fuit, quam dedit *Paul. I. C. in ſententijs. Corpus in ciuitatem inferri* (inquit *Paul.*) *non licet, ne funeſtentur ſacra ciuitatis.* Credidere veteres, ſacrata Dijs ſuperis ſolo aſpectu, vel contactu rei funeſtæ contaminari; latè *Guther.* ideòque Sacerdotibus religioni fuit, aut funus videre, aut locum funeſtum ingredi; ſtatuæ Deorum velabantur, aut transferebantur, ſeu amouebantur, ſi quo in loco eſſent vbi crebra ſupplicia, & cædes, & demùm funere pollutis ſacrificare nefas. Dixere *Seneca*, & *Tacit.* Hucque reſpexit *Paul.* in redditis ſupra verbis; nec minus *Caſſ. in d. l. 6. cod. Theod. de ſepulchris violatis*, poſt enim ſupra ponderata verba, *vt & humanitatis inſtar exhibeant, addunt, & relinquant incolarum domicilio ſanctitatem*, qui & duplicem ſepeliendi ritum in principio legis tangunt, cinerum ſcilicet, & oſſium, & totius corporis non combuſti, adeòque per vrnam, & ſarcophagum, ſiue per vnctionem, & humationem, quamuis vſtio demùm obſoleuerit, vt indicat locus verè ſingularis *Macrobij*, qui æuo Theodoſij Iun. vixit, & quadraginta fermè annis poſt *d. l. 6. cod. Theod.* ait enim *licèt vrendi corpora defunctorum vſus noſtro ſæculo nullus ſit, lectio tamen docet, & tempore, quo igni datis honor mortuis habebatur.* Diſpenſatum tamen in huiuſmodi lege nonnunquam cum Veſtalibus, Imperatoribus, ac de Republica optimè meritis viris, vt de Valerio Publicola teſtis *Dionyſ. Halicarnaſ.* De Virginibus veſtalibus *Seruius*

*Lib. 15. origin. c. 11.*

*Ad 4. ſat. tur. ciuil. tab. 10. Ad S. C. 12. tab.*

*C. 59.*

*P. 5.*

*Lib. 12. de legib. Lib. 2. de legib.*

*De iur. man. lib. 2. c. 8.*

*De conſolat. ad Marciam. cap. 15. Lib. 3. Annal.*

*Saturnal. lib. 7. cap. 7.*

*Hiſt. lib. 5.*

*Ad Virgil. æneid. lib. 2.*

*uius antiquus Grammatic.* De Traiano *Cæſ. Euſeb. Cæſar*.

Tanti autem fecere veteres illi ſepulchra, & loca ſepulchrorum, vt Religionem in ipſis maximè ſuſpexerint, locumque religioſum dixerint, in quem humanum cadauer eſſet illatum, *l. 2. ff. de relig. & aſſumpt. fun.* adeò vt per mortem illationem locus religioſus fieret. Rationem breuiter habere non pigebit. Immortalitatem animæ Romani Sapientiſſimi agnouere, nec interire cum corpore, ſed ſuperſtitem poſt fata credidere, eamque perennitatem exiſtimarunt poſſe eos tueri ſepulchris, & ſepulchrorum religione, ſepulchra ideo inſtituere, quaſi ſepimenta quędam, quæ & monumenta dixere à muniendo, vt inquit *Macer. I.C. in l. funeris 37. ff. de relig. & ſumpt. fun.* ideoque eadem appellare ſoliti ſedes æternas, ſic enim *Paulus in l. ſi qui 40. ff. eod.*

Verùm quia neque id ſatis contra ſceleſtorum hominum audaciam, ideò religionis horrorem ad eam reprimendam addidere. Animas enim Defunctorum in Numina, ac manes conuerti Populum docuere, eoſque in ſepulchris cum corporibus commorari, quas modò lemures, modò lares, modò manes dixere; hanc animarum in ſepulchris ſedem aſſignatam, vel de ea apud vateres opinionem memorauit *Macrob.* & *Lactant. Firmian.* eaſque ſepulchris condi; vnde *Virgil.*

*In ſomn. Scip. lib. 1. c. 9.*
*Diuin. inſt. lib. 2. c. 2.*

*Lib. 3. æneid.*

*Animamque ſepulchro condimus.*

Et inde obſeruatum ſepulchra Dijs ipſis conſecrare, & ſolemnibus ſacrificijs, ac precibus animas ad monumenta aduocare, & demùm inde Cicero in Topicis triplicem conſtituit æquitatem; vnam, quæ ſuperos Deos, alteram quæ manes; tertiam quæ homines reſpiceret; pima pietas, ſecunda ſanctitas, tertia iuſtitia dicta non ſanctitas, quæ ſanctione aliqua confirmata, ſed ſanctitas, quæ licentia colendorum Deorum, inquit *Cicero*, à qua, & religio dicta, quod ea homines regantur ad cultum diuinum, vt notat *Seruius*, cum & religio nil aliud ſit, quam Deorum cultus *Ciceroni*, hinc religio, & ſanctitudo ſepulchrorum, qua Dij Manes colebantur; Hinc Deorum templa, & manium ſepulchra pari fermè iure cenſita; hinc celebres illę adhortationes à Ducibus; & Imperatoribus in acie militibus, adhibitæ, *vt pro ſepulchris maiorum, pro templis, & aris Deorum alacriter dimicarent*, vt Tiberius Grachus in oratione ad Populum pro roſtris habita apud *Phetarch*; ſi non igitur ſacra, at ſanè religioſa, adeòque proxima ſacris ſepulchra, vnde & Diuini iuris non ſecus ac res ſacræ, *l. 1. ff. de rer. diu. l. 1. ff. de interdic.* Hæc de ſepulchrorum cura, & cultu apud veteres præmiſiſſe fuit iuſtum, neque enim congerenda hic nobis ſunt, quæ de funerum pompa, cadauerum apparatu ab iiſdem ſeruato, de qua re *Gutber. de iur. man.* ſicut nec plura, quæ Iure Conſulti circa religioſum locum tradunt in *tit. ff. & cod. de relig. & ſumpt. funer.* Verùm ſtrauiſſe ſic viam ad rem noſtrã contenti, poſt veterum exhibitam cæcitatem, quid illuceſcente veritate ſeruauerint fideles trademus, vt ſic *tit. Decretal. de ſepulc.* ſatisfiat, & materiæ planè quotidianæ.

*Lib. 1. de nat. Deor.*
*Ad lib. 12. æneid*
*Lib. 2. de nat. Deor.*
*In Tiber. Grach. vita.*

2 Cum igitur apud veteres Ethnicos, atque Romanos duplex mos ſepulturæ vigeret per vſtionem alter, quo cineres vrna, & oſſa condebantur, & per humationem, alter qua totum corpus componebatur; vſtio à Chriſtianis, & ab Eccleſia non fuit recepta, ſed damnata, deſumimus, *Minutio Felice* apud quem diſputans Cecilius, ac gentilitatis propugnans ſuperſtitionem inuehitur in fideles Chriſtianos, & ait *Inde videli-*

*In Octau*

*cet,*

Digitized by Google

*cet, & execrantur rogos, & damnant ignium ſepulturas*, cui ſatisfaciens Octauius, qui & eum conuincit, & ſingulis occurrens. *Tu perire* (inquit) *Deo credis quidquid oculis noſtris hebetibus ſubtrahitur*, moxque paulò inferiùs. *Nec vt creditis vllum damnum ſepulturæ timemus, ſed & veterem, & meliorem conſuetudinem humandi frequentamus.* Nec abſimiliter *Tertullian.* poſtquam dixit crediſſe nonnullos animas poſt mortem adhærere corporibus, aliquos verò modicum animæ ſubſidere in corpore mox ſubdit. *Et hoc enim in opinione quorumdam eſt, propterea nec ignibus funerandum aiunt, parcentes ſuperfluo animæ. Alia eſt autem ratio pietatis iſtius, non reliquijs animæ adulatrix, ſed crudelitatis etiam corporis nomine auerſatrix, quod & ipſum homo non vtique mereatur pœnali exitu impendi.* Idem Tertullian. *veritatem Deus aperit; ſed vulgus irridet, exiſtimans nihil ſupereſſe poſt mortem*, mox paucis interiectis. *At ego magis ridebo vulgus, tunc quoque cum ipſos defunctos atrociſſimè exuret, quos poſtmodum guloſiſſimè nutrit ijſdem ignibus, & promerens, & offendens, ò pietatem de crudelitate ludentem, ſacrificat, an inſultat, cum crematis cremat*; quæ ſanè *Tertulliani* Phraſes, ſeu loquendi formæ indicant diſciplinam Chriſtianam hanc abhorruiſſe corporum vſtrinam, in quam & inuecti Sanctiſſimi Eccleſiæ Patres, ideòque nec mirandum, ſi poſtquam Chriſtiana Religio inualuit, & circa quarti ſæculi finem, vel quinti initium huiuſmodi obſeruatio vrendi penitùs obſoleuerit, in eiuſque vicem ſeruata fuerit humatio, cuius gratia etiam inſtituta ſint cœmeteria, & præſertim extra Vrbem, quando (vt iam ſupra vidimus vetabant leges intra vrbem cadauera condi) vnde ſicut aliorum ita, & Chriſtianorum extra debuit eſſe ſepultura. Niſi fieret (quod etiam ſæpius contingebat) vt clam fideles corpora auferrent, ac in ædibus proprijs, aut in Hortis, vel in Criptis ſubterraneis intra mœnia condidiſſent, loca igitur ſic deſtinata dicta ſunt Cœmeteria, hoc eſt dormitoria, dictat enim fides, & credunt conſtanter fideles, dormire in Chriſto defunctos, ad ſignum Angelicæ Tubæ excitandos, vel ex ore Chriſti Domini. *Lazarus amicus noſter dormit, ſed vado, vt à ſomno excitem eum*, vnde ne miraculo abrogaretur fides ſubdidit *Lazarus mortuus eſt*, & alibi, *non eſt mortua Puella, ſed dormit*, ideòque meritò Cœmeteria dicta, hoc eſt Dormitoria; dicta etiam eadem ſepulturæ loca areæ. *Tertullian.* Hilariano Præſide, *cum de areis ſepulturarum noſtrarum adclamaſſent, areæ non ſint Polyndria*; *Hieronymo, Tumbæ, Catatumbæ, ſiue Catacumbæ*, & à loci natura *Cripta arenariæ* in antiquis Martyrologijs, & lib. de Romanis Pontificibus, deducta obſeruatione à Iudæis, qui loculis excauatis in Criptis defunctos ſepelliebant, & ideò Tucubas dixere, vt ſcribit *Epiphan.* hoc eſt *ſpeluncas in petris effoſſas* (inquit) indeque & ſepulchrum Chriſti Domini, quod Ioſeph ab Arimathea ſibi parauerat, tradunt Euangeliſtæ exciſum fuiſſe in ſaxo, ſiue in petra, & fuiſſe intra ſpeluncam, eamque duplicem, ſicut longe antea ad opus ſepulturæ Abraham credentium Pater ab Ephron, ſpeluncam duplicem emit.

Lib. de Anima c. 51. — De reſurrect. Carnis c. 1. in princ. — Ioan. cap. 11. — Matth. cap. 9. — Marc. cap. 5. — Ad Scapul. c. 3. — In Hier. cap. 1. & 19. — Hereſ. 30. contr. Ebion. — Matth. 27. — Luc. 23. — Geneſ. 23.

Hunc igitur ſequentes morem, & priſci fideles Criptas arenarias à ſoli, ſeu fundi qualitate ſic dictas, elegerunt, non quidem primùm hoc intuitu defoſſas, ſed perſecutionis tempore ad Chriſtianorum latebras, eas deſcripſit *Baron.* ac vaſtitatem, ampliùmque ambitum ciuitatis nomine; & ſimilitudine expreſſit, de ea præcipuè loquens, quæ

Tom. 2. Annal. Anno 130. in princ.

via

Digitized by Google

via Salaria ſub titulo Priſcillæ fuerat tunc denuò retecta. Sed & antea hæc ipſa Cœmeteria delineauerat *Hieronym.* Nec non carmine *Prudent.* locum deſignans, in qua Hippolyti Martyris corpus repoſitum fuerat, & erat Cœmeterium Cyriacæ in agro Verano; in hiſce ergo Criptis non humi deorſum corpora ponebant, ſed excauatis deſuper loculis in lateribus fornices ſuſtinentibus, vt videre adhuc eſt, & narrant, qui effodiendis SS. Martyrum corporibus incumbunt, ipſi enim non vidimus.

*In Ezechiel. cap. 40. Periſteph. hymn. 11. de S. Hippol.*

In hiſce Criptis ſunt viæ, viculi, angiportus, fora, in quibus latentes Summi Pontifices cum fidelibus metu perſecutionum ſacram Synaxim peragebant prædicabant, & ſacra omnia exercebant & in harum deſcriptionem non inſiſtimus, cum apud *Baron. Boſſ.* præter ſupra citata habeantur, inter quos *Baron.* Cœmeteria huiuſmodi ad quadraginta atria recenſet per ſuos titulos, eaq; quamdiu SS. Martyrum corpora ibidem extitere, à fidelibus deuotè viſitari conſueuiſſe, memorat. Habuiſſe autem, & alibi Chriſtianos ſua Cœmeteria non ambigitur; indicat allata iam ſupra *Tertulliani* auctoritas, confirmat *Optat. Mileuitan. D. Hieronym.* qui meminit Cœmeterij Antiocheni Chriſtianorum quod erat extra Portam Daphniticam; licèt & de Monachis teſtatur *Ioan. Climac.* & *Pallad.* in Eremo degentibus eos habuiſſe ſua Fratrum Cœmeteria, & demùm *D. Io: Chryſoſt.* ait omnem Ciuitatem, & omne Caſtellum ante ingreſſum habuiſſe ſepulchra, *Ante portas ſunt ſepulchra, ante agros ſunt ſepulchra*, ait ibi *Chryſoſtom.* quæ tamen non ſemper, & vbiq; fuere ſubterranea, ſed etiam ſupra terram, quale ad Vrbem Lugdunenſem in Gallia deſcribit *Sidon.* Sepelierunt ergo fideles tum Iudæorum, tum etiam Imperatorum leges verentes, in earumdem obſequium extra Vrbem, donec pace data Eccleſiæ, & veri Dei cultu permiſſo, ſicut Martyrum corpora à Criptis in Eccleſiam transferri cœperunt, & in eadem aſſeruari, ità fideles in eamdem Eccleſiam obſequium conteſtantes in ea etiam corpora ſua valde exoptarunt poſt mortem collocari, vnde de Marcello Summo Pontifice, eodemque Martyre ſcribit *Anaſtaſius Bibliotec.* in eius vita, *conſtituit in Vrbe 25. titulos propter Baptiſmum, & Pœnitentiam eorum, qui conuerterentur ex paganis, & propter ſepulturam Martyrum*; præſidere is cœpit Eccleſiæ anno Chriſti 304. vſque ad annum 309. Laici verò fideles iungi ſe poſt mortem in Eccleſia Martyribus ideò curarunt, quia piè credebant, ſe eorumdem Martyrum interceſſione iuuari, ac participes fieri orationum, precum, & ſacrificiorum, quæ in Eccleſia celebrarentur, ac eorumdem Martyrum meritis, & interceſſione iuuari, quam quidem rationē ponderauit appoſitè *D. Auguſtin.* in celebri libello illo ſuo de Cura pro mortuis, cuius fuſa ſatis, & prolixa eſt auctoritas, ad quam remittimus. Vnde Conſtantinus ille Magnus, poſtquam veram fidem accepit in Baſilica Apoſtolorum, quam ipſe ædificauit, ſepulturam ſibi delegit, vt narrat *Euſebius*, quod tamen non de media Eccleſia, ſed de porticu, aut atrio immediatè continuo acceptum monemus, & probat *Chryſoſtom.* huiuſce rei inſpector, ait enim; *atque id cernat quis non Romæ tantùm fieri, ſed etiam Conſtantinopoli, nam & hic Conſtantinum illum Magnum magno ſe bonore affecturum exiſtimauit filius, ſi in veſtibulis collocaret Piſcatoris, & quod in Regijs Ianitores ſunt Regibus, id in ſepulchro Reges ſunt piſcatoribus.* Innumera exempla illorum, qui in Eccleſia ſepulturam habuerint congeſſit *Spondan.* vſque ad annum ſexcenteſimum, ad

*Rom. ſubterr. lib. 3. cap. 66. Tom. 2. ann. 226.*

*De anim. c. 51. lib. 6.*

*In S. Ignatio.*

*Grad. 4.*

*In hiſt. Lauſiac. c. 39. Serm. de fid. & leg. Tom. 3. verſ. fin.*

*Lib. 3. ep. 12.*

*Lib. 1. c. 4.*

*In vita Conſtant. lib. 1. c. 4.*

*Hom. 26. in 2. ad Corint. in moral. verſ. fin.*

*De Cœmet. lib. 1. p. 3. c. 14. n. 3.*

ad quem quaſi terminum hæc obſeruatio vi conſuetudinis, & inualuit, & obtinuit; donec propter caſus inſignes, quos enarrat *S. Greg. Magn.* hominum ſceleſtorum, qui tumulati inter Eccleſiæ ſepta diuinitùs eiecti ſunt, prodiere SS. Patrum, & Conciliorum ſacræ conſtitutiones varijs orbis Chriſtiani partibus editæ, quæ id in poſterum fieri diſtrictè vetuerunt, ſimulque vbique terrarum receptam conſuetudinem viguiſſe confirmant. Pelagius enim II. Summus Pontifex anno 580. in ea verba interdixit. *Item placuit, vt corpora defunctorum nullo modo intra Baſilicam ſepeliantur, ſed ſi neceſſe eſt foris circa murum Baſilicæ. Concil. Bracharenſe* 1. *Can.* 18. *Tribur. Can.* 17. *Mogunt. C.*42. quos Canones tranſtulit *Gratian.* in rapſodiam ſuam, *c. nullus* 13. *q.* 3. *Concil. Hanneten. Can.* 6. de quo *Can. præcipiendum ead.* 13. *q.* 2. quem Canonem male tribui Concilio Vaſenſi obſeruauit *Spondan.* cum immò *Hanneten.* veniat tribuendus, eductus ratione, quod cum dicat Canon apud *Gratian. Probibendum eſt etiam ſecundùm maiorum inſtituta &c. vt in Eccleſia nullatenus ſepeliantur.* Hęc verba cum veritate proferre non potuerunt Patres Vaſenſes, ante quos nulli fuere Canones, qui id prohiberent, fuit enim celebratum hoc Concilium Vaſenſe anno 342. *ſub Iulio Papa I.* & quæ referuntur verba ex *Concilio Bracharenſi I. vt corpora defunctorum nullo modo in Baſilica Sanctorum ſepeliantur, ſed ſi neceſſe eſt, de foris circa murum Baſilicæ,* & ſupra fuere deſcripta tanquam ex decretis Pelagij II. quæ ſe reperiſſe inter eadem decreta in manuſcripto codice Bibliothecæ S. Laurentij teſtatur *Loayſa*, omnia ſunt poſteriora Concilio Vaſenſi III. eodemq; poſtremo. Fatetur *Spondan.* & Concilium Bracharenſe, & Pelagium II. fuiſſe

*Dialog. lib. 4. c. 50.*

*Vbi ſup. num. 5.*

ante annum ſexcenteſimum, quem ipſe conſtituit terminum Chriſtianæ ſepulturæ, ſed obſeruat quod ſi quæ anteriores proferantur auctoritates, vt ipſæ probant vigentem tunc conſuetudinem ita in animo præciſè habuere tollendi ſingularem abuſum, quo omnes ad altare Domini ſepeliri cupiebant, idque probant verba illa, quæ apud *Gratian.* tribunutur Concilio Vaſenſi. *Intra Eccleſiam verò, & propè Altare, vbi Corpus, & Sanguis Domini conficitur, ſepeliantur.* Addimus *Concil. Melden. c.*9. vbi confirmatur, quod dictum à nobis ſupra de conſuetudine, ait enim; *Antiquus in bis regionibus in Eccleſia ſepeliendorum mortuorum vſus fuit, vt plerumque loca diuino cultui mancipata, & ad offerendas Deo hoſtias præparata Cœmeteria, ſiue poliandria facta ſint, vnde volumus, quod ab hac re deinceps abſtineatur, vt nemo in Eccleſia ſepeliatur.* Acceſſit demum, & *Cæſ. Conſtitutio in l.* 2. *c. de Sacroſ. Eccleſ.* vbi qualicumque auctoritate in ea verba cautum, *nemo Apoſtolorum, vel Martyrum ſedem bumanis corporibus exiſtimet eſſe conceſſam.* Et demùm *Carol. Magnus* inter leges ſuas, *Vt nullus deinceps in Eccleſia mortuum ſepeliat.* Verùm quamuis diſtrictè adeò omni auctoritate ſepultura in Eccleſia prohibetur, indulgendum tamen contra huiuſce iuris rigorem fuit viſum, & perſonarum ſublimis conditio ſuaſit, ſic enim Concilium Moguntinum relatum *in cap. nullus* 13. *q.* 2. *Nullus mortuus intra Eccleſiam ſepeliatur, niſi Epiſcopi, aut Abbates, aut digni Presbyteri, aut fides laici,* quæ poſtrema verba accipit *Gloſſ.* non de omnibus omninò laicis fidelibus, ſed de ijs, qui cũ fuerint perfecti miracula faciunt. *Capit.* 159.

Sed demùm nedum vſu, & conſuetudine, ſed & lege indultum, vt fideles omnes, quos ſtatim à matre rubentes



Digitized by Google

tes Eccleſia vlnis ſuis per baptiſmi lauacrum benignè excipit, eoſdem etiam tanquam penes ſe depoſitos in diem reſurrectionis vltimò habeat, ideò *Leo* Conſtit. 53. *ſapiens, & Philippus Imperator* conſtitutione ſua omnimodam libertatem indulſit, vt fidelis quiſque poſſit, & debeat in Eccleſia ſepeliri. Decet enim hominem ad Dei imaginem factum, per gratiam redditum templum Spiritus Sancti, Christi Corpore nutritum, alijſq; Eccleſiæ Sacramentis munitum, & ad cœleſtem patriam tendentem dignum haberi, qui in locum, vbi Deus ipſe inuocatur, Sacramenta & conficiuntur, & præbentur, pietas, & religio colitur corpore dormiens quieſcat, quando & Gentiles ipſi locum cuiuſque prærogatiuæ expertem illato humano corpore fieri religioſum, ac fermè ſacrum credidere, & certè extra omne humanum commercium, *l. 2. & paſſim tot tit. ff. de relig. & ſumpt. fun.* idque aprimè agnoſcens Eccleſia à Spiritu Sancto edocta Cœmeteria ipſa, quæ extra Eccleſiam ſolemniter per Pontificem ſacranda cenſuit, non ſecus ac Eccleſias ipſas, iiſdemque immunitatis priuilegijs gaudere, *c. ſi quis contumax 17. q. 4. c. 1. de conſecr. Eccleſ. vel Alt. in 6.* latè, & eruditè proſequitur *Spon-* De Cœmeter. lib. 1. parte 3. c. 15. *dan.* adeò, vt non ſolùm communis locus pro omnibus ad ſepulturam ſit conſtitutus, quale cœmeterium, & quod habuere Romani extra portam Exquilinam, vt ex *Cælio Rhodigino* ſupra te- Lib. 10. ſec. 17. tigimus, *ſed & priuatus*, ac proprius ſit conſtitutus in Eccleſia.

3 Vnde & ſepulchra in duplici differentia condita, & apud eoſdem veteres, vt ſcilicet alia ſint familiaria, & alia hæreditaria, notabile hic eſt, quod veteres ipſi ius ſepulchri præcipuè agnouerunt, illudque à dominio diſtans; dominium enim ei competit, qui iure gentium, aut ciuili proprietatem rei acquiſiuit *l. in rem ff. de rei vindicat.* At verò ſepulchra dominij noſtri non ſunt *l. 1. ff. ſi ſeru. vindic.* ideòque tanquam noſtra in rem actione peti non poſſunt. De hoc igitur ſepulchrorum iure intellexere, vt veteres ipſi cum diuiſionem mox traditam inſtituere, quam etiam per notas in inſcriptionibus ſepulchrorum demonſtrabant, vbi enim erat inſcriptum *H. M. H. N. S.* legebantur hi caracteres, *Hoc Monumentum Hæredes Non Sequitur*, vbi verò eſſet hęreditariũ indicabant inſcribentes *H. M. H. S.* ideſt *Hoc Monumentum Hæredes Sequitur*.

Familiaria verò erant ſepulchra, quæ ad agnatos pertinebant, eoſque, qui in familia erant, ac eorum ſucceſſores, licèt hæredes non eſſent, *l. ius familiarium 8. l. ius ſepulchr. 13. c. de relig. l. familiaria 5. ff. eod.* quamdiu tamen in familia permanerent, non item ſi per adrogationem in alienam familiam tranſirent, nolebant enim ſepulchra familiam egredi, ad proximos verò cognatos, & affines non aliter, quàm ſi hæredes extitiſſent, *d. l. 8. c. de relig.* Familiæ namque appellatione veniebant omnes agnati, qui ſub Principis ipſius familiæ poteſtate fuiſſent ex eadem domo, & gente prouenientes, *l. pronuntiatio 195. ff. de verb. ſignif.* in quam & liberti humanitatis ergo adſcribi conſueuerunt, vnde & patronorũ nomina aſſumebant, eorumque gentiles dicebantur *Guther.* ſed ita, vt De iure P auſtica vet. lib. 2. c. 7. ius ſepulchri in patronorum monumentis non aliter haberent, quam ſi eſſent eius hæredes, quantumuis patronus monumento inſcripſiſſet ſe illud feciſſe *ſibi, libertiſque ſuis, l. vel quæ paterfa-* Lib. 4. diſput. c. 3. *milias 6. ff. de relig. Alciat.* & poſt eum rem exactè diſcutit *Briſſon.* vbi de toto Lib. 2. antiquit. c. 14. ſepulchrorum iure.

Hæreditaria verò ſepulchra patebant liberis vtriuſque ſexus, alijſque hæredibus quibuſcumque etiam ſi ex minima

nima parte, *l. vel quod 6. l. ſi quis fecit ff. de relig.* nec hæredibus modo, ſed & bonorum poſſeſſoribus, iiſque, quibus libertatis conſeruandæ cauſa bona eſſent addicta, & omnibus demum, qui hæredum loco habeantur, *l. 4. §. is autem, cui ff. de fideic. libert.* adeò vt reſtituta hæreditate, ſepulchrorum iura apud hæredes manerent, *l. quia perinde in fin. ff. ad S.C. Trebell.* immò & integra ſeruare placuit hæredi, à quo tanquam indigno ablata eſſet hæreditas, *l. ſi quis hæres ff. de relig.* eo quod ſemel factus hæres adeundo non deſinat eſſe hæres, & ſi hæreditate ablata, *l. ex facto in fine ff. de vulg. & pupill.* niſi fortè iuſta de cauſa teſtator aliquem excluſiſſet *d. l. vel quod 6. ff. de relig.* vel omninò cauiſſet, ne quis eò inferretur, *l. 3. §. ſi quis in hæreditate ff. de ſepulch. viol.* notarunt *Briſſon. Hiliger. ad Donell. Molina*, & alij, & præcipuè *Spondan.* ac *Gutber.* Et hæreditaria non ſolùm hæc dicebantur ſepulchra, ſed & quæ paterfamilias iure hæreditario acquiſiuit, inquit *Vlp. in d. l. vel quæ ff. de relig. & ſumpt. fun.* Hæc diſtinctio, ſeu partitio iuris ſepulchrorum, quamuis ex iuris ciuilis pœna ſit deſumpta, ſicut & pleraque hucuſque tradita, attamen & Pontificio iuri ea fuit cognita, cum, in *c. placuit 13. q. 2. & Leo III. in c. 1. h. t.* ſepulchri maiorum meminerit, in quo collocandum defunctum, niſi ſibi ſepulturam elegerit, ſtatuit; iam enim ſepulchrum maiorum non aliud, quam ſuæ gentis, quod diximus familiare, ſiue gentilitium, neque ambigimus, quin ſi extet ſepulchrum ſibi, & hæredibus conſtructum ſacri Canones hoc ipſum tanquam hæreditarium agnoſcant, hæredeſque ipſos admittant; quamuis hanc ipſam diſtinctionem probare nil aliud ſit, quam dominium in ſepulchro aſſerere, cuius virtute ſiue hæres, ſiue agnatus, & familiaris hoc iure

*Vbi ſup. Lib. 4. c. 1 in not. Lib. 14. x De Hiſp. prim g. C. 24. n. 4 Lib. 2. de Cœmeter. p. 1. c. 4. n. 4. de iur. man. lib. 3. c. 9.*

gaudeat, cum tamen in locis ſacris, & religioſis nullum quis poſſit profiteri dominium tanquam ſuper re extra humanum commercium poſita, *l. in tantum §. ſacræ ff. de rer. diuiſ. §. nullus inſtit. tit. eodem.*

Verùm latet æquiuocatio in proprietatis, ſeu dominij ad rem applicatione, ſi enim accipiatur dominium in eo ſenſu, quo in rebus profanis dicitur quis habere dominium, & quo res cuiuſque dicitur propria hoc dominium in ſepulchro nemo habet, cum enim ſepulturæ ſint quid religioſum, vt & agnouere Ethnici veteres, & inter fideles, maximè in Eccleſia ſitæ ſint res ſacræ, & ſi extra Eccleſiam in Cœmeterio, & loco ſacro, ac legitimè per Pontificem Deo conſecrato, iam ſunt extra commercium, nec in alicuius proprietate, aut dominio iuxta allegata mox ſupra iura; quod ſi conſideratur vſus ſepulchri, vel ius ſepeliendi, hoc ius verè dici poteſt cuiuſque proprium, & eius, quis verè dominus, placet enim ſententia aſſerens rerum etiam incorporalium dari dominium, vt nouiſſimè oſtendit bo: me: *Marci Aurel. Galuan.* in Patauina Vniuerſitate olim Collega, & amicus ſummæ affectionis, & cultus, & huiuſce vſus verè quis poteſt dici dominus, cum non ſit quid merè ſpirituale, & humani commercij expers, ſed legari, aliterque concedi poſſit, *l. monumenta 14. c. de legat.* vbi ad rem perappoſitè *Ceſſ. monumenta quidem legari non poſſe manifeſtum eſt, ius autem mortuum inferendi legare nemo prohibetur*, iſque non alius, quàm vſus ſepulchri, ſeu monumenti, ſic pariter poteſt longa poſſeſſione acquiri, *l. monumentorum c. de relig.* quamuis enim incorporalium non ſit poſſeſſio, eſt tamen quaſi poſſeſſio, *c. 3. de cauſ. poſſ. & propr. c. querelam 14. de elect.* quæ ad præſcriptionem ſufficiens *l. ſi quis diuturno ff. ſi*

*De vſuf. c. 25 num. 5.*

*ſeruitus vind. l.* 1. *&* 2. *c. de ſeruit. c. ad aures de præſcrit.* vnde & pro vſu ſepulturæ remedia poſſeſſoria laicis cõpetuntur, ſicut & pro quocumque alio iure, quod poſſit quaſi poſſideri, *l.* 1. *ff. ſi ſeruit. vindic. l. ſi venditor* 10. *l. ſi quis ſepulchrum* 12. *ff. de relig. & ſump. fun.* ex inſpectione autem literarum, ſeu inſcriptionis probatur ſepulchrum commune eſſe familiæ, vel hæreditarium: *Maſcard. & Menoch.*

*De probat. conc. 1297. num. 4. De præſump. lib. 2. præſump 59. num. 2.*

His ſic generaliter ad ſepulchrorum, & ſepulturæ materiam tractatis, ne Lectorem prolixa nimis ſeries deterreat praxim totius materiæ §. ſequenti adnectemus.

## Practicabilia circa Sepulturam.

### §. Vnic.

1 *Proponuntur Capita rei pertractandæ, & primum aſſumitur, vbi & de venditione ſepulchri.*
2 *In qua Eccleſia debeat quis ſepeliri.*
3 *Quibus deneganda ſepultura.*
4 *Deducendæ funeris pompæ, & eius ritu.*

QVæ eruditè hactenùs ex iuris vtriuſque tàm Pontificij, quàm Cæſarei fontibus, protulimus, curioſitati, & rei ipſi tanquam eius principia ſatisfaciunt; verùm quia vtilitas materiæ praxim perſonaliter reſpicit, ideò eam poſt generalem inſtructionem adnectemus ad ſumma, & magis præcipua capita reuocantes. Inquiremus ergo: primò cuius ſit ſepulturam, & ius ſepeliendi concedere, & an exigi aliquando pro ſepultura concedenda poſſit: ſecundò ius ſepeliendi ad quam Eccleſiam ſpectet: tertiò, an, & quatenùs ſepulturæ electio vnicuique debeat eſſe libera, & ea occaſione de portione canonica Eccleſiæ Parochiali debita, nec non & de Epiſcopali: quartò quibus deneganda ſit ſepultura: quintò de violato ſepulchro, & eius pęna, & de funere breuiter, & remiſſiue potiùs, quàm ex profeſſo.

1 Quod igitur ad primum attinet, quid ſeruauerint veteres, vt locum ſepulturæ religioſum facerent, quaue apud ipſos auctoritate id fieret, non examinabimus impenſiùs, quicumque enim fuerint in hac parte eorum mores nihil chriſtianam obſeruationem, & Eccleſiaſticum ritum conferunt, qua de re *Briſſon. & Hiliger. ad Donel.* eruditè locus igitur religioſus iure ciuili dicitur in quo humanum cadauer eſt illatum, *l. in tantum* §. *religioſum ff. de rer. diuiſ. l. cum loca, l. cum in diuerſis ff. de relig. & ſumpt. fun.* non illato enim cadauere locus dicebatur purus, *l.* 1. §. *purus ff. de relig. l. locum c. eodem,* & ideò monumentum ex ſe nihil religionis habet, & iuris planè profani intelligitur, *l.* 4. §. *non ſit ff. ad l. Iul. pecul.* ſic nec cenotaphium religioſum erat, ſed venire, ac donari liberè poterat, ita enim reſcriptum, *in l ſed Diui ff. de rer. diuiſ. l. vel quod in fin. ff. de relig.* erat enim ſepulchrum merè honorarium, memoriæ, honoris cauſa, ſine vlla corporis illatione extructum, *l. monumentum ff. de relig.* Quid quid ſenſerit *Marcian. in l. tantum ff. de rer. diuiſ.* correctam enim ius opinionem reſcipto Diuorum Principum, *in l. ſeq.* teſtatur *Vlp.* qua de re eleganter *Lęl. Marcian.* Et quando corpora cremabantur, priuſquam in os mortui gleba iniecta eſſet, locus vbi crematum erat corpus religioſus non habebatur iniecta gleba, & humato defuncto, & ſepulchrum eſſe, & religione teneri incipiebat ex *Cicer.* non tamen totus fundus fiebat religioſus, nam in medijs agris ſe-

*Selec. iur ciuil. antiqu. lib. 2 c. 15. Comment iur. ciuil. lib. 4. c. 1. in not. lit. H.*

*Collator. c. 32. in fine.*

*Lib. 2. de legib.*

ſepulchra faciebant ex *Siculo Flacco*, ſed ſpatium, quod circum circa relinquebatur remanebat purum *not. Cuiac.* (*Lib. 10. obſeruat. c. 37.*) ideò ſolebat monumentorum locus definiri, & quantum terræ ſpatium religioni cederet deſignari; Innumeræ ſunt monumentorũ inſcriptiones cum hiſce notis, *In Fr. P. X. in Agr. P. XX.* hoc eſt *In Fronte Pedes Decem; In Agro Pedes Viginti*, eleganter ad rem *Horatius*. (*Lib. 1. ſerm. ſat. 8.*)

*Mille pedes in fronte trecentos cippus*
*in agrum.*

*Vbi in fronte interpretatur Acron in latitudine in agrum verò in longitudine*. Nec ſat erat corpus illatum, ſed ita, vt ibi perpetuò maneret, nam ſi eſſet commendatum ad tempus, ac velut depoſitum, vt poſteà aliò transferatur, locus religioſus non fiebat, *l. ſi quis l. nec dum, c. de relig. l. 3. §. non perpetuò ff. de ſepulchr. viol.* Ex his igitur colligimus, quod vnuſquiſque locum religioſum faciebat pro ſui libito mortuum inferendo in locum proprium, aut etiam in alienum conſentiente domino, *l. cum loca l. ſi quis eo ff. de relig. Hilig.* (*Vbi ſup.*) non item ſi in locum alienum dominio inuito, & ideò hæres non faceret locum religioſum ſi inferret cadauer in fundũ alteri legatum, *l. ſi locus 34. ff. de religioſ. & ſumpt. fun.* Ita ſanè cęcutiens humanitas; ſed non ita eadem illuſtrata veritatis lumine; nam ſi de ſepultura communi agatur, quæ non alia, quàm Cęmeterium, hoc ab Epiſcopo in Diœceſi ſua aſſignari debet, ac definiri, & ab eodem ſacrari, vnde, & ipſa dicuntur ſacra à *Gloſ.* & ſcribentibus *ad cap. in Eccleſiaſtico 13. q. 2.* & ſicut Eccleſiæ conſecrantur ad rem diuinam in ijs faciendam, & Sacramenta adminiſtranda, ſic & Cęmeteria ad fidelium ſepulturam ſolemni ritu conſecrantur, & Deo dicantur, *c. conſuluiſti de conſec. Eccleſ. vel Altar. c. nimis iniqua de exceſſ. Prælat. D. Dionyſ. Areopag.* Apoſtolorum coęuus (*De Eccl. hierarch. c. 7.*) *fidelium corpora* (ait) *à Pontificibus reponi debere in loco honorando, & venerando cum alijs eiuſdem ordinis ſanctis corporibus*. Adeò, vt ſcribat *Spondan.* Cęmeteria duo in Gallia, (*De Cœmet. ſac. lib. 1. p. 3. c. 15. n. 2*) Burdegalæ alterum ad Eccleſiam S. Seuerini, & Arelate alterum in campis Ayſis fuiſſe à Chriſto Domino Sanctis ſuis comitantibus ſolemni ritu conſecrata, idque traditione inter eos populos receptum, & perenni memoria cuſtoditum, & affirmatum à *Vincent. Bellouacen.* (*Spec. Hiſtor. lib. 24. c. 21.*) ne de Cęmeteriorum ſanctitate fas eſſet ambigere, cuius intuitu loco huiuſmodi immunitas Eccleſiaſtica, non ſecùs ac Eccleſiæ, competit de qua nos ſupra.

Si verò de loco in Eccleſia alicui, aut familiæ, aut perſonæ aſſignando tractaretur, is pariter ab Epiſcopo, & Parocho eiuſdem Eccleſiæ titulari, eſt aſsignandus, & concedendus; ab illo tanquam Summo Prçſide Diœceſis ſuę ac Tutore Eccleſiarum ſibi ſubiectarũ; ab hoc verò tanquam Eccleſiæ ſibi creditæ ſponſo, ac legitimo eius adminiſtratore, & huius vtriuſque merito conſenſus, & auctoritas reſpectiue requiritur, *ſcribentes communiter, & poſt eos Sebaſt. Medices & Barboſa*, (*Ad c. penult. de ſepult. De ſepult. q. 6 num. 6. Iur. Eccleſ. vniuerſ. lib. 2. c. 10. num. 9.*) vbi acta Eccleſiæ Mediolanenſis adducit, quibus cautùm pro Eccleſia regularium, qui à iuriſdictione Ordinarij ſunt exempti, ne fiat noua ſepultura in Eccleſia abſque licentia Epiſcopi in ſcriptis, (*p. 2. tit. de ſepult.*) & in Eccleſijs Regularium ſaltem cum licentia Prouincialis, qui eam concedere non poſsit, niſi ſepulchra conſtruantur iuxta formam præſcriptam in *Conſtitutione B. Pij V.* de qua in eadem. (*Bullar. tom. 2. Conſt. v. pag. 135.*)

An autem pro concedenda ſepultura exigi aliquid poſsit, & tanquam ex contractu præſtari ſi quæras; ſegregabimus officium, quod impenditur corporibus hu-

humandis, *c. dictum* 1. *q.* 1. de quo modò, & in hoc quæſito non eſt nobis ſermo, cum certiſſimum ſit pro huiuſmodi pietatis officio nihil omnino ſine ſimoniæ labe exigi poſſe, *c. ad Apoſtolicam, c. ſuam de ſimon.* & de ſepultura loquemur, quæ locum ſignificat, in quo quis debeat ſepeliri; & ſiue ſit locus aſſignandus in Cœmeterio iam conſecrato ſiue in Eccleſia iam Deo dicata, nefas omninò locum huiuſmodi in contractum deducere, & pretio recepto alicui addicere.

Abominantur enim huiuſmodi commercium ſacri Canones, nec ijs nitemur auctoritatibus, quæ frequentiſſimę proſtant, *c. quæſta* 12. *c. poſtquam* 13. *c. in Eccleſiaſtico* 4. *c. præcipiendum* 15. 13. *q.* 2. Canones enim iſti, ſicut & plures alij ex Conciliorum decretis generaliter ita de ſepultura loquuntur, vt tamen magis de officio, quàm de loco intelligant, at præcisè de loco loquentem dabimus *text. in c. abolenda* 3. *de ſepultur.* reſcriptum eſt ad Epiſcopum Magalonenſem, quem loci Diœceſanum enunciat, ibi *Honor. III. Sum. Pontif.* vnde nullum poteſt adeſſe dubium, quin de ſepultura fidelium in Cœmeterio, ſicque loco ſacro, & conſecrato loquatur, cum ergo dicat abominabilem corruptelam, *quod decedentibus non prius permittatur effodi ſepultura, quam pro terra, in qua ſepeliendi ſunt, certum pretium Eccleſiæ perſoluatur*; iam pro loco ſepulturæ apparet omninò interdictum, pecuniam exigere, & quod de loco in Cœmeterio ſtatuitur, multo magis obtinebit in loco, qui intra ambitum Eccleſiæ aſſignetur, neque enim eſt vlla diſpar ratio, ſed immò maior.

Neque obſtrepat quis ab exemplo
c. 23. Abrahæ, qui in Ciuitate Neth emit ab Ephron ius ſepulturæ in agro, in quo erat ſpelunca duplex, atque adeò licitum autumet pretium pro loco ſepulturæ, magiſque ex eo, quod apud Ethnicos ipſos locus ſepulturæ religioſus eſt, & tamen ciuili iure admittitur pretium pro ſepultura, *l. funeris* 37. *ff. de relig.* ibi *& pretium loci, in quod defunctus humatus eſt*, & ſi accipiantur hæc verba de loco puro, & nondum religioſo, reponi poterit, quod immo & locum iam religioſum vendere licuiſſe probatur apertiſſimè in *l. & liberi* 4. *ff. de contrab. empti, & liberi hominis, & loci ſacri, & religioſi, qui habere non poteſt emptio intelligitur* (ait ibi *Tex.*) vt omittamus iura, quæ de pecunia impenſa circa monumentum loquuntur; non enim videtur ex ijs rectè concludi ad emptionem religioſi loci. Et demùm inter fideles ipſos videmus pretium pro ſepultura exigi, cum ſæpius Eccleſia locum pro Cappella conſtruendà, & pro ſepulchro vendat, & iuſte, ne Eccleſia de ſuo teneatur alteri facere beneficium, *c. præcrariæ* 10. *q.* 2. Non (inquam) ex hiſce quis obſtrepat; nam quod attinet ad emptum locum pro ſepultura ab Ephron per Abraham de loco puro, ſed ad ſepulturam impendendo eſt factum ipſius Abrahæ, qui renuit ab offerentibus Netheis accipere ſepulchrum, & locum purum accepit ſoluto pretio, idque veroſimillimum, vt quàm minimùm ſuperſtitionibus gentilium ſe pollueret, & de loco profano accepit *Lal. Mancin.* olim Collega in Patauino Gymnaſio; crediderit *Hieronym.* terram ſepulchralem ab Abraham emptam in *Can. poſtquam* 13. *q.* 2. at verò plures ab eo diſſentiunt *D. Thom. Perer. & Spondan.* quod autem ad iuris ciuilis auctoritates, compertiſſimum eſt, iure ciuili locum religioſum per ſe vendi non poſſe, cum ſit extra commercium, at acceſſoriè, & per accidens vtiq; vendito ſcilicet fundo, cui ſepulchrum adhæret, quod non eſt ſepulchrum ipſum

*De tripl. iur. collect. c. 3.*

*2. 2 q. 110 art. 4. ad 3.*

*Perer. in cap. 27. Geneſ.*

*De Cœmet. p. 1. lib. 1. c. 5.*

ſum

ſum vendi, ſed tranſire cum re vendita, *l.ſi mercedem* §. 1. *ff.de act.empt.* hinc leges illæ in venditionibus dictæ *ſi quid ſacri, aut religioſi in fundo eſt, eius nihil venit, l.hanc legem* 22. *l.Pacta* 72 §. *fin.l.ædes* 73. §. 1. *ff.de contrah. empt. Briſſon.*latè, *l.in modicis* 24. *de contrah. empt. l.ſi mercedem ff. de act.empt.*cum ſexcentis huiuſmodi *Donell.*latè & cum eo *Hilig.* Eccleſia locum quidem pro conſtruenda cappella, aut ſepulchro accepta pecunia aſſignat, at locum non vendit, ſed pro honoratiori ſitu accipit concedendo, & vt ſoluens ità omnibus præferatur, vt nemò alius in eodem loco poſſit admitti *Layman. Suar. & alij*, & quo caſu pecuniam accipiat pro Cappellæ, aut ſepulchri conſtructione, non accipit tanquam pretium conuentum, ſed aut tanquam oblatum, aut in modum eleæmoſinæ ad reparationem Eccleſiæ, aut ſuſtentationem miniſtrorum *Barboſ.*minuſq; pro iure ſepulturæ quatenùs eſt quid ſpirituale, aut pro ſolo loco omninò neceſſario ad ſepulturã, ſed pro pretio dignioris, aut honoratioris loci in Eccleſia, & iuris, ac propietatis ad eum locum, quatenùs quid temporale eſt, nec gratis laico cuicumque debitum, vt obſeruat idem *Barboſa*, & poſt eum *Franceſ. Suar. & Garz.* ſpectatur enim in eo honore aliquid humanum, & non ſacrum, qua ratione poterit etiam Eccleſia vendere ius, vtquis, & eius familia tantum in loco aliquo ſepeliatur excluſiue quòad omnem aliũm, hoc onus enim, & hæc obligatio non admittendi alium à Clericis aſſumpta, eſt pretio ęſtimabilis non ad ſacrũ, ſed temporale, ac mere per accidens adnexu ſpirituali.

*De form. & ſolem. ſep Rom. verò lib. 6.*

*Com. iur. ciu. lib. 2. c. 20.*

*Tom. 3. de relig. de ſim. lib. 2. c. 4.*

*Lib. 4. tr. 10. c. vlt.*

*Iur Eccl. vniu. lib. 2. c. 10. n. 16.*

*In collec. ad d. c. Abolenda de Eccleſ. Cathed. c. 16. n. 92.*

*Tom. 3. de relig.*

*De ſimo. lib. 4. c. 14 n. 7.*

*De benef. p. 5. c. 9. n. 136.*

Et ideò etiam à priuato homine poteſt vendi ſepulchrum, quod ipſe ſumptu ſuo conſtruxit, vel comparauit, non enim venditur religioſitas loci, aut Epiſcopi benedictio, ſed materialis rei valor; aut ſumptus, cum ſepeliendi iure, quod non eſt religioſum, ſic enim cum *Suarez vbi ſup. Barboſ.* ſed res mere profana.

*In collect. ad leges. cit. n. 7.*

2 Propoſuimus inquirendum 2. in qua Eccleſia debeat quis ſepeliri, & ad quam Eccleſiam ius ſepulturæ ſpectet. Dicimus itaque, quo caſu Defunctus ſibi non elegerit ſepulturam ſepeliendum eum in ſepulchro maiorum; perſtita tamen quarta Eccleſiæ Parochiali, de qua mos infra, *c.ebron, c.placuit* 13. *q.* 2. *c.* 1. *c. fraternitatem de ſepultur. c. iſque eod. in* 6. *in Can.placuit*. *Placuit per omnia magno Concilio*, quod certe non aliud, quàm Romanum ſub Melchiade, cuius eſt Canon, & quo damnati Donatiſtæ. Reaſſumpſit *Leo III. in d. c.* 1. *h. t. ibi ſecundum maiorum inſtituta* ſtatuit, *vnumquemque in maiorum ſuorum ſepulchris ſanè veterum patriarcharum exemplo*; maiores ſunt Pater, Auus, & alij aſcendentes, vtcumq; voluerit *Vlp. in l.* 4. §. *parentem ff. de ius voc.* ſupra tritauum maiores fuiſſe dictos, *l.fin.*§. *parentes ff.de grad.cogn.* attamen non cum eo rigore accipitur hæc vox, ſed eos, qui ſupra Patrem, maiores dicimus, *l.* 3. *ff. de interd. & relig.* de huius vocis vſu latiſſime *Briſſon.* vnde ſi in vna ſepultura ſit Pater, & Auus, in alia aſcendentes reliqui, filius ſequetur ſepulturam Patris, quia & eiuſdem ſequitur domicilium, *c. fraternitatem, h.tit.l. aſſumpto ff. ad municipal.* Quod ſi maiorum ſepultura non adſit, in Eccleſia Parochiali defunctus erit ſepeliendus, *c.ex parte, c. in noſtra, de ſepultur. Medices* Peregrinus in itinere decedens ſepeliendus eſt in Cathedrali, ità à Sacra Congregatione deciſum tradit *Barboſ.* Quæ quidem omnia obtinent, non electa ſibi à defuncto ſepultura, quam ſibi determinare viuens liberè poteſt, *c.* 1. *c. cum liberum* 6. *h.t.* adeòque liberè, vt ſemel ea electa

*De verb. ſign. lib. 11.*

*De ſepultur. p. 2. q. 6. nu. 1. & 2.*

*Iur. Eccleſ. lib. 2. cap. 10. num. 35.*

vſque

vſque ad extremum vitæ ſpiritum eam reuocare, ac mutare poſſit, ea ipſa ratione, & fortaſſe maiori, qua liber teſtandi ſtylus hominibus indulgetur, & fit licitum, quod iterum non redit arbitrium, *l. 1. c. de ſacroſ. Eccleſ.* & vt relicta Parochiali poſſit in Eccleſia regularium ſibi deſtinare *Clem. dudum de ſepultur.* indeque neminem poſſunt ſiue ſæculares Clerici, ſiue regulares adigere ad eligendam ſepulturam ſub voto, ſeu promiſſione eam non reuocandi, idque ſub excommunicationis diſcrimine, *c. 1. de ſepult. in 6.* Si filius ſit impubes, pater pro eo poteſt eligere ſepulturam, ſi id conſuetudo loci induxerit, ſin minus ſepeliendus eſt in ſepultura maiorum, *c. licet pater de ſepultur. in 6.* vbi quod minores non poſſunt ſibi eligere ſepulturam; vxor decedens non electa ſepultura ponenda eſt in ſepulchro viri, & ſi plures habuerit in illo vltimi viri, *c. 3. §. mulier de ſepult. in 6.* Religioſi vtpote qui voluntatem in ſuperiorem abdicauerint, expertes omninò huiuſce electionis tumulandi ſunt in ſuis monaſterijs, *c. fin. de ſepult. in 6.* niſi adeò ab ijſdem diſtent, vt ad ea deferri commodè nequeant, tunc enim poterunt eam ſibi eligere *eod. cap. fin.* eaque non electa tunc ponendi erunt in Parochiali vbi deceſſerint.

Parochialis enim tantùm eſt ius, vt eo fraudari debeat quàm minimum fieri poſſit; & ideò qnamuis libera ſit conceſſa cuique ſepulturæ electio, attamen ipſi Parochiali Eccleſiæ, tanquam parenti, ſua portio veluti legitima ſalua eſſe debet, quæ deducatur ex his, quæ ſepeliendus Eccleſiæ reliquit. In cuius taxatione fuit variatum; aliquando enim fuit dimidia à *Leone III. ſtatuta in c. Relatum h. t.* aliquando tertia, vt in *c. 1.* & demum quarta ab *Vrbano III.* vt refert *Clemens in c. certificari de ſepult. in 2. compilatione apud Anton. Auguſtin.* quam approbauit *Innoc. III. in c. in noſtra.* Hanc igitur ſaluam paræcijs voluit, & *ſaluam iuſtitiam* optimè appellauit ea ipſa ratione, qua exequiæ dicuntur *iuſta*, quia ita ſunt conſtituta, vt iure, & neceſſariò fieri debeant.

Hæc autem portio de relictis Eccleſiæ exigebatur, nec vltra exigi poſſe voluit *Vrban. II. in Conc. Claromont. c. 8.* & *Innoc. III.* ſub pœna ſimoniæ, *c. ſuam de ſimon.* vigebat enim conſuetudo, qua quilibet fidelis bonorum ſuorum partem Eccleſiæ relinquere tenebatur nomine, & titulo exequiarum, quod ius mortuaria vocabant, *c. officij de teſtam. c. conquerente de offic. ordin.* quæ ſanè conſuetudo, cum euanuerit & ipſa quartæ exactio penè obſoleuit, & totum, quod pro exequijs impenditur Parocho debetur, ſed ſi extra eius Eccleſiam detur ſepulturæ, portio Canonica remanet ipſi debita ex *Concil. Trident.* Decreto. *Seſſ. 25. de refor. c. 13.*

Canonica ideò dicta, vt appareat, vnumquemque ſic addictum Parochiæ ſuæ, vt ſine iniuria poſt mortem aliò traduci non valeat, & ſi indebitè fuerit traductus, veniat exhumandus, & reſtituendus cum omni lucro percepto *d. c. certificari, c. ex parte, c. cum liberum h. t.* Non omiſſo tamen, quod in hac materia maximè ſpectanda ſit regionis, & Eccleſiæ conſuetudo, vt ex *Hier. in d. c. certificari Clem. III.* vltra quartam hanc Canonicam, eſt & alia, quæ dicitur Epiſcopalis, & quæ Epiſcopo debetur pro cura, quam in vniuerſam Diœceſim impendit ex relictis alicui Eccleſiæ *d. c. conquerente de off. ord. d. c. officij de teſtam.* eaque modò fuit tertia modò quarta, *c. requiſiſti 15. de teſtam. Can. vobis Can. Vulteranæ 12. q. 2.* modò dimidia *Can. antiquos 20. q. 1. c. 1. h. t.* ita vt teſtator eam impedire, aut prohibere non poſſit, cum non poſſit facere, ne leges in ſuo teſtamento

locum

locum habeant *d. c.requiſiſti verſ.ſecus autem*, & quemadmodum, ſi quid relictum ſit Eccleſiæ,debetur Epiſcopo ſua portio,ita ſi quid Epiſcopo ſit relictum, portionem ſuam exiget Eccleſia Parochialis,niſi ſit relictum Epiſcopo intuitu perſonæ,& non Eccleſiæ, puta quia relictum à coniuncto,aut propinquo *d.c. requiſiuiſti verſ. ſi verò relinquatur*. Non tamen de omni relicto ad piam cauſam detrahet Epiſcopus portionem ſuam,vt ſi quid ſit relictum pro ædificatione,aut reparatione Eccleſiæ, monaſteriorum,hoſpitalium,& piorum locorum, *c.fin.de teſtam. c.ex parte de verb. ſign.* ex quorum iurium auctoritate plura,de quibus dubitari poſſet,ſunt reſoluenda. De legatis relictis regularibus non detrahit portionem Epiſcopus, *cap. 1.b.t. inter Extrauag.communes* & in hac etiam ſpectabitur conſuetudo *c.fin.de off. ordin. in 6. c.ſancto,& ibi Gloſ.in verbo morientium de ſucceſſ. ab inteſt.* & hæc quarta Epiſcopalis poteſt contraria conſuetudine præſcribi, *c. de quarta de præſcript.* quamuis circa quartam Parochialem hæc conſuetudo cenſeatur irrationabilis *Hoſt. in ſum. b.t.n.* 8.

3 Iam ergo penultimum aſſumamus Caput;quibus ſcilicet deneganda ſit ſepultura. Vtcumque ſit ea admodum fauorabilis ex ſuperiore, *c.Eccleſ.* 4.12. *q.* 2.tanquam ſupremum, quod homini impendatur, bonum,& omnibus fidelibus conceſſa,attamen recta Eccleſiaſticę diſciplinæ ratio dictare eſt viſa,vt quod omnibus eſt largitum,aliquibus in pœnam, & in aliorum viuentium exemplum iuſtè denegetur tanquam indignis eoſque tanquam certos, & à regula exceptos enumerabimus.

Non loquimur de generali ea prohibitione, quæ pro vario tempore in Eccleſia obtinuit, vt ſcilicet nemo in Eccleſia ſepeliatur, ſed in atrio, nemo cum Martyribus,quorum corpora primitùs ob ſingulare meritum ſunt in Eccleſiam recepta, *l.2. c. de ſacroſ. Eccleſ.* per ſuperiùs latè obſeruauimus ex *Concil.Mogunt. c.*52.& *ex Concil.Tribur. c.*17.*c. præcipiendum* 13.*q.* 2. ſed de excluſione merè pœnali hominis tanquam indigni, quam quidem eiuſdem rectæ rationis ductu vel Ethnici ipſi agnouerunt,non paſſi impios in ædem ſacra,aut loco communi ſepulturæ deputato reponi;memorat eruditè *Tholoſan.* Thebanos horruiſſe penès ſe Oedippi ſepulturam, eumque tanquam ſceleſtum excluſiſſe,memores, quot calamitates eius cauſa ſuſtinuiſſent; meritò igitur Eccleſia veri Dei Spiritu edocta, & ducta aliquos immerentes à ſepultura excludendos conſtituit. *Syntag.iur.p. 1.lib.2. c.13. num.11.*

Præmittemus generalem regulam, quod cui communicauimus, aut communicamus viuenti eidem, & mortuo communicare debemus,vel exponendo cum *Gloſ.* cui communicabamus viuenti,hoc eſt communicare debuimus, vt ſi poſt mortem abſolueretur excommunicatus *c. ex parte* 12. *de ſepultur.* Quæ regula exceptiones patitur in ijs perſonis, quæ ſingulari Eccleſiæ prohibitione à ſepultura arceantur; primò itaque excluduntur Iudæi, Hæretici etiam poſt mortem damnati, & eorum fautores, ac acceptatores, *c.ſanè* 3. 24. *q.* 2. *c. excommunicamus* §. *cred. de hæreticis,c.2.eod.in 6.* ſicut & alij quicumque excommunicati, niſi, vt ſupra, vel poſt mortem fuerint abſoluti, *c. ſacris c. ex parte b.t. Clem.* 1. *eodem cap. ad hæc de priuileg.* neque enim deceat, vt qui ab Eccleſiæ gremio fuit viuens excluſus, & ſeparatus, mortuus inter eiuſdem vlnas quieſcat. His adcenſentur publici vſurarij, niſi pęnituerint, & cauerint pro reſtitutione impij lucri, *c. quia in omnibus c.quamquam & Clemens* 1. *de vſur.* Nec minùs excluden-

tur à ſepulturæ dignitate, qui ſponte, & conſultò manus ſibimetipſis conſciuerunt, *c. placuit* 23. *q.* 5. *c. quibus* 13. *q.* 2. ſecus ſi vi morbi, aut mentis inſania, *c. de occidendis* 18. *q.* 5. In ſingularium huiuſmodi caſuum recenſione non aceruamus ſcribentium, & pragmaticorum confirmantia vota, ſatis enim eſt iuris auctoritas vbi adeſt, hocque vt obſeruauimus, & obſeruabimus ſemper. Hìc autem notabile, quod in praxi non ſemel contigit, quod ſi quis reperiatur demerſus in puteo, aut ſuffocatus in flumine, aut laqueo ſuſpenſus, non tamen per hoc eſt priuandus Eccleſiaſtica ſepultura, eſto enim quod ea denegetur ſe ipſum perimenti, *d. c. placuit*, attamen excipitur caſus, quo indicijs; & coniecturis conſtaret furore, frænesi, & vi morbi ſe ipſum interemiſſe, idque in dubio ſemper prǽſumendum, cum nemo prǽſumatur deliquiſſe, aut delinquere, *l. meritò ff. pro ſoc.* potuit enim ab alio committi crimen, & in puteum proijci, vel ſuſpendi *M. Ant. Genuenſ.* quod ſi vehemens valde præſumptio vrgeret in contrarium, vt cauſa loci vndique clauſi, in quem nulli pateret aditus, ſi quis reperiretur ſuſpenſus in cubiculo ianuis retro clauſis, cum quo nemo morabatur, præſertim ſi iuſta aliqua cauſa doloris præceſſerit, tunc enim nullus relinqueretur prǽſumptioni angulus, ſed deneganda ipſi eſſet ſepultura tanquam ei, qui ſe ipſum interfecerit, & ideò prudentis Iudicis diſcretio adhibenda, qui libratis circumſtantijs dijudicet. His adnectimus pugnantes in Duello, & in eodem interfectos ex ſingulari *Concilij Tridentini Decreto*, & longè antea *Lateranen. c.* 1. *de Torneam.* quamuis dici poſſet, quod de Duello præcisè non loquatur, ſed de militari ludo, ſed ſunt ea adeò affinia, vt paritas pęnæ non dedeceat; blaſphemos impœnitentes, *c. ſtatuimus de maledic*, raptores non ſatisfacientes, *c.* 2. *de raptor.* fures, & latrones in flagranti crimine occiſos, ſecùs ſi comprehenſi, aut vulnerati confeſſi Presbytero fuerint, *c fures, & latrones* 13. *q.* 2. *c.* 2. *de furt.* monachos, qui in extremis cum peculio contra paupertatis votum deceſſerint, *c. Monachi, c. ſuper quadam, c. cum ad monaſterium* §. *quod ſi proprietas de ſtat. Monach.* nominatim interdictos *Clem.* 1. *de ſepult.* addere poſſumus & caſum, *c.* 1. *de ſepult.* inter *Extrauag. communes*, & demùm omnes, qui in grauioribus peccatis impœnitentes deceſſerint, *cap. quibus*, *cap. obeuntibus* 12. *quæſt.* 2. niſi ſigna pęnitentiæ dederint, ad quod probandum ſat eſt teſtis licèt vnicus, & dum etiam in articulo mortis non fuerint reconciliati, *c. ſacris h. t.* in eo verò, qui caſu inopinato fuerit oppreſſus, ſectamur regulam quod cui communicauimus viuenti eidem communicemus defuncto, *c. ex parte h. t.* niſi conſtiterit in peccato mortali cum improba, & impœnitenti conſcientia eum deceſſiſſe, *c. non æſtimemus, c. pro obeuntibus* 13. *q.* 2. Quod ſi de facto quis ſepultura Eccleſiaſtica indignus ſepeliatur, Eccleſia, vel Cœmeterium polluitur, & debet reconciliari antequam fidelis alius inibi humetur, *c. conſuluiſti de conſecr. Eccleſ. vel altar.* & oſſa eius, ſi diſcerni poſſint, exhumari, *c. ſacris h. t.*

*... prax. Archiep. c. 76. ... r. 101. ſed ... acipuen. 20*

*q. 25. de ... ir. c. 19.*

De ſepulchri violatione, aut violato ſepulchro non tractabimus, quæ in gratiam ſepulchrorum, & religionis, quam in ipſis reuerita eſt vetuſtas gentilium, ſeu Ethnicorum mores magis exhibeant, quàm quod ſepulchris fidelium veniant adaptanda, videri poterunt *Tholoſ.* & nouiſſimè *Guther.* & ſcribentes ad *tit. Pandec. de ſepulch. violat.*

*Syntag. iur. lib. 33. c. 23. De iur. man. lib. 3. c. 25.*

4 Quod verò ad funeris ſolemne, funuſque ipſum ducendum, non aſſumemus tranſcribenda ea, quæ de veterum

rum funere ducendo, quamuis curioſa, & erudita ab elegantiſſimis Authoribus regeruntur, totam funeris pompam Romanorum accuratiſſimè exhibuere *Io: Roſin. Iacob. Guther.* tetigit, & nonnihil pro intentione ſua *Barnab. Briſſon.* à quibus auidus lector repetere poteſt, hæc enim regerere fermè eſſet extra Chorum ſaltare, & opus hoc in immenſum excreſceret; hoc non omittemus, varia ſcilicet fuiſſe funerum genera. Alia enim erant publica, alia priuata, publica collatiua erant, imaginaria cenſoria.

*Antiqu. Rom. lib. 5. c. 39.* *De Iur. Man. lib. 1. c. 19. & ſeq.* *De form. lib. 8.*

Priuata verò vulgaria, ordinaria, ſimpludiaria, quæ ſingula eleganter declarat, & proſequitur *Guther.* & exactiſſimè totam funeris pompam exhibet ſpectandam; hiſce dimiſſis pompam Chriſtianorum propriam proſequamur. Parochi munus eſt ducere funus; numerum autem Sacerdotũ, qui debeant comitari, & quantitatem ceræ adhibendam hæredes defuncti ſtatuere debent, non attento quocumque Parochi prætextu in oppoſito adducto, pro cuius confirmatione doctrinæ afferri non poteſt Canonum auctoritas, ſed omnium inſtar erit *Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium præpoſitæ* Decretum, quod tanquam oraculum eſt ſuſcipiendum circa hæc cœremonialia funerum, ac materiæ practicabilia, eamque ità reſpondiſſe teſtatur *Barboſ.* nec alios poſſe Parochum vocare eadem *Sacra Congregatio*. Quod ſi hęredes, vt ſupra, non præſcribant ad Parochi id deuoluetur arbitrium ita *S. Rituum Congregatio* apud eumdem *Barboſ.* Confraternitates verò accedere ad funus, illudque comitari non poſſunt niſi expreſsè, & præcisè vocentur ex eiuſdem *Sacræ Rituum Congregationis* Decreto, & in proſequendo funere nullo modo poſſunt erigere Crucem, ſic fuit reſponſum per eamdem *S. Congreg.*

*Vbi ſup. per plur. Cap.* *Iur. Eccleſ. vn. lib. 2. c. 10. n. 57. & n. 58.* *Num. 60. vbi ſup.* *Num. 60. vbi ſup.*

Proprius Parochus ab eo munere nullatenùs eſt excludendus, & proprium Parochum ad hunc effectum dicemus Parochum domicilij, & non habitationis ità *Baſil. Pont.* auctoritate, *text. in cap. 2. de ſepultur. in 6.* quatenùs ait ibi Summ. Pontif. canonicam portionem deberi Eccleſiæ, in qua audiebat Defunctus diuina in qua recipiebat Sacramenta, quæ ſanè verba indicant Eccleſiam domicilij, confirmant, & ſubſequentia *Tex.* verba quæ idem innuunt; vbi quis duplex habeat domicilium, quod quidem fieri poteſt, nam tunc vtrique Eccleſiæ debetur quarta parochialis, quæ inter vtramque diuidetur. Hic igitur Parochus nuſquam excludendus etiam ſi defunctus, ſolos Regulares accerſeri, & vocari ad funus iuſſerit; ſic enim *S. Congregatio Negotijs Regular. & Epiſcop. præpoſita* vbi ſupra, quæ, & non ſemel diffiniuit omnes funus aſſociaturos debere ad Eccleſiam defuncti conuenire Parochialem, etiam ſi ſint regulares, & nullo modo expectare in via, aut in via ſe funeri adiungere.

*De matrim. lib. 5. c. 13. §. 2. num. 12.* *Barboſ. vbi ſup. n. 61.* *Vbi ſup. n. 64*

Nec leuari poteſt cadauer ſiue à Clericis, ſiue à Regularibus in conſulto, aut irrequiſito proprio Parocho ex eiuſdem *Sacr. Congreg. Decreto*, quod ſi in Parochia exiſtens Defunctus in Eccleſia Regularium ſit tumulandus, priùs benedictionem, & vltimum vale à Parocho ſuo recipiat; at ſi Parochus monitus, requiſitùs, expectatus adhuc venire renuat, poterunt fratres, ſeu Regulares corpus ab ædibus ad Eccleſias proprias transferre, Parocho etiam inuito, ita apud *Barboſ.* qui & inferiùs declarat, quomodo in delatione Crucis, & Crucis cuius Eccleſiæ ſit procedendum, & demùm concludit, quod Parochus, & Clerus ſæcularis, vbi peruenerint ad Eccleſiam regularium, in qua Defunctus eſt tumulandus, poſſunt

*Vbi ſup. n. 66* *Vbi ſup. n. 70*



Digitized by Google

quidem ibi conſiſtere, at nullo modo in officij celebratione ſe ingerere, quod totum à Regularibus peragendum eſt; ſecluſa quacumque conſuetudine etiam immemorabili, idque ſæpius Decretis Sacræ Congregationis firmatum teſtatur, quæ ibidem ſigillatim enumerat. Et hæc ſatis de Sepulturis.

---

## CAP. V.

## De Reliquijs, & Veneratione Sanctorum, ac Imaginum Sacrarum Cultu.

1 *Introductio, & continuatio materiæ.*

2 *Hereſes tum antiquæ, tum nouæ circa Reliquiarum cultum, & eorum fundamenta.*

3 *Opinio Catholica cum ſuis fundamentis.*

4 *Diluuntur in oppoſitum allata.*

INſiſtimus methodo à nobis aſſumptæ, & intentionem propoſitam ſectamur, qua ea, quæ Iuriſdictionis ſunt voluntariæ, proſequimur. De Eccleſiarum conſtructione, & reparatione tractauimus, eaque occaſione opportunè de immunitate, qua gaudet Eccleſia materialis, ac de tota Eccleſiaſtica immunitate peregimus, ne grauis adeò materia ſcinderetur.

1 Hac abſoluta tractatione eadē Eccleſiæ materialis conſideratio ad planè connexa examinanda, atque tradenda nos promouet. Quia ergo ſine Reliquijs Sanctorum conſecrari, atque Deo dicari nequeunt Eccleſiæ, ſed immò in ijſdem Sanctorum Corpora, ac eorum Reliquiæ conſeruantur, ſanctique ipſi ſumma fidelium pietate coluntur, ideò hoc capite tractationem tripartitam proponimus, de ſingulis acturi, & à reliquijs ipſis exordiemur. Fuit vetuſtiſſimum, immò, & primæuum Eccleſiæ inſtitutum, vt non erigerentur (*De oper. Monac. c. 28.*) Altaria niſi ſuper Martyrum tumulis, nec Incruentum Miſſæ Sacrificium offerretur, niſi ſuper Martyrum monumentis, (*Lib. 2. epiſt. 30.*) ideò ſemper eorum reliquijs præcipua habita veneratio, templaque dicata, & erecta Deo Omnipotenti in martyrum memoriam; *Trophæa* appellauit *Hieronymus contra Vigilantium, & ad Elpidiam*, (*Quæſt. 11*) quaſi eorum paſſio, & ſanguinis pro Chriſto effuſio fuerit ſpectabimus, & glorioſiſſimus triumphus. In ſacrarum reliquiarum depreſſionem, & ad eliminandum earum cultum ſe armauit hæreſis, veritati (*Inſt. moral. p. 1. lib. 9. c. 8 q. 1.*) ſemper aduerſa, primuſque Eunomius, & poſt eum Vigilantius iuſtiſſimam hanc Eccleſiæ obſeruationem impugnauere teſte *D. Hieronymo*, quæ hæreſis compreſſa, atque damnata in *Synodo 7. act. 7. in Concil. Afric. 5. C. 14. Bracharen. III. Can. 5. Mogunt. ſub Carolo Magno Can. 51. Lateran. ſub Innoc. III. Can. 62.* Excitata denuò fuit per Lutherum, & Caluinum, aliaque noſtrorum temporum portenta, quibus non aliud votum, quam improbare quidquid Eccleſia Romana Spiritu Sancto edocta probat.

2 Exagerant, ingens in Reliquiarum cultu imminere Idolatriæ, ac ſuperſtitionis periculum præſertim in rudibus, & ſimplicibus hominibus, ideòq; abſconditum à Deo Moyſis corpus, ne Iudæi ipſum adorarent, vnde & Matthæi c. 23. reprehenſi (inquiunt) à Chriſto Domino, quod ſepulchra Prophetarum colerent, & iuſtè; eum in Martyrum monumentis non ſint eorum animæ, non corpora, ſed mera puluis, & cinis,

nis, & vtinam Reliquiæ eſſent Martyrum, cum ſæpe ſint ſceleſtorum hominum, & non Sanctorum, ideòque dubitatiuè locutus eſt *Auguſtin.* de Monachis quibuſdam, qui Reliquias Martyrum circumferebant, *ſi tamen Martyrum*, inquit *Auguſtin.* nec abſimiliter memorat *D. Gregor.* Nullum demùm, dicunt, extare inſtitutum Christi, & Apoſtolorum pro Reliquiarum cultu, ideòque Caluiniſtæ præcipuè ſæuiſſimè in Sanctorum Reliquias debachati ſunt eas irreuerenter diſpergentes, & in profluentem mergentes.

*De oper. Monac. c. 28.*

*Lib. 2. epiſt. 30.*

3 Verùm quidquid delirent impij, non fallit, nec fallitur Eccleſia probans ac fidelibus dictans ſacrarum Reliquiarum cultum, quæ non aliæ, vt inquit rectiſſimè *Azor.* quàm Sanctorum Cœli ciuium corpora, quælibet corporum particulæ, capilli, oſſa, carnes, dentes, cineres, pulueres, veſtes, & alia, quibus ipſi vſi ſunt, dum viuerent; immò vela, panni, & cætera, quæ ad eorum oſſa admouentur, vel quæ ipſos tetigerunt, & ad ipſos pertinent; hæc enim ſingula ſemper venerata eſt Eccleſia, & hæc ipſa Deus Omnipotens ſingulariter miraculorum caractere, & ſignauit, & probauit, perenniſq; tradtio in Eccleſia hunc cultum firmauit. Vtimur conſultò cultus, & venerationis termino, ſeu voce, vt declinemus inuidiam, quam quolibet æuo excitare niſi ſunt in Eccleſiam & fideles, obiectando, & imputando, quod adorationem Dei propriam, & Creatoris, in creaturas parùm piè transferrent Hæretici, & Reliquiarum hoſtes infenſi; non enim adorationem preſsè, & propriè ſumptam, quæ latriæ nomine exprimitur, & ſoli Deo Summo debetur, Reliquijs Sanctorum tribuendam profitetur Eccleſia, ſed venerationem, & cultum longè inferiorem, ſed ciuili, & humano honore longè maiorem, & altiorem omni humana iuſtitia, ac dignitate politica, adeòque ſacrum, & qui ritus ſacris, & per res ſacras exhibeatur. Hanc Eccleſiæ ſemper inſultam calumniam, ſemper reiectam oſtendemus vno vnius *Hieronymi* teſtimonio cuius ea ſunt verba ſcribentis Ripario. *Ais Vigilantium os fœtidum rurſum aperire, & putorem ſpurciſſimum contra SS. Martyrum proferre Reliquias, & nos, qui eas ſuſpicimus, appellare cinerarios, & idolatras, qui mortuorum hominum oſſa veneremur*, mox paulò inferiùs, *nos autem non dico Martyrum Reliquias, ſed ne ſolem quidem, aut lunam, non Angelos, non Archangelos, non Cherubin, non Seraphin, & omne nomen, quod nominatur, & in præſenti ſæculo, & in futuro colimus, & adoramus, ne ſeruiamus creaturæ potius, quàm Creatori, qui eſt benedictus in ſæcula. Honoramus autem Reliquias Martyrum, vt eum, cuius ſunt Martyres, adoremus.* Prudentèr itaque, & caute vtitur *Hieronym.* *Venerandi, aut honorandi* verbis, vt hæreticorum calumniam declinet, qui adorationem obiectabant; vnde & in ſequenti longiori parte Epiſtolæ contra eumdem *Vigilantium* inuehitur exprobrans. *Quis enim, ò inſanum caput, aliquando Martyres adorauit? quis hominem putauit Deum?* adorationem quidem negat *Hieronym.* & cum eo Eccleſia, ſed honorem aſſerit Martyrum Reliquijs altiorem quocumque humano reſpectu ſicque ſacrum, & per ſacras res exhibendum.

*Inſt. moral. p. 1. lib. 9. c. 8. q. 1.*

*Epiſt. 53. aduerſus Vigilant. ad Ripar. presbyt.*

Auctoritatum ex Concilijs, SS. Patribus, & Diuinæ Scripturæ monumentis nubem protulit *Bellarmin.* in ſacrarum Reliquiarum cultum conſentientium, traditionem de eodem cultu ex Chriſti fimbria in Eccleſia auſpicatam, de Pauli ſudarijs, & ſemicintijs confirmatam, ac de eorumdem Martyrum Reliquijs propagatam per ſucceſſiua tem-

*De Sanct. Beat. lib. 2. c. 3.*

*...i Annal. ...57.* tempora probat accuratiſſimè *Baron.* quæ ſingula transferre nil aliud eſſet, quàm actum a magnis adeò viris agere denuò; verùm non omittimus ſaltem argumentum, quod quintum in ordine *ſupra...* conficit *Bellarm.* à miraculis, quæ Deus in Martyrum, & Sanctorum mortuis corporibus operatur, aduocat *D. Io:* *...m. de SS. ...ntio, & ...axim.* *Chryſoſtomum* teſtantem, cultus Sanctorum Inuentij, & Maximi poſt mortem ſplendere ita cœpiſſe, vt non poſſet in eos intendi, ſine quodam honore; *...ita S. Hi...ion.* *Hieronym.* B. Hilarionis corpus poſt decem menſes adhuc integrum, & incorruptum repertum ſcribit; congerit teſtimonia conſimilia irrefragabili fide digna: at liceat nobis addere, quod ſenſu ſumus experti, & oculis pluriès, & pluriès intuiti.

Nobiliſſima Patauina Vrbs, pluribus gloriari poteſt ornamentis, at nullo magis, quàm quod in ea SS. D. Antonij Confeſſoris exuuiæ feliciſſimè quieſcunt; è monumento vbi conditi cineres, (traditio enim eſt vſque à tempore inuentionis, æuo S. Bonauenturæ Generalis Ordinis Conuentualium factæ, totum corpus in cineres redactum) ſpirat adhuc odor flagrantiſſimus, ac planè cœleſtis, & quod magis eſt, inter cineres ab eodem S. Bonauentura ſola integra reperta lingua rubicunda, ac ſi eſſet viuentis, & poſt quadringentos fermè annos, ſubſiſtit adhuc integra, ac rubet, non relata, vel audita reddimus, ſed viſa centies, factu experti; an hæc naturaliter fieri poſſint, quis credat. Digitus ergo Dei ibi eſt, qui cultum Sanctarum Reliquiarum probat, commendat, indicit, *...ſt. 53. 54.* legantur Epiſtolæ duæ *S. Ambroſij* qua vtraq; inuentionem corporum SS. Martyrum Geruaſij, & Protaſij deſcribit accuratiſſimè, & non poterunt non confundi ſacrarum Reliquiarum cultum deteſtantes; ſe expedire à duarum Epiſtolarum auctoritate immo, & vi, non aliter valuit *Carolus Molinæus* miniſter Caluiniſta, quàm aſſerendo commentitiam illorum corporum inuentionem, ſed & fictam, ſeu ſuppoſititiam Epiſtolam 53. qua inuentio ipſa accuratè deſcribitur, neque eam eſſe Ambroſij, quo nil dicit poteſt inſulſius, aut obtuſius, & quòad fictionem inuentionis SS. corporum, eleuari non poteſt fides, & auctoritas *S. Auguſtini*, qui ſe vidiſſe aſſerit, & ſpectata à ſe in ea tranſlatione ſacrorum pignorum teſtatur, præſentemque exhibet cum reliquo populo Sanctiſſimam mulierem, Monicham eius matrem. Vtri igitur credendum, neganti imprudenter, & liuore tabeſcenti; an verò teſtibus de viſu, conteſtem exhibentibus populum? ſed tandem miſſis *D. Auguſtino* de Reliquijs *S.* Stephani plura reddente miracula *D. Hieronym.* de Reliquijs S. Andreæ Apoſtoli, *D. Io: Chryſoſtomo* de Reliquijs S. Babylæ Martyris, vna claudemus *D. Ambroſij* auctoritate, quæ & motiua regerit cultus exhibendi ſacris Martyrum, & Sanctorum Reliquijs; is enim in SS. Nazarium, & Celſum perorans ſic claudit, quaſi redditis ſupra hæreticorum obiectis occurrat, *quod ſi dicas mihi, quid honoris in carne Martyris iam reſoluta, atque conſumpta, de qua iam Deo nulla cura eſt; & vbi eſt illud (Chariſſimi) de quo ipſa veritas loquitur per Prophetam, pretioſa eſt* (inquit) *in conſpectu Domini mors Sanctorum eius*, & paucis mox interiectis. *Honoro ergo in carne Martyris exceptas pro Chriſti nomine cicatrices, honoro viuentis memoriam, perennitatem virtutis; honoro per Confeſſionem Domini ſacratos cineres, cur autem non honorent corpus illud fideles, quod reuerentur, & Demones, quod afflixerunt in ſupplicio, & glorificant in ſepulchro? Honoro itaque corpus, quod Chriſtus honorauit in gladio, quod cum Chriſto*

*Lib. 7. cont. Perron. c. 11.*

*Lib. 9. Confeſſ. c. 7.*

*Lib. 22. de Ciuit. Dei c. 8.*

*C. 1. contr. Vigilant.*

*Lib. cont. Gentil. & homil. 66 ad popul.*

*Serm. 14. in fin.*

*Chriſto regnabit in Cœlo*. Sit omnium inſtar vberrima hæc auctoritas, quæ tollit omnes aduerſantium calumnias. Sed ne quæ ſupra tradita eorum fundamenta videantur inſoluta relinqui.

4 Inanis primò committendæ Idololatriæ timor, cum immò veneratio Martyrum ſit deteſtatio Idololatriæ, ex quo Martyres morti ſe ſubiecerunt, ne ſeruirent Idolis, ideò qui colit Martyrum Reliquias conteſtatur, ſe gaudere de Idololatriæ excidio, vnde memorat *Bellarmin.* ex *Ruffin.* fideles in tranſlatione Reliquiarum S. Babylæ proceſſiſſe canentes, *confundantur omnes, qui adorant ſculptilia.* Voluit Deus latere corpus Moyſis, ne Iudæi ad Idololatriam nimis procliues ipſum adorarent, ac laberentur in Idololatriam, non autem ne Propheta, & Dei famulus veneraretur; adoratio ſoli Deo debetur, veneratio verò debetur Sanctis, tanquam eius famulis, quæ tamen demùm in Deum ipſum referatur, ac terminetur, vt notat *D. Thom.* hancque rationem, & cauſam ignoti monumenti Moyſis reddidit *D. Io: Chryſoſtom.* ſunt elegantia diſertiſſimi Patris verba. *Si enim quia per illum fuerant de ſola Aegypto liberati relicto Deo tantummodo Moſem requirebant ipſius eſſe prorſus cuncta illa beneficia credentes, hunc ſi introductorem quoq; in terram repromiſſionis habuiſſent, in quæ non illi impietatis prærupta incidiſſent? vt igitur omnis huiuſmodi amputaretur occaſio, ipſum quoque eius eſt occultatum ſepulchrum.*

*Vbi ſupra c. 4. Hiſt. Lib. 1. c. 5.*

*3. p. q. 25. art. 6. ad 1.*

*Homil. 5. in Matth.*

Quo ſenſu autem *Matth. c. 23.* Chriſtus Dominus reprehendat Iudæos, qui monumenta Prophetarum ædificabant, quod erat aliud aduerſantium ſacris Reliquijs argumentum, exponit aptè *Chryſoſtom. Non quia ædificant* (ait) *neque quia patres ſuos accuſent, veh illis dixit, ſed quoniam ita facientes, & ita dicentes Patres ſuos condemnare audebant, cum ipſi peiora committerent, nam quod ſimulatione Patres reprehenderent Lucas* ſubaperit dicens: *quoniam & placet quia ædificatis. Veh namque vobis* (ſunt hæc verba *D. Lucæ*) *quia ædificatis monumenta Prophetarum, Patres autem veſtri occiderunt eos, ergo teſtamini, quod complacetis in operibus Patrum veſtrorum, quia illi quidem Prophetas interfecerunt, vos autem ædificatis monumenta eorum.* Hactenus ex *D. Luca,* mox proſequitur *Chryſoſtom. menti enim, ac voluntati eorum, quia ædificabant apertè detrahit non enim, vt honorarent occiſos, ſed vt cæde illorum vires ſuorum oſtenderent; timentes, ne ſi vetuſtate ſepulchra caderent; tanti facinoris, ac audaciæ memoria caderet &c.* proſequitur fuſiùs, ſed hæc ſatis, vt colligatur qua intentione reprehendantur, qui Prophetis ædificant monumenta, vt nil ineptius poſſit afferri ad euertendum ſacrarum Reliquiarum cultum, cui expoſitioni adſtipulatur & *Ambroſ.* ait enim *æmulatione factorum ſe declarabant paternæ iniquitatis hæredes. Non igitur ædificatio, ſed æmulatio loco criminis æſtimatur.*

*Homil. 25. in princ. in c. 23.*

*Luca c. 11.*

*In Luc.*

Quod autem ſit incertum, an Reliquiæ ſint verè Martyrum, vnde & ſuſpensè, ac dubitatiuè loquitur *Auguſtin.* iam allatus, parum obſtat, cum falſum omninò ſit, Reliquias, quæ colendæ publicè proponuntur eſſe ſuppoſititias, aut falſas, ſemper enim attentiſſimè ſtuduit Eccleſia, ne fraudes obreperent, præcipuè poſt decretum Lateranenſis Concilij, vt nullæ Reliquiæ publicè recipiantur ſine auctoritate Romani Pontificis, & vt oſtendantur cum veneratione; & dignitate competenti, ne earum occaſione fiant mercimonia, & ne ijs, qui pro earum veneratione accedant ſtruantur ſtrophæ, & fingantur miracula, vt factum memorat *Gregor.* & *Gregor.*

Digitized by Google

*gor. Turon.* firmatque *Tex. in c. 3. de Reliq. & Venerat. Sanct.* & nouiſſimè *Concil. Trident. Seſſ. 25. Decr. de Reliq. & vener. Sanct.* vbi Ordinarijs, quòad Reliquias Sancti Canonizati curam approbandi iniungit; quod autem dubitatiuè,& ſuſpensè loquitur *Auguſtin.* dum ait. *Si tamen Martyrum*, iuſtè id facit;loquitur enim de Reliquijs, quas priuati homines circumferebant,cum nos loquamur de Reliquijs legitimè approbatis, & in Templo publicè conſeruatis.

Lib. 3. ep. 12. c. 30. — Lib. 9. hiſtor. Franc. c. 6.

Neque attendendum, quod nullum extet Chriſti, aut Apoſtolorum præceptum de Reliquiarum cultu; ſat enim eſt generale præceptum, vt quæ ſunt bona fiant; neque de ſingulis erat dandum, & cum Reliquiarum cultus ſit bonus in ſe ex hactenus dictis, ideò obſeruandus, etiam ſi nullum præciſum extet præceptum. Calumnias,& mendacia contra ſacras Reliquias à Magdeburgenſibus præcipuè excogitata detexit, & confutauit exactiſſimè *Bellarmin.* nec ſingula hæc cenſemus congerenda, at ſacrarum Reliquiarum cultu declarato, ac propugnato pro inſtituto operis iam ad venerationem Sanctorum tranſeamus, quam proponit & Summus Pontifex *Rub. inſcribens de Reliquijs, & veneratione Sanctorum*, primaque parte ipſius *Rub.* explicita aſſumemus ſecundam, & ne lectorem terreat prolixitas, materiæ de Veneratione Sanctorum dabimus §. ſequentem.

biſupra c. 2.

## De Sanctorum Veneratione.

## §. I.

1 *Introducitur Catholica veritas, & dantur eius fundamenta.*

2 *Aſſignantur tres adorationis ſpecies, & tres in ea actus diſtinguuntur iunctis auctoritatibus.*

3 *Diſtinctio applicatur Sanctorum venerationi, & cultui, & confirmatur.*

4 *Fit tranſitus ad SS. interceſſionem, & inuocationem, eaque firmatur, & exponitur.*

5 *Inde ad approbationem Eccleſiæ neceſſariam, ſeu Canonizationem.*

Ep. 1. ad Cornelium c. 5.

SAcrarum Reliquiarum cultui,planè cohæret Sanctorum veneratio,tum ex *Rub.* inſcriptione apud *Gregor.* tum ex re ipſa, quando vix poſſint coli Sanctorum poſt mortem membra, & quæcumque ad eos attinentia, & ſimul non cognoſcatur debita ipſorum nomini, & animæ poſt mortem veneratio, & de hac agendum aſſumimus opportunè, cum peculiaris circa ipſam ex Nouatorum opinionibus vigeat difficultas, & quia hæc veneratio potiſſimum in eorum inuocatione.& implorata interceſſione conſiſtit, ideò Nouatores hanc acerrimè impugnant; & nuperum Eccleſiæ Romanæ inuentum incuſant.

1 Vt igitur veritatem Catholicam iuxta huius operis inſtitutum adſtruamus circa controuerſiæ exactam diſceptationem, ſupponemus eandem Catholicam veritatem, quod ſcilicet Animæ Sanctorum poſt obitum iam nunc fruuntur Dei viſione tanquam beatæ, quam quidem veritatem operoſiſſimè propugnauit,& confirmauit *Card. Bellarmin.* coaceruatis argumentis ex quolibet fonte,vnde poſſint deſumi, ſiue ſacræ ſcripturæ,ſiue Sanctorum Patrum exigas auctoritates, tum Græcorum, tum Latinorum, Ex Sacra Scriptura, notabilis eſt illa Eccleſiaſtici. *Facile eſt coram Deo in die obitus retribuere vnicuique ſecundùm opera ſua*, cuius propoſitionis veritas eſt eadem omni tempore ſiue illo, quo nondum cœlum erat reſeratum, ſed ſolus patebat iuſtis

Lib. 1. de Sanct. Beatitud. cap. 2. & ſeq. — c. 11.

Abrahæ

Abrahæ ſinus, ſiue illo, quo per Chriſti mortem patefactæ ſunt ianuæ Cęli, neq; enim in hoc venit conſtituenda differentia. Splendidiſſimum eſt *D. Pauli* teſtimonium; *ſcimus, quod ſi terreſtris domus noſtra huius habitationis diſſoluatur, ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam æternam in Cœlis; nam in hoc ingemiſcimus habitationem noſtram, quæ de Cęlo eſt ſuperindui cupientes. ſi tamen veſtiti, & non nudi inueniamur, nam & qui ſumus in hoc Tabernaculo ingemiſcimus grauati, eo quod nolumus expoliari ſed ſuperueſtiri, vt abſorbeatur, quod mortale eſt à vita &c.* Communis tum Græcorum, tum Latinorum expoſitio, vt pro domo hac terreſtri intelligatur corpus mortale, & vita præſens corporalis, inferiùs enim id expreſſit *D. Paul.* dum ait, *dum ſumus in hoc corpore peregrinamur à Domino*, pro domo verò æterna, & cœleſti, non corpus immortale, vt plerique Patrum expoſuere, ſed vitam æternam, quæ in viſione Dei conſiſtit, vt expoſuit *D. Thom.* & alij ante eum in hunc *D. Pauli* locum, qua exhibita planè literali expoſitione ſuffragantur, & ſequentia eiuſdem *D. Pauli* verba *Audentes igitur, & ſcientes, quia dum ſumus in corpore peregrinamur à Domino &c.* iamque concluditur viſio Dei, & beatitudo poſt mortem ante ſupremam Reſurrectionis diem, quibus ſi addas promiſſum à Chriſto Domino factum latroni ſecum in Cruce pendenti *Hodie mecum eris in Paradiſo*, planè indubia redditur veritas, quidquid detorquere, & diſtinguere niſi fuerint, quos angunt hæc ipſa verba, quæ in ſe, vt ſimpliciſſima, ita clariſſima ſunt; auctoritatibus demùm accedat & ratio; à ſupplicijs damnatorum deſumpta; infliguntur enim ipſis tormenta ſtatim poſt mortem *Lucæ c. 16. Diues autem cum in tormentis eſſet*. Non attexemus hic diſquiſitionem; an hæc narrata ibi de Lazaro ſint parabola, vel hiſtoria, qua de re diligenter *Baron.* at admittemus cum *Ambroſ. Hieronymo, Auguſtino* eſſe verè hiſtoriam, parabola enim non poteſt ſignificare res futuras poſt diem Iudicij, ſed rem præteritam, vel præſentem nam Diues ait, *Rogo Pater Abraham, vt mittas Lazarum ad fratres meos, cui Abraham. Habent Moyſem, & Prophetas audient illos*: poſt diem Iudicij nulli erunt homines in hoc mundo, nec poterunt Moyſem, & Prophetas audire; vnde eſto, quod narratio ſit parabolica, probat tamen, & oſtendit damnatorum animas nunc pœnis torqueri, atque adeò iuſtos præmio gloriæ gaudere, id enim iuſtitia exigit, cum Deus propenſior non ſit ad puniendum quàm ad præmium largiendum; *reddit enim cuique iuxta opera ſua*.

*Ep. 2. ad Corinth. c. 5.*

*Ann. tom. 1. anno. In Luc. c. 16. lib. 2. contra Iouinian. de cura pro mor. tuis c. 14.*

2 Admiſſo hoc ſtatu electorum ſtatim poſt mortem in Cœlo regnantium, prout veritas Catholica, & fides Diuina docet; nihil eſt, quod ſuadeat, quò minùs eoſdem venerari, colere, & inuocare liceat, at eo cultu, qui creaturam deceat, & adoratione Diuina ſit longè inferior; diximus alibi, cum ageremus de oſculo pedum, & adoratione Summi Pontificis, adorationem latè, & non adeò propriè, & preſſè ſumi, reſpondet enim adoratio, ſeu cultus excellentiæ, quæ colitur, vnde cum triplex ſit excellentia, & triplex debet diſtingui adoratio. Prima eſt excellentia Diuina, eaque infinita, & huic reſpondet prima, & præcipua ſpecies cultus, quæ dicitur latria. Secunda eſt excellentia humana, quæ conſiſtit in humanis virtutibus, dignitatibus, gradibus, honoribus, & huic reſpondet propria ſpecies cultus, quæ dici poteſt cultus ciuilis, & quædam obſeruantia, de qua *Ariſtoteles* tractat, quæ etiam pro diuerſitate obiecti dici poteſt varia, alia enim eſt obſeruantia, quæ debetur Patri,

*Lib. 9. Ethic. c. 2.*

tri, alia, quæ Præceptori, quæ Principi, ſapienti, & docto homini. Tertia demùm eſt excellentia quædam media inter Diuinam, & humanam, cuiuſmodi gratia, & gloria Sanctorum, & huic reſpondet tertia ſpecies cultus, quæ communiter dicitur dulia, & quia inter creaturas humanitas Chriſti per ſe, & ſeparatim conſiderata, & prout fuit vnita, & aſſumpta à verbo dicit excellentiam humana maiorem, & Beatiſſima Virgo eius Mater pariter, inde fit, vt reſpectu vtriuſque Duliæ cultus extollatur, & euehatur ad gradum altiorem, & hyperdulia dicatur, tertiaque ſpecies adorationis inde conſtituatur, qua de re agunt Theologi ex profeſſo, qui & in adoratione tres actus diſtinguunt. Primus eſt actus intellectus, quo alicuius excellentiam apprehendimus. Secundus eſt voluntatis, quo excellentiæ ſic apprehenſæ interius nos proſternimus, & volumus actum interiorem, aut exteriorem, quo proteſtemur eamdem excellentiam, & noſtram ſubiectionem. Tertius demùm eſt actus exterior, ad idem directus, vt inclinatio capitis, genuflexio, aut aliud conſimile ſubiectionis ſignum; adorationis ratio potiſſima in 2. actu conſiſtit, ſola enim apprehenſio, quæ eſt in primo actu, poteſt eſſe ſine adoratione, tertius non eſt adeò certus ex ſe, niſi intentione determinetur; nam genuflexio, capitis inclinatio, aut ſi qui alij actus, poſſunt fieri etiam animo irridendi, ſic enim in paſſione genuflectebant Iudæi coram Chriſto Domino, eumque tanquam Regem ſalutabant, nec tamen venerari, ſed magis ſpernere intendebant. In explicanda autem hac voluntate, qua adoratio inducitur, nullum extat vocabulum, nullusue terminus, qui cultum ſolius Dei proprium ſignificet, ſiue in Hebraica lingua, ſiue in Latina *Geneſ. enim c. 17. 18. & 43.* tam homines, quàm Angeli, & Deus ipſe dicitur adorari; in Latina verò, vt obſeruauit etiam *D. Auguſtin.* multò minùs, & ideò SS. Patres Eccleſiæ adorationis, & religionis vocem modò creaturis concedunt, modò negant, prout variè accipiunt, & demùm Theologi, vt diuerſitatem cultus obiectiuam diſtinctè indicarent, duos terminos excogitarunt in græco idiomate, & latriam, ac duliam dixerunt, & cum ſit patens differentia inter cultum Dei, & Sanctorum, ideò ad illum ſignificandum *latriæ* vocem aſſumpſerunt; duliam vero omni ſeruituti applicarunt, ſiue Dei, ſiue hominum ſumendo duliam non ſolùm pro ſeruitute mancipiorum, ſed pro quacumque ſubiectione honoraria præſertim, ſed diuerſa à ciuili cultu.

*In pr. Sent. diſ. 9.*

*Matth.*

*Lib. 10. de Ciuitate Dei c. 1.*

Iam ergo inde inferimus ad iuſtam, ac rationabilem Sanctorum venerationem, ſicut & Angelorum poſt Deum, ac iuſtitiam huius venerationis confirmant auctoritates plures ex Sacræ Scripturæ monumentis. Pſalmo enim 98. *Adorate ſcabellum pedum eius, quoniam ſanctum eſt*, quæ ſanè auctoritas literaliter de Arca Domini accipitur, de qua & *Salomon*; *Paraui domum, vbi requieſceret arca Domini, & ſcabellum pedum Dei noſtri*, & Pſalm. 131. *Introibimus in Tabernaculum eius, adorabimus in loco, vbi ſteterunt pedes eius* miſſis alijs, iam certè in hiſce auctoritatibus iniungitur aliquis cultus, idque indicat verbum *adorare*, & ratio, propter quam ipſa adoratio indicitur, *quoniam ſanctum eſt*, ſcabellum ſcilicet adorandum, quæ ratio etiam alium cultum indicat, quàm merè ciuilem, qui non debetur per excellentiam ſanctitatis, & ſupra humanam. Atque Arca Teſtamenti fuit creatura, igitur creaturæ veneratio iuſtè debetur. Augetur illatio, quia legimus in eadem Sacra Scriptura pios, & prudentes viros An-

*1. Paralipom. c. 28*

gelos

Geneſ. c. 18. & c. 19. gelos adoraſſe; Abraham enim, & Loth Angelum adorarunt,& ne dicatur,adoraſſe quidem vtrumque,ſed & ignoraſſe quod Angeli eſſent, ſubnectemus apertiorem vnam, & alteram auctoritatem; Numer. c. 22. *Aperuit Dominus oculos Balaam, & vidit Angelum ſtantem in via euaginato gladio, adorauitque eum pronus* Ioſue c. 5. *in terram*. Ioſue etiam eum vidiſſet virum ſtantem euaginato gladio dixit. *Noſter es,an aduerſariorum*, ille ait, *nequaquam, ſed Princeps ſum exercitus Domini,continuò cecidit Ioſuè pronus in terram,& adorauit*, & en vtrobique cultum,& adorationem mediam inter Diuinam,& ciuilem. Nam Balaam vidit,& agnouit Angelum,nec Ioſue credidit eſſe Deum illum, quem adorabat quia Angelus expreſsè declarauerat ſe eſſe Dei Miniſtrum, & adorauit non ciuiliter, ſed religioſè, quia Ioſue non antè adorauit, quàm intellexerit eſſe Dei Legatum,hancque adorationem Angelis approbauit, immò & maiorem exegit dicens. *Solue calceamenta pedum tuorum, locus enim, in quo ſtas ſanctus eſt*,& certè non alia ratione ſanctus, niſi ob præſentiam Angeli,eique meritò delata media adoratio,Diuina inferior,ſed ciuili maior.

Lib.1.Regum c.28 Sed & infra Angelos; Saul adorat animam Samuelis ſibi apparentem; animæ defunctorum non debetur honor ciuilis,nec argui poteſt erroris Saul, quia nec Samuel,nec S.Scriptura ipſum Lib.3.Regum c.18 reprehendit. Abdias Vir Sanctus Heliam adorauit pronus in terram, & tanquam Prophetam, excellentiam in eo reueritus pluſquam ciuilem, vt alia ex eodem fonte omittamus exempla; quæ ſecuti SS.Patres,tum Græci,tum Latini in venerationem, & cultum Sanctorum vnanimes conſenſerunt,quorum ſingulorum auctoritates retulit longa ſerie De ſanct. Beat.lib. 1. c. 13. *Bellarmin.* & iuſtè, nam ſi ſapientiæ, virtuti, potentiæ,nobilitati ciuili,honor ciuilis debetur; & poteſtati, virtuti, ſapientiæ, nobilitati pluſquam ciuili, honor etiam pluſquam ciuilis iuſtè debetur, quidquid autem habent Beati in patria eſt longè excelſius quocumque bono, & quacumque dote, quam habeant in via, & ſi quatuor ſupradicta conferamus, apparebunt longè ſubliniora in ipſis, ideòque meritò honor excelſior,& ſublimioris ordinis, quam ſit cultus merè ciuilis debetur.

3 Attenta autem hac diſtinctione latriæ,& Duliæ, quæ vtraque latè ſumpto adorationis nomine, & cultus continetur,facilè tolluntur quæcumq; Nouatores contra Sanctorum Catholicam venerationem effutiunt; non enim ſola latria datur,ſed & dulia, quæ ſecundariò adorationem ſignificat,cum in principaliori ſignificato adoratio latriam dicat,quæ primò, & principaliter adorationem ſoli Deo debitam indicat. Quam quidem differentiam eleganter expreſſit *D. Auguſtin.* & hac auctoritate contenti erimus; ait igitur, *Beatiſ-* In Pſalm.25. de Sanctis. *ſimum Petrum piſcatorem modò genibus prouolutis adorat multitudo credentium per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum*,& ex oppoſito ſumpſit colendi verbum ſtrictiori modo, ſcribens enim ad *Maximum Grammaticum*, Epiſt. 44. inquit. *Ne te lateat, & in ſacrilega conuicia impudentem trahat, ſcias, à Chriſtianis Catholicis, nullum coli mortuorum*, & ne errandi occaſio ex ea loquendi forma ſubreperet,ſtatim,& immediatè ſe expreſſit, *nihil denique, vt Numen adorari, quod ſit factum, & conditum à Deo*. Indicat enim apertiſſimè ſe cultum in poſtremis hiſce verbis accepiſſe preſſiùs, exprimendo enim *Numen* indicauit ſe intelligere de cultu latriæ;at in prioribus adorationis,ſeu adorandi terminum ſumpſiſſe latiùs.

Indeque conſequitur malè,& inconſultè

ſultè opponi ab iiſdem Nouatoribus, quod hæc Sanctorum veneratio ſit nuperum, ſeu nouitium in Eccleſia inuentum; reuincunt enim falſitatem obiecti *SS. Patrum Ambroſij*, *Auguſtini*, *Damaſceni*, *Cypriani*, *Hieronymi*, & aliorum iam ſupra tactæ auctoritates, qui ſanè nuperi auctores dici non poſſunt, & ante ipſos iam conſtat ab Apoſtolorum æuo conſuetudinem in Eccleſia obtinuiſſe, vt in Sacrificio memoria fieret aliquorum Martyrum in particulari, & dies eorum Martyrij notaretur, vt in annis ſingulis ea celebraretur, colligitur ex *D. Cypriano*, *Cyrillo Hieroſolymitano*, *Euſebio*, & præſertim ex omnium antiquiſſimo *Tertulliano*, qui hanc recenſet inter traditiones non ſcriptas, quæ ſummam in Eccleſia auctoritatem habent, ſunt eius verba. *Oblationes pro Defunctis, pro Natalitijs annua die facimus*, & de Natalitijs Martyrum contra Bhenanum expoſuit ibi *Pamellius* ex *Cypriano*.

*Ep. 34. & 37. Cathecheſ. 5. Myſtag. lib. 4 hiſt. c. 14. & 15. De Corona mil. c. 3. Ep. 34. n. 13.*

4 Mirè confirmat hanc Sanctorum in Eccleſia venerationem eorumdem inuocatio, hæc enim & pars potiſſima exhibiti cultus, & venerationis in eos, quæ quidem, vt eſt vetuſtiſſima obſeruatio in Eccleſia, ita & antiquitus fuit ſemper ab hæreticis impugnata, primuſque *Vigilantius*, contra quem pugnauit acerrimè *D. Hieronym.* ſecuti ſunt ſubinde alij hæretici ſucceſſiuè, quos recenſet pro inſtituto ſuo *Bellarmin.* & demùm ventum ad Lutherum, & Caluinum, & alios eorum ſectatores, qui dixerunt primò nuſquam ex Sacra Scriptura conſtare, quod Sancti poſt mortem orent pro viuis, hocque conſequenter aſſeri ſine vllo auctoritatis fundamento, ſecundò, quod ſi Sancti orant, orant quidem pro Eccleſia Iuſtorum in genere, at non pro hoc, aut illo in ſpeciali; tertiò demùm inutile, & illicitum eſſe inuocare Angelos, aut homines, & petere, vt pro nobis orent; inutile, quia in tanta diſtantia nos non audiunt, nec audire poſſunt; illicitum, quia inuocare Sanctos, & eos orare non poſſumus ſine Chriſti Domini iniuria, qui eſt vnicus mediator noſter, & interceſſor, addentes eſſe nouum in Eccleſia hoc inuentum, nec ante D. Gregorium cognitum; quas autem congerant calumnias, & quæ iactent dicteria contra hanc Catholicam veritatem, non eſt cur deſcribamus; proſtant enim omnia apud *Bellarmin.* non itaque nouitium in Eccleſia dixeris rectè, & verè, quod vetuſtiſſimi Sanctorum Patrum, & norunt, & approbarunt; aſſerentes Sanctos in patria eſſe de ſalute noſtra ſollicitos, ac pro nobis orare, & è contra iuſtè à nobis honorari, vt ſuis orationibus nos iuuent; ſic enim *D. Auguſtin. S. Leo Magnus*, *Hilar. Hieronym.* cuius & Auguſtini vna, & altera contenti erimus auctoritate. *Auguſtin.* ergo. *Dominus Ieſus Chriſtus adhuc interpellat pro nobis. Omnes Martyres, qui cum illo ſunt, interpellant pro nobis, non tranſeunt interpellationes eorum, niſi cum tranſierit gemitus noſter.* *Hieronym. Si Apoſtoli, & Martyres adhuc in corpore conſtituti poſſunt orare pro cæteris, quando pro ſe adhuc debent eſſe ſoliciti, quantò magis poſt coronas, & victorias, & triumphos*, & alibi ad *Paulam* ſcribens de obitu Bleſillæ filiæ. *Pro te Dominum rogat, mihique, vt de eius mente ſecurus ſum, veniam impetrat peccatorum*. Auctoritates duo confirmant, ex quibus, & duo præcipua Nouatorum dicta confutantur. Alterum, quod Sancti pro nobis non ſolùm in genere, ſed in ſpecie orent; alterum, quod ſi pro nobis orant, poſſint à nobis etiam honeſtiſſimè orari, vt pro nobis intercedant, & orando impetrent. Proderit autem maximè ad ſubuertendas calumnias noſſe modum, quo nos petimus,

*Contr. tom. 1. de Sanct. Beat. lib. 1. c. 15.*

*Vbi ſup. c. 6.*

*20. cont. Fauſtum c. 21. & lib. 22. de Ciuitate Dei c. 27 in fine. Serm. 2. Apoſtol. Paul. In Pſalm. 124. lib. de mortalit. in fine cont. Vigilant. in Pſalm. 85. in fine.*

*Epiſt. 25.*

mus, & ipſi orant. Non itaque petimus orantes, vt Sancti tanquam auctores, & virtute ſua gloriam, gratiam, & alia ad beatitudinem ſpectantia largiantur, ſicut in inuidiam exprobrant, & comminiſcuntur Nouatores, cum ſciamus, *quod gloriam, & gratiam dabit Dominus, & quod omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt deſcendens à Patre luminum*; excedunt enim hęc tanquam ſupernaturalia vires creaturæ, adeòque & Sanctorum. Sed petimus, vt orent pro nobis, & intercedendo impetrent à Deo, quod à ſola eius manu procedere poteſt; neque tamen per hoc intendimus, quod ſint immediati interceſſores noſtri apud Deum, ſed quidquid nobis orando impetrant per Christum impetrant; ſolus enim Chriſtus eſt, qui mundum reconciliauit Deo, & meruit nobis gratiam, gloriam, & omnia neceſſaria ad ſalutem. Hincque orationes omnes Eccleſiæ concludunt *Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum &c. Per Chriſtum Dominum noſtrum &c.* Orare autem Sanctos, & Beatos pro nobis non ſolùm in genere, ſed etiam in ſingulari firmant auctoritates *Auguſtini*, & *Hieronymi* iam ſupra allatæ, indeq; rationabilem, iuſtam, & meritò ab Eccleſia ad Miſſam, & approbatam Sanctorum inuocationem concludimus. Hiſce autem omnibus iam ſupradictis conſideratis nihili ſunt facienda, quæ aduerſus hanc ipſam Sanctorum inuocationem obijciunt, detorquent enim Catholicum intellectum iam ſupra expreſſum, quem ſi attendamus, inane planè eſt aſſerere per Sanctorum inuocationem iniuriam fieri & Deo, in quem vnum credimus, & non in alium, D. autem *Paulus* ait, *Quomodo inuocabunt in quem non crediderunt*. Si igitur Sanctos inuocamus, in ipſos credimus, idque non ſine Dei iniuria, in quem vnum credendum Chriſto, qui mediator ſolus, nam *D. Paulus idem*. *Vnus eſt mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Ieſus*. Inuocare autem Sanctos eſt eos mediatores agnoſcere, idque non ſine Chriſti pariter iniuria.

*Pſalm. 83.* — *Iacob. c. 1.* — *Ad Coloſſen. c. 1* — *Ioan. 10. 14. 16.* — *Ad Rom. c. 10.* — *1. ad Timoth.*

Iam diximus, qua intentione inuocentur, non tanquam auctores boni, quod optamus, aut petimus, ſed tanquam Interceſſores, Aduocati, & Amici Dei, nulla autem fit iniuria Principi, ſi eius amici honorentur, ſi ad ipſum mittantur Oratores, & Legati; non inuocamus pariter, vt fungantur vice Chriſti vnici mediatoris, aut ipſum in impetrando adiuuent, ſed vt orationibus ſuis adiuuent nos, quo facilius per Chriſtum impetremus, quod petimus, aliàs damnabile etiam eſſet, viuorum orationes petere, & procurare, quod tamen nec hæretici ipſi damnare audent; non detorqueatur, aut diſſimuletur ſenſus, quo Eccleſia Sanctorum inuocationem dirigit, & ceſſabunt omnia obiecta huiuſmodi, & alio ſenſu eſt ſolus mediator Chriſtus, alio fiunt mediatores Sancti, dum orantur, qua de re latè *Bellarmin*. Demùm non capiunt, aut capere nolunt ſectarij, quomodo Sancti preces noſtras audiant, & ſentiant, & præcipuè illas, quas homines ſolo animi voto concipiunt, indeque arguunt fruſtra eos inuocari, aut orari, qui ignorant deſideria noſtra.

*De Sanct. beat. lib. 1. c. 20*

Ignorare ipſos petitiones noſtras falſum omninò eſt, cum præſint nobis, & rerum noſtrarum curam gerant. Difficultas eſt de modo, variæ enim in hoc ſunt opiniones, omiſſis alijs, duæ ſunt potiores. Altera aſſerit, Sanctos videre in Deo à principio ſuæ beatitudinis, quæ ad ipſos aliquo modo pertinent, adeòq; & orationes noſtras ad ipſos directas. Ita *D. Thom.* & *D. Gregor.* Altera verò admittit, non videre Sanctos orationes noſtras à principio ſuæ beatitudinis, ſed

*3. p. q. 10. art. 2. & q. 83. artic. 4.* — *Lib. 12. moral. c. 13.*

tunc

tunc tantùm eas ipſis à Deo reuelari, quando ipſas fundimus, ſeu porrigimus. Prima opinio, vel primus modus eſt probabilior, nam ſi Sancti haberent opus ſemper reuelatione, vt ſcirent preces noſtras, Eccleſia non adeò fidenter diceret, *Orate pro nobis*, ſed rogaret potiùs, vt Deus eis reuelaret, nec adeò de facili reddi poſſet ratio, cur poſt Chriſti aduentum Sancti inuocentur, & ante eius aduentum non inuocarentur, quantumuis Caluini ſectatores nullo modo illi opinioni acquieſcerent, qui non admittunt Sanctos poſt mortem ſtatim videre Deum ante Iudicij diem.

At ſecundus modus, reuelationis ſcilicet Diuinæ, non caret ſua probabilitate, ſic enim Prophetæ cognouerunt futura, & Sancti homines in vita, Deo reuelante, abdita cordium nonnunquam penetrarunt, vt Samuel 1. *Reg.* *c.* 9. Eliſeus 4. *Reg. c.* 5. D. Petrus *act.* *c.* 5. S. Benedictus, idque multò magis credendum de Sanctis in Cœlo. Cur autem non regulariter inuocarentur Patres in Limbo ante aduentum Chriſti, ſicut modò Sancti poſt eius aduentum, ipſiſque non reuelarentur preces viuentium ſicut modo reuelantur in Cęlo. Reſpondemus, ideò non fuiſſe reuelatum Patribus in Limbo, quid inter viuentes ageretur, quia non erant Beati nam ad perfectionem beatitudinis pertinet ſcire ea, quæ ad ſe pertinent, & præcipuè, quæ gloriam, & honorem tangunt; at verò Sancti poſt Chriſtum ſunt Beati, quæ beatitudo in clara Dei viſione conſiſtit, Deus abdita cordium videt naturaliter, & virtute propria, Sancti verò ea tantùm agnoſcunt, quæ à Deo ipſis manifeſtantur, ſiue viſione beatifica, ſiue noua reuelatione; iuſtè igitur, & rationabiliter inuocantur, hæcq; ipſa inuocatio eſt præcipua pars eorum cultus, ſed eorum, quos Eccleſia pro verè Sanctis agnouerit, & quibus cultum decreuerit, neque enim fas eſt aliquem publicè pro Sancto agnoſcere, aut colere ſine Eccleſiæ decreto, & auctoritate, ſic enim *Alex. III. in cap. 1. de Reliq. & Venerat. Sanct.* Quod ipſum, & ſolo naturali lumine valde religioni conferens agnouere & Romani, apud quos lex aderat, ne quis inter Numina coleretur, niſi præuia Senatus approbatione, & decreto; *Tertullian. Vt de origine aliquid retractemus eiuſmodi legum, vetus erat decretum, ne quis Deus ab Imperatore conſecraretur, niſi à Senatu approbatus*, quod confirmat & *Euſeb.* totidem fermè verbis: *lex enim erat antiquitùs deſignata, ne quis apud Romanos Deus haberetur, niſi Senatus decreto, & ſententia confirmatus*, quod ipſum, & apud Athenienſes ſeruatum teſtatur *Samuel Petit.* ideòq; & Eccleſia Catholica in Sanctorum, & Martyrum decernenda veneratione, cautè ſemper admodum inceſſit, nec temerè, aut facilè huiuſmodi cultum admiſit, & vt in rebus omnibus, vel ipſius naturæ exemplo, ab imperfecto ad perfectum inceditur, ita, & in decernendo Sanctorum cultu quaſi per gradus fuit proceſſum. Primò enim, vt aduertit *Baron.* vbi Martyrium alicuius fidelis contigiſſet Epiſcopus, in cuius Diœceſi id euenerat, ſcribebat Primati, qui adhibitis in conſilium collegis Epiſcopis decernebat, an inter Martyres eſſet recenſendus, vt ex *D. Auguſtino* notat idem *Baron.* Verùm ea diſcuſſio, & examen non ſolùm fiebat circa Martyres, ſed & circa eum, qui mortuus eſſet Confeſſor.

In Martyre non adeò exacta, & rigoroſa fiebat, & fit inquiſitio, ſed potiſſimè attenditur fortitudo, & charitas, qua conſtanter mortem ſubierit ſibi à Tyranno illatam in odium fidei; nec minùs inquiritur in cauſam ſubeundi Martyrij, ne fieret, vt negociationibus implicita

*Lib. 2. Dialog. c. 20.*

*Apolog. c. 5.*

*Lib. 2. c. 2.*

*Ad Ius Attic. lib. 1. tit. 1. in princ.*

*In not. ad Martyrolog. 2. April.*

*In breui colla. die 3. c. 13. vbi ſup.*

cita turparetur, & ſola attendebatur pro cauſa Euangelij propagatio, fidei confeſſio,& mors paſſa ex Dei charitate, vt ſcribit *D. Hieronym.* & neceſſaria erat diligens hæc inquiſitio,quia in Eccleſiæ primordijs,cum omnia Martyrum ſanguine redundarent, Hæretici nonnunquam, & ſchiſmatici pro Chriſti nomine tormenta pati videbantur à perſecutoribus, qui cum paterentur, & non eſſent intra Eccleſiam, vt falſa erat eorum fides,ita & falſum Martyrium, vt *S. Auguſtin.* de Donatiſtis ſæpe teſtatur;at vbi de Confeſſore ageretur,fiebat diſcuſſio de vita,& moribus, fama publica ſanctitatis, exercitio virtutum,& præcipuè Theologalium, & de miraculis præſertim, feruentibus autem perſecutionibus Notarij, qui ad id deputabantur(vt Romæ fecit S. Clemens)geſta, & acta Martyrum colligebant, & Epiſcopi in Diœceſibus ſuis, miniſtros ad id deputabant, qui omnes, & acta Martyrum, & aliorum excellentes virtutes,miracula,& ea omnia,quæ ſanctitatem præſeferebant ſcriptis commendabant. Cum nominibus omnium,& hæc erat canonizatio perſecutionum tempore,vt memoriæ eorum in Eccleſia celebrari poſſent.

*In Pſalm. 115.*

Ceſſantibus perſecutionibus, quamuis Martyrum non daretur occaſio, attamen voluit Deus, vt in Eccleſia ſua fulgerent homines perfecti, virtutibus omnibus ornati, & admodum ſingularibus,qui etiam viuentes miraculorum gratia corruſcarent, & poſt mortem ad eorum ſepulchra fieret concurſus, cum oblatione donariorum, accenſione luminum, ob expertam efficacem eorum interceſſionem, ſi Epiſcopus hunc concurſum expreſsè approbaſſet, & nomen ſerui Dei in Cathalogo Sanctorum Eccleſiæ præuia debita diligentia regeri mandaſſet,hæc erat Canonizatio,ſi verò cultum, & venerationem tantùm toleraſſet,habebat tantùm rationem beatificationis. Cum autem Epiſcopi ſe redderent aliquando nimis faciles ad recenſendum aliquos in Sanctorum numerum, cęperunt cauſæ huiuſmodi deferri ad Concilia generalia.

5 Subinde & Principes, ac populi ad Sedem Apoſtolicam recurrere, & ad eam demùm omnes Canonizationes ſunt auocatæ per *Alex. III. Summum Pontificem in c. audiuimus primò de Reliquijs,& Veneratione Sanctorum*, ſicque ſublatæ fuerunt Canonizationes particulares,quæ fieri ſolebant ab Epiſcopis, & proceſſu temporis cauſæ huiuſmodi eò perfectionis ſunt redactæ per Decreta generalia Sanctiſſimi Vrbani VIII. vt nulla maior diligentia in re adeò graui poſſit adhiberi; indicant Tractatus hac de re editi, & præcipuè nouiſſimus Reuerendiſſimi Epiſcopi S. Seueri, qui vt poſtremus omnium, ita omnium abſolutiſſimus, ad quem remittimus. Hæc igitur approbatio, & declaratio ſanctitatis alicuius fidelis eſt, & dicitur Canonizatio, quæ differt à beatificatione, Beati enim veneratio, & cultus permittitur, Canonizatio verò præcipitur; propoſitio Canonizati ad fidei certitudinem ſpectat, Beati non item, quamuis ſiquidem cenſuiſſe videantur *Gloſ. ad c.vn. verbo Sedis Apoſtolicæ,de Reliq.& ven. Sanct.in 6.& cum ea Melch. Cano.* Subeſſe errorem Sanctorum Canonizationi poſſe; attamen ſanior, & communior opinio eſt, Summum Pontificem in actu adeò inſigni,& graui veræ religionis errare non poſſe,nec Deum in hac parte Eccleſiam ſuam ita deſerere, vt adhibitis tot diligentijs errare poſſit, pluresq; alias congruas rationes congeſſit *Bellarmin.* non moramur vulgarem illam ſententiam,ſeu dictum *D. Auguſtini. Quod multorum corpora honorantur in terris, quorum animæ torquentur in Gehenna,*

*De loc.Theol. lib. 5. c. 5.*

*Vbi ſup. c. 9.*

*henna*, quia nuſquam hoc dictum à ſe repertum inter opera Auguſtini teſtatur *Bellarmin.* & poteſt ita exponi, vt intelligatur de corporibus non Canonizatis,aut de corporibus fraude aliqua ſuppoſitis pro corporibus Sanctorum, vel demùm de Martyribus Donatiſtarum in Africâ, qui honorabantur ab eorum ſectarijs tanquam Martyres.

Aliam differentiam inter Beatificationem, & Canonizationem notauit *Ad c. 1. n. 7.* *Gonzal.* quod ſcilicet Canonizatio nunquam licuit Epiſcopis, Beatificatio autem primis illis Eccleſiæ ſæculis ab ipſis Epiſcopis fiebat,niſi ita accipiamus vt quæ approbatio modo fit pro tuta Sanctorum veneratione dicatur Canonizatio tanquam vniuerſalis pro tota Eccleſia,quæ autem fiebat olim ab Epiſcopis in Diœceſibus particularibus,non diceretur tunc Canonizatio, cum non videatur adeò certum, quod hæc ipſa Epiſcopalis approbatio diceretur tunc Beatificatio, vnde non malè videtur idem *Gonzal.* ſenſiſſe falſum eſſe,quod communiter aſſeritur, quod §. Alexander III. Summus Pontifex Canonizationem Sanctorum Sedi Apoſtolicæ reſeruarit ea adempta inferioribus Prælatis, cum enim Canonizatio ſit approbatio Sanctitatis pro tota vniuerſali Eccleſia hæc ab alio fieri nunquam potuit, niſi à ſupremo eiuſdem Eccleſiæ Capite. Hoc ratum, quod munus hoc eſt Summi Pontificis, qui gaudet peculiari aſſiſtentia Sancti Spiritus, quam non deficere in hoc caſu adeò graui credendum eſt,ideòque honor poſt Canonizationem Canonizatis præbetur, qui in hiſce conſiſtit 1. Catalogo Sanctorum deſcribuntur, & nuncupantur Sancti, 2. inuocantur in publicis Eccleſiæ precibus, 3. templa, & aræ Deo dicantur in eorum memoriam, 4. ſacrificia Deo, & preces offeruntur publicè in eorum honorem, 5. dies feſti in eorum memoriam celebrantur, 6. pinguntur eorum imagines cum radijs, 7. eorum Reliquiæ ſeruantur, & coluntur, vt ſupra.

Abſoluta veneratione Sanctorum pro inſtituto noſtro. Addemus de ſacrarum imaginum cultu per excurſum, cum de imaginibus ipſis nihil tangat Summus Pontifex in *tit. de Reliq. & Venerat. Sanct.*

## De Sacrarum Imaginum Cultu.

### Excurſus.

1 *Qui primi Imaginum hoſtes, & inſectatores.*
2 *De differentia inter Idolum, & Imaginem exactè.*
3 *Proponitur, & fundatur ſacrarum Imaginum cultus.*
4 *Canon Concilij Eliberini circa Imagines examinatur.*
5 *Modus, & qualitas cultus ſacrarum Imaginum expenditur, & referuntur opiniones variæ.*
6 *Vetuſtiorum Theologorum opinio confirmatur, & exponitur.*
7 *Principalis obiectio Nouatorum contra Imaginum cultum ex Concilio Francofurdenſi proponitur, & examinatur, vbi de libris Carolinis.*

QVia Nouatores Hæretici præteriti, & huius æui nullum ex Romanæ Eccleſiæ ritibus acriùs impugnant, quàm Sanctorum imagines, eaſque & verbis, & opere lacerant, deijciunt, deſtruunt, quæ etiam in materiali Eccleſia, de qua iam actum, & cuius intuitu hucuſque dicta tradidimus, habentur, & coluntur, ideò de earumdem ſacrarum Imaginum veneratione, & cultu breuiter pro inſtituto, & per excurſum agemus, po-

tiora

tiora in agitatiſſima hac materia promentes.

1 Quia itaque ſacrarum Imaginum acerrimi hoſtes nil magis vrgent, vt eas, & earum cultum ſubuertant, quàm vt Idola ipſas denominent, & Catholicos earumdem cultores Idololatriæ inſimulent, ideò expendemus breuiter, quam propriè, & quàm iuſtè imagines dicantur Idola, & fidelibus Idololatria imputetur, qui eas colunt.

Pudere primò Nouatores ipſos deceret, & obſeruare attentè, quos habeant Auctores, quorumue premant veſtigia, dum ſacras Imagines inſectantur; ſi enim reſpiciant, non alios intuebuntur, quàm Iudæos, Mahumetanos, & Magos, quorum impia doctrina vexata miſerrimè fuit Dei Eccleſia. Tribuitur hæc hæreſis Manichæis, & alijs etiam ſingularibus auctoribus; verùm primi Imaginum inſecutores fuere Iudæi, qui ideò Chriſtianorum Eccleſias, domos Idololatriæ appellant, vt colligitur ex *VII. Synodo*, vbi frequenter dicuntur Hebræi Iconomachi, & præſertim *act.* 5 *eiuſdem Synodi*, ideò fortaſſe, quia aduertentes deteſtationem, qua Deus in ſculptilia, & eorum adorationem in Moſaica lege inuehitur, Idololatriam auertens, in quam Iudæi ipſi nimis erant faciles, & procliues, peruersè abutentes; in Chriſtianorum imagines eam transferunt, intentionem non dijudicantes. Non multò poſt erupit Xenaias quidam Perſa, & Barbarus, quem etiam Iconomachorum Principem vocant
*Lib. 16. c. 17. in Compēd.* *Nicephor.* & *Cedren.* idemque ſeruus, & fugitiuus, qui mentitus ſe Chriſtianum vſque in Epiſcopatum irrepſit; hic non eſſe colendas imagines profeſſus eſt, ſed paucis aliquibus id perſuaſit. Poſt annum 600. Mahumetes impiæ ſectæ Auctor, qui nullas imagines in lege ſua ferali permiſit; centum circiter poſt annis Hebræus quidam Ezidiem Arabum Regem Mahumetanum promiſſo triginta annorum vitæ ſpatio concitauit in Imagines Chriſtianorum, & ab eorum Templis tollendas ſuaſit; Arabes & Hebræos Rex immiſit, qui impium facinus peregere, ſed Rex fraudatus promiſſo remanſit, & Hebræus turpiſſima morte à ſucceſſore Regis illata pœnas dedit.

Demùm inſtigantibus Hebræis Leo Iſaurus nactus Imperium in ſacras Imagines inſurrexit, & deiecta illa Saluatoris, demùm anno 720. generali edicto eas proſcripſit, & poſt ipſum Conſtantinus Copronymus eius filius non minùs in impietate, quam in Imperio ſucceſſor in ſanctas ipſas imagines pariter deſæuijt. Deferbuit hæc impia perſecutio, ſed poſt annum 800. exarſit denuò ſub Leone Armenio, & Michaele Balbo, ac Theophilo eiuſdem ſucceſſoribus, qui omnes iniquiſſimi homines fuere, & Theophilus præſertim Iudaicæ ſectæ, & Necromantiæ addictus. Hos igitur habent Hæretici noſtri æui Auctores eius doctrinæ, qua ſacras imagines deteſtantur, ſiue Lutherani, ſiue Caluiniſtæ, qui omnibus alijs eiſdem ſunt infenſiores, nec maiori in eas vtuntur iaculo, quàm Idololatriæ, & Catholicos inſimulant tanquam Idolorum cultores. Itaque ducemus inde breuis excurſus exordium, vt veritatem Catholicam ab hac vindicemus calumnia, idq; melius præſtari nequit, quam differentiam inter Idolum, & Imaginem aſſignando.

2 Non enim ſunt confundendæ voces iſtæ, quia licet quodlibet Idolum fuerit, etſi imago, non tamen rectè imaginem quamlibet dixeris Idolum, & præcipuè imagines, quas veneratur Catholica Eccleſia; oppoſitum enim damnauit *Nycena Synodus ſecunda act.* 7. Idolum igitur eſt Dei falſi ſimulacrum, vt ait *D. Auguſtin.* & ante

*Lib. 6. quaſt. Vet. Teſtam. quaſt. 41.*
*De Idolatr. c. 4.*

cum *Tertullian. Idola eſſe imagines earum rerum, quas colit humanus error:* Latiùs tamen patent hæc verba nata comprændere omnem imaginem inuentam, & exhibitam ad colendum id, quod cultum, & venerationem non meretur. In eo ergo ſtatuemus differentiam inter idolum, & imaginem, quod idolum eſt falſa imago, ideſt rei, quæ non eſt, vel quæ non eſt adoratione digna, & qua colitur vt Deus, qui non eſt Deus, ſic enim interpretantur communiter Patres de Idolis ſcribentes. Imago verò dicitur, quę veram repræſentationem habet ita *Sander.* vnde proprius accedendo ad ſacras, & Eccleſiaſticas imagines, de quibus modò nobis ſermo, de ratione huiuſce imaginis illud eſt, vt ſit de re vera, & verè ſancta, ac proinde aliqua adoratione digna, ſic enim *Adrianus Summ. Pontifex in Epiſt. ad Conſtantinum, & Irenem* quæ habetur *in Septima ſynodo Act. 2. Imagines tantum ob recordationem Sanctorum pingi, venerari, & coli, quos clarè conſtat, ſeruos eſſe Dei, & pro nobis apud Deitatem obſecrare, & intercedere.* Indèque apparet euidenter, quàm longè differat veneratio Sacrarum imaginum ab idolatria. Nam, quem cultum exhibet Idolatria, is tendit, ac terminatur in idolum tanquàm verum Deum, vel per ſimulacrum dirigit cultum in eum tanquam Deum, qui non eſt Deus, vel ad colendum tanquam Deum impium aliquem aut Dæmonem. At ſacrarum imaginum cultus proximè dirigitur in honorem Dei, vel alicuius perſonæ verè ſanctæ, qui cultus demùm reſoluitur in Deum ipſum. Et ideò, *D. Paulus* ſcripſit: *ſcimus, quia nihil eſt idolum in mundo*, Idolum eſt nihil, non in genere entis, quia dicit corpus materiale, & ſubſiſtens, qualis etiam imago, ſed quia res, quam repræſentat, vel nulla vera res eſt, vel nullam habet veram excellentiam, ob quam ipſi poſſit impendi cultus, vt expoſuit *Origen.* Aut eſt nihil, quia nullius eſt virtutis, aut potentiæ, vt exponit *D. Chryſoſtom. ſunt quidem* (inquit) *ſed nihil poſſunt, nec Dij ſunt* Vnde *D. Auguſtin. ea, quæ colunt gentes, aliquid eſſe, quia ſunt Idola* in quibus Dæmonia adorantur, & ſic vera corpora, non tamen colenda, *ſed ad ſalutem* (ſubdit) *ſunt nihil,* in quem modum dixit idem *Auguſtin.* peccatum eſſe nihil, non quidem inſpecto actu, qui habet ſuam entitatem, ſed attenta eius malitia, per quam conſtituitur in eſſe peccati, ea enim non eſt aliquid ſed mera priuatio boni, adeoque nihil. Excluſo igitur Idololatriæ crimine, cuius auertendi gratia negant Nouatores imaginum cultum, iam ad piam intentionem Eccleſię indicandam & quam rectè ſit fundata, demonſtandum accedamus.

*Lib. 1. de adorat. Imagin. cap. vlt. S. Leoni.*

*1. ad Corint. c. 8.*

*Homil. 8. in Exod. 20.*

*Homi. 20 in 1. ad Corinth.*

*20. cont. Fauſt. c. 5*

3 Prodeat primò in argumentum venerationis imaginis illius hiſtoria, quam refert, & approbat ex hiſtoricorum monumentis *Baron. ex Euagr. Nicephoro & S. Io: Damaſceno*; cum enim Abagarus Rex Edeſſæ videre Chriſtum maximè optaret, pictorem miſit, qui eius imaginem deſumeret, quod cum præſtare pictor nequiret præ fulgore, qui ex facie Chriſti radiabat, Chriſtus ipſe pallium propriæ faciei admouit, ac in eo impreſſa, ac delineata ad viuum remanſit eius effigies, quam ad Abagarum miſit, eaque imago ſemper inſigni cultu habita fuit, pluraque per hanc patrata miracula, de quibus *teſtis Euagr.* & ſemper eadem imago ingenti honore apud veteres fuit venerata, cuius meminere Patres *in Nicęna ſynodo ſecunda, eaque generali* 7. & Græci anniuerſariam de ea ſolemnitatem celebrarunt, vt ex eorum *Menologio*. Nec omiſſam eius mentionem apud

*Ann. 34. Lib. 4. c. 26. Lib. 2. hiſt. c. 7. De fide Orthodox li. 4. c. 17.*

*Vbi ſup.*

apud latinos notat idem *Baron.* allatis ad id teſtimonijs.

Accedat ſecundò imaginum cultus confirmatio ex muliere illa, quam Dominus ſolo ſuarum veſtium attactu ſanguinis fluxu ſanauerat. Hæc enim, & nobilis, & diues in grati animi argumentum imaginem æneam & ſui ipſius ſupplicantis, & Chriſti ſanantis, & manum porrigentis pro foribus domus ſuę in Vrbe Cæſareæ Philippi erexit, ſub qua naſcebatur ignota herba, quæ vbi creuiſſet adeò, vt tangeret æneæ veſtis Chriſti Domini fimbrias, virtutem habebat medendi plurimis infirmitatibus, hancque imaginem à ſe viſam teſtatur *Euſeb.* perdurauit hæc imago vſque ad tempora Iuliani Apoſtatæ, qui odio in Chriſtum eã confringi, ac moueri mandauit, ſuamque reponi, ſed adfuit ſtatim diuina vltio; ignis enim de Cœlo deſcendit, qui ſtatuam Iuliani mediam ſecuit, circa pectus, caputque in terram deiecit, fragmenta autem imaginis fideles in Eccleſiam ſumma veneratione tranſtulerunt, vt narrant *Sozomen.* & *Nicephor.* & ex eiſdem *Baron.* Nec minùs momenti in imaginum approbationem exhibet imago illa, quam Chriſtus Dominus ſudario impreſſit, quo Veronica faciem eius ſanguine, & ſudore manantem in paſſione abſterſit, ſicut, & illa, quæ viſitur adhuc in ſindone, qua Chriſtus ipſe in ſepulchro fuit inuolutus, cuius vtriuſque meminit *Baron.* neque enim credi poteſt, quod Deus miraculis memoratas hactenus imagines approbaſſet, ſi gratus ipſi non eſſet earum cultus, nec debita ijſdem eſſet veneratio. Quid; quod imago Chriſti Domini, & Sanctiſſimæ eius matris fuit à S. Luca depicta, vt memorat *Baron.* nec non, & Apoſtolorum Petri, & Pauli; ſed & *Tertullian.* Patrum antiquiſſimus teſtatur id moris fuiſſe in Eccleſia, vt calicibus inſculperetur imago Chriſti Domini Saluatoris, qui tanquam Paſtor bonus ouem deperditam in humeris deferret, quæ ſanè omnia teſtimonia imaginum vſum, & ornatum in antiqua, imò, & primæua Eccleſia fuiſſe ſeruatum, eiuſque cultum exhibitum teſtantur; imò conſiderans *Baron.* vmbram Petri, qua vel tranſiens curabat infirmos, arguat in vmbra Petri ſic ſanantis infirmos conſecratum eſſe imaginum cultum, & vſum, quando imago ipſa nil aliud ſit niſi vmbra quædam, & vmbra nil aliud, quàm imago, cum & ex vmbræ obſeruatione primitùs pictura fuerit inſtituta, vt idem obſeruat. Nuſquam autem vel cogitare poſſumus, Deum ipſum permiſiſſe Eccleſiam ſuam decipi in approbatione cultus, et vſus imaginum, ſi idololatriæ periculum vel modicum vſus huiuſmodi inuolueret. Neque vetuſtiſſimæ huic obſeruationi in Eccleſia quolibet æuo cuſtoditæ aliquid detrahit vnica, quæ opponi poſſit auctoritas *ex Concilio Eliberino*, quod celebratum fuit in Hiſpania Betica anno circiter 305. ſub Marcello I. Summo Pontifice, in quo conditus fuit *Canon* huiuſmodi: *Picturas in Eccleſia eſſe non debere, ne quod colitur, & adoratur in parietibus depingatur*; hactenus *Canon.*

*Matth. c. 9.* — *Marc. c. 5.* — *Hiſt. lib. 7. c. 14. in fine.* — *Hiſt. lib. 5. c. 20. An. 362.* — *Annal. tom. 1. an. 34.* — *Annal. tom. 1. An. 62. in fin.* — *Tom. 1. an. 37* — *Concil. Eliberin. c. 36.*

4 Torſit eruditos, viros imaginum propugnatores hæc auctoritas, & ipſorum aliqui eo demùm deuenere, vt dixerint, non prohibere Canonem imagines abſolutè, ſed in parietibus Eccleſiarum depingi, quaſi dicatur, ne quod colitur, & adoratur iniuriæ immobiliter remaneat expoſitum, conditus quidem fuit ille Canon, & celebratũ Concilium, cum Diocletiani perſecutio nondum plenè deferbuerat, ideò imagines non proſcripſit Concilium, ſed in parietibus depingi vetuit, ne ingruente perſecutione, ea etiam in Imagines ip-



Digitized by Google

ſas ſæuiret, quæ contemptui eſſent expoſitæ, ex quo non poſſent amoueri per fideles.

Verùm & ſi ſolutio temporum illorum conditioni ſatis aptè reſpondeat. Attamen non ea eſt ſiſiùs adeò *Baron.* quin Canonem ipſum impoſturæ arguerit,& ſuppoſititium, coniecturiſque ſatis firmis innititur. Mirum enim eſt, *Creſconium, Ferrandum, Diaconum Dionyſium exiguum*, qui fuere accuratiſſimi, & exactiſſimi Canonum collectores, huiuſce Canonis nec per vmbram meminiſſe. Sed & haud minùs mirum, quod tot inſecutores ſacrarum imaginum, ex quibus aliqui fuere Hiſpani,huiuſce Canonis telum, quod vibrare potuiſſent, non agnouerint, nec eo vnquam fuerint vſi. Imo qui ſubinde Catholici Auctores contra Iconoclaſtas acerrimè pugnarunt, nunquam huiuſce Canonis meminere, tanquam nuſquam adeſſet, & ex his omnibus fuſiùs conſideratis intulit *Baron.* rationabiliter ſe ſuſpicari impoſturam, & ſuppoſitum Canonem ab aliquo ex poſterioribus Iconoclaſtis; & demùm admittamus Canonis veritatem, & quid auctoritatis habere poterit Canon Concilij Prouincialis in angulo Orbis celebrati contra veritatem à tota Eccleſia probatam, & inconcuſsè ſeruatam? præſertim cum in ipſa Hiſpania poſt idem Concilium viguerit imaginum cultus, ſicut & tempore celebrati illius Concilij vigebat, iam præſcriptum aduerſus exiguum Epiſcoporum numerum à maiori, & omnem eius eleuatam auctoritatem dicendum omninò eſt. Nec omiſſa ea conſideratione; vt quid enim adeò ſibi placeant ſacrarum imaginum inſectatores in eius Canonis auctoritate, vt inde earum cultum, & venerationem extinguant? iuxta enim primum ſupra exhibitum intellectum vetat quidem Concilium Imagines ſacras in parietibus Eccleſiarum depingi, at non per hoc cultum damnat, aut venerationem proſcribit, ſed immò rationem reddens Canonis ſui ait, ne quod *colitur, & adoratur*, en adorationem, en cultum ſuppoſitum tanquam certum, quem tamen imaginum hoſtes perdere intendunt. Hæc de Iliberino Canone.

*Tom. 1. Annal. anno 57.*

Mirari ſanè ſubeſt, quod ſtatuis, & imaginibus Principum, & Imperatorum honor penè Diuinus fuerit ſemper habitus, adeò vt adorationem compeſcere fuerit neceſſe, vt indicat Theodoſij modeſtia in *l. vn. c. Theod. de Imaginibus Imperial. lib. 15.* & ibi eleganter *Gothofred.* tanquam rem Diuinam ſimulacra Principum veteres venerabantur, nec circa ea venditionis commercium admittebant abſque maieſtatis piaculo, *l. non contrahit ff. ad l. Iul. maieſt. Iunc. l. qui ſtatuas ff. eod.* vnde Tiberius apud *Tacit.* de ſtatua Augusti acceſſoriè cum hortis vendita. *Nec contra Religiones fieri, quod effigies eius vt alia Numinum ſimulacra venditionibus hortorum, & domuum accederent.* Mirum, inquam, tantum cultus collatum in imagines Cæſarum dictante ſolo naturæ lumine, quamuis per exceſſum corrupto, & tamen homines auſos deteſtari imagines ſacras, & cultum, ac venerationem ipſis exhibitam abominari! Non diſſimulamus reſponſum, quod Imperatorum imagines veritatem referant; at imagines, quæ Deum exhibeant inter fideles, non item cum Dei veri nulla dari poſſit imago, quæ ſi fieret, & cultui exponeretur, Idololatriam induceret; eſſet enim illa verum Idolum, quia redderet id, quod reuera non eſt, in quo ex ſupra ponderatis vera ratio Idoli conſiſtit. At facilè declinatur reſponſum, ſi varium modum, ſeu rationem pingendi imaginem attendamus. Si enim pingatur ad exprimen-

*Lib. 1. Annal.*

mendam perfectam ſimilitudinem formæ,& naturæ rei,cuius imago pingitur, certè nulla huiuſmodi poteſt Dei pingi imago, cum ſic pingantur res ſolummodo corporeæ, quæ colores, & lineamenta habent;quæ in Deo non ſunt, & huiuſmodi imago eſſet verè Idolum.

Si verò pingatur ad hiſtoriam aliquam exprimendam, tunc abſque Idololatriæ periculo poſſet Deus ipſe pingi, vt ſi expulſionem Adæ à Paradiſo Terreſtri poſt peccatum vellemus exhibere, poſſemus Deum, vt hominem ambulantem per Paradiſum delineare Adam & Heuam inter arbores, & Angelũ cum gladio eos expellentem,ſic enim id redderemus, quod nobis exhibet verbis Sacra Scriptura, nec vlla in huiuſinodi imagine ſubeſſet falſitas. Si autem fieret pictura ad explicandam naturam rei non per immediatam, & propriam ſimilitudinem, ſed per analogiam, & proportionem quandam, ſiue per myſticas, & methaphoricas ſignificationes, fieri rectiſſimè hoc vtique poſſet; ſic enim pinguntur virtutes,vitia,& ſi quæ ſunt huiuſmodi, quæ alias pingi non poſſent;Angeli ſic pinguntur, iuuenes, alati,pedibus nudis ad indicandam eorum celeritatem; ſic Deus pingitur eo corporeo modo, quo aliquando apparuit,ſic eum pingimus in forma ouis, aut alia conſimili, ſic Spiritus Sanctus in forma Columbæ,ſic Euangeliſtæ forma hominis,Aquilæ, Leonis, Bouis, & tunc Idoli, aut Idololatriæ nulla poteſt ſubeſſe nota, & in huiuſmodi picturis conficiendis ſumma diſcretio habenda eſt,nec pictorum ingenio libero nimis indulgendum, remanetque illatio iam facta in ſuo robore, vt ſi Imperatorum imaginibus ciuilis cultus ſit exhibitus, & ſacris imaginibus non ſit denegandus,quæ ſiue ſint Dei iuxta ſenſum: ſupra expoſitum, ſiue Sanctorum, exhibent veritatem,nec Idoli quidpiam ſapiunt. Ac proinde nullibi iuſtiùs, aut decentiùs poſſunt collocari, quàm in templis Deo dicatis, potiſſimùm cum in veteri lege,& tunc præcipuè, cum Iudæi ad Idololatriam erant maximè procliues,imagines Cherubin,nihilominus habebantur,& quod magis eſt, Catholica Eccleſia ineoncuſsè omni æuo obſeruauit,vt imagines in templis colerentur, & haberentur, vt ex *Tertulliano* ſupra citato, ita vt ſit perennis traditio in Eccleſia de hac veritate hiſtoricorum roborata monumentis ex *Nicepboro*, & *Sozomeno* additis,& pariformibus Sanctorum Patrum auctoritatibus, quas diligentiſſimè congeſſit *Bellarmin.* & ſuppoſito,vt ſupra probatum, quod ipſis iuſtè, & rectè debeatur cultus, iam quod iuſtè etiam,& decenter collocentur in Templis conſequitur. Quidquid latrent Iudæi, & cum ijs Nouatores vrgentes ex Dei interdicto in ijs verbis. *Non facies tibi ſculptile, neq; omnem ſimilitudinem*, non enim per ea prohibetur quælibet imago, ſed illa ſolùm,quæ dici poſſit Idolum, hoc eſt imago, quæ habetur pro Deo, & quæ repræſentat pro Deo id, quod non eſt Deus. Dum enim dicitur à Deo. *Non habebis Deos alienos*, interdicitur actus interior Idololatriæ, & cum immediatè ſubditur. *Non facies tibi ſculptile*,prohibetur actus exterior; vnde & paucis interiectis, additur; ***non adorabis ea, neque coles***,quod non ſolùm de actu interno,ſed & de externo intelligitur; eſt ergo vetita illa tantùm imago, quæ ſit facta ad adorationem,& venerationem tanquam Dei,hæc enim vna eſt, quæ honori Dei aduerſatur, & quam prohibere Deus ipſe intendit, vt ex toto contextu verborum, *d. c. 20. in principio* colligitur. Non itaque per illa Dei verba. *Non facies tibi ſculptile*, imago omnis rectè arguitur prohibita. Iam verò ad cultum, & cultus rationem accedimus,

*Exod. c. 25.*
*3. Reg. c. 6.*
*Lib. de pudicit. c. 7. c. 10.*
*Lib. 5. hiſt. c. 20.*
*Lib. 10. c. 30.*
*d. lib. 2. c. 9.*
*Exod. c. 20.*
*Exod.*

cedimus, in quo poſitus totus materiæ cardo. Ardua ſanè eſt concertatio inter Theologos, & Catholicos Autores circa modum, & qualitatem cultus ſacris imaginibus exhibendi, nam de cultu aliquo, & adoratione ipſis deferenda nullus dubitat, ſed tota diſcuſſio eſt de modo, & qualitate adorationis, & præſertim, an ſit eadem, quæ ipſius imaginis, & exemplaris, an diuerſa, opinionum varietatem tangere leuiter non pigebit in maiorem tantæ materiæ elucidationem.

5 Aſſeruere ergo nonnulli, quod quamuis imagines propter exemplaria adorentur, ſeu colantur, quæ alioqui propter ſe, & ſine relatione ad exemplar nullam merentur adorationem, attamen eaſdem, tanquam terminum proximum, & totalem, adoratione quadam, ſiue cultu earum proprio circumſcripto exemplari coli, licèt in ipſis exemplaria quoque adorentur, hancque adorationem inferiorem, & diuerſam ab adoratione exemplaris honorariam appellant. Huius ſententiæ ſunt *Ambroſ. Catherin.* & *Martyn. de Ayala*, qui nituntur præcipuè decreto, & verbis ſeptimæ Synodi, alijſque inde ſumptis Patrum auctoritatibus, quas huc non transferimus, ne videamur controuerſias diſceptare. Cenſuerunt alij media quadam incedendum via inter relatam mox ſupra opinionem, & eam, quam mox ſubijciemus. Aſſerunt ergo, quod quando imagines per ſe adorantur ſeparatim ab exemplari, inferiori quadam adoratione coluntur, & ſi propter exemplar ei tribuatur; cum verò adorantur coniunctæ cum exemplari, ſicque non per ſe, ſed per accidens, & tanquam aliquid illius, tunc eadem adoratione latriæ cum exemplari, ſed per accidens adorantur, & quia ſubtilis eſt doctrina, aliquantò diſtinctiùs eſt declaranda. Duplicìter igitur aliquid adorari poſſe monent per ſe, & per accidens; per ſe, quando id quod adoratur eſt tota materia, & terminus adorationis; tuncque adhuc dupliciter; ratione ſcilicet ſui, & ratione alterius. Ratione ſui, cum Regem veneramur ratione regiæ ſuæ dignitatis; ratione alterius, cum legatum Regis colimus intuitu ipſius Regis, tunc enim legatus eſt tota materia, & terminus ipſius honoris, quia ipſi ſoli cultus exhibetur non ratione propriæ dignitatis, quam ex ſe habeat, ſed quam mutuatur à Rege, cuius reſpectu ei honor defertur, ſicque Rex eſt ratio deferendi honorem legato, & ſi Rex ipſe non ſit; cui defertur, & applicando ad imagines; ipſæ aliquando per ſe, & vt tota materia, & terminus cultus venerantur, licèt ſeparatæ ab exemplari, eoque cum eis, & in eis non adorato, non tamen ratione ſui, cum nullam in ſe dignitatem habeant, ſed ratione prototypi, ſeu exemplaris, à quo totam dignitatem mutuantur, vt legatus à Rege, & tunc alia adoratione adorantur imagines, quàm exemplar, & hanc adorationem reſpectiuam, ſeu relatiuam dicunt, quia dirigitur ad imagines relatas quidem ad exemplar, at adoratio exemplar ipſum non tangit.

Opuſc. de adorat. imag. concl. 6. c. 2. de tra[illegible] cap. quali honore imagines venerentur.

Per accidens verò dicitur aliquid adorari, cum tanquam pars, vel quid ſaltem cogitatione coniunctum cum alio, in quo dignitas, & excellentia eſt, adoratur, veluti purpura, aut tronus cum Rege, pars cum toto, corpus cum anima, humanitas Chriſti cum Diuinitate; illud enim, in quo eſt dignitas, & excellentia, etiamſi cum alio adoretur, at ſit pars, non dicitur per accidens, ſed per ſe adorari, ſicque Diuinitas, quæ in toto Chriſto ex duabus naturis compoſito, ſe habet ad modum partis, & tamen non adoratur per accidens, quia in ea, licet ſit ad modum partis, eſt excellentia, quæ eſt ratio tribuendi adorationem,

nem,& eius eſt naturæ,vt ſine alijs adorari poſſit; ſic ergo veneramur imagines,quando coniunctæ cum exemplari cogitatione adorantur, & in hac adoratione includitur exemplar, & ſub eam cadit, non ſolùm vt ratio remota, quæ mouet ad adorandum ſicut Rex ad adorationem ſui legati,ſed vt id,quod adoratur, & eſt terminus, ac materia proxima ipſius adorationis, & ita eadem adoratione adoratur imago, & exemplar, ſed imago per accidens.

Hac doctrina cenſuerunt huius ſententiæ Auctores conciliari primam opinionem cum tertia,quam modò ſubnectimus. Antiquiores ergo Theologi, & præcipuè *D. Thom.* exiſtimarunt,motum adorationis in imaginem tranſire in exemplar, & vtrumque in eamdem venerationem venire, vt nec ſola cogitatione imago per ſe, & ſine exemplari adorari poſſit, non ſolùm, quia exemplar ſit ratio remota, propter quam imago debeat coli,vt Rex ſui legati,ſed quia, qui imaginem adorat in ea, & per eam exemplar, tanquam materiam proximam, & terminum colit neceſſariò, qua ſic relata opinione apparet vnà cum prima in ſecunda illa eam contineri, & mediam mox ſupra relatam vtramque inuoluere.

*3 p. q. 25 art. 3. 4. & 5.*

6 Tertiam hanc antiquiorum ſententiam confirmabimus tanquam veriorem,& auctoritate, & ratione. Auctoritas omnibus potior erit Concilij Tridentini ipſius proponenda verbis. *Imagines porrò in templis præſertim habendas, & retinendas, eiſque debitum honorem, & venerationem impertiendam non quod credatur ineſſe aliqua in his Diuinitas, vel virtus, propter quam ſint colendæ, ſed quoniam bonos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræſentant. Vt per imagines, quas oſculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Chriſtum adoremus, & Sanctos, quorum illæ ſimilitudinem gerunt.* Hactenus Concilium, ex quo duo notabilia deſumimus, quæ hanc ſententiam confirment. Alterum eſt,imagines coli,non quia in ipſis ſit aliqua virtus, propter quam veniant colendæ,vnde fit non ſolùm poſſe ipſas coli cum exemplari coniunctas,ſed diuiſas ab exemplari, non dignè adorari; nam ſi hoc modo adorentur, deberet in ipſis ſupponi aliqua excellentia, aut aliqua virtus, propter quam ipſis adoratio deferretur. Negata autem virtute, aut excellentia in imaginibus,propter quam poſſint adorari, ſubnectit Concilium rationem, *quoniam bonos, qui imaginibus exhibetur refertur ad prototypa, vt per imagines, coram quibus procumbimus Chriſtum adoremus, & Sanctos*, ſicque ideò veneramur imagines,quia ipſarum adoratio tranſit in exemplar tanquam terminum adorationis, quod demùm nil aliud eſt, niſi imagines ita coli coniunctas cum exemplari, vt ſeparatæ ab eodem non adorentur.

*Seſſ. 25. decreto. de Sacr. Imagin.*

Illudque ipſum eſt, quod longè antea tradiderat *Septima Synodus Nicæna 2. generalis*, per modum enim rationis ait. *Imaginis enim bonor in prototypum reſultat, & qui adorat imaginem, in ea adorat quoque deſcriptum argumentum*; ſicque tota imaginum veneratio eſt merè relatiua,& coniuncta cum exemplari,ſine quo nihil reliquum in imagine, propter quod veniat adoranda, quem ſenſum habuere & Patres illi,qui interfuerunt ſeptimæ Synodo, & qui longè vetuſtiores ab eadem ſunt allegati, & poſt *Dionyſium Areopagitam* celebre eſt *D. Baſilij Magni* teſtimonium, quod allegat *D. Io: Damaſcen.* quoque vſus eſt Io: Presbyter Locum tenens Epiſcoporum Orientalium in ſeptima Synodo ſic fatus. *Falſa Synodus*(hoc eſt Conſtantinopolitana ſub Conſtan-

*Act. 7.*

*De Cæleſti hierar. c. 2. Lib. de Spir. Sanct. ad Amphiloch. c. 18. Orat. 1. & 3. de Imagin.*

*Act. 4.*

aliquam habet,eſt etiam capax honoris, & iniuriæ, ideòque iniuria facta legato, vt legatus eſt,facta cenſetur & Regi, ſeu Principi remotè,& legato in ſe,quia eſt capax honoris, & ignominiæ, cum ſit animatus,& rationalis,idque expreſſum non ſemel in ſeptima Synodo à *Tharaſio*,& *Adriano*, qui præſertim verba attulit *Chryſoſtomi*. *Neſcis, quod quicumque ex ligno, & coloribus imagini conuicia dicit,illum non damnari, velut in rem inanimatam, ſed contra Regem ipſum dixerit*. Vt igitur contumelia nulla imagini ſine exemplari, ita nec honor,aut cultus eidem, exemplari dempto. Non omittemus ad coronidem tela tria, quæ Nouatores aduerſus ſacras imagines peruicaciter contorquent circa illud immorantes, quod legitimum detorquere conantur.

*Act.4. Act.2.*

*Homil.in Parabol. De ſement.*

7 Vrgent ergo Iconomachi, & præſertim recentiores, ex trium Conciliorum auctoritate, quæ ad imagines abolendas conſpiraſſe autumant. Conſtantinopolitano ſcilicet ſub Leone Imperatore Iconomacho, Conſtantinopolitano 38. Epiſcoporum ſub Conſtantino Copronymo pariter Imperatore,& Francofurdenſi ſub Adriano I. Summo Pontifice, & Carolo Magno Cæſare, & Francorum Rege.

Duo prima, quid momenti ad rem faciant, ex ſe ipſis loquuntur; alterum enim ſub Leone Iſaurico, vel ex ipſo Imperatoris nomine ſe ipſum reijcit, cum fuerit acerrimus imaginum, & earum cultus hoſtis, nec Concilij nomen meretur,aut habet, cum nulla auctoritate legitima fuerit conuocatum,& quicumque hiſtorici Leonis Iſaurici meminere, impietatem eius, & edicti contra imagines editi deteſtantur. Alterum ſub Copronymo falsò, & fraudolenter fuit attitulatum *Septima Synodus œcumenica*, & in ea damnatus Sanctarum imaginum cultus, legitimum non eſſe cenſendum dixerunt *Paul. Diacon. Zonar.* & *Cedren.* ex quo nullus ex Græcis Patriarchis, aut aliquis eorum nomine interfuit,nullus vicem Romani Pontificis gerens, nec eius auctoritate fuit conuocatum, ideòque præfati Auctores concurſum profanorum hominum impium, & *Nicæna Synodus Secunda act.6.* in principio confutationis execrabile, profanum, & adulterinum nuncupauit.

*Lib.27. anni 33. in Vita Conſtantini Copronymi.*

Tota vis itaque redigitur ad Concilium Francofurdenſe, quod nouiſſimè vrgent præcipuè *Centuriatores*, & de quo egit luculenter *Bellarmin.* qui obſeruat in eo re vera nihil legi de *Synodo Nicæna Secunda*, quam damnatam in ipſo,& omninò exploſam iactant *Centuriatores*, & cum ea ſacrarum imaginum cultum reiectum, & quod ipſi imputatur, non ex verbis, aut aliquo decreto Concilij huius,ſed ex ſola hiſtoricorum auctoritate deſumi *Aymoini* ſcilicet *Abbatis Vſpergenſis*, *Reginonis*, *Adonis*, & *Ioannis Auentini*, cum tamen apud *Paul. Diac. Zonar.* & *Cedren.* ſit altum hac de re ſilentium. Sed nullo fundmento magis inſultant Centuriatores, quàm ex auctoritate librorum Carolinorum, & præcipuè ex præfatione eorumdem. Editi primùm fuere hi libri anno 1549. hoſque compoſitos aſſerunt à Carolo Magno Imperatore contra ſeptimam Synodum Nicœnam ſecundam, ſicque Regem piiſſimum, & Imperatorem integerrimæ fidei contra imagines ſacras pugnantem inducunt,& quia liber non eſt adeò obuius,reddemus ipſius præfationis verba. *Allata eſt in medium* (ſcilicet *Concilij Francofurdenſis*) quæ verba per parentheſim,eaque repetita,ſunt etiam in *Tex. Quæſtio noua Græcorum, quam de adorandis imaginibus Conſtantinopoli fecerunt, & in qua ſcriptum habebatur, vt qui imaginibus*

*Tom. 1. Controu. lib.2.de Concil. auct. c.8.*

*In hiſt. Franc anno 794.*
*In Chron. ſub anno 793. lib. 2. ſub anno 794.*
*In Chron. an. 792. In hiſt.*

*Sanctorum, & Deificæ Trinitati ſeruitium, aut adorationem impenderint, anathema iudicarentur, qui ſupra Sanctiſſimi Patres noſtri* ( ſcilicet Francofurdenſis Concilij ) *omnimodis adorationem, & ſeruitutem impendere renuentes contempſerunt, atque conſentientes damnarunt*. Hactenus præfatio, in qua dubitauit *Vaſquez*, an in codicibus antiquis manuſcriptis adeſſent verba illa in geminata parentheſi incluſa, an verò addita à Nouatorum aliquo, & maximè à *Centuriatoribus ipſis*. Et ad robur augendum, & libris, & præfationi addunt, & præſertim *Illyricus*, fragmentum, & *Hincmari* conſonam auctoritatem, cuius verba non ſunt omittenda. *Septima autem apud Græcos vocata vniuerſalis pſeudo Synodus de imaginibus, quas quidam confringendas, quidam autem adorandas dicebant, neutra verò pars intellectu ſano definiens ſine auctoritate Apoſtolicæ Sedis non longè ante noſtra tempora Nicææ eſt à compluribus Epiſcopis habita, Romam, & miſſa, quam etiam Papa Romanus in Franciam direxit; vnde tempore Caroli Magni Imperatoris iuſſione Apoſtolicæ Sedis, generalis Synodus in Francia conuocante præfato Imperatore celebrata, & ſecundùm ſcripturarum tramitem, traditionemque maiorum ipſa Græcorum pſeudo Synodus deſtructa, & penitùs abdicata. De cuius deſtructione non modicum volumen, quod in Palatio adoleſcentulus legi, ab eodem Imperatore Romam eſt per quoſdam Epiſcopos miſſum &c.* Hæc ex *Hincmaro*, ad quæ ſi reſpiciamus repeti poterit, quod *Hieronym.* ſcripſit de Synodo Ariminenſi, *conclamata ſcilicet fuit Nicæna Synodus Secunda, & ingemiſcens orbis ſe Iconomachum eſſe miratus eſt*. Breue, ſed diligens examen huiuſce Francofurdenſis Concilij ineundum eſt, à veritate ſiquidem circa ipſum retecta pendet tota obiectionis ſolutio factæ à *Centuriatoribus*, & Auctores grauiſſimi, ac pijſſimi variè ſenſerunt circa ipſum, Theologi plerique, aliique recentiores crediderunt eſſe generale, quia maximè interuenerunt legati Apoſtolicæ Sedis, ſed hoc non ſatis, quia plura fuere Alexandrina, & Toletana, quibus interfuere Apoſtolici legati, & tamen non ſunt generalia, & vt inquit *Laurentius Surius* Conciliorum collector, interuenere ad inſtructionem, non ad generalem Synodum inducendam, & ideò eſt Prouinciale, approbatum tamen ab Apoſtolica Sede, & magni faciendum in iis, quæ decreuit reſpicientibus fidem; damnata ſiquidem in eo fuit hæreſis Elipandi Toletani negans Chriſti filiationem naturalem, & ſtatuens merè adoptiuam, & Felicis Vrgelitani alterius hæretici. An autem aliquid decreuerit circa Nicænam Synodum Secundam de imaginum cultu variant Auctores de hac Synodo ſcribentes *P. Sirmondus*, licèt aliàs dubitatum afferat de veritate Secundi Canonis huiuſce Synodi, librorum Carolinorum, & an Synodus Græcorum, de qua loquitur Canon, ſit Nicæna Secunda, attamen nunc demùm, ait, liquere vera eſſe omnia, & Concilium Græcorum eſſe Nicænum Secundum; quam verè hoc dicat, conſtabit ex infra promendis.

In 3. p. D. Th. tom. 1. diſp. 97 c. 3.

Lib. contr. Ep. Laudunen. c. 32.

Itaque longè verior aliorum ſententia; in hanc Synodo ſcilicet nihil fuiſſe decretum contra Nicænam ſecundam; Carolinos libros non eſſe Caroli Magni, nec conditos in Synodo Francofurdenſi, ſed extrà eam, licet eodem tempore in conuenticula hæreticorum, qui Carolum Magnum eorumdem ſuadere Auctorē fraudulenter affectarunt, quorum fidem poſteà ſecuti Hiſtorici ſupracitati à veritate aberrarunt, & alios etiam in errorem induxerunt, vt crederent,

rent, ſtatutum à Francofurdenſi Synodo, quod libri illi imputarunt. Ita *Seuerinus Binius*; *Laurentius Surius*, *PP.Suarez*, & *Vaſquez*, quæ ſingula breuiter ſunt confirmanda.

*Ad Conc. Francoford. in collect. Concil. tom. 2. diſp.54. ſect 1.*

Nihil igitur decreuiſſe Francofurdenſem Synodum contra Nicęnam, & ſacrarum Imaginum cultum teſtatur *Surius*, qui eam detexit, & inuenit anno 1561. confirmatque: nihil nos hactenùs habere in ea ſtatutum contra Iconomaeos, niſi fortè quid ei deſit, quod adhuc deliteſcat. Perſpectam habuiſſe hanc Synodum Nicęnam ſecundam veriſimilimũ eſt, cum auctores librorum Carolinorum eam norint, qui ſcripti fuere eodem tempore, & loco, & qui Auctores plura fragmenta eiuſdem Nicęnæ referunt, & quod magis eſt, Concilio Francofurdenſi adfuere legati Summi Pontificis Adriani Primi, cuius auctoritate Nicęnum ſecundum fuerat conuocatum, & approbatum, qui ſi falſi rumores de eius decreto fuiſſent vulgati, poterant eos comprimere, & Concilium de veritate inſtruentes decretum quodlibet impedire, quod nec certè admiſiſſet Carolus Magnus pijſſimus Princeps, qui Concilio Francofurdenſi intererat; Immò huiuſcemodi decreti meminiſſet Adrianus Summus Pontifex in confutatione ſua, & cenſura Carolini libri, & Claudius Taurinenſis inſignis Iconomachus pro opinione ſua illo vſus eſſet.

*Lib.2.de Concil. c.8.*

Quæ quidem directè aduerſantur ſententiæ *Card.Bellarmin.* qui aſſeruit fuiſſe quidem in Synodo Francofurdenſi improbatam Nicęnam Synodum ſecundam, ſed per errorem, & materialiter tantùm eo modo planè, quo in Synodo Ariminenſi damnata fuit magna Synodus Nicęna Prima, quoad *Homoeſion*; Deceptamque fuiſſe Francofurdenſem ab Auctore, vel Auctoribus libri Carolini, qui duo falſa ipſi ſuaſerunt, alterum, decreuiſſe Nicęnam, imagines eſſe adorandas cultu latriæ; alterum, id decretum à Græcis ſine conſenſu Romani Pontificis, eoq; falſo rumore gliſcente, inductos fuiſſe in errorem Patres illos. Aliter de hac Francofurdenſi Synodo iudicauit *Baron.* qui damnatam quidem fatetur Nicęnam Synodum in ea, & non per eam hoc eſt, propoſitam quidem hanc damnationem, & de ea pertractatum à male ſentientibus, ſed ijs non adhæſiſſe illorum conſenſum, quorum erat ſtatuta firmare, indeque factum, vt nulla appareant acta hac de re conſcripta, vt potè abolita, quod illa non admiſiſſent legati Apoſtolicę Sedis, nec Adrianus I. qui eos miſerat, eadem confirmaſſet; immò & cenſendum Caroli Magni auctoritate factum, vt exploſis ijs, quæ contra Nicęnam Synodum geſta, & tractata eſſent, illa tantùm acta, quæ contra Felicem, & Elipandum Neſtorianos, integra remanerent, quod optimè calleret Pijſſimus Princeps, non ſubſiſtere decreta, quibus Romanus Pontifex contradiceret; de obtruſis autem mendacijs Francofurdenſi Synodo conſenſit *Baron. Bellarmino*, iiſque deceptos Patres illos, Nicęnam Synodum damnauiſſe. *Tom. 9. Ann. 794.*

Quæ tamen grauiſſimorum Auctorum opinio non vna ratione elidi poſſe videtur; non enim primò eſt credibile, quod Legati Apoſtolici Synodo præſentes ab illis Patribus hunc errorem non depuliſſent; Concilium enim Nicęnum res erat tunc recens, celebris, ac nota, adorare imagines vt Deum eſt error Gentiliſmi, eoque tactos Nicęnos Patres nemo credat, nullumque fuiſſe Epiſcopum in Francofurdenſi Synodo, qui hunc errorem depelleret. Secundò Patres illi colebant, ac reuerebantur Apoſtolicam Sedem, nec ſuſpicari fas eſt, eos auſos damnare ſecundam Nicę-

nam Synodum ab Apoſtolica Sede confirmatam; vnde cum non potuerint errare in facto, ex quo adeſſent, qui poſſent eos de veritate inſtruere, erraſſent in iure, & ſcienter, ac cum pertinacia, ſicque eſſent hæretici, & tamen habita ab ijs Synodus fuit à Sede Apoſtolica confirmata. Et demum tertiò, Claudius Taurinenſis Iconomachus vſus eſſet inſigni huiuſmodi auctoritate, ſi adfuiſſet, & tamen eam allegaſſe nunquam legitur.

Quid ergo dicendum de Carolinis libris, & de hiſtoricis, qui dicunt damnatam Nicęnam Synodum ſecundam in Fracofurdenſi: quòad libros Carolinos, eos profitentur falſos, & ab hæreticis conſcriptos *PP. Suarez, & Vaſquez*, & ab eis publicè, vel occultè oblatos Carolo Magno, qui illos miſit ad Hadrianum Summum Pontificem, à quò ex profeſſo ſunt confutati, vt ex eius ſcripto. Addidere, quod eſt, quod liber ſit antiquus, præfatio eiuſdem eſt tamèn recentior, & ab aliquo hæretico confiſta, qui parùm aduertenter plura attigit planè falſa; non fidunt huic præfationi iidem Theologi, quia vident Auctorem proprium nomen diſſimulaſſe, & ſubſtituiſſe nomen omninò ignotum *Eli Phili*; Dubitanr de duplici parentheſi, quæ in eadem præfatione legitur *in Synodo Francofurdenſi*, an re vera in originali habeatur, & credunt potius additam vtramque à Nouatorũ aliquo; & exploſa præfatione plures cumulant coniecturas falſitatis eorumdem librorum, à quibus regerendis non immeritò temperamus. Quod attinet ad falſa inaduertentèr inſerta præfationi obſeruant, dicere, Synodum Conſtantinopoli celebratam de adorandis imaginibus, cũ immò ea fuerit de reijciendis, & damnandis, deinde, ait, fuiſſe celebratam Synodum Conſtanrinopoli in Bithinia, cum tamen ſit in Thracia, meritoque præfationi ipſi non fidendum ex plutibus alijs concludunt.

*Tom. 1. diſ. 54 ſect. 3. Tom. 1. in 3. p. D. Thom. lib. 2 de adoration. imagin. diſp. 107. c. 5. & ſeqq. Tom. 3. Epiſt. Summ. Pontif.*

Qui autem Hiſtorici damnatam Nicęnam Synodum in Francofurdenſi ſcripſerunt deceptos eos omnes aſſerunt à libris Carolinis; *Hincmarus* enim, qui à ſe viſos libros Carolinos teſtatur in ſupracitatis, & regeſtis eius verbis, omnes alios ſubſequentes hiſtoricos decepit deceptus ipſe, primùm à Carolino libro tanquam adoleſcentulus incautus, ac parùm peritus, à quo Carolino libro fraudolenter Nicęnæ Synodo Secundæ fuit tributus hic error, quod imagines ſint adorandæ cultu latriæ, & ideò damnatam in Synodo Francofurdenſi credidit *Hincmarus*, originem, & fraudem Carolini libri tanquam adoleſcentulus haud dignoſcens omittimus apud aliquos nutare hanc *Hincmari* auctoritatem deſumptam ex eius opere contra Epiſcopum Laudunenſem, cum tamen huius operis, tanquam *Hincmari*, nulla habeatur mentio à *Tritemio*, qui opera eiuſdem *Hincmari* recenſuit. Omittimus (inquam) quia non eſt certa illatio ab auctoritate negatiua, ſed concludimus deceptum ſic *Hincmarum* ſubſequutos ſupramemoratos Hiſtoricos decepiſſe, qui non ſatis habentes perſpectam definitionem Nicęnæ Synodi Secundæ crediderunt cum *Hincmaro* eam fuiſſe, vt imagines eſſent adorandæ, ſicut Deus; fuere ſiquidem hiſtorici illi Germani, aut Galli, qui cum ex ſcriptoribus Græcis hiſtoriam, & ſeriem Græcorum Cæſarum vſque ad Carolum Magnum perduxiſſent, qui à Leone III. Summo Pontifice Imperator in Occidente conſtitutus fuit, eo quod Imperatores Orientis eſſent Iconoclaſtæ, relicta ſucceſſione Orientalium Imperatorum & hiſtoria Orientalis Eccleſiæ, ſucceſſionem tantùm Imperatorum Occidentis, & acta Eccleſiæ Occidentalis deſcripſerunt. Ideòque ipſorum nullus hiſto-

ſtoriam Synodi Nicęnæ Secundæ attigit, cum ex Græcis Hiſtoricis eius notitiam nondum habuiſſent, & ſolùm illius meminerunt,cum agendum fuit de Synodo Francofurdenſi, indeque facilè decepti ſunt ipſi ab *Hincmaro*, *Hincmarus* à libris Carolinis, & hi non per errorem, ſed fraudolenter per proteruiam tribuentes Concilio Francofurdenſi,quod à conciliabulo eodem loco, & eodem tempore vnito, quo celebrabatur Francofurdenſe Concilium, cui imputatum illud ipſum,quod erat Conciliabuli commentum.

Indeque mirari haud immeritò ſubeſt,quod in nouiſſima Conciliorum editione Pariſienſi Concilium Francofurdenſe ſit editum cum Canone Secundo, qui vnicus eſt,in quo de imaginum cultu agatur; cum tamen poſt Canones eiuſdem Concilij notauerit *Seuerin. Binius* exemplar Concilij Francofurdenſis habitum ex Bibliotheca Rhemenſi ſine Canonibus, ſed hos deſumptos eſſe ex Bibliotheca S. Remigij, & nullum aliud eorumdem extare exemplar,eoque vſum aſſerens Auctorem libri Carolini,qui diſſimulato nomine ſuo per *Eli Phili* primum,& ſecundum Canonem edidit. Hactenus Binius, qui vnde hæc habuerit, non dicit, ſed tribuens horum Canonum editionem Auctori libri Carolini, quam ipſis ſit fidendum indicat, & re vera Canon ſecundus ipſiſſima verba exhibet,quæ leguntur in præfatione libri Carolini, quæ ſupra reddidimus, eaque quanti ſint facienda,ex hactenus dictis conſtat, & cum his excurſum de ſacris imaginibus,& earum cultu claudimus.

## CAP. VI.

## De Parochijs, & alienis Parochianis.

1 *Parochiæ nomen, eiuſque origo, & notio recenſetur.*

2 *Parochiarum in Vrbe Roma diuiſio, & communicatio.*

3 *Parochi dignitas,& officia explicantur, vbi aliqua de Miſſa Parochiali.*

IVſtè nos moratur, ac detinet adhuc materialis Eccleſia, dum ad rem ipſi omninò annexam tractandam promouet oportunè, parœciam ſcilicet,ſiue vt vulgaris appellat,vſus parochiam, ad quam præcipuè materialis ipſa Eccleſia primitùs conſtructa,& in cuius obſequium erecta. De parochia igitur hæc breuiter pro inſtituto tractabimus. Nomen, & nominis notionem inquiremus, detegemus originem,munera, ſiue officia recenſebimus, & ſi quid vltra ad exactam eius notitiam percurremus, quantum opus videbitur.

1 A nomine igitur auſpicantes, Parochi, ſiue parochiæ nomen eſt peruetuſtum,atque à paræcia valde diuerſum ac proinde in ſincera loquendi ratione, nec cum ea confundendum; Parochus enim apud veteres erat diuerſorij Præfectus,qui tranſeuntibus, ſeu itinerantibus,& præſertim Reipublicæ cauſa,neceſſaria, & maximè lautiora ſuggerebat, ad rem appoſite *Horat.* *Lib.1.ſerm. ſat. 5.*

*Proxima campano ponti quæ villula tectum*
*Præbuit, & Parochi, qui debent ligna ſalemque.*

Vbi

Vbi poſt vetuſtiores *Turnebus*, vnde & Xenoparochi in *l. munerum ff. de muner. & bonor.* prout *Alciat.* & *Budæus* adnotarunt. À Parocho deducta parochia, quæ à paræcia, de qua ſumus acturi longiùs diſtat; Parochia enim erat ambitus, & ſpatium illud, intra cuius fines Parochi illi veteres Xenia præbere tenebantur hoſpitibus peregrinantibus; Paræcia verò eſt plurium domorum vnio, quorum incolæ eiuſdem fani, ſeu Templi ſunt participes, ſiue territorium cuius incolæ vnam, & eamdem Eccleſiam habent, vnde & paræciſia dicuntur ædificia operibus publicis vicina, *l. ædificia* 8. *c. de oper. public.*

*Lib. 1. prætermiſſ. c. 4. Ad l. 239 ff. de verb. ſignif.*

Huiuſmodi paræciarum intuemur adhuc veſtigia apud Romanos veteres, quorum Curiæ, in quas diuiſæ erant Tribus, ſuum quælibet habebant Templum, & Sacerdotem ex *Varrone*, ſicut & municipes, qui vt propria habebant ſacra, quibus renunciare accipientes ciuitatem Romanam tenebantur, ſic & ſuum Sacerdotem, vt ex *Pompeio Feſto*. Iam ad paræcias, de quibus nobis agendum. Paræciæ, & Diœceſis quòad vocem, fuit apud veteres confuſus, & promiſcuus vſus, *Can.* 14. *&* 34. *Apoſt. Can.* 16. *Conc. Nicæn. I. Antiochen. Can.* 9. *& n. Conc. Afric. Can.* 2. *Agathen. Can.* 54 *Aurelian. III. Can.* 18 *Tolet. XII. c.* 4. *Capitular. Car. Magn. lib.* 1. *c.* 8. *lib.* 7. *c.* 49. *& c.* 175. *vt nullus Epiſcopus* (dicitur) *in alterius paræcia ordinationes facere audeat*, notauit poſt *Fileſac.* & *le Maiſtre Franceſ.* ita vt æquè diceretur paræcia Epiſcopi, & Diœceſis Parochi, quamuis temporis lapſu cœperint ita diſtingui, vt Diœceſis reſpectu Epiſcopi, paræcia verò reſpectu Parochi, & ſimplicis Sacerdotis dicatur. origo paræciarum eadem fermè, ac cum Epiſcopatuum, & Diœceſum diſtinctione conſpirante præſertim fidei propagatione, & augeſcente

*De ling. Lati.*

*De verb. ſign. verb. municipalia ſacra.*

*De orig. parœc. c. 1. De bon. Eccl. lib. 2. c. 14. De Eccleſ. Cathed. c. 21.*

in dies fidelium numero, quorum incrementa dedit ſpectanda perbellè exiguo verborum ambitu *Tertullian. Externi ſumus* (ait) *& veſtra omnia impleuimus, Vrbes, Inſulas, Caſtella, municipia, Conciliabula, Caſtra ipſa, Tribus, Decurias, Palatium, Senatum, Forum, ſola vobis relinquimus templa.*

*Apolog. c. 37.*

Grege ſic quaſi in immenſum aucto, & multiplicandi fuere paſtores; in vrbibus vna ſat erat Epiſcopalis, ſeu Cathedralis Eccleſia, in quam Vrbani fideles ad Synaxim, alioſque Conuentus habendos ſe colligerent, & cui præerat Epiſcopus; extra Vrbem in Pagis, qui morabantur fideles, non fuere deſtituendi, ideò erectæ Eccleſiæ, quibus Corepiſcopi, & Presbyteri præficiebantur, haſque Græci *paræcias*, Latini *parochias* dixere; immò & in vrbibus ipſis, cum augeretur in dies fidelium numerus, paræciæ etiam, ſeu parochiæ fuere erigendæ, indeque in vetuſtis Conciliorum Canonibus, Ciuitatenſes, ſeu Diœceſani Presbyteri leguntur tanquam diuerſi a Presbyteris Parochianis, qui erant extra Vrbem, vt in *Concilio Agathenſi Can.* 22. *in Concilio Antiocheno Can.* 9. vbi ſingularis mentio Presbyterorum, qui in Pagis, ſeu agris eſſent conſtituti; non eadem tamen fuit ratio erigendi Parochias in Vrbe, ac in municipijs, ſeu Pagis, nam in Vrbe, ſeu Ciuitatibus parochias conſtituere induxit neceſſitas, & populi frequentia; cum enim vnicus Epiſcopus non poſſet omnibus ſufficere, ſuaſit neceſſitas, populum in Curias diuidere, & regiones Vrbis diſtinguere, & aſſignare, quibus ſuus præficeretur Sacerdos. In pagis verò, & locis ruſticis, ideò diſtinguendæ viſæ parochiæ, quia Domini prædiorum id impetrabant ab Epiſcopo, ne ob itineris longitudinem, & diſtantiam municipes, & familia intereſſe ſacris omitterent, aut niſi cum magna difficultate

in-

intereſſe poſſent, ideòque à poſſeſſione Eccleſia pro Parochia extructa poſſeſſio etiam dicebatur. Vnde & *D. Gregorius Magnus* ſcribit in poſſeſſione, quæ dicitur *Iuliana*, Presbyterum fuiſſe ordinatum Coſmum nomine, & haud abſimiliter, ac eruditè notauit *Gothofred. ad l. 16. de pæn. & ad l. 33. de Epiſc. Eccleſ. & Cler. c. Theod.* in qua *l. 33. Archiad. & Honor. Cæſſ. Eccleſijs, quæ in poſſeſſionibus, vt adſolet diuerſorum vicis etiam, vel quibuſlibet locis ſunt conſtitutæ, Clerici non ex alia poſſeſſione, vel vico ſed ex eo, vbi Eccleſiam eſſe conſtiterit, ordinentur &c.*

*Lib. 11. ep. 14.*

2 Vel in primis naſcentis Eccleſiæ cunabulis emicuit paræciarum origo. Hac D. Petrus, vt tradit *Io: Fileſacus*, aliquos conſtituit Presbyteros, qui recenter ad fidem conuerſos inſtruerent, iiſque Sacramenta miniſtrarent, cum ipſe omnibus vbique adeſſe non poſſet; Euariſtus, vt omnia ordinatè procederent, titulos, ſeu Parochias Presbyteris diuiſit, & aſſignauit in vicinorum eruditionem, ac Sacramentorum adminiſtrationem; Dionyſius cœmeteria addidit ad Martyrum ſepulturam, & limites parochiarum fixit, & aſſignauit, vt ex eius Epiſtola 2. Marcellus demùm vigintiquinque titulos, ſeu parochias eſſe voluit, hæcque ſucceſſiuè à Romanis Pontificibus in Vrbe fuere conſtituta. Subinde extra Vrbem Anacletus I. fuit Auctor, vt ex eius *Epiſt. 3. Concil. Sardicen. Can. 6. Laodicen. Can.* 57. Dionyſius ſcribens ad Seuerum Epiſcopum Cordubenſem idem ſeruari quoad Eccleſias Parochiales Cordubæ, quod Romæ conſtitutum, & vt idem ab alijs Epiſcopis fiat per Hiſpaniam. Pari exemplo propagatæ demùm parochiæ in Gallia, in Africa, vt ex *Concil. Carthagin. III. Can.* 42. hiſceque principijs coæuæ, ac vetuſtiſſimæ in Oriente Parochiæ, vt ex *Nicephoro*, & vnico verbo ſecuta ſemper eſt earum erectio Chriſtianæ fidei dilatationem. Ne verò hæc parochiarum diſtinctio vnitati Eccleſiæ, cui ſemper Summi Pontifices, & Patres illi primi impenſiſſimè ſtuduerunt officerent, & ne qui parochijs Præfecti, ſe crederent ab Epiſcopi auctoritate ſubtractos, fuit notabile, neque hìc omittendum illud Romanæ Eccleſiæ inſtitutum, vt quoties Romæ Summus Pontifex ſacra Miſſarum celebraret myſteria, fermentum ſacrum per omnes Eccleſias mitteret, quem ritum tanquam perobſcurum elucidauit *Baron.* erat hoc fermentum ſic miſſum conteſſeratio quædam, & vnitatis ſymbolum tribuiturque eius inſtitutio ab *Anaſtaſio Bibliothecario* Melchiadi Summo Pontifici dum de eo ſcribit. *Hic fecit, vt oblationes conſecratæ per Eccleſias ex conſecratu Epiſcopi dirigerentur, quod declaratur fermentum*, ritumque ipſum apertiùs exhibuit *Innoc. Summ. Pontifex*, dum ait. *De fermento verò, quod die Dominica per titulos mittimus, ſuperfluæ nos conſulere voluiſti, cum omnes Eccleſiæ noſtræ intra Ciuitatem ſint conſtitutæ, quarum Presbyteri, quia die ipſa propter plebem ſibi creditam nobiſcum conuenire non poſſunt, idcirco fermentum à nobis acceptum per Acbolitos accipiunt, vt ſe à noſtra communione, maximè illa die, non iudicent ſeparatos.* Vſus huiuſce fermenti ex eo ritu magis illuſtratur, quo fideles populi oblationes panum facere conſueuerunt, vel Presbyteri ipſi de proprio contribuere in Eccleſia, & ex ijs à Presbytero benedictis, & in fruſtra ſectis poſt Miſſarum ſolemnia, qui communicare non eſſent parati *Eulogia* omni die Dominico, & in diebus feſtis accipiant; fuit antiquo Canone ſub Pio Primo ſancitum. Indeque inſtitutum à Melchiade, vt ſingulorum titulorum Presbyteri fermentatum huiuſ-

*De Parec. orig. cap. 1.*

*Epiſt. 2.*

*Hiſt. lib. 2. c. 2.*

*Tom. 3. Annal. Ann. 313.*

*Epiſt. 1. ad Decent. c. 5.*

Digitized by Google

iuſmodi panem acciperent; idque non ſolùm Romæ, & in Eccleſia Occidentali, ſed & in Orientali ſeruatum indicat *Concilium Laodicenum Can.* 14. & *Can.* 19. Hæc obiter tradidiſſe non pigebit nunc ad rem.

Qui ergo Presbyter huiuſmodi Eccleſijs præficiebatur Parochus dicebatur à paræcia, ſicut & adhuc dicitur, cuius fuit ſemper habita tanta dignitas, vt à iure Diuino deriuatam eorum inſtitutionem aſſeruerit *Franc. Hallier.* ſucceſſiſſeque Parochos in locum ſeptuaginta duorum diſcipulorum docuit *Anaclet. Summ. Pontif. relatus in Can.* 1. 21. *diſt.* ideòque dicti etiam Antiſtites nomine cum Epiſcopis communi, & aliquando Concilijs etiam adeſſe ſoliti, ſaltem Prouincialibus, vt Romano ſub Symacho, Aquilienſi cum Ambroſio, & paſſim in Africanis Concilijs.

*De hierarch. lib. 4. c. 6. per tot.*

3 Iam ad eorum officium, quod quidem, vt grauiſſimum, ita & formidabile, & non aliud, quàm animarum ſibi creditarum curam gerere, quarum, vt eximia eſt excellentia, & dignitas, ita accuratiſſima debet eſſe incumbenti cuſtodia, ſicut & Deo gratiſſima. Vnde *Chryſoſtomus. Nihil enim ita gratum eſt Deo, & ita curæ, vt animarum ſalus, ſicut clamat Paulus dicens, qui vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Officium hoc ergo Parochi vnico, & prægnantiſſimo verbo expeditur, eoque ipſo, quo Chriſtus Dominus vniuerſæ Eccleſiæ curam Petro commiſit. *Paſce oues meas*, illudque eſt paſcere opere, verbo, & exemplo, vtilia promouere, quæ damni eſſe poſſunt auertere, & in viam veritatis, ac æternæ vitæ dirigere, quæ ſanè omnia huius muneris propria inuoluunt, & nihil eſt, quod dictis huiuſmodi vberrimè non comprehendatur; & ſi ad ſingularia velimus deſcendere, ea non alia, quam quæ & Epiſcopalis muneris, licèt non adeò eminenti modo, ſubditos ſcilicet docere, verbum Dei prædicare, Sacramenta miniſtrare, & iterum vnico verbo *paſcere*, & animam ſuam pro ouibus ponere, cum ſit Parochus in ſua vicinia oculus Epiſcopi, & primus poſt Epiſcopum, ſicut enim Epiſcopi in locum Apoſtolorum ſucceſſerunt, ita Presbyteri, ſeu Plebani in locum ſeptuaginta diſcipulorum, vt ſupra dictum ex Anacleto, & ideò reſidere, & præſidere Diuino iure tenetur, adeò vt temerè deſerere non poſſit *Can. Sanctorum* 70. *diſt.* & proprias oues, ſeu parochianos cognoſcere, vt poſſit ab alienis diſtinguere, quibus nec licuit Sacramenta miniſtrare, *c.* 2. 4. 5. 9. *q.* 2. Indeque tranſtulit *Anton. Auguſtin.* ex Synodo Romana *Can.* 7. *nullus Preſbyter parochianum alterius recipiat, niſi per neceſſitatem in baptiſmo, & in abſolutione, & ſi quid charitatiuè ſibi oblatum fuerit ex conſenſu illius, cuius parochianus fuerat, habeat, vel reddat.* Idemque fuſiùs legitur in *Capitular. Caroli Magni*, quæ fuit ratio, vt in *Concilio Hannetenſi*, vnde ſumptum *cap.* 2. *hoc tit. apud Gregor.* fuerit in ea verba ſtatutum. *In Dominicis diebus, vel Feſtis Presbyteri antequam Miſſam celebrent, plebem interrogent, ſi alterius parochianus in Eccleſia ſit, qui proprio contempto Presbytero, ibi Miſſam velit audire, quem ſi inuenerint, ſtatim ab Eccleſia eijciant.* Meritò; conferre enim id maximè viſum, vt Parochus munus ſuum exactè poſſit explere. Nam à proprio paſtore diſcent oues, per Dei verbum, non ſolùm quid verè, & perfectè credendum, ſed & quam rectè, & piè viuendum, Feſtos dies, qui ſint colendi, & ſacri percipient, & quæ ſint ſeruanda ieiunia, *c.* 1. *de conſec. d.* 3. ſine quo interuentu vix poterit Paſtor gregem ſuum cognoſcere diſtinctè, & conſiderare, quo ſanè intuitu vrget ius Diui-

*Homil. 3. in Geneſ. litt. m.*

*Ep. lib. 6. ut. 22.*

*Lib. 6. c. 164. &c. 141.*

Diuinum, & naturale, vt Paſtores in Eccleſia ſua reſideant. Hac tamen ſaluberrima diſciplina non attenta libertas omnimoda inualuit, vt fideles vbicumque Dominicis, & feſtis diebus Miſſam audiant, ſine piaculo id faciant, & obligationi ſuæ ſatisfaciant, cui libertati fauere etiam videtur *Can. Concil. Agathen.* tranſlatus in *Can. Miſſas de conſec. diſt.* 1. *Miſſas die Dominico ſæcularibus totas audire ſpeciali ordine præcipimus, vt ante benedictionem Sacerdotis egredi populus non præſumat*. Qui Canon, vt diem obligationi præfixit, ita (ſi adeſſet) & de loco ſtatuere non omiſiſſet.

Verùm non per hoc derogatum apertiſſimo conciliari Canoni, quamuis de loco pro Miſſa audienda nulla legatur mentio, & ſanè ſtaret adhuc obſeruantia, vtpotè rationabilis, & iuſta, niſi conſuetudo generalis omnimodam libertatem induxiſſet, præciſamque obligationem audiendi in Parochia, ſeu paræcia ſuſtuliſſet. Priuilegia enim quamplura à Summis Pontificibus Religioſorum inſtitutis ſunt indulta, vt quicumque in eorum Eccleſijs Miſſam audierint, præcepto ſatisfaciant, iam cœpit Parochialis Eccleſia minus frequentare; indeque conſuetudo inducta altas adeò miſit radices, conſenſu præſertim, & ſcientia Summi Pontificis ſuffulta, vt euelli alia auctoritate non poſſit, vt nihil acturum Epiſcopum, ſi vellet iam extinctam obligationem excitare, aſſerunt *P. Suarez, Guttierez, Barboſ.* & alij apud eumdem. Quo iure autem tenetur Parochus in curam gregis operam ſuam inceſſanter impendere eadem, & metere temporalia, tanquam ſpiritualia miniſtrans, poteſt & parochiani Decimas, primitias, & oblationes debent tribuere *tot. tit.* & præſertim *c. cum ſit, c. Apoſtolicæ de decim.* apud *Gregor.* De decimis, & primitijs ſatis ſuperque actum loco ſuo, vbi & de oblationibus plura, & nunc addemus non poſtremam fuiſſe rationem iniungendi obligationem Miſſæ Parochialis in diebus Dominicis, vt ſcilicet fideles oblationes faciant, idque cautum *Concilio Matiſconenſi c.* 4. *& lib.* 5. *Capitularium Caroli Magni c.* 209. vbi in ea verba. *Hoc populo nuncietur, quod per omnes dies Dominicos oblationes Deo offerant, & vt ipſa oblatio foris ſepta Altaris recipiatur*. Idem repetitum habeas in ijſdem *Capitularibus*. Quæ ſatis circa parochias, & parochianos alienos; iam de rerum Eccleſiaſticarum alienatione agemus Capite ſequenti.

*Tom. 3. in 3. p. diſp. 83. ſec. 1. Canonic. qq. lib. 1. c. 30. nu. 14. De offic. Paroch. c. 11. nu. 15 Iur. Eccl. vniu. lib. 1. c. 11. n. 34.*

*Lib. 6. c. 161. & c. 167.*

## CAP. VII.

## De Rebus Eccleſiæ alienandis, vel non.

1 *Continuatio materiæ, eiuſque partitio.*

2 *Quandonam primò introducta rerum Eccleſiaſticarum alienatio, & referuntur varia Summorum Pontificum, & Conciliorum decreta ſucceſſiuè.*

3 *Rationes redduntur vetitæ huiuſce alienationis, & agitur præcipuè de neceſſaria.*

4 *De ſolemnibus ad rerum Eccleſiæ alienationem requiſitis.*

Quia materialis Eccleſia, de qua & ei adnexis iuribus hucuſque a nobis actum ita fundatur, & erigitur, vt bona ipſi, tanquam pro congrua dote aſſignantur, & iam aſſignatis alia etiam ex fidelium pietate & charitate accedunt, ideò ad materiæ coronidem de bonis huiuſmodi agen-

dum aſſumimus, quatenus præſertim eorum permittatur, aut inhibeatur per alienationem commercium. Nec veremur, quod hanc aggredi materiam ſit quaſi extra chorum ſaltare, quod ea ad tertiam partem operis noſtri magis pertineat, adeòque ad iuriſdictionem contentioſam, ad quam contractum, & vltimarum voluntatum tractationem reuocamus; nam eſto, quod id videatur exigere aſſumpta methodus, adhuc tamen rerum, quas hactenus tractauimus, connexio iuſtè hic agendum dictat potiſſimum, cum hæc ipſa alienatio haud minùs voluntatem liberam decernentis auctoritate ſua reſpiciat, ſicque ſub iuriſdictione voluntaria appoſitè comprehendatur.

Hæc igitur in materia proponimus examinanda, & illuſtranda capita. Quando primùm, & cur inhibita rerum Eccleſiæ alienatio, & quid veniat alienationis nomine. Numquid ea permittatur aliquando, cui permiſſum facere, ex quibus cauſis, & demùm quænam eius expediendæ fuerit olim, & ſit hodie forma, quæ luculenter, ſed & breuiter tradita, & materiam ipſam, & Tomum hunc ſecundum feliciter claudent.

1 Certum illud eſt, vt ſcripſimus agentes de patrimonio Eccleſiæ ad beneficiorum Eccleſiaſticorum originem, Eccleſiam in ſui primordio, alios non habuiſſe reditus, quàm pias, & voluntarias fidelium eleæmoſinas, quas Prælati, & Antiſtites, quibus credita erat ærarij Eccleſiaſtici adminiſtratio, piè, ac prudenter diſtribuebant, pauperes alendo, captiuis, & peregrinis neceſſaria ſuggerendo, veras diuitias rati, quæ in eleæmoſinarum copia, non in pecuniarum aceruato cumulo conſiſterent; vtebantur ijdem pijs largitionibus factis, & quidquid ſupererat egentibus erogabant, adeò vt narret *D. Chryſoſtom.* æuo ſuo Eccleſiam Antiochienam non ſolùm Sacerdotes, & Clericos ſuos aluiſſe, ſed & ſingulis diebus ad tria viduarum, virginum, & pauperum millia ſuſtentaſſe. Cęperunt ſubinde non ſolùm eleæmoſinæ, ſed & latifundia Eccleſiæ donari, vnde opes ſub Chriſtianis Principibus profuſa, & pia largitione creuerunt.

*Homil. 67. in c. 1. D. Matth.*

2 Bonis ſic quæſitis, cum non ſemper eadem vigeret diſciplina, aut adeò fidelis adminiſtratio, cauendum fuit, vt bona ipſa accuratè conſeruarentur, ac proinde interdicenda eorumdem alienatio. Quandonam autem ſalubre hoc proceſſerit interdictum præ opinionum varietate non adeò certum, *Arias enim de Meſa* à temporibus Apoſtolorum vſque ad annum 398. nullam aſſeruit extitiſſe legem de bonis Eccleſiæ non alienandis, cum ex Apoſtolorum auctoritate Epiſcopi diſpenſatores eſſent omnium bonorum Eccleſiaſticorum *Can. 39. Apoſtolor. c. præcipimus, c. videntes c. quiſquis 12. q. 2. c. quæcumq; 10. q. 1.* latè *Ant. Auguſtin.* tuncq; celebratum *Concilium Carthaginenſe III.* relatum in *Can. nullus 17. q. 4.* quo hæc ipſa vetita alienatio. Verùm præceſſerat iam Concilium aliud apud Valentiam in Hiſpania ſub Damaſo Summo Pontifice conuocatum anno 374. ex *Baron.* eoque conditus Canon rerum Eccleſiaſticarum alienationem interdicens cum de rebus Eccleſiaſticis tunc ageretur, indeque repetitus Canon in *c. 1. de his, quæ fiunt à Prælat. ſine conſenſu Capituli*, vbi hæc regeruntur verba ſub Epigraphe. *Ex Concilio apud Valentiam. Irrita erit Epiſcoporum donatio, vel venditio, vel commutatio rei Eccleſiaſticæ abſque collaudatione, & ſubſcriptione Clericorum.* Cæterùm aduertit *Ant. Auguſtin.* in nullo Valentino Concilio, ſiue in Gallijs, ſiue in Hiſpanijs habito hæc verba legi, ſed vtique parùm diſſimilia haberi in *Concilio*

*Lib. 3. var. cap. 23.*

*Epit. Iur. Pont. lib. 4. tit. 80.*

*Eod. tom. 4. Annal.*

*In 1. cõpilatione*

*Ex lib. 1. d cimend Grat. Dial. 14.*

Digitized by Google

*cilio Carthagin. IV. Can.* 32. quorum etiam verborum ſententia ex Leone tranſlata eſt, & regeſta à *Gratiano in Can. ſine exceptione* 12. *q.* 2. & ab *Innoc. III. in cap.* 1. *&* 2. *de his, quæ fiunt à Prælat. in* 3. *collect.* apud eumdem *Auguſt.* & ex hac varietate factum, vt compilatorum alij ex Concilio Carthaginenſi, alij ex Leone, & alij ex Synodo apud Valentiam allegarint.

Verùm, vt præceſſit Concilium apud Valentiam tanquam conuocatum, vt ſupra ex *Baron.* anno 374. ita ipſi tribuenda eſt origo vetitæ alienationis rerum Eccleſiæ, ipſumque ſubſecutum Concilium Carthaginenſe III. celebratum ſub Anaſtaſio Summo Pontifice anno 398. & hoc *Leonis I.* Summi pa-
*Epiſt.* 104 riter Pontificis conſtitutio, de qua vt ſupra in *c. ſine exceptione* 12. *q.* 2. idem alienationis interdictum confirmauit Hilarus S. Leonis ſucceſſor *Epiſt.* 8.
*Tomo 7. Annal. ann.* 535 Agapitus *Ep.* 6. vt apud *Baron.* At non ſatis conſultum hiſce Conciliorum, & Pontificum ſtatutis videbatur, quando per ea non omnes contractus, ſed donatio, venditio, permutatio vetabantur, ſic enim res Eccleſiaſticæ demptis hiſce contractuum ſpeciebus, adhuc in commercio eſſe videbantur, ac diſpoſitioni ſubditæ; immò nec adeò liquebat, quænam res prohibitione comprehenderentur, num res mobiles, num magis damnoſæ, quàm vtiles, ideò acceſſit Leonis Imperatoris conſtitutio, quæ extat in *l. iubemus c. de ſacroſ. Eccleſ.* & generaliter interdixit quamcumque alienationis ſpeciem bonorum immobilium, ſeruorum ruſticorum, & annonarum ciuilium, ſanctione addita nullitatis contractus, & obligationis illis, qui huiuſmodi bona acciperent, & eorum hæredibus ſatisfaciendi Eccleſiæ. Sed quàm efficax eſſet ea conſtitutio ſola imperiali auctoritate innixa conſtat apertiùs, quàm vt latiùs oſtendatur *cap.*

*fin. de reb. Eccleſ. non alien.* nec maiores habuit vires edictum Baſilij Præfecti Prætorio, quod prodijt anno 483. cuius & meminit *Baron.* & de cuius edicti vi
*in c. bene quidem* 96. *diſt.* deficiebat *Tom. 6. ann. 483.*
etiam in eo Leonis conſtitutio, quod circa bona tantùm Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ verſabatur, vt notauit *Cu-*
*iac.* quos omnes defectus ſuppleuit *Ad Nouell. 7. Iuſtin.*
Anaſtaſius Leonis ſucceſſor porrigens conſtitutionem ad omnes Eccleſias, addens, vt ex cauſa vtilitatis, aut neceſſitatis liceat bona Eccleſiæ diſtrahere probata tamen cauſa apud magiſtratum, cenſus, aut defenſorem ciuitatis *l. priuilegia, c. de ſacroſ. Eccleſ.* Inde Symmachus Papa in Synodo IV. Romana anno 502. vetuit alienationem prædij Eccleſiæ ruſtici, in tranſgreſſorem anathema comminatus, data cuilibet de populo facultate reſtitutionem diſtracti prædij petendi, *c. non liceat* 12. *q.* 2. *c. ſi quis* 6. *hoc tit.* & ad Symmachi exemplum, ac per eius literas excitatus Cæſarius Arelateus Epiſcopus Concilium Agathenſe conuocauit anno 506. ex cuius gemino Canone deduxit *Gratian. cap.* 1. *c. huiuſmodi* §. *quod ſi*, *& cap. Epiſcopus* 12. *q.* 2. & addi debent *text. in cap. ſtatuimus*, *& in c. Diaconi* 12. *q.* 2. ex eodem fonte petiti. Haud abſimiliter decreuit *Concilium Epaunenſe* ſub eodem Symmacho *Canone* 9. anno 509. ſcribens reſtitui Eccleſiæ quidquid alienatum ab Abatibus, aut Archipresbyteris ſine conſenſu Epiſcopi. Cum autem hæ conſtitutiones eſſent prouinciales, generalem legem condidit Iuſtinianus eo æſtro, quo circa Eccleſiaſtica ſe ingerere ſemper affectauit; anno 535. *In authentico de non alienandis, aut permutandis rebus Eccleſiæ*, & in *Authent. de alien. & emphit.* vnde ſumpſit *Irnerius auth. hoc ius porrectum, c. de ſacroſ. Eccleſ.* Ibiq; conſtitutiones Leonis, & Anaſtaſij am-

pliauit ad res omnes cuiuſcumque Eccleſiæ, variaſque alienationum ſpecies, quanti autem momenti huiuſmodi ſint cenſendæ conſtitutiones ſicut, & reliquæ eiuſdem Imperatoris circa Eccleſiaſtica aliàs exactè indicauimus, neque hìc denuò ingerendum cenſemus; quàm attentè curauerit *D. Gregor. Magnus*, vt alienatæ res Eccleſiæ vindicarentur, ac prohibuerit, ne alienarentur, teſtantur plures eius Epiſtolæ, & eius æuo hanc eamdem prohibitionem ratam habuit *Concil. Hiſpalen. I. Can.* 1. *&* *Toletan.* 9. *Can.* 1. *&* 2. quam & confirmarunt ſequentibus ſæculis ſubſecuta Concilia, vt *Generale ſub Adriano II. Syluanectēn. ſub Nicol. I. vt ex cap. nulli de reb. Eccleſ. non alien. Guaſtallen. ſub Paſchal. II. Oxonien. ſub Honor. III. Lugdunen. ſub Innoc. IV. aliud ſimile ſub Gregor. X. vt in c. 2. de reb. Eccleſ. non alien. in 6. Viennenſe relatum in Clem. 1. de reb. Eccleſ. non alien. Hiſque omnibus ſucceſſiue acceſſere conſtitutiones Summ. Pontificum, Extrauag. ambitioſæ Pauli. II. Veneti, Iulij III. Pauli IV. Pij IV.* B. *Pij V.* quas habeas apud *Redoanum.* Conſpirarint quidem ſacri Patrum Conuentus, & piæ mentes Summorum Pontificum in vetanda bonorum Eccleſiaſticorum alienatione, attamen non ſine graui onere ipſius Eccleſiæ id factum fortaſſe videbitur, quando ea libertate dempta deterioris conditionis ipſa reddi videtur, quàm ſit priuatus quilibet in quacumque Republica Ciuis.

*Lib. 1. Ep. 66. Lib. 3. Ep. 16. Lib. 8. Ep. 53. Lib. 10 Ep. 33*

*Poſt tract. de reb. Eccl. non alien.*

Negari ſiquidem non poteſt quin rerum Eccleſiaſticarum dominium penès Eccleſiam quamlibet ſingularem ſit *cap. inter* 16. *q.* 3. *cap. expedit* 12. *q.* 1. *c. cauſa*, *&* *ibi Gloſ. de verb. ſignif.* minuſque dominij eam maximè propriam eſſe vim, quæ in rei ſuæ libera diſpoſitione, & alienatione conſiſtit §. *per traditionem inſt. tit. de rer. diuiſ. l. qua ratione* §. *hoc quoque l. traditio ff. de acquir. rer. domin. l. inciuile c. de rei vindic. l. in re mandata, c. mand.* vt & confirmauit eleganter *Donel.* vt quid ergo priuare Eccleſiam rerum ſuarum dominam præcipuo dominij fructu. Non moramur opinionum varietatem circa diſquiſitionem illam, penes quem dominium rerum Eccleſiæ propriè reſideat; cenſentibus alijs eſſe penès Deum, *c. cum ex eo verſ. de Chriſti patrimonio de elect. c. cum ſecundum de præbend. c. qui Chriſti pecunias, c. qui abſtulerit* 12. *q.* 2. Alijs eſſe penès Summum Pontificem. Alijs immò eſſe penes pauperes, *d. c. expedit*, *c. Epiſcopus* 12. *q.* 1. *c. futuram* 12 *q.* 2. *c. fin.* 16. *q.* 1. *Nouell.* 36. *Iuſtin.* Non moramur (inquam) ſed eam præferimus ſententiam, quæ penès Eccleſiam dominium aſſerit, non quidem vniuerſalem, neque materialem, prout ex lapidibus, & muris conſtat, ſed Eccleſiam pro vt dicit corpus myſticum ex pluribus perſonis conſtans, adeò vt perſona ſingularis hoc dominio non gaudeat, vt ſingularis, & indiuidua eſt, ſed vt pars communitatis ius habeat vtendi, aut fruendi ad ſui ſuſtentationem, & commodum pro opinionum, & in hac varietate, & tanquam membrum communitatis, Epiſcopus verò tanquam principale membrum, & caput habeat diſpenſationem, & diſtributionem.

*Com. Iur. ciu. lib. 9. c. 9.*

*Hugo relat. à Gloſ. in c. conſam de verb. ſignif.*

*Refert. à Turrecr. ad c. videntes 12. q. 2.*

At non per hoc rectè dixeris imminutum Eccleſiæ dominium, aut redditam conditionem eius deteriorem, quàm ſit alia cuiuſcumque priuati hominis, neque enim ad inuidiam trahendum, quod pro ipſius Eccleſiæ vtilitate fuit ſtatutum, vt enim in pleriſque caſibus emere, & vendere compelluntur ciues *l.* 1. §. *cura ff. de offic. Præf. vrb. l.* 2. *ff. de his, qui ſunt ſui, vel alien. iur. l.* 2. *c. de patrib. qui fil. diſtrax.* ita æquè

iuſtè

iuſtè ius nonnunquam alienandi facultatem Domino adimit, cuius prohibitionis caſus quamplures ex vtroque iure recenſuit *Donell.*& inter eos potiſſimus, quo ſupramemoratæ leges alienationem rerum Eccleſiæ diſtrictè interdicunt, cuius prohibitionis rationes afferuntur plures pro vario ſcribentium genio. *Com. Iur. ciuilib.9. c.10.*

3 A Diuino iure rationem mutuantur aliqui, & ex verbis *Leuitici ſuburbana Leuitarum ne veniant, quia poſſeſſio ſempiterna eſt*. Alii ex eo, quod res ſemel Deo dicata ad humanos vſus reuocari non debeat, *c.nulli c.iniuſtum 12.q.2.c.quæ ſemel 19.q.3.c.iniuſtum, de rer.permutat. c.ad hæc de relig. dom.* Sed quidquid ſit de rationibus hiſce, & præcipuè hac 2.quæ nutare ex eo valde videtur, quod ſic fieret, vt Eccleſiaſtica bona nullo vnquam caſu poſſent alienari, nec alia generali admiſſa à fauore Religionis ducta, vt ſumma ratio ſit, quæ pro religione facit, *l. ſunt perſonæ ff. de relig. & ſumpt. fun.* certè nulla potior, aut adæquatior, quam Eccleſiæ vtilitas, ad quam reſpiciunt & conſtitutiones ipſæ, & præſertim in *d.l.iubemus c.de ſacroſ. Eccleſ.* per ea verba. *Vt ſicut ipſa religionis, & fidei mater perpetua eſt, ita eius patrimonium iugiter ſeruetur illæſum*, quæ repetita legitur *in c. 2. 10. q. 2.* non ſolùm autem Eccleſiæ ipſius, ſed & Reipublicæ intereſt, vt appoſitè aduertit *Donell.*bona Eccleſiæ conſeruari, vnde ſuppetant ſumptus ad miniſtros ipſius, & pauperes alendos & ad ędificia Diuino cultui, & vſui ſacra ſarta tecta ſeruanda, quibus vſibus bona ipſa deſtinata ſunt, ideò decuit, poteſtatem Prælatorum Eccleſiæ, quibus huiuſmodi bonorum adminiſtratio credita eſt, certis limitibus definiri, ne adminiſtratio ipſa in diſſipationem facile conuertatur, *c. venerabilis de off. deleg.* nec abſimile eſt exemplum minorum, quibus ſanè par eſt Eccleſia, *cap. auditis de inintegr.reſtit.* ijs enim, & eorum tutoribus vetitum eſt, prædium ruſticum, vel vrbanum alienare, *l.1.§.1.ff. de reb.eor.l.2.& tot.tit.c.de præd. min.* vel rem mobilem pretioſam, *l.lex c. de admin. tut.* quæ omnia ſicut non poſſunt ſine decreto, & ſolemnibus à iure ſtatutis alienari, ita nec res Eccleſiæ à Prælatis, qui ipſius ſunt Tutores. *Leuit. c. 25.* *Com. Iur. ciuilib.9. c.10.*

Neque hoc repugnat pleno dominii iuri, quo non ſecus, ac priuatus quilibet homo gaudet Eccleſia, non enim eſt nouum, aut inſuetum in iure, vt qui Dominus eſt non poſſit tamen pro libito de rebus ſuis diſponere præſertim alienando §.1.*inſtit.tit.quib.alien. lic. vel non*, vel ſaltem non ſeruata certa ſolemnitate, vt in minore, aliiſque ſimilibus vt per *Molin.* & *Couar.* rato enim habito eiuſdem Eccleſiæ dominio potuere ſacri Canones rerum ſuarum alienationem, ſaltem ſine certis ſolemnibus, inhibere, maximè, cum Eccleſia ipſa tanquam corpus myſticum anima, & conſenſu careat, vnde alienatio expedienda veniat per eius Prelatos, qui, cum ſint meri adminiſtratores, non pro libito, ſed ad iuris præſcriptum cum quoad cauſam, tum quoad modum, debuit hoc ipſis licere. *De Hiſp. primog. lib.1. c. 11. & 18. Var.reſol.lib. 3. c. 5.*

Quamuis autem cauſæ alienationis huiuſmodi faciendæ ad tres reuocentur per *Gloſ.* neceſſitatem ſcilicet, vtilitatem, & inutilitatem *c. ſicut, c. ſine exceptione, c.Terrulas, c. ad aures 12. q.2. l.ſancimus, auth. hoc ius porrectum, c. de ſacroſ. Eccleſ.* Hæ nihilominus ad vnam, & eamdem, nempe vtilitatis videntur reuocari, & in eam reſolui, quæ vt diximus, eſt vnica finalis cauſa vetitæ alienationis; vix eſt enim, vt neceſſitas dici debeat alienationis iuſta cauſa, cum immo potius ſub prohibitione alienationis non comprehendatur, nec ea cenſeatur vetita alienatio, quæ fit ex *Ad c. ſumma in q.12.*

cauſa

cauſa neceſſitatis *l. 1. ff. de fund. dot. l. & poſt litem, l. alienationis ff. fam. herciſc. l. 1. c. comm. diuid. l. filiusfamilias*, §. *Diui il 2. ff. de leg. 1.* vt notarunt *Donel. Cuiac. & Ant. Fab.* cuius neceſſariæ alienationis in rebus Eccleſiæ plura ſuppetunt exempla; fac enim, quod Iudicis ſententia res aliqua legitimè auferatur ab Eccleſia, quo caſu res dotales, nec non minorum poſſũnt alienari *l. 1. ff. de fundo dot. l. 3. §. pignori ff. de reb. eor.* fac & ſecundò, vt prouocetur Eccleſia ad diuiſionem prædij communis, ſecus ſi ipſa prouocaret, cum enim prouocatur neceſſitas adeſt, & nulla eſt opus ſolemnitate, *l. iubemus in princ. verſ. ſed ea, c. de ſacroſ. Eccleſ. l. cum in fundo ff. de fund. dot.* fac & tertiò, vt res pignori ſubiecta ſub haſta diſtrahatur, & quæ ſic pignorata peruenerit ad Eccleſiam, tunc enim ſic facta diſtractio eſt potius executio prioris obligationis, quàm noua obligatio, *l. ſi pupillorum 7. §. 1. ff. de reb. eor. quidquid dixerit ibi Vlpinus tutius eſſe, ſi prius Prætor adeatur, quaſi ſit opus eius decreto*, hoc enim magis conſilij eſt, quàm præcepti, *l. ſi ſeruum §. ſi is, cui ff. de obligat. & act. c. fin. §. quemadmodum de iure iur.* fac, quod Eccleſiæ hæres inſtituatur cum reſtituendi onere, per fideicõmiſſum, certè acceptam hæreditatem poteſt reſtituere nulla adhibita ſolemnitate, *l. magis puto §. ſi fundus ff. de reb. eor.* Hic obiter, ſed non extra rem, ſiſtimus; moratur enim delata hæreditas Eccleſiæ ex teſtamento, aut ipſi relictum legatum, numquid poſſint ſine ſolemnitate, & decreto repudiari? neges, ſi rei, de qua agimus, inhæreas, neceſſitas enim illa eſt, quæ alienationem permittit, & à ſolemnium obſeruatione eximit, quam prætexere non poſſumus in repudiatione hæreditatis, vel legati, quæ merè voluntaria, & rectè dixeris, non illa tantùm, ſed & alia ratione, non venit hìc aſſumenda quæſtio, an repudiatio hæreditatis, vel legati ſit alienatio; ſed ea miſſa; repudiare Prælatus hæreditatem, aut legatum Eccleſiæ relictum non poteſt, quia vetitum ipſi non ſolùm res Eccleſiæ, ſed & iura competentia alienare, *c. 2. de reb. Eccl. non alien. in 6. Clemen. 1. eodem tit.* cum enim Eccleſiæ ipſi ſit iam ius quæſitum, & ad hæreditatem, & legatum iam competat actio, ſic relictum in bonis eius computantur, *l. legatum 80. ff. de leg. 2.* ac proinde non poteſt ſine ſolemnitate abdicari, aut remitti *d. c. 2. & Clem. 1.* Nec terreat celebris ille *Tex. in c. fin. 17. q. 4.* quatenus Aurelius Epiſcopus Carthaginenſis ius Eccleſiæ ſuæ quæſitum reddidit, quod factum adeò extulit D. Auguſtinus in eodẽ *tex. à Gratian.* relatus: ſpectes germanam *tex.* ſpeciem; non enim ibi quærebatur, an ſubſiſteret hæreditatis repudiatio facta à Prælato ſine ſolemnitate; ſed pater, qui nullos habebat, nec ſperabat filios Eccleſiæ bona ſua donauit, ſubinde liberos ſuſcepit, Aurelius Epiſcopus reſtituit bona donanti, poterat non reſtituere, ait *D. Auguſtin. iure fori, ſed non iure Poli*, non donaſſet enim, ſi de liberis cogitaſſet, *l. ſi vnquam, c. de reuoc. Donat. l. cum auus ff. de condit. & demonſtr.* nihil hoc ad ſolemnia in alienatione, aut repudiatione, caſus enim admodum ſingularis. Caſibus neceſſitatis addas præſcriptionem, & vſucaptionem, *c. 1. 2. 3. c. de quarta, & paſſim tot. tit. de præſcript.* circa quam non immorabimur, cum plura veniant ſupponenda ex præſcriptionis materia de qua loco ſuo.

*Comm. Iur. ciu. lib. 9. c. 10 in fine.*

*Ad l. Alienationis fil. fam. herciſc. in rationabil. Faber.*

Demùm caſibus alienationis ex neceſſitate adcenſendus eſt ille, qui ſatis frequens; ſi enim exigat Eccleſia annuum cenſum, & debitor redimere ipſum, ſeu extinguere velit, vt ſe ab onere eximat, quamuis Eccleſia, quæ ſolutionem recipit, alienare intelligatur §. & 

*ex*

*ex contrario inſtit. tit. quib. alien. lic. vel non*, quia tamen hæc alienatio eſt magis neceſſaria, quàm voluntaria, cum legis auctoritate fiat, & ex natura contractus obligatio reſoluatur, ideò ſine vllo ſolemnium interuentu fieri vtique poteſt. Huicque ſimilis caſus in Vrbe Roma; conſtitutionibus enim *Summ. Pontif. Alexandri, Sixti, & Leonis X.* cautum ad ornatum Vrbis, vt quis ædificaturus domum vicinam à Domino etiam inuito comparare poſſit, & teneatur Dominus vendere non excepta etiam Eccleſia, ad cuius fauorem rationabiles quædam cautiones ſunt perſcriptæ, vt ex conſtitutionibus ipſis iuris congrui, quæ in Bullar. nouo proſtant. Neque arguas contra hanc neceſſitatis cauſam ex *l. quidam 10. iunc. l. rogo 21. ff. de fideic. libert.* ex quo ibi vetita ſerui alienatione non ſolùm voluntaria, ſed & neceſſaria interdicta cenſeatur adeò, vt alterutra ex cauſa alienatione ſecuta ſeruus libertatem ſtatim conſequatur. Miſſa enim differentia, quæ inter rem, ſeu fundum alienari prohibitum extra familiam viget, & quam aſſignauit eleganter *Cuiac.* certè vbi ita teſtator diſpoſuit, vt in *d. l. rogo. Rogo te hæres mi, ne ſeruus ille alterius ſeruitutem experiatur*; his verbis data cenſetur ſeruo libertas ſub ea conditione, *ſi extraneo alienetur*, factuſq; ipſe ſtatu liber, cum ſit ei fideicommiſſaria libertas adſcripta *l. non tantum* §. *cui ff. de fideic. lib.* itaque ſi veneat ſeruus propter creditores teſtatoris, libertas intercedit, nec vnquam peti poteſt, *quod poteſt videri defunctum nihil ſenſiſſe de huiuſmodi caſu alienationis*, inquit *Marcellus* in *l. cum fidei ff. de fideic. libert.* quod ſi fiat alienatio propter hæredis creditores, confeſtim libertas peti poteſt, *nihil enim refert* (ait *Papin.*) *qua ratione extiterit conditio libertatis fideicommiſſariæ*, & non expectata morte hæredis *d. l. rogo*, quidquid ſit, ſi ageretur de fideicommiſſo pecuniario; libertas enim facilius, & properantiùs præſtatur, quàm fideicommiſſum pecuniarium, cuius conditionem quacumque ratione impleri non ſufficit, ſicut fideicommiſſariæ libertatis, quàm diſtet hic caſus alienationis ex cauſa neceſſaria à neceſſitate alienationis rei Eccleſiaſticæ, inde facilè colligas, nec applicando proſequimur vlteriùs, ſed ad ſolemnitates in alienatione requiſitas accedimus, in quarum obſeruatione tota praxis materiæ poſita eſt, eas exhibet celebris Canon in *cap. ſine excepione* §. 2. 12. *q.* 2. cuius ea verba ex S. Leone Pontifice Summo. *Sine exceptione decernimus, ne quis Epiſcopus de rebus Eccleſiæ ſuæ quidquam donare, vel commutare, vel vendere audeat, niſi forte aliquid horum faciat, vt meliora proſpiciat, & cum totius reri tractatu, atque conſenſu id eligat, quod non ſit dubium profuturum Eccleſiæ &c.*

nec non Gregor. XIII.

Lib. 15. obſer c. 5

4 Quæ igitur deſumuntur inde ſolemnitates rediguntur ad tractatum cum capitulo, ad conſenſum eiuſdem, & ſubſcriptionem; ſi ergo alienatio fiat per Epiſcopum exigitur tractatus præcedens, & conſenſus Capituli Eccleſiæ Cathedralis, *c. 1. de reb. Eccleſiæ non alien.* quod ſi agatur de alienatione bonorum inferioris Eccleſiæ, quæ ſuum habeat Rectorem, ſat erit auctoritas, & conſenſus Rectoris, nec non Epiſcopi, & ſi Eccleſia fuerit Collegiata, vel Regularis neceſſarius erit conſenſus Prælati, & Capituli, vel Conuentus reſpectiuè *Clem. 1. de reb. Eccl. non alien.* quidquid de ſcriptura, ſeu inſcriptione ſtatuerit *Iuſtinianus in auth. hoc ius porrectum c. de ſacroſ. Eccl.* quod iam obſoleuit. Tractatus, tanquam de re admodum graui, iuſtè requiritur, eumq; circa cauſas alienationis habere debet Epiſcopus ſiue per ſe, ſiue per alium, &

eo

eo habito, ſeu facta ſibi relatione ab eo, per quem tractatum habuerit, poteſt decretum alienationis interponere conſenſus debet eſſe Canonicorum capitulariter exhibitus, ſicut & Monachorum, non autem vt ſingularium *Clem. 2. de reb. Eccleſ. non alien.* quibus demùm ceu coronis, auctoritas ſuperioris accedere debet, *c. nulli de reb. Eccleſ. non alien. c. 1. eod. in 6.* ſiue Epiſcopi, ſiue Summi Pontificis.

Hæcque tandiu obtinuere, quamdiu à vario rerum euentu excitatus zelus ſupremi Eccleſię capitis, maturiùs conſulendum Eccleſiarum indemnitati iudicauit *Paulus* enim *II.* Venetus Pontifex Max. celebrem conſtitutionem edidit, quæ habetur inter *Extrauag.* communes, & incipit *Ambitioſæ de reb. Eccleſ. non alien.* per quam alienationem rerum Eccleſiæ ita diſpoſuit, vt cautum appoſitè rei adeò graui cenſeatur, quæ conſtitutio frequentiſſimo vſu recepta norma ipſius alienationis faciendæ reuera eſt, eamque praxis hodierna inceſſanti vſu commendat, & ſicubi fortè non recepta non vſu, aut contrario vſu, aſſerenti incumbit onus probandi, cum præſumatur obſeruantia conſtitutionis, eiuſque executio, quæ iam ius commune conſtituit, & in compilatione Pontificij iuris publicè circumfertur. Prohibet igitur Summus Pontifex *Paulus II.* omnem rerum, & bonorum Eccleſiaſticorum alienationem, omneque pactum, per quod earum dominium transfertur, omnem conceſſionem, hypothecam, locationem, & conductionem vltra triennium, infeudationem, emphytheuſim, niſi de rebus ab antiquo concedi ſolitis, & cum Eccleſiarum vtilitate ſub nullitatis pœna, comminataq; excommunicatione tranſgredientibus, quoties inconſulto Romano Pontifice alienatio fiat, pròvt latiùs in conſtitutione ipſa ad quam &c.

Quæ ad obſeruantiam huiuſce conſtitutionis hodie præſertim (vbi ea recepta) præſcribantur breuiter pro inſtituto enumerabimus, quæ autem circa ſingula paſſim controuertuntur, remittemus ad ſcribentes circa praxim, inter quos recentiores, & præcipuè *Io: Baptiſta Turricell.* à teneris vſque annis ſuis amicus recolendæ memoriæ, & poſt eum nouiſſimè *Petrus Pacionus* in Romana Curia Aduocatus magni nominis, & integerrimus in luculentiſſimo Tractatu ſuo de Locatione, & Conductione, vbi exactiſſimè vniuerſam materiam pertractat.

*In tract. de reb. Eccleſ. non alien. c. 7. & ſeqq.*

*Cap. XIV & per tot.*

Quod ergo beneplacitum Apoſtolicum veteri iure ex *cap. ſine exceptione 12. q. 2.* non neceſſariò, ſed alternatiuè cum auctoritate Ordinarij adhibebatur poſt hanc *Pauli II.* conſtitutionem ex neceſſitate cępit adhiberi, adeò vt eius omiſſio quemlibet contractum, in quo de rebus Eccleſiæ diſponatur, aut earum dominium transferatur, nullum omninò reddat, & nullius roboris, in quibus autem caſibus ſit, vel non ſit neceſſarium habens ſingulariter examinatum apud auctores ſupradictos. Vltra Beneplacitum Apoſtolicum in eius conceſſione iniungitur receptio, & depoſitio teſtium, qui neceſſitatem euidentem Eccleſiæ examine congruo teſtentur, pro quo habendo ordinario ipſi, aut alteri beneuiſo huiuſmodi cura committitur, qui Apoſtolica auctoritate proceſſum conficiat, ac ſeruatis ſeruandis demùm alienationem ipſam decernat, niſi fortè in commiſſionis reſcripto Paulinę conſtitutioni derogetur, & delegato ſeu commiſſario detur facultas ſe extraiudicialiter informandi, tuncque ſtabitur eius relationi, niſi fuerit iniunctum, vt ſe informet per teſtium receptionem & probationem, vel ad formam Paulinę conſtitutionis, tunc enim informatio aliunde probari debet, quàm ex ſimplici

*Cap. 8. & d. Cap. 14 §. 3.*

*Turricel. c. 7. nu. 5. & 10.*

plici commiſſarij aſſertione, & apud eumdem auctorem praxim habeas, quę veniat pro executione reſcripti Apoſtolici ſeruanda, & quando per temporis lapſum, quantuſque is debeat eſſe, ſolemnitates adhibitæ præſumantur; non enim circa hęc ſingula immorari methodus, & inſtituta ratio noſtra patitur; at circa hęc non omittemus nouiſſimam conſtitutionem Sanct. mem. Vrbani VIII. Pontificis Maximi editam 5. Iunij 1641. circa Eccleſię præiudicialia, per quam quęcumque geſta per quoſcumque abſque ſufficienti Apoſtolica auctoritate, nulla, & irrita cum omnibus, & ſingulis inde ſecutis declarantur, quamuis quocumque tempore, etiam longiſſimo fuerint executioni demandata, nullaque inde approbatio, vel pręſumptio Beneplaciti Apoſtolici oriri poſſit, nec bona fides aliqua, poſſeſſio, aut quaſi poſſeſſio, aliquaue pręſcriptio poſſit ſuffragari, poſſitue inde reſultare, adeo vt per hanc conſtitutionem, beneplacitum pręſumptum omninò perimatur, & extinguatur. Vna tamen excepta centenaria, & immemorabili, quam ſaluam voluit expreſsè prudentiſſimus Pontifex, dum tamen requiſita à iure ad eam neceſſaria concurrant, vt pleniùs in eadem conſtitutione, ad quam remittimus.

Hæc ſatis ad materiæ Theoriam, ſingularia circa quælibet pragmaticis, ac de materia ſcribentibus conſultò, & non inutiliter relinquentes. Et cum his omnia, ſaltem potiora, ad Iuriſdictionem voluntariam in Sacra Iuriſprudentia, & Pontificio Iure, Tomumque Secundum totius Operis claudimus.

# FINIS.

# INDEX RERVM NOTABILIVM.


A

*ABbas*. Iuriſdictio quaſi Epiſcopalis 18. Poteſtas ordines conferendi. 236. 38. 41. 43. Abbas Ciſterciēſis.239. Lateranenſis,s.Iuſtinę de Padua,titulares,regulares, & cōmendatarij.240.

*Abraha* Sepultura.622.

*Abraſio* capitis & barbæ.308.

*Abrogatio* Legis.53. 55.

*Abſolutio* ſacramentalis denegata.164. Clauſula abſolutionis ſolita in conceſſionibus. 487. Abſolutio Fidelium. 519.

*Abuſus* priuilegij.109.

*Accenſio* luminū quando Euangeliū legitur 140.

*Acceptatio* legis. 32. 36.

*Actiones*,legis,& legitimę,& differentia ab actibus legitimis.64. 154.155. Actiones humanæ intrinſecè malæ.533. Actus interni, & externi.48.51. 53. Quinam ſunt materia legis canonicæ. 51.

*Aditus* Proceſſionis quid. 423.

*Adiuncti* Canonici qui.95.

*Adnotatio* quid.71.

*Adoptio*.154.In ſignū adoptionis capilli tōſi.219

*Adoratio*. Actus & ſpecies.629.32.33.34.35.646. 48.Differētia à veneratione,& cultu.629. Oſculū ſignū adorationis.76.Verbū adorare vnde76.

*Adſcriptitij*. 373.

*Aduocatia*, & aduocatus Eccleſiæ. 436.

*Ædificatio* locorum ſacrorum. 504. Quæ ad eam requiruntur, nempe auctoritas Epiſcopi, & an neceſſarius conſenſus Principis ſæcularis. 511.

*Æquitas* quid & cui conuenit. 127. Æquitas ſcripta,eiuſq; munus. 129.131. Vſus ęquitatis. 132 Aliquando ſeuerius legem interpretatur. 134. Æquitas triplex. 614.

*Affectio* in re beneficiaria quid. 405.Cauſæ,& differentię à reſeruatione. 406.

*Agape* Veterum Chriſtianorum. 139. 539.

*Agere* lege quid. 154. Agere videtur qui Exceptione vtitur. 584.

*Agnus* oblatus pro pallijs189.AgnusPaſcalis336.

*Alæ*,pars Eccleſię. 508.

*Aleę* luſus Clericis indecens.309.

*Alexandrinus* Patriarcha quomodo Pallium ſumat. 195.

*Alienatio* rerum eccleſiaſticarum prohibita. 657. Praxis hodierna. 664.

*Alimentorum* præſtatio. 436.

*Alternatiua* Epiſcoporum Reg. & Cancell. 408.

*Ambo* Eccleſiæ pars. 507.

*Anacoreta* 353.

*Animæ* immortalitas.614.

*Annatæ*,earumq; reſeruatio & origo.408. Vocatæ primitiæ S. Petri ibid. refellitur Duarenus eas damnans.411.

*Annus* probationis.367.

*Anthimus* Patriarcha pallium reddens imperatori.194.

*Antiochena* Eccleſia, eiuſque redditus æuo Diui Chryſoſtomi. 658.

*D.Antonij* de Padua corpus & lingua.630.

*Apoſtoli* miſſi ad euangelium prædicandum. 201. An omnes vxorati 313. Apoſtolicæ literæ 76. Apoſtolicę traditiōes,& quę ab ijs procedūt.140

*Appellatio*. Vſus appellationū ad Pontificem. 69. Ab Archidiacono ad quem fit. 181. Appellatio D.Pauli ad Cæſarem.571.

*Aqua* benedicta.140.510.aqua luſtralis Gētiliū ib.

*Archidiaconus*. Eius auctoritas,munus & prærogatiuæ.177. 179. Can. Nicænus contra Archidiaconos.177.Concilij Toletani.178. Vſus Dalmaticæ eis conceſſus 180.

*Archiepiſcopus*, eiuſque poteſtas.17.189.193.

*Archipresbyter*.Eius officium & prærogatiuæ.179 182. 87. In Eccleſia Paduana maior Archidiacono.181.

*Ariminenſe* Concilium,eiuſque error.651.

*Armorum* vſus Clericis indecens.309.

*Aron* Pontifex ordinarius.236.

*Aſſaſſinus* qui.475. 542.

*Aſſeſſores*.205.

*Aſylia*, & aſyli, eorumq; origo & antiquitas.523. Aſyli belluarū.524. Aſyli Romanorū.529.ſtatuæ Principū.528.refellitur Sarp.de iure Aſylor.526

*Atrium* Eccleſiæ. 507.

*Audientes* qui, & Auditio locus in Eccleſia. 507.

*Aula* in delubro Panos quid.524.

*Aurum* luſtrale quid. 576.

*Autocephalia* Epiſcoporum Cypri.517.

B.

*BAptiſmus* paruulorum.137.Mos pedes lauandi poſt baptiſmum.142. Baptiſmi character & effectus.570.

*Barbæ* abraſio in Eccleſia Occidentali. 308.

*Baſilica* in cuius ſit poteſtate.398.vnde dicta.505 S.Petri ib.S.Saluatoris ſeu Lateranēſis.506.513.

*Baſilicarij* qui dicti.180.

*Beatitudo* in quo conſiſtat 638. Beatificatio.640.

*Bellum* de iure gentium.131.

*Bema* pars Eccleſiæ.510.

*Benedictio* in ſubdiaconatu non adhibita.222.

*Beneficium* Eccleſiaſticum. 368. Origo.370. 407. In eo tria diſtinguēda.372. Titulus in beneficio quid. 372. Refellitur Duareni definitio. 374. beneficiorū diuiſio. 376. Origo ea cōmendandi 378.Optio385. Diſtributio & collatio cui competit.397.411. Refellitur opinio Marſilij de Padua & Duareni.397.99. Reſeruatio.401. Nominatio. 414. Pluralitas & incompatibilitas.415. 418. Deuolutio collationis. 445. Beneficij perpetuitas.450. Permutatio.452. Reſignatio.460. Vnio.467.Vacatio.473.Poſſeſſio beneficij quando intelligatur. 420. Beneficiorum & ordinum ſeparatio quando incœpit. 10. 370. Beneficiorum canonicalium origo.204.370.380.407.Re-

tentio beneficiorũ quando cenſetur indulta.496.

*Bigamia*, eiuſque ſpecies 250.

*Bona* Eccleſiaſtica quę 595.99. Eorum dominium apud quem.597. An tranſeant ad Eccleſiam cum onere ſuo 598. Bona hęreticorum fiſco addicuntur 475. Bona filij regis de nouo acquiſita an immunia.599.

*Bona fides*.129.

*Breuiarium* opus Creſconij.7.

C.

*Canon* quid.24. Collectiones canonum, nempe Apoſtolorum.2. Eccleſiæ vniuerſæ.4. Dionyſij Exigni.6. Fernandi Diaconi, Martini Bracharenſis, Creſconij, Iſidori Mercatoris.7. Burchardi, Inonis Carnotenſis.8. Gratiani.9. Bernardi Papienſis Extrauagantium, Giberti Alani, Io. Vallenſis & Bernardi Compoſtellani.11. Innocentij III. Honorij III. Gregorij IX. & Bonifacij VIII.12. Canonum contemptus æuo D. Anſelmi Cantuarien.67.

*Canonici* qui, & vnde dicti 203.204. Vita communis 202.369. ſeparatio ab eadem vita 204. 370. Origo beneficiorũ canonicalium ibid.380. Portiones Canonicales 204.370. Canonici regulares beneficiorum capaces 275. Canonici adiuncti qui 95.

*Canonia*, & Canonicatus quid 380. Collatio & actus in ea neceſſarij, nempe receptio in fratrem, inſtallatio, & aſſignatio præbendæ, ibid. Poſſeſſio.381. Optio canonica.382. Connexio canoniæ, & præbendæ Canonicalis.380.

*Canonizatio*, eiuſque differentia à Beatificatione 639. Honor debitus poſt canonizationem 640.

*Capilli* tonſi in ſignum adoptionis, ſeruitutis, & ignominiæ.219. An geſtare capillos clericis ſit peccatum.308.

*Capitatio* 594.

*Capitulum*, eiuſque poteſtas legiſlatiua.20. Exemptio Capitulorum.91. Iuriſdictio Sede vacante. 200.205.398. Quando & vbi neceſſarius eius cõſenſus.206. Separatio Capituli, & Epiſcopi.206 Poteſtas circa Vicarium.207. Circa beneficia. 412. Capituli Eccleſię Paduanę prerogatiua.207

*Cappella*.260.424.449.451. Cappellæ Epiſcopi immunitas.536. Loci venditio pro cappella.622

*Cappellania* quid & an beneficium 375 449. Genus & ſpecies, etiam monachorum.450. Quando cenſenda ſacerdotalis.451. Quando cappellanus per alium ſatisfacit.451.

*Cardinalium* ordo & poteſtas legiſlatiua & iuriſdictio Sede Vacante.17.18.22. Iuriſdictio Epiſcopalis in eorũ Titulis etiam quoad ordines.18. 238. Cardinales diuiſi in tres ordines.172. Nomen cardinalis vnde 179. Contributiones vulgò *il Rotolo*.410.

*Carolini* libri.649.650. Eorum veritas.652.55.

*Carthaginenſis* Epiſcopus.276.409.

*Caſtrati*.250.

*Catacumba*.615.

*Cataphryga*, eorumque error.301.

*Cathedralium* origo.203. Capitula.204. Erectio à ſolo Pontifice.;76.

*Cathedraticum*.406.

*Catholica* literæ.76.

*Cauſæ* maiores quæ.70.

*Character*, eiuſque impreſſio in Baptiſmo & ordinatione 226.296.560.69.70. In Epiſcopatu 228. quid ſit & quæ operetur 299 300. Analogia inter characterẽ militarem & Sacramentalẽ 301.

*Chariſma*.167. chariſmata Hierarchiam diſtinctam non faciunt 168.

*Chirodoſia*, chirothesia, & chirotonia.214.

*Chriſti* corpus & poteſtas in ipſũ cui cõpetit.171

*Circulares* literæ.76.

*Circumciſio*.380.

*Ciuitas* perfecta.26.

*Clamys*.198.193.

*Clauſula* gen. *Non obſtante &c.*17.181. Clauſ. *ſi ita eſt*.72. clauſ. *motu proprio*.97. *abſolutionis ab omni excommunicatione*.407. In reſeruatione penſionis *dummodo tot remaneant*.490. *non alias, aliter, nec alio modo*.407.504. Clauſula *irritans*.529.

*Clementia*, eiuſque differentia ab æquitate.133.

*Clerus*. origo, nomen, & ſegregatio à populo. 200.209.210.352.

*Clerici* 200.209. ſeparatio à vita communi, & qui canonici dicti.204. Clerici peregrini.252. Vita, honeſtas, habitus.307. Caſtitas & cœlibatus 309. 12.319.20. Vxorati.317.379. Spottulantes.370. Sunt familia Chriſti.564.575. Immunitates conceſſæ à Conſtantino.253.575. Exemptio à foro laico & conſtitutiones imperiales de hac re 573. non deſinunt eſſe ciues.589.90. Renunciatio priuilegio fori.105.578.581. reconuentio.578.583 immunitas clerici delinquentis reſpectu proprij Epiſcopi 543. obligatio reſpectu legum ſæculi. 593. quæ vetita ſunt clerico.306. clericus incorrigibilis.605. Clericus quis ſit.604. Percuſſio clerici.608. *Vide Percuſſio*.

*Coactio*, ſiue vis coactiua.589.92.93.

*Coadiutoria* an beneficium.375. Coadiutor Epiſcopi, eiuſque facultas circa beneficia.412.

*Cœlibatus* hominum ſacrorum.312. Subdiaconorum.317. Diaconorum 319. Presbyterorum, & Epiſcoporũ.320. Ratio & cauſę finales.320. Vſus matrimonij, & contractio quo modo interdicta. 314.318. Cœlibatus D. Pauli.313. Canon Trullanus de cœlibatu.321.

*Cœmeterium*, conſecratio & immunitas 535.615. 621. Cœmeterium Martyrum Priſcillæ & Cyriacæ.616. Cœmeterij pollutio.626.

*Cœnacula*.506.

*Cœnobita*.353.

*Coercitio*, ſiue poteſtas coercitiua in Eccleſia. 164.165.

*Collatio* & collator ordinarius beneficiorum.397 Collatio & inſtitutio confunduntur.398 Collatio Epiſcopalis.404. Collatio inter fructus beneficij cenſetur.412.

*Collectiones* Iuris ſacri, & Canonum.1. & ſeqq: *Vide Canon*.

*Collegia* Presbyterorum.200. Senatus nomine donata.201.

*Columba* aurea.509.

*Commenda*, & commendandi beneficia origo. 378.420.

*Commendatitia* literæ.252.279. *Vide Litera*.

*Communio*. Vetus communicandi ritus Virorum, & mulierum.510. Communio laica.510. Com-

munio, & communicatio. 178.
*Communicatoriæ* literæ. 76.
*Communitas* perfecta. 36.
*Competentia* Iudicis. 548.
*Concilium*. Concilia celebrata IV. Sæculo. 3. 527. Concilij generalis, & nationalis poteſtas legiſlatiua. 18. 19.
*Conclauiſtæ* quoad tranſlationem penſionis 502.
*Concubinæ* veritæ. 306. 311.
*Confeſſoriæ* literę. 76.
*Confeſſores*. 639.
*Connexa*. de connexis idem iudicium. 143.
*Conſilium*, eiuſque obligatio 33. Differentia à pręcepto. 35.
*Conſecratio* hominum. 149. 162. Ad quid conſecrantur. 170. In ſacerdotio datur poteſtas conſecrandi Corpus Chriſti. 228. Conſecratio locorum, eius requiſita, & iterabilitas. 512. 13. 14 628. Conſecrandi & dedicandi facultas. 563.
*Conſiſtentes* in Eccleſia qui dicti. 507.
*Conſtitutio* quid & quotuplex. 23. Conditiones. 25 virtus, & effectus, & quos obligat. 32. 34. An ferentem obliget. 40. Conſtitutionis materia. 45. Ceſſatio & abrogatio. 53. Diſpenſatio. 58. *Vide Diſpenſatio*.
*Conſuetudo*. Vires & effectus etiam reſpectu legis. 37. 38. 84. 114. 115. Antinomiæ circa eam. 116. Æqualitas & differentia reſpectu legis. 118. 125. Conditiones & requiſita. 119. Ratio differens Conſuetudinis & præſcriptionis. 120. Quomodo & quando conſuetudo inducitur. 120. In Eccleſiaſticis. 124.
*Continentia*. *Vide Cælibatus*.
*Contributiones* ab Epiſcopis ſoluendæ pro ordinatione. 409. quę diuiduntur inter Cardinales. 410
*Conuiuia* in nuptijs, ſolemnibus Martyrum, & exequijs defunctorum. 539.
*Corepiſcopus*. 182. 222. Poteſtas, & differentia ab Epiſcopo. 183. 184. Frequentes in Eccleſia Orientali, & ſubſcribunt Nicænæ ſynodo ibid. medius inter Epiſcopum & Presbyterum. 186. Interdicti à Damaſo. 186. Extinctio. 187.
*Corona* clericalis. 220.
*Corpus* Chriſti & poteſtas in ipſum. 171.
*Cortina* regiæ quæ. 259.
*Crimen* occultum & notorium. 311.
*Crypta* arenariæ. 615.
*Cubicula* in Eccleſia. 508.
*Cultus* ciuilis. 633. 35. Sacrarum imaginum. 639.
*Curator* cui datur. 412.
*Curiales*. eorum ordinatio. 153. 54. 56. 57.
*Cyprij* Epiſcopi, eorum autocephalia & lis cum Patriarcha Antiocheno. 517.

D.

DAlmatica, eiuſque vſus. 180.
*Debitores* olim quaſi ſerui creditorum. 249. Debitores publici & ciuiles quoad immunitatem. 544.
*Decima*: 387. Quantitas. 389. Exempti. 381. Ius decimas percipiendi. 391. à quo, de quibus rebus, & cui debentur. 392. Conceſſæ in feudū ibid, differentia à primitijs & oblationibus. 396.
*Decretum*. 71. 753. Decreta Pontificum. 71.
*Decretales* vſque ad Syricium, earumque fides, & auctoritas. 7.
*Decuriones* vetiti ordinati. 253
*Dedicatio* Eccleſiæ, eiuſque ritus. 504. 512.
*Defenſores*, & defenſionis ius. 426. Defenſor ciuitatis. 659.
*Defuncti*. eorum ſuffragia in altari. 140. 141. Oblatio ſacrificij miſſæ pro eis. 350. Omnium defunctorum commemoratio poſt diem omnium Sanctorum. 140. Mos ſepeliendi. 540. Gleba olim iniecta in os defuncti. 620.
*Delectus* in militia & ordinatione. 245.
*Derogatio*. eiuſque differentia ab Epicheia. 88.
*Deuolutio* quoad beneficia. 445. Tempus. 446. Ius & gradus. 448.
*Deus*. Eius dilectio. 351. Dominium. 556.
*Diaconi*. origo, munus, & prærogatiuæ. 171. 179. finis. 163. faſtus & abuſus. 177. Baſilicarij, Palatini, teſtimoniales, & ſtationarij qui dicti. 180. Diaconiæ Romæ. 179. Diaconatus an ſacramentum. 222. Cœlibatus diaconorum. 319.
*Diaconiſſæ* 301. Conſecratio & differentia inter ipſas, & Viduas. 303. Munus. 305. Ordinatio apud Græcos. 306.
*Dictatores*. 41.
*Dimiſſio* regularium ab Epiſcopis. 91. *Vide Exemptio*. Verbi *Dimittere* ſignificatio. 279.
*Dimiſſoria* literæ. 277. *Vide Litera*.
*Diœceſes* Orientales. 3. 4.
*Diſpenſatio*. 53. 58. 596. Canonis fracti, non frangendi dabatur. 59. Materia, & forma ad quem ſpectat, & circa traditiones Apoſtolicas. 62. Cauſæ in genere. 64. 65. Circa plura beneficia 421. Circa illegitimos & incapaces penſionum, & beneficij. 484.
*Diſſuetudo*. 117.
*Domicilium* quid & quomodo acquiratur. 268. 269. Oratores Principū propriè non contrahunt 268 Domicilium patris filius ſequitur. 268. 623
*Dominium* cui competit. 618. Bonorum Eccleſiaſticorum. 597.
*Dominicale* quid. 510. 512.
*Dormitoria*. 615.
*Dos*, & dotatio Eccleſiæ, & analogia inter dotem Eccleſiæ & vxoris. 419.
*Druidæ* Gallorum immunes. 595.
*Dulia* quid. 634.

E.

ECcleſia. antiquior eſt ſcriptura. 137. dicta *Ciuitas Dei*. 161. Eccleſia Romana caput omnium. 172. 401. Eccleſiæ particulares, earumque collegia, & origo. 200. Eccleſiæ regimen. 201. quando incœpit poſſidere. 203. 369. Eccleſiæ prebendales & clericales. 204. 370. Eccleſia vnde dicta. 505. Eccleſia materialis, eius origo, ædificatio, conſecratio, forma, & partes. 504. vſque ad. 510. Eccleſia matrix, eiuſque immunitas. 536 Reuerentia Eccleſiæ debita, & quæ in ea fieri vetita. 538. 539. Eccleſia eſt in Republica. 550. Eccleſia quid. 660. Rerum Eccleſiæ dominium apud quem. 597. 660. Alienatio prohibita. 558. Initio alios redditus non habuit quam eleemoſynas. 658. Eccleſia olim dicta poſſeſſio. 655.
*Eccleſiaſticum* & ſpirituale quid. 428.
*Edicta*. 71. 153.
*Electio* miniſtrorum Eccleſiæ. 209. Confutantur

qui

Digitized by Google

qui eam tribuunt populo.212.Mos populũ conſulendi in Epiſcoporum electione.246. Electionum canonicarum hiſtoria, & diſciplina. 405. hodiernus eligendi modus melior. 407.

*Eliberinum* concilium circa imagines. 643.

*Elipandus* Toletanus, eiuſque error.650.

*Emancipatio*. 154. Ius arbitrij conſtitutum per emancipationem. 156.

*Encania*. 512.

*Ephod*. 192.

*Epicheia*, eiuſque differentia à diſpenſatione & derogatione. 58.

*Epiſcopatus* an ſacramentum. 226.

*Epiſcopus*. Poteſtas legiſlatiua. 16. Diſpenſandi. 61.decidendi in concilijs.172.Epiſcopalis.190. Differens à Presbyterali. 226. 229. Conferendi beneficia.401.Diſpenſandi circa plura beneficia 421.An poſſit renuntiare libertati Eccleſiæ.100. An in cauſa Eccleſiæ poſſit eſſe iudex.528.Nihil olim agebat clero inconſulto. 201. Verba Diui Pauli *vnius vxoris vir*.314. Extra diœceſim iuriſdictio 401. Pro ordinatione Epiſcopi contributiones ſolutæ 409. Palatij Epiſcopalis immunitas.536.

*Epiſcopus* pro prius quis. 263. Originis & domicilij.264. 266. Natiuitatis & baptiſmi.267. Infantium expoſitorum.268.Ciuitatis paternæ,beneficij,& domicilij.270 Regularium.274.Ordinationis.274. Monaſterij.275. Familiares Epiſcopi.265.

*Epiſcopa*. 303.

*Epiſtolæ* Pontificum ante Syricium,auctoritas & fides. 7. Pacificæ &c. Et alia varia nomina 76.

*Euangelia*,& ſcriptura nititur ſola traditione.138

*Eucharestia* aſſeruatio in Eccleſia. 509. Domum ferebatur antiquitùs. 504. 510. Eam geſtantis immunitas. 535.

*Eulogia*. 509. 655.

*Eunuchus*. 250.Monialium negotijs præfecti eunuchi.364.

*Eutrapius* Eunuchus, & homilia D.Chryſoſtomi in illum.529.

*Excellentia* quotuplex.633.

*Exceptio*.584.

*Excommunicatio*, & poteſtas ordinaria excommunicandi. 171. Excommunicationis genus nouum.274.Excommunicatio Monachorum à D. Benedicto361.Excommunicatio maior non niſi per peccatum mortale incurritur.608.Excõmunicatus reſpectu pẽſionis.487.Vitandus qui.611

*Exemptio* Regularium & capitulorum ab ordinario. 90. Verba D. Bernardi contra exemptiones 92.Cauſæ impulſiuę & probationes 93.Formulæ. 94. Querelæ PP.Concil. Tridentini ſuper exemptionibus.95.Prouiſio eiuſdẽ concilij non comprehendit Capitulũ Eccleſiæ Paduanæ 596.

*Exemptia* Eccleſiaſtica & differentia ab immunitate & libertate.515. & 520. Exemptio Clericorum à foro laico.554. 557. Opinio Bellarmini, & aliorum conciliantur.567.

*Expectatiua*.405.

*Extractio* & modus extrahendi reos ab Eccleſia 541. 545. *Vide Immunitas*.

F.

F*Amilia*, & qui veniunt eius nomine. 618. Familiares Epiſcopi 265.

*Fermentum* per omnes Eccleſias Romæ miſſum.615.

*Feudum*.illius Clericus eſt incapax.497.

*Fidelium* vita in primordio Eccleſiæ. 352. 369.

*Fides* Chriſtiana, & Religio ſine ſcriptura, & primùm traditione quàm libris.137. Plura non ſcripta credenda, & quæ.137. 138. Fidei propagatio.654.

*Filij*. legitimatio. 62. Libertas. 255. Oblati Monaſterio. 366. Renunciatio vſui S. C. Macedoniani.583.VerbaChriſti *liberi ſunt filij Regis*.594

*Flamen* Dialis 563. Sacroſanctus 604.

*Flentes* qui, & Fletus qui locus in Eccleſia. 507.

*Fœminæ*. *Vide Mulieres*.

*Fontes* præ foribus Eccleſiæ, & vſus.504. 510.

*Forus* interior, & exterior,eiuſque poteſtas.52.

*Fori* priuilegium.550. Renunciatio.578.

*Formatæ* literę. 253.

*Francofurdienſe* Concilium circa imagines. 649.

*Funeris* pompa & ritus.620. Crucis delatio.626. Funeraliũ quarta.624.Funerũ varia genera 627.

G.

G*Eruaſij* & Prothaſij Martyr. inuentio. 630.

*Gleba* iniecta in os mortui.620.

*Graſsatores* qui.541.

*Gratia* gratuita.148. Gratum faciens, & gratis data 297. 298. Gratia facti non pendet à vita facientis.283.

*Gazophylacium*. 396.

H.

H*Æres* vt hæres quid. 439.

*Hæreſis*,& vacatio beneficij per eam. 415.

*Hierarchia*.nomen, ſpecies,ordo, munus, & finis. 144. 45. 46. 48. 51. *Hierarchia* Eccleſiaſtica, eiuſque partes.148. 150. Neceſſitas Iuriſdictionis ad eam, & qualis. 161. 165. Gradus & perſonæ. 169. An Monachi ſint pars Eccleſiaſticæ 172.Actus graduum eiuſdem Eccleſiaſticæ 237. Diſparitas Angelicæ, & Eccleſiaſticæ.164. Hierarchia legalis. 146. 149. 152. 170 Hierarchia Chariſmatum.148. 161. 167. Refellitur Cellotius eam ponens ibid. Triplex operatio Hierarchica purgandi,illuminãdi,& perficiẽdi.337.

*Hieroſalymitani* Equites immunes.607.

*Homicida* proditorius.541.Simplex.542.

*Honor* debitus reliquijs: honorandi, venerandi, & adorandi verborum diſcrimen. 629. Honoris qui capax.648.

*Hoſpitalis* immunitas.135.

*Humatio* cadauerum. eius ritus.613. Olim vetita in Eccleſia. 640.

I.

I*Conomachi*,& *Iconoclaſtæ*.644. 648.

*Idolum*, & idololatria. 641. 42. 44. 45.

*Ieiunium* quadrageſimale ab Apoſtolis ortũ.138. Quatuor Temporum etiam.140. 213. Ieiunium Sabbati.141.

*Illegitimus* qui,& an penſionis capax.489.

*Imagines*.Sacrarum cultus.135. 628. 640.46.Variæ opiniones de modo, & qualitate cultus 646. Inſectatores. 641. Mahumetes imagines vetauit.

uit. 641. Differentia inter idolum & imaginem 642. Quæ imago vetita in Exodo. 645. Ad Abagarum miſſa. 642. Altera Ænea. 643. Veronicæ Sudario impreſſa ibid. Concilium Eliberinum circa Imagines. 643. Nicęnum, & Francofordienſe. 649. Imagines Principum, & honor eis debitus. 644. 648.

*Immolatio*. 329.

*Immunitas* in genere. 515. Eccleſiaſtica. 518. 20. Sacrorum locorum. 522. Quo modo & quo iure inducta. 532. Loca gaudentia immunitate. 534. Immunitas Eccleſiæ Matricis, & aliarũ quanta. 536. 38. Cœmeterij Hoſpitalis, Oratorij. 535. Palatij Epiſcopalis, Cardinalium, & Monaſteriorum. 536. 37. Bulla Gregorij XIV. & immunitatem reſtringentes. 537. Perſonæ gaudentes immunitate. 540. Modus eas extrahendi 541. 45. Cognitio extractionis ad quem ſpectat. 548.

*Immunitas* perſonarum ſacrarum. 549. Immunitates indultæ clericis à Conſtantino, & conſtitutiones Imperiales. 253. 552. 575. In ciuilibus & Criminalibus. 554. 559. à poteſtate & foro ſæculari. 571. 578. A legibus, oneribus, & muneribus laicorum. 588. 90. 93. Initium & fundamentum huiuſmodi immunitatis. 578. 594. Immunitas, ſiue priuilegium Canonis, & quibus competat. 603. An Tertiarijs, & Eremitis. 607. Druidæ Gallorum immunes. 595.

*Immunitas* bonorum Eccleſiaſticorum. 594. Quæ bona Eccleſiaſtica. 595. 99. An tranſeant in Eccleſiam cum oneribus iam impoſitis. 597.

*Imperium* merum, & mixtum. 153. 54.

*Impetrans* mendax grauiùs punitur. 75. Impetratio effectus ſacrificij Miſſæ. 346.

*Impoſitio* manuum. *Vide Manus*.

*Incardinatio* quid. 213.

*Incorrigibilis* Clericus. 60.

*Inobedientia* ſupponit præceptum. 590.

*Inſtallatio*. 380.

*Inſtitutio*, & varia huius vocis acceptio. 436. In iure patronatus & re beneficiaria. 412. 435. Quę requiruntur ad inſtitutionẽ. 436. Epiſcopus non poteſt ſe inſtituere in beneficio ſuæ collationis 437. Ius Capituli Paduani circa inſtitutionẽ. 436

*Inſtrumentum* coniunctum, & ſeparatum. 166.

*Interpretatio* Prudentum. 478. Interpretatio facienda ſemper vt actus valeat quã vt pereat. 490.

*Interſtitia*. 292. Eorũ obſeruatio in Eccleſia. 294.

*Inthroniſticum*, iura enthroniſtica, & inthronizatio. 409. Soluta certa pecunia pro ea, & Conſtitutio Iuſtiniani ibid.

*Introducta* mulier quæ. 111.

*Irregularis*, & irregularitas, & differentia à ſuſpenſione. 488. Pœnitentia publica irregularem reddit. 362.

*Iudex* in ſua cauſa non poteſt iudicare. 64. Iudex delegatus. 75. Differentia iudicis dati & iuriſdictionis mandatæ, iudicis delegati, & mandatarij iuſdicentis & magiſtratus. 157. 158. 585. Vocare in ius & ad iudicem. 158. Iudicis arbitrium quando intret. 420. Competentia Iudicis. 548. Incompetentia. 585.

*Iudicata* res non faciunt conſuetudinem. 124.

*Iudicia* Eccleſiaſtica, eorumque ordo quando immutatus per reſcripta Pontificum. 10. De connexis iudicium idem. 243.

*Iuriſdictio* in genere & ſpecie, eiuſque neceſſitas in cœtu hominum. 152. 153. Neceſſaria ſeu contentioſa, & voluntaria. 10. 63. 152. 154. 156. 161. 62. 64. 401. Iuriſdictio Præſidis extra Prouinciam. 157. Ordinaria, mandata, & delegata. 154. 157. 165. Laicis & clericis delegabilis. 167. Incompetentia. 585. Eccleſiaſtica, & neceſſaria ad Hierarchiam. 159. 161. 194. 167. 550. Mandari poteſt laico & mulieribus. 168. 554. Mandare iuriſdictionem quid. 157. Iuriſdictio Prætoris. 584. Iuriſdictio aduentitia, eiuſque differentia à propria magiſtratus. 154.

*Iuriſprudentia* media. 114. 478.

*Ius*. Iuris canonici origo, proceſſus, & variæ collectiones. 1. & ſeqq. vſque ad. 13. Ius ſcriptum, & non ſcriptum. 13. 113. Ius ciuile. 42. 131. 567. Ius naturale in legibus ſcriptis dominans. 129. 131. 417. Ius Diuinum naturale, & poſitiuum, eiuſque gradus & differentiæ. 131. 564. 67. 68. Ius gentium. 131. 567. 568. Ius conſuetudinarium. 126. Ius prætorium. 130. Ius patriæ poteſtatis per adoptionem conſtitutum, libertatis per manumiſſionem, arbitrij per emancipationem. 156. Ius publicum & priuatum. 160. Ius publicum non mutatur pactis priuatorum. 582. Ius obſtringens ad officia religionis. 160. Ius ſacræ poteſtatis extenſum. 160. Ius commentitium. 478. Iuris poſterioris vis. 118. Ipſo iure fieri quid dicitur. 473.

*Iuſpatronatus*, nomen, origo, definitio. 422. Iudicium. 427. quibus modis acquiritur. 428. Mulieres capaces Iuriſp. 435. Species Iuriſp. 437. An tranſeat in fideicommiſſarium. 439. Probationes Iuriſpatr. 441. Quibus modis extinguitur. 443. Scribentes de Iurep. 444. Deuolutio ad ſuperiorem. 445. Negligentia collatoris requiſita. 447. Non deuoluitur per ſaltum. 448. *Vide Deuolutio, Præſentatio, Inſtitutio*.

*Iuſtiniani* conſtitutiones circa ſacra. 552. 553.

L.

L*Aici* fideles incapaces poteſtatis ſpiritualis 241. A Clericis ſeparati 352. vetiti immiſceri ordinationibus, & prouiſionibus. 422.

*Lares*. 614.

*Lateranenſis* Eccl. vnde dicta. 393. Lateran. Conc. dictũ ſimpliciter, quodnam intelligendum. 393.

*Latria*. 633. 35.

*Legatus* Regis. 648. Iniuria facta legato cenſetur facta regi. 649. Legatus à latere, eiuſque dignitas & poteſtas legiſlatiua. 18. Circa beneficia, & penſiones. 411. 407. 482. 502. Legatus Sedis Apoſtolicæ, ſtatuta, & eorum duratio. 27. Legatorum Apoſtolicorum præſentia in concilijs, & poteſtas. 18. 650.

*Legiſlatiua* poteſtas in Eccleſia, & cui competat. 13. Error Marſilij de Padua eã negantis. 14. Poteſtas legiſlatiua primum caput iuris maieſtatis. 588. Archiepiſcopi poteſtas legiſlatiua. 17 Concilij. 19. Capituli. 20. Vniuerſitatum. 22.

*Legiſlator* humanus. 52. Eius voluntas anima legis. 30. Eius obligatio reſpectu ſuæ legis. 40.

*Legitimatio* quando fieri poteſt. 62.

Le-

*Lemures*.614.

*Lenitas* Eccleſiaſtica.497. 545. 558.

*Lex*. eius conditiones.23.Definitiones. 24. Promulgatio. 29. Anima.30. 536. Virtus, amplitudo, & obligatio, etiam reſpectu legiſlatoris. 32. 41. 45. 49. Permiſſio legis.32. Acceptatio. 32. 36. Opus à lege iniunctū ad aliquam virtutem redigitur.42. Materia legis. 45. 46. Lex declaratoria,& conſtitutiua.48. Lex Regula actionum in Rep. 52. Legis intentio, & finis.56. Diſpenſatio.53.Ceſſatio & abrogatio.37. 53. 117. Poſterioris vis reſpectu prioris contrarię & conciliatio. 57.Vis coactiua & directiua. 89. In lege ratio præcepti,& ratio regulæ, vnde via coactiua, & directiua.589. 593. Legum ſecularium obligatio reſpectu Clericorū vnde. 592. Declaratio S.Congr. Immun.49. 593.Legum in commune bonū obligatio, & vis directiua.588.593. Leges Imperiales de ſacris,& circa eas opiniones 250.

*Lex ſuprema*.23. 56. Lex Regia.38. 41. Lex Romanorum pro Deo. 638.

*Lex Moſaica* 79.236.In ea cępit poteſtas publica ſacra, ordinaria, & extraordinaria. 160. 161. Primogeniti Sacerdotes.161.Eius pręcepta.488 Quæ ceſſarunt. 569.

*Lex Euangelica*.79. 237. Præcepta.389.

*Lex Canonica*, ſeu Pontificia,eiuſque materia.50. Actua internos non attingit.52. Diſcrimen à lege ſeculari.151.

*Leuita* munus.223.333.Eorum conſecratio.236. Immunes à tributis &c. 568. 595. Eorum res vendi vetita.661.

*Libamen*. 329.

*Libertas*, eiuſque ſpecies.515.16.Libertas Eccleſiaſtica.515.17. 18.20. Dicta ab Anonymo contra eam.518.Differentia inter libertatem, exemptionem,& immunitatem.515.520. Ius libertatis per manumiſſionem. 156.

*Libri* Carolini.650. 52.

*Licentia* à quo petenda. 547.

*Limbus*.638.

*Lis* mota in continenti quando dicitur.420.

*Litera* dimiſſoriæ.252. Earū neceſſitas.279. Formulæ antiquorum & recentiorum. 281. à quo conceduntur.282.Quando expirant.283.Literæ commendatitiæ, canonicæ,formatæ, Pacificæ, Reuerendæ. 252. 253. 279. 281. Literæ Apoſtolicæ dictæ.280.

*Loca* ſacra, eorumque ædificatio, conſecratio & dedicatio 504.

*Locus* religioſus qui.614. 18. 20. 21. 22. Locus purus qui.620.22.Loci vēditio pro capella 622.

*Lorum*.190. 191. 194.

M.

M*Acedonianum* S.C.eique renūtiatio.81.580.

*Magiſtratus* poteſtas proprio iure competens. 154. Eius differentia ab aduentitia ibid. Magiſtratus maior reſpectu minoris.155. Magiſtratus ius dicit,non iudicat.158.Magiſtratuū in Repub. gradus, & iuriſdictio inæqualis. 188. Poteſt quid cōpetere lege,& iure Magiſtratus 401

*Mahumetes* vetauit imagines.641,

*Maieſtas* quid, & quis eam habere dicitur.40.41.56.165.588.Maieſtatis communicatio per purpuram.193.Maieſtatis iura impræſcriptibilia,& intranſferibilia.557.Poteſtas legiſlatiua eſt primum caput iuris maieſtatis.588.

*Maiores* qui.623.

*Malum* intrinſecè quid.418.533.

*Mandatarius* iuriſdictionem habet.62. Mandans, & Mandatarius quoad delictum.542.

*Mandatum* de prouidendo.405. 407.

*Manes*.614.

*Manſus* quid. 512.

*Manus* impoſitio manus. 185.214.235.37. Effectum variat pro varia mente imponentis.185. Eius ſignificatio.214.Quorum ordinum eſt materia.235. Manus populi eleuatio, & depreſſio quid ſignificat.246.Manus Pontificis appoſitio, eiuſque efficacia.405. Manus violentæ, manus temerariæ quæ.604. 607. 610.

*Manumiſſio*.154. Per filios fieri permiſſa.156. Ius libertatis per manumiſſionem. 156.

*Marſilij* de Padua opinio de poteſtate legiſlatiua Eccleſiæ.14.Eiuſdem propoſitio de Christi ſubiectione.571.

*Martyrium* dicta Eccleſia.260. Martyres, & eorum veneratio. 638. 39. Altaria ſuper tumulis Martyrum.628.

*Matrimonium*. eius vſus, & contractio quomodo interdicta Sacerdotibus.314. 318. Diſpenſatio quando facienda.66.

*Melchiſedech*,eiuſque ſacrificium panis, & vini. 329. 32. 37.

*Mendax* impetrans punitur.75.Mendacium quomodo committitur ibid.

*Mercule*. 525.

*Militia*. Militum delectus, & auctorandi modus. 213. Militiæ ſecularis, & clericalis comparatio ibid. & 215. Romanorum diligentia in delectu.245.Militibus prædia conceſſa.372 quis miles cenſetur, & quomodo militia probatur. 497. Milites SS. Mauritij, & Lazari, Lauretani, Pij, S.Petri, S. Pauli, & S. Stephani Penſionum ſunt capaces.498. 501.

*Miniſtri* ſacri, eorumque electio tributa populo ab hęreticis 210.Miniſterialiter facere quid.170

*Miſſa*.324. Nomen & veritas. 330. Cathecumenorum. 331. Opinio hæreticorum de ea 332. vera ratio ſacrificij in miſſa, & actiones miſſæ. 337.Res oblata quid.342. Effectus.343.45. Fractio quid ſignificet ibid. Pro quibus offeratur. 349. Iterabilitas eodem die, & quomodo. 350. Tres Miſſæ in feſto Natalitio.140.Miſſæ Veſpertinæ in Sabbato.287. Miſſæ caſtrenſes.449. Miſſa Cathecumenorum. 507. Miſſa Parochialis, eiuſque obligatio .653.

*Monachi*. An pars Hierarchiæ.172. Origo, inſtitutum, progreſſus, & eorum Prælati.173.351. 363. Vota, & eorum ſolemnitas.355. 361. Monachorum approbatio Sedi Apoſtolicę auocata 363. Tranſlatus ad aliud Monaſterium.274.pæna Monachi ordinati ab Epiſcopo non ſuo.275. Teſtamenti factio adempta.358. Profeſſio.359. 366. Politia Monaſtica. 363. Differentia inter ſtatum Monaſticum, & clericalem. 361. 367. Exemptio ab Epiſcopis.365. In exemptionibus

exci-

Digitized by Google

excipiebatur ius ordinandi. 275. Monachi munus olim in Eccleſijs. 508. Immunitas, & priuilegium canonis. 607.
*Monaſterium* olim in aere impuro. 367. Monaſteria virorum, & mulierum ſimul prohibita. 361. Immunitas, & nomine Monaſterij quid intelligitur. 537.
*Moniales*. 351. Antiquitas. 354. Verè Religioſæ. 391. Earum negotijs præfecti Eunuchi. 364. Monialis functio olim in Eccleſijs Veterum. 508
*Montaniſtæ* hæretici. 302.
*Mortuaria* quæ. 624.
*Mors* naturalis & ciuilis. 476.
*Mos* quid. 115.
*Moſes* Pontifex extra ordinem. 236.
*Motus* proprius, eiuſque efficacia. 97. 486. 90. 91.
*Mozzetta*. 191.
*Mulier* capax chariſmatum, non ordinum. 167. qui hæretici mulieres ordinum capaces cenſuerunt. 301. Mulieres etiam antiquitùs ſegregatæ vt Moniales. 354. Mulieres olim ſeparatæ à viris in Eccleſia. 507. Vetitæ Eccleſiam ingredi non velato capite. 540.
*Municipes*. 654.

N.

*NArthex* Eccleſiæ pars. 507.
*Natalitia* Martyrum. 539. 636.
*Nauis* Eccleſiæ pars. 507.
*Negotiatio* & mercatura clerico interdicta. 309:
*Nicæna* Synodus prima. 4. Canones circa auctoritatem Synodorum Prouincialium. 69. Circa relationes ad Sedem Apoſtolicam. 69. 70. Contra Archidiaconos. 177. De Abbatum facultate ordinandi. 236. 238. Nicæna Synodus ſecunda quoad cultum imaginum. 649. Quid de ea Concilium Francofurdienſe. 680.
*Nominatio* ad beneficia. 414:
*Nomocanon*. 7.
*Notarij* ſcribentes acta martyrum. 639.
*Nouatiani* Epiſcopi. 185.
*Numen* colendi lex. 638.

O.

*OBedientia* ſupponit præceptum. 590.
*Oblatio* interna & externa. 326. Differentia à ſacrificio & adoratione. 327. 28. Oblatio panis & vini Melchiſedech. 329. 32. 37. Oblationes ſpontaneæ. 370. Fidelium ad altare. 387. 96. Oblationes pro Defunctis, & pro natalitijs. 636. Oblatio panum. 655.
*Obreptio*. eius differentia à ſubreptione. 68. 74.
*Obſeruantia* quid. 633.
*Officium*. qui ex officio facit neceſſariò facit. 163. Officia religionis, & cuius iuris ſunt. 160.
*Olei* vnctio pro conſecratione. 513.
*Onus*. cauſa, & modus onera imponendi. 600. An cum onere ſuo res tranſeant in Eccleſiam. 592
*Optio* Canonica. 382. Quæ optari poſſunt. 385. Optiones in militia quæ. 383.
*Oratorium*. 260. 377. 424. 451. 513 Immunitas. 535
*Ordinatio*. 24. Ordinatio ſacra dicebat manus impoſitionem, & beneficij aſſignationem. 10. 149. 209. 213. An ſacramentum ibidem & 214. Tonſura, forma, & ratio. 217. Gradus & numerus graduum ſacræ ordinationis. 217. 220. An primi gradus ſint ſacramenta ibidem. An ſubdiaconatus. 221. An Diaconatus 222. An Sacerdotium. 225. An Epiſcopatus. 226. Neceſſaria ad ordinationem validè peragendam. 230. Materia in genere, forma, & ritus. 230. 31. Varietas inter Occidentales & Orientales, & quomodo ſaluetur vnitas ib. & 233. Miniſter ordinarius ordinationis. 186. 236. Extraordinarius, & ex commiſſione, nempe Cardinales, Abbates, & ſimplices Presbyteri. 186. 237. Vſque ad. 244. Requiſita ad ritè peragendam ordinationem, vt delectus, ſcrutinium, & impedimenta. 245. An requiritur conſenſus Principis. 153. An Parentum. 255. Titulus requiſitus ad ordinationem. 258. Quot tituli idonei ibid. & 260. Titulus Eccleſiæ, monaſterij & patrimonij. 261. Quinam proprius ordinationis Epiſcopus. 258. 262. Familiares Epiſcopi. 265. Epiſcopus domicilij 268 Beneficij. 270. Nationes nonnullæ vetitæ ordinari ab Epiſcopo alieno. 273. Inceptus ordinari à Pontifice non poteſt vlterius promoueri ab inferiori Epiſcopo, & eadem prærogatiua Patriarchis & Epiſcopo Carthaginenſi. 276. Epiſcopus reſpectu Regularium. 274. Quibus conceſſum clericos alienos ordinare. 258. 276. Vſus dimiſſoriarum. 277. Tempus ordinationis. 284. Interſtitia. 292. Effectus ſacræ ordinationis, nempe gratia, & character. 296. Impreſſio characteris. 299. 300.
*Ordo*. huius vocis varia acceptio. 147. Ordo ſacer an Sacramentum ibid. Ordinis ſacri gradus. 169 170. 220.
*Oſculum* ſignum adorationis. 76. Pedum Summi Pontificis. 633.
*Oſtiarius* clericus, eiuſque munus. 507:

P.

*PAcifica* literæ. 253. 279.
*Paduana* Eccleſia. capitulum, eiuſque prærogatiua. 96. 207. 507. 596.
*Palatium* Epiſcopi, & Cardin. an immune. 536. 37
*Palatini* diaconi. 180.
*Pallium* origo, forma, & vſus. 188. vſque ad 195. Agni oblati pro pallijs conficiendis. 189. Opinio M. Ant. de Dominis, & Petri de Marca. 190. Signum plenitudinis poteſtatis. 192. 198. Pallij collatio ad quem ſpectat. 195. Summus Pontifex ſibi ſumit, & alijs confert, etiam Patriarchæ Conſtantinopolitano. 195. 197. 198. Alexandrinus quomodo ſumit. 195. Non tranſit ad ſucceſſores. 196. Vſus pallij quando, & vbi. 198. Omnes Epiſcopi Græci eo vtuntur. 197. Non poteſt alteri commodari, nec niſi præſentibus tradi ſolitum. 199. Ante Pallium Archiepiſcopi nomen non aſſumitur. 199.
*Panum* oblatio. 655.
*Parochia* ſiue Eccleſia Parochialis. Origo. 203. 378. 654. 55. Parochiarum diuiſio in vrbe & per orbem. 371. 653. Per Parochias Romæ miſſum fermentum. Parochiæ & Parœciæ nomen. 654. Parœciæ & diœceſis nomen vſus ibid. Miſſa Parochialis. 653.
*Parochus* pro prius qui, officium, & dignitas. 627. 653. 56. Parochi dicti antiſtites, ſucceſſores ſeptuaginta diſcipulorum, & concilijs adeſſe

Digitized by Google

eſſe ſoliti. 656. Parochiani alieni. 653.656.

*Paſchatis* ſolemnitas. 141.

*Pater* familiæ princeps. 255. Poteſtas patria, & pręceptum de parentibus honorandis. 256. Filij & ſerui ſubiectio differens. 257. Ius patriæ poteſtatis per adoptionem conſtitutum. 156.

*Patriarcha* non eſt ſummus in regione ſua. 196. an poſſit diſpenſare in canonibus ſui concilij. 80 Patriarcharum diſcrimen in pallij acceptione. 195. Eorundē prærogatiua, & auctoritas quoad ordinationem ſubditorum. 276.77.

*Patronus*, eiuſque prærogatiuæ & commoda. 436. Alimentorum liberti & patroni analogia. 436. *Vide Iuſpatronatus, & Præſentatio.*

*Peccata* ſpectant ad ius canonicum. 52.

*Pedum* lotio poſt baptiſmum in Eccleſia Mediolanenſi. 142.

*Penſio* Eccleſiaſtica, origo, finis, definitio, & cauſæ. 478.79.80. Quæ temporalis, & quę ſpiritualis & clericalis. 456.59.481.84 85.99. à quibus, & quibus ex cauſis imponi poſſit. 481. A ſolo Pontifice ſine cauſa. 483. Facultas Epiſcopi circa penſionem. 457.58.59.82.83. Facultas Legati & Nuntij. 482. Opinio curialium circa reſeruationem penſionum. 482. Tractatio præcedens quando ſimoniaca. 485. Qui ſint penſionis incapaces 486. & ſeqq. Penſio ſuper pręḃenda dimiſſa, quādo alia optatur, à quo ſoluenda. 484. Quando penſio eſt nulla. 490. Quibus modis ceſſat. 486. per mortē, & ingreſſum in religionem. 491. Per promotionem. 493. Per matrimonium. 495. Per militiam. 496 Per extinctionem. 498. Penſionis reuiuiſcentia. 494. Redemptio. 499 Remiſſio gratuita. 500. Tranſlatio. 501. *Vide Permutatio, & Renuntiatio.*

*Percuſſio* Cardinalis. 475. Clerici. 608 Percuſſio ob defenſionem. 609. Abſolutio percutientis ad quem ſpectat ibid. Clericus conſentiens percuſſioni. 611.

*Peregrini* Clerici qui. 252.

*Permiſſio* quatenus effectus legis. 33.

*Permutatio* beneficij. 452. Cum penſione. 257.456 57.58. Conditiones ſeruandæ, & neceſſarius conſenſus collatoris. 460.

*Perſona* vera, & ficta. 80. Perſonatus. 319.

*Phrygium* quid. 190.191. Error Baronij ibid.

*Pittacium*. 370.

*Pietas* 613.

*Pitantia* vnde dicta. 370.

*Pœnitentes* dicti flentes, audientes, proſtrati, conſiſtentes, eorumque locus in Eccleſia. 207.

*Pœnitentia* publica, & ſpontanea. 362. Pœnitentiarius, eiuſque antiquitas. 386.87.88.

*Pontifex* fons & centrum poteſtatis Eccleſiaſticæ. 10.17. 196. 198. Ordinarius orbis Chriſtiani. 276.398.411. Epiſcoporum Epiſcopus. 398.400 Habet ius ordinandi vbique. 400. differentia ab alijs Prælatis in diſpoſitione redditunm Eccleſiæ. 460. Dominus in re beneficiaria. 480.81.83. 84.502.503. Exemptus ab omni iudicio. 572. An poſſit diſpenſare in canonibus conciliorum generalium. 60. An contra ius diuinum & naturale 417. Poteſtas humana & diuina. 557. Supra fideles & ſupra infideles. 574.575. Immunitas. 572.

*Populus*. mos eum conſulendi in electione Epiſcoporū. 246. Eius teſtimonio non fidendū. 247.

*Porta*. Specioſa & porta ſancta in Eccleſia. 568.

*Portio*, & præbenda canonicalis. 103. Portio canonica Parochialis. 620. Portio Epiſcopalis. 624.

*Poſſeſſor*, eiuſque facultas circa beneficia. 483. Poſſeſſio pacifica. 420.

*Poteſtas*. quæ poteſtas tradita Petro, & quæ Apoſtolis paterna. 15. œconomica, & publica. 154.162 Poteſtas Eccleſiaſtica quæ & qualis. 159. 161. 163. In lege naturæ, & Moyſis penes quem. 160. Iuris ſacræ poteſtatis extenſio. 160. Poteſtas vota diſſoluendi, iuramenta, matrimonia, & remittendi iure naturæ debita. 132. Benedicendi, ſanctificandi, & intercedendi. 195. Poteſtas ordinaria excomunicandi. 175. poteſtas coactiua in Eccleſia. 164. 552. 557. Publica. 600. *Vide Legiſlatiua poteſtas.*

*Pragmatica*. 71.

*Præbenda* quid. 101.379.80. Diſtinctio à canonicatu. 381. Coniunctio cum ipſo. 383. Temporalitas ibid. Canonicalis, & pœnitentiaria quæ. 382. Theologalis. 386. Penſio ſuper Præbenda dimiſſa à quo ſoluenda. 384. Pręḃendarij. 202. 204. 381. Eccleſiæ præbendales quæ. 204.

*Pręceptum*, eiuſq; ratio & regulæ 42.589. Materia pręcepti. 42 Præceptum & præcipere quid apud Marculphum, & alios. 254. Præcepta decalogi. 567. Obedientia ſupponit præceptum. 590.

*Præſcriptio*. 108.120. Præſertim in Iurepatronatus. 431. Centenaria, quadragenaria, & immemorabilis. 432.

*Præſentatio*. reſcripti gratiæ. 73. Præſentatio Archidiaconi. 247. Pręſentatio in Iurepatr. eiuſque differentia ab electione. 423.433. Ius præſentandi quando laicis conceſſum. 423. Eorūm pręſentationes non repellendæ. 425. Tempus præſentandi. 433. Variatio permiſſa ante inſtitutionem. 434.

*Prętorium* ius. 170. Prætoris iuriſdictio. 584.

*Præſtimonium* quid. 376.379.

*Presbyteratus* ordo & gradus. 225. Eius materia. 235. quę poteſtas datur. 218. presbyteri à D. Petro Romæ inſtituti.

*Presbyteri* dicti collegæ & fratres Epiſcopi. 202. 204. Eorum collegia ſiue presbyteria ibidem. Iuriſdictio, & auctoritas olim ſede plena, & ſede vacante. 205. Presbyteræ. 303. Presbyteri dicti Ciuitatenſes ſeu Diœceſani, & Parochiani. 654.

*Primicerius* quis. 182.87.88. Idem ac theologus, & prima dignitas in Eccleſia Ducali Venetiarum. ibid.

*Primitiæ* quę, à quibus, & de qua re præſtandæ. 387. 395. Quantitas & differentia à decimis & oblationibus. 396.

*Principatus* eius finis. 151.164. Parendi & imperandi neceſſitas, & Principatus non eſt ſine ſubditis. ibidem. quibus conſtat. 170. Circa ſacra. 171. Principatus politici & Eccleſiaſtici æqualis ratio. 162. Differentia. 175. Olim coniuncti, & cur poſtea ſeparati. 563. Principatus in Eccleſia. 145.

*Princeps*. qui Princeps ſummus. 40.41. Eius obligatio reſpectu ſuæ legis. 42.44. An pœnā augere

poſſit

Digitized by Google

poſſit quoad delicta iam patrata. 49. Tutela Eccleſiæ credita Principi. 51. Poteſtas condendi legẽ circa ſacra ibid. An neceſſaria eius ſcientia in conſuetudine præſcribenda. 86. Subdito rem ſuam adimere non poteſt. 11. Principis ſupremi poteſtas vnde. 555. Eius iuriſdictio in clericos an potuit transferri in Pontificẽ. 557. Principis fidelis vel infidelis iuriſdictio in ſubditos clericos quando ceſſat. 574. Recurſus ad Principem tanquam Protectorem. 575. Quæ in Principe ſunt optanda. 563.

*Priuilegium*. 35. 77. Species 79. 80. Non ſcriptum. 83. Cuius ſit illud concedere. 87. Qua de re, & cui concedendum. 89. Forma, finis, & interpretatio. 96. Conceſſum motu proprio. 97. Quomodo, & quando ceſſat. 100. Priuilegij abuſus. 109. Oneroſum, & lucratiuum. 100. Reuocabilitas. 111. Res tranſiens ad priuilegiatũ gaudet priuilegio. 600. Priuilegium fori, & canonis, eique renunciatio, & doctrina Galuani circa eam. 578. 586. 605. Eo gaudentes. 562. 607. Dubium de eremitis. 607.

*Probationis* annus. 367.

*Procedere*, ius procedendi, & proceſſionis aditus in Eccleſia. 423.

*Proconſulis* iuriſdictio. 157.

*Profeſſio* religioſa, eius ſolemnitas, requiſita, & validitas. 359. 366.

*Prohibitio* non extendenda de caſu ad caſum. 79

*Pronaos* in Eccleſia. 507.

*Propitiatio* effectus Sacrificij miſſæ. 345.

*Proſtrati* in Eccleſia qui, & Proſtratio. 507.

*Protheſis*, ſeu Propoſitio in Eccleſia. 509.

*Pulpitum* in Eccleſia quid. 508.

*Punitio* legis effectus. 33.

Q.

*Quarta* funeralium. 623. 24.

*Quadrageſimale* ieiunium ab Apoſtolis originem habet. 140.

R.

*Reconuentio* clerici. 583. Praxis Veterum in ea. 585. Quando non habet locum. 587.

*Regiones* Romæ, & Regionarij. 179.

*Regula* quid. 42. Ratio regulæ in lege, & ratio præcepti. 42. 589. 593. Regulæ Cancell. ſunt edicta. 71. 408. Regula de viginti. 408. 466. Regulæ negatiuę & affirmatiuæ concurſus. 585. 86.

*Regulares*. eorum exemptio ab Ordinario. 91. Beneficiorum non ſunt capaces. 575. Licentiam prædicandi etiam in proprijs Eccleſijs petere tenentur. 547. *Vide Religioſi*.

*Relationes* ad Pontificem ante appellationem. 69. Exemplum Aemilij Mileuitani, & Orientalium & Occidentalium differentia ibid. Frequentes ante Concilium Sardicenſe. 71.

*Religio* ſine ſcriptura. 137. Eius inſeparabilitas à ſacrificio. 325. Quid & vnde dicta. 614. Officia Religionis & extenſio. 160.

*Religioſi*. eorum origo, vota, & Prælati. 351. Votorum ſolemnitas. 356. Politia. 363. Exemptiones. 364. Inſtitutum, & requiſita. 359. 366. Approbatio. 364. Tranſitus ab vno ordine in alium 367. 547.

*Reliquiæ* Sanctorum, earum cultus, & hæretici contrarij. 628. Sine reliquijs Sanctorum Eccleſia non conſecratur, & altare erigebatur ſuper tumulis Martyrum. 628. D. Hieronymi teſtimonium de reliquijs. 629. Corpus & lingua S. Antonij de Padua. 630.

*Renuntiatio*. Priuilegij ad fauorem. 104. Renuntiatio beneficij. 460. Olim difficilis. 462. Fieri poteſt coram Epiſcopo. 463. Quando ſimoniaca 464. Cum penſione, & cautio laica pro ſecuritate eiuſdem. 465. Cauſæ renuntiationis. 466. Edictum Epiſcopi prohibens renuntiationes reuocatum iuſſu Pro-Datarij. 466. Renunciatione facta non datur regreſſus. 466. Renuntiatio Iuriſpatron. 467.

*Res* iudicatæ non faciunt conſuetudinem. 124.

*Res ſacræ* quæ, & quæ tangi vetitæ. 562. 563. Earũ dominium penes quem. 595. 660. Immunitas 597. Res Eccleſiæ, earumque alienatio & dominium. 657. 660. Quando licita alienatio. 661. Solemnitates requiſitæ. 663. Ad ornatum ibid. Conſtitutio *Ambitioſè* Pauli II. eſt norma hodiernæ alienationis. 664

*Reſcriptum*. 68. Reſcriptorum Pontificorũ origo. 10. 71. Reſcriptum Iuſtitiæ & gratiæ, & aliæ ſpecies. 68. 72. 74. An deceat reſcripto obijcere ſubreptionem vel obreptionem ibid. Pręſentatio reſcripti gratiæ. 73.

*Reſeruatio* beneficij, eiuſque origo. 399. 405. 406. 407. Progreſſus quoad Eccleſias Cathedrales. 399. 406. Reſeruationes redactæ ad certas regulas Cancellariæ dictas 408. Regula octaua reſeruans omnia vacatura ibid. Praxis hodiernæ collationis Pontificiæ. 401. 406. Remedium Ordinariorum contra reſeruationes. 408. Reſeruatio fructuum. 482.

*Reſignatio* beneficij. 460. *Vide Renuntiatio*.

*Reſpublica* non eſt Principis, ſed Princeps Reipublicæ. 151. 163. Reip. felicitas eſt finis legis. 46.

*Retentio* beneficiorum cenſetur ſemper indulta ad ea quæ Cardinalatui non repugnant. 496.

*Reuerenda* literæ. 281.

*Rex*. Regis finis. 26. Quæ optanda in Rege. 563. Regis filij, eiuſque familiares liberi. 564. Acquiſita de nouo ab ipſo immunia. 599.

*Ritus* quid, & differentia a ſtylo. 126. Ritè & validè fieri quid. 530. Vnitas Eccleſię in ritibus. 2.

*Rogationum* ſolemnitas. 140.

*Romana* Eccleſia. 94. Matrix omnium Eccleſiarum. 172. 401.

S.

*Saccus* Patriarchalis. 192. 194.

*Sacerdos*. eius poteſtas & differentia ab Epiſcopali. 229. Sacerdotis finis, Segregatio, & diſtinctio. 164. Sacerdotium in laicis quale. 212. In Sacerdotio quę poteſtas datur. 228.

*Sacramentum*, eiuſque requiſita. 214. Sacramentũ ordinis. 147. 216. 220. An ordines minores, & alij ſint ſacramenta. *Vide Ordinatio*.

*Sacrificium* miſſæ. 324. Ratio & intentio ſacrificij. 326. Differentia ab adoratione & oblatione. 327. 28. Sacrificium Melchiſedech panis & vini. 529. 32. 37. Inſtitutio ſacrificij ab orbe condito. 505

*Sacriſta*, & Sacriſtia. 509.

Sau-

*Sancta* Sanctorum,& ſanctuarium in Eccleſia.508. 510.
*Sanctorum* veneratio. 628. 32. Inuocatio. 636. Quomodo noſtras preces audiant.637.
*Sarabaitæ* Monachi.353.
*Sarcophagus.* 613.
*Sarpius* de iure Aſylorum refellitur.526.547.556
*Sceuophylacium*,& ſceuophylax. 509.
*Scholæ* in Eccleſia, cantorum,& Theologiæ in cathedralibus.188. 386. Scholaſticus. 188.
*Scriniarij* Romanæ Eccleſiæ. 12.
*Secretarium* in Eccleſia. 396. 508.
*Segregatio* & ſegregandi vox, eiuſque ſignificatio in ſcriptura.210.
*Senatus conſulta.*17.
*Sepulcrum* & ſepultura. Sepulcrorum ius, & ſpecies. 439. 618. Sepulturæ origo, inſtitutum & ritus apud Veteres. 612. Romanorum & aliorũ 613.Iudæorum.615. Mos receptus ab Eccleſia 614. Quando vetitum ſepellire in Eccleſia, & quando permiſſum. 617. Praticabilia circa ſepulturam, & cuius ſit eam concedere.620. Venditio ſepulturæ. 622. Sepulcrum Abrahæ ibid. Ad quam Eccleſiam ſpectat ius ſepeliendi, & an electio ſepulturæ libera.623.Quarta Parochialis 624. Quibus deneganda ſepultura. 625. Sepulcri violatio. 626. 27. Funerum genera.627.Cadauerum humatio in Eccleſia olim vetita, & quibus permiſſa. 540. 616. 17.
*Sequeſter*, eiuſque facultas in collatione beneficiorum. 412.
*Seruitus*, eiuſque acquiſitio.84. Sententia ſeruitutem declarat,non conſtituit. 125.
*Simonia* & ſpecies. 475.
*Solea* in Eccleſia quid. 508.
*Sors*. huius vocis varia ſignificatio.209.
*Spadones* 250.
*Spirituale* & ſpirituali adnexum quid, 427. Spirituale & eccleſiaſticum in quo conueniunt.428
*Sportula* & ſportulantes dicti. 204. 370.
*Statuæ* Principum,& ijs adoratio exhibita. 525. Confugium ad ipſas ibid.
*Stylus* quid, & differentia à ritu. 126. Stylus curiæ quoad penſiones. 484. 85. 92. 97. 500. 501. 2. 3. Circa diſpenſationem. 488.
*Subdiaconatus* an ſit ſacramentum. 185. Benedictio in ſubdiaconatu non adhibita.222.Subdiaconi cœlibatus. 317.
*Subreptio*. 74.75.
*Subſcriptio*. 71.
*Suffragia* pro defunctis traditione ſola credenda. 137
*Superhumerale* quid. 190. 193.
*Suſpenſio*, & differentia ab irregularitate.488.

T.

T*Angi* vetita ob reuerentiam. 562.
*Taxationes* ſoluendæ ab Epiſcopis pro ordinatione.409. Soluendæ Cardinalibus vulgo *il rotolo*. 410.
*Templum*.577.Vnde dictum.505.Templum Salamonis. 508. 51[illegible].
*Tempus* immemoriale quid. 120. Tempus immemorabile. 84.
*Tertullianus* tenax diſciplinæ Eccleſiaſticæ. 171. Eius auctoritas.212. Condus Rituum Eccleſiaſticorum. 539.
*Thlibiæ*. 250.
*Titulus*. huius vocis varia acceptio. 259. Tituli domus ſacræ, fiſcales, cortinæ regię appellati,& mos affigendi titulos in Eccleſia. 259.Tituli ad ſacram ordinationem. 260. 261. Titulorum diuiſio in vrbe. 371. Titulus in beneficio. 372. Connexio ſacræ ordinationis cum titulo. 407. Titulus coloratus. 431. Titulari in Eccleſia quid eſt. 202.
*Tonſio.Vide Capilli.*
*Tonſura*. origo, progreſſus, & ratio. 216. 226. 308.Differentia Tonſuræ clericalis à monaſtica. 219.Corona dicta, & ſemper rotunda. 220.
*Traditiones*.Iudæorum. 113. Traditiones Eccleſiaſticæ.135. 36. 37.Neceſſitas,& auctoritas, & regulæ ad eas cognoſcendas. 138. 252. 545. Traditionum origo, nomen, & earum rationes & ſpecies. 135.136. 139.141. 142.Traditiones Apoſtolicæ,earumque differentia. 62. 138. 139 Quæ ſint traditiones diuinæ, Apoſtolicæ,& Eccleſiaſticæ. 139. 140. Traditiones neceſſariæ & liberæ. 142. Reſpuuntur ab hæreticis. 142.
*Tranſlatio* Penſionis.501. Quæ, quo modo,& in quas perſonas. 502.
*Tribonianus* Ethnicus. 552.
*Tribunal* in Eccleſia quid. 508.
*Tribunus* Plebis ſacroſanctus. 604.
*Tributum*,eiuſque ſpecies. 593. Ab eo liberi filij Regis,& familiares eorum. 594. 599.Ratio ſoluendi tributum. 601. Eius ſolutio pro Chriſto & Petro. 564. 572. Quæ perſonę immunes, & quæ bona. 594.95. &c.
*Tumbæ*. 615.
*Tumba*. 615.

V.

V*Acatio* beneficij. 473. ex delicto. 475. Ipſo iure, & ipſo facto. 476. Vacatio primi beneficij per aſſecutionẽ ſecundi 417. Vacatio per ſententiam. 477. effectus Vacationis. 477.
*Vectigal*. eius impoſitio vetita apud Eſdram.595.
*Vellejanum* ſenatus conſultum, eique renuntiatio per mulieres. 81. 580.
*Veneratio* Sanctorum. 628. 29. 632.
*Veronica* ſudario impreſſa imago Chriſti. 643.
*Vicarius* Epiſcopi. 166. Capitularis. 207. Eius facultas circa beneficia. 412. 13. Circa vnionẽ eorum. 470.
*Viduæ*, earumque differentia à diaconiſſis. 303. Verba D. Pauli de viduis. 305.
*Vigiliæ* ad ſepulcra Sanctorum. 540.
*Villani* Epiſcopi qui dicti. 185.
*Virginitas* B. Mariæ nullibi in ſcriptura.137.
*Virgo*. diaconiſſæ ex Virginibus aſſumptę. 304. Veſtalis. 312.Occurſu reos liberans. 536.
*Viri* ſacri. 564.
*Vis* directiua & coactiua. 42. 44. 89. Reſpectu Principis. 64. Vis regitiua in vnoquoque animali. 153. Vnde vis directiua. 589. 93.
*Vita* communis Clericorum, eorumque ſeparatio. 380. Vita monaſtica, eiuſque comparatio morti. 391.
*Vnctio* in vertice. 140.

*Vnion*

*Vnio* beneficioru m.452. 67. 69. 70. Eſt quid ſacti & odioſa. 472. Decretum Concilij Trident, quoad examen Vnionum. 472.
*Vnitas* in cultu & ritibus Eccleſiæ. 2.
*Vniuerſitas* eſt perſona ficta, & eadem per ſucceſſionem. 80.
*Votum*. Vota diſſoluendi poteſtas. 139. Votum continentiæ non ſemper ſubdiaconatui adnexum. 222. Vota Monachorum. 355.
*Vſufructus*. 328. & Vſufructuarius. 476. 80. 81. 501. 503. Reuiuiſcentia vſufructus. 495.
*Vſus*. priuatiuus & negatiuus quid. 96. Vſus contrarius. 108. Vſus, & Vſuarius. 476.

# F I N I S.

*Præcipua errata corrigenda,*

Numerus primus notat paginam, ſecundus columnam, tertius lineam.

*Pag. 13. col. 1. lin. 37. lege* ſeries. 13. 2. 42. conſtitui. 18. 1. 31. habentem. 22. 1. 29. ſublimius. 28. 1. 28. ſeges. 42. 1. 29. precepti 53. 16. coniungi. 141. 1. 27. Petauius. 158. 1. 34. iuriſdictionem. 186. 2. 10. conſtitiſſe. 231. 1. 28. mauis. 257. 2. 25. Hæc. 279. 2. 14 dimiſſoriæ, at propriè dimiſſoriæ dicebantur & ſunt. 284. 1. 32. abolitus. 310. 2. 23. intellectum. 342. 1. 14. non anima. 345. 2. 7. ſed & alijs. 353. 1. 24. ceſtro. 365. 1. 35. perfectionis ſemitam premunt, ſæpius ibid. 2. 41. diſcretionis. 372. 1. 30. iugera. *lin.* 30. à qua. 375. 2. 31. decedente. 377. 2. 1. obſtrictus. 382. 2. 31. ad 390. 1. 10. Conuellitur quidquid. 403. 2. 5. ipſe fit. 408. 2. 27. priuari 410. 2. 15. annatas. 415. 2. 14. velut. 432. 2 24 Patriſf. *lin.* 41. longi temporis. 437 2. 24 & 25 a laico, aut a clerico. 443. 2. 11 deleat. 451. 1. 20. Ædem. 455. 1. 14 cum. 456. 2. 29. Seius. 457. 1. 28. Pura. 460. 1. 23. nos detinuit. 473. 1. 35. adita. 477. 1. 19. Miles fit. & *lin. ult.* tractationem. 478. 1. 24 & 25. ſcrutaturi & *lin.* 35. rebimur. 479. 2. 36. debita à beneficiario in eius vitæ &c. 481. 1. 25. cedenti. 483. 2. 7. fine cauſa. 485. 2 38 tutiores. 487. 2. 10 & 16. poſſeſſorio. 489. 2. 18. teſtatur. 19. pronuntiaret. 490. 1. 22. & 23. tacitè intelligi diſpenſatum & ad. 492. 1. 18. profeſſionis emiſſio. 497. 1. 30. aſſecutionem. 503. 1. 20. eo enim caſu. 505. 2. 46. cataclyſmo. 507. 1. 6. quamque. 508. 1. 2. Hos omnes: & 14. pars. 511 1. 41. vt & Principis. ibid. 2. 27. Alex. III. 512. 1. 3. præcipuè & *lin.* 19. cuſtodum. 514. 2. 30. meri. 516. 1. 20. excogitatas, ſaltem applicatas. 518. 1. 18. dictorum ſupra, ſeu. 521. 1. 40. vtcumque tangant Eccleſias. 522. 1. 25. & 26. ſententiam eſſe quod 504. 2. 39. referente vbi. 525. 1. 23. vſum, & 526. 1. 17. quamque. 528. 1. 6. leges, at traditio. 533. 1. 31. naturalem illud fuit. 538. 1. 21. & recto. 540. 1. 32. deleuit. 544. 2. 43. principium legis. 549. 1. 43. eccleſiaſtici iudicis. 554. 1. 40 tamen abnuit. 557. 2. 20. fiat conceſſio. 558. 1. 18. diſtinguuntur. 561. 1. 11. fueris & 40. in cauſis ſæculi. 567. 1. 2. ſegregat igitur &. 2. 31. non eſſe peierandum. 569. 1. 19. ſunt ita diſpoſita. 574. 1. 30. vt à Deo, & 38. haberent eo ipſo. 577. 1. 17. locutas hactenus, & 28. eoque vlos, & 26. iudicium. 583. 2. 12. eccleſiaſticę perſonę. 585. 2. 11. diſparatæ ſine, 586. 2. 14. arbitrio induci poteſt. *lin.* 20. à lege, ſecundario, & &c. 592. 2. 33. ratione. 597. 1. 21. iuriſdictionis temporalis. 601. 2. 26. opiniones diuerſas. 608. 1. 26. at tactus. *lin.* 31. intentio. 612. 1. 2. Eccleſia materialis. 613. 2. 32 per vſtionem. 614. 1. 9 mortui illationem. ibid. 2. 43. ex Minutio. 620. 2. 14. nihil ad chriſtianam, & *lin.* 36. correctam eius. 628. 2. 18. ſpectabiliſſimus. 630. 1. 36. & olfactu. 640. 1. 26. quod ſcilicet Alex. 638. 2. 16. declarans & 650. 1. 26. & Romam. 652. 1. 23. addidere quod eſto. 660. 2. 31. & in hoc varietate. 662. 1. 30. Eccleſia hæres. 663. 2. 22. totius cleri. 27. habes.

Digitized by Google

Digitized by Google